BREVIARIUM

JUXTA RITUM

SACRI ORDINIS PRÆDICATORUM.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ,
DESCLÉE et Sociorum, S. Sedis Apostolicæ Editorum, Romæ, Tornaci.

✠

IN DEI FILIO SIBI DILECTIS

UNIVERSIS ET SINGULIS PRÆDICATORUM ORDINIS

PATRIBUS, FRATRIBUS AC SORORIBUS

FR. HYACINTHUS MARIA CORMIER

S. THEOLOGIÆ PROFESSOR TOTIUSQUE EJUSDEM ORDINIS

HUMILIS MAGISTER GENERALIS ET SERVUS

Salutem, et suave sonantis Ecclesiæ

vocibus vehementer affici.

PRODIT tandem in lucem novam Ordinis nostri Breviarium, diligenti cura recognitum, ad codicis principis, probatarum editionum, pontificiorumque decretorum sinceram fidem exactum et nitidis characteribus a meritissima Societate S. Joannis Evangelistæ nuncupata Tornaci excusum. Hanc editionem rati sumus eo vobis fore acceptiorem, quod multa in promptu et per modum continui præbeat, quæ prius in ejusdem molis aut formæ voluminibus dispersa, non sine legentium tædio immo et devotionis amittendæ periculo, passim quærebantur.

Faciliorem inde sacrum Officium integro studio persolvendi rationem nacti, Altissimum labiis exsultationis magnificate, illam Deo sacram et dilectam civitatem, quæ sursum est, æmulantes in terris, quæ plena modulis in laude et canoro jubilo, Trinum Deum Unicumque cum fervore prædicat.

Valete, Nostrique ac Sociorum Nostrorum in vestris orationibus memores estote.

Datum Romæ apud Cellam sancti Sebastiani Martyris, in Vigilia Pentecostes, iv. Kalendas Junii, Anno Domini M.DCCCC.IX., Assumptionis Nostræ sexto.

Fr. HYACINTHUS MARIA
CORMIER
MAGISTER ORDINIS.

Reg. pag. 252.

Fr CESLAUS Ma HANSEN
Mag. Provincialis Scotiæ et Socius.

IMPRIMATUR :
Fr. ALBERTUS LEPIDI, Ord. Præd.
S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR :
JOSEPHUS CEPPETELLI
Patr. Constant. Vices-gerens.

BULLA CLEMENTIS PAPÆ XII.

CLEMENS PAPA XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

EXPONI Nobis nuper fecit dilectus filius Thomas Ripoll Magister Generalis totius Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod alias emanarunt a felicis recordationis Innocentio Papa XI. Prædecessore nostro ad instantiam tunc in humanis agentis Antonini Cloche ejusdem Ordinis, dum viveret, Magistri itidem Generalis, litteræ in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet : Innocentius PP. XI. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut dilectus filius Antoninus Cloche, Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, Nobis nuper exponi fecit, ipse Missale, Breviarium, Diurnum, Martyrologium, Rubricarium, Processionale, Psalterium, Officium beatæ Mariæ Virginis, Kalendarium perpetuum, et reliquos Libros chorales, quibus personæ utriusque sexus dicti Ordinis utuntur, in alma Urbe nostra, prævia debita approbatione, propediem typis mandare intendat; vereatur autem, ne alii eosdem libros postea, nec ea, qua decet, sedulitate et castigatione edi curent, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opporturne providere, et ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur specialem ipsi Antonino Magistro Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati : Universis, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, præsertim vero Typographis, librorum Impressoribus, Bibliopolis ubilibet exsistentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, in nostra vero temporali ditione commorantibus etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis typorum, et librorum omnium eidem Cameræ applicandorum, absque aliqua declaratione incurrendis et exigendis pœnis, interdicimus et inhibemus, ne Missale, Breviarium, Diurnum, Martyrologium, Rubricarium, Processionale, Psalterium, Officium beatæ Mariæ Virginis, Kalendarium perpetuum, aliosque Libros chorales præfatos, vel eorum aliquos, aliquamve partem posthac in perpetuum, absque expressa, et in scriptis accepta dicti Antonini moderni, et pro tempore exsistentis Magistri Generalis dicti Ordinis facultate, cujus exemplum in principio, vel fine cujusque Librorum hujusmodi impressum una cum præsentibus nostris Litteris semper addendum erit, imprimere, aut ab aliis impressa vendere, seu venalia habere, vel proponere quovis modo audeant, vel præsumant : Mandantes universis, et singulis Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in spiritualibus generalibus, seu Officialibus, ac in Statu nostro Ecclesiastico Legatis, Vice-Legatis, Gubernatoribus, Potestatibus, et aliis Officialibus, cæterisque, ad quos quomodolibet spectat, et spectare poterit, ut quando, et quoties pro parte dicti Magistri Generalis, seu nomine dicti Ordinis requisiti fuerint, prædicta contra inobedientes quoscumque, etiam per censuras ecclesiasticas, et alia opportuna juris et facti remedia auctoritate Apostolica exsequantur, et observari faciant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti

Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores, præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumpta, seu exempla etiam in ipsis Libris impressa, manu alicujus Notarii publici subscripta, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munita, eamdem prorsus fidem ubique locorum in judicio, et extra faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die XIV. Augusti MDCLXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno duodecimo. J. F. Albanus. Loco ✠ Anuli Piscatoris. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Thomas Magister Generalis Litteras Innocentii Prædecessoris hujusmodi, ne ulla ratione, seu arte infringi, eludi, aut labentis temporis decursu labefactari valeant, sed ut eo validius subsistant, ac exactius serventur, quo multiplici firmitatis vinculo sæpius fuerint ab hac sancta Sede constabilitæ, Apostolicæ confirmationis Nostræ præsidio communiri summopere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Thomæ Magistri Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præsinsertas Innocentii Prædecessoris Litteras, et in eis contenta quæcumque, auctoritate Apostolica harum serie approbamus, et confirmamus, ac, quatenus opus sit, innovamus, illisque perpetuæ ac inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, vim, et efficaciam adjungimus. Præterea omnibus, et singulis dicti Ordinis utriusque sexus personis, nunc, et pro tempore exsistentibus, sub privationis vocis activæ, et passivæ, ne aliis quibuscumque Missali, Breviario, Diurno, Martyrologio, Rubricario, Processionali, Psalterio, Officio beatæ Mariæ Virginis, Kalendario perpetuo, ceterisque Libris choralibus, vel eorum aliquo, aliquave parte, quam iis, quæ in alma Urbe præfata, vel de expressa, et in scriptis accepta ejusdem Thomæ moderni, seu pro tempore exsistentis Magistri Generalis Ordinis prædicti facultate, et licentia, cujus exemplum in principio, vel fine cujusque Librorum hujusmodi per extensum impressum, una cum præinsertis, aut præsentibus Litteris semper additum sit, typis mandata, seu impressa fuerint, deinceps perpetuis futuris temporibus uti; Superioribus vero dicti Ordinis cujusvis gradus, dignitatis, ac præeminentiæ exsistant, sub suspensionis ab Officio, quod obtinent, ac perpetuæ ad idem, vel quodcumque aliud simile, vel dissimile in futurum obtinendum inhabilitatis, pœnis eo ipso, absque alia declaratione per transgressores respective incurrendis, ne dictorum Librorum, vel alicujus, seu partis eorum aliter, quam ut supra dictum est, impressorum usum præfatis personis sibi subditis permittere audeant similiter, vel præsumant, eadem autoritate, tenore præsentium præcipimus, et mandamus. Decernentes, ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas et efficaces exsistere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et

per omnia inviolabiliter et exacte observari; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus et singulis, quæ in præinsertis Innocentii Prædecessoris Litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum volumus pariter, ut præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam in ipsis Libris impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die XIX. Septembris MDCCXXXVI. Pontificatus nostri Anno septimo.

PRO D. CARDINALI OLIVERIO. P. L. JACQUET.

DE ANNO ET EJUS PARTIBUS.

ANNUS menses habet duodecim; hebdomadas duas, et quinquaginta, et diem unum : dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas; tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ, singulis quaternis annis diem constituunt : hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

DE ANNI CORRECTIONE,

EJUSQUE NECESSITATE, AC KALENDARIO GREGORIANO.

QUOD dictum est, annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant. Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas : et factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem, qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem (a qua jam a Concilio Nicæno decem circiter diebus in anno correctionis 1582 præcedendo recesserat, quod a Concilio ad xij. kalend. Aprilis fuerat constitutum) et xiv. Lunam Paschalem suo in loco reposuit; sed viam quoque tradidit, et rationem, qua cavetur ut in posterum et Æquinoctium vernum, et xiv. Luna Paschalis a propriis sedibus numquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xij. kal. Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582 eximerentur, et post quartam diem Octobr. S. Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Oct. Et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a xij. kal. Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600 anno correctionis proximum, post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur, quartus vero quisque centesimus esset Bissextilis : ita ut annus 1700, 1800, et 1900 Bissextiles non sint, sed communes; anno vero 2000 more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29 continente : idemque ordo intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

QUATUOR TEMPORA.

QUATUOR tempora celebrantur quarta, et sexta Feria, ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, et post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.

NUPTIÆ

QUANDO CELEBRARI NON POSSINT, JUXTA DECRETUM CONCILII TRIDENTINI.

A DOMINICA prima Adventus, usque in diem Epiphaniæ, et a Feria iv. Cinerum, usque in Octav. Paschatis inclusive, sancta Synodus solemnitates Nuptiarum prohibet. In aliis vero temporibus, Nuptias solemniter celebrari permittit.

DE CYCLO
DECENNOVENNALI AUREI NUMERI.

CYCLUS decennovennalis Aurei num. est revolutio numeri 19 annorum a 1 usque ad 19, qua revolutione peracta, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia, anno 1850 numerus Cycli decennovennalis, qui dicitur Aureus, est 8; anno sequenti 1851 erit 9 et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius, usque ad 19, qui Aureus numerus cadet in annum 1861, post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1862 Aureus num, sit rursus 1, et anno 1863, 2, etc.

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno correctionis 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582 reperietur hoc modo :

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	
15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6, secundus autem, qui est 7, sequenti anno 1583, et ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cujus Aureum numerum quæris, perveniatur : redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitum.

MODUS BREVIS COGNOSCENDI
AUREUM NUMERUM CUJUSQUE ANNI.

Numero anni de quo quæris, adde unicam unitatem 1. Exempli gratia, anno 1833 adde 1; summam inde conflatam divide per 19; quod superest, erit Aureus numerus ipsius anni : si nihil superest, erit Aureus numerus 19.

DE EPACTIS, ET NOVILUNIIS.

EPACTA nil aliud est, quam numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365 annum communem Lunarem dierum 354 superat : ita ut Epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus Solaris communis Lunarem annum communem excedat : atque adeo sequenti anno Novilunia contingant 11 diebus prius, quam anno primo. Ex quo fit Epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus Solaris Lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni, efficiunt 22, ac proinde finito hoc anno, Novilunia contingere 22 diebus prius, quam primo anno : Epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies ad 22 adjiciantur, efficietur num. 33 a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam Lunationem Embolismalem constituunt, relinquentur 3, atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per continuum augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30, quando rejici possunt. Solum, quando perventum erit ad ultimam Epactam Aureo num. 19 respondentem, quæ est 29, adduntur 12 ut abjectis 30 ex composito num. 41 habeatur rursus Epacta 11 ut in principio, quod ideo fit, ut ultima Lunatio Embolismica, currente Aureo num. 19 sit tantum 29 dierum. Si enim 30 dies contineret, ut aliæ sex Lunationes Embolismicæ, non rediret Novilunia post 19 annos Solares, ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque uno die tardius quam ante 19 annos. De qua re plura invenies in libro novæ rationis restituendi Kalendarii Romani. Sunt autem novemdecim Epactæ, quot et Aurei numeri, respondebantque ipsis Aureis numeris ante Kalendarii correctionem eo modo, quo in hac tabella dispositæ sunt,

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem.

Aurei num.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Epactæ.	xj.	xxij.	iij.	xiv.	xxv.	vj.	xvij.	xxviij.

9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
ix.	xx.	j.	xij.	xxiij.	iv.	xv.	xxvj.	vij.	xviij.	xxix.

Quia vero cyclus decennovennalis Aurei numeri imperfectus est, cum Novilunia post 19 annos Solares non præcise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus 19 Epactarum. Quamobrem ita emendatus est, ut in posterum loco Aurei numeri, et dictarum 19 Epactarum, utamur 30 numeris Epactalibus a 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc *. Propterea quod nulla Epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30 Epactis respondent decem et novem Aureis num. variæ decem et novem Epactæ, prout Solaris anni ac Lunaris æquatio exposcit : quæ quidem decem, et novem Epactæ progrediuntur, ut olim, per eumdem numerum 11, addunturque semper 12 illi Epactæ, quæ respondet Aureo num. 19. ut habeatur sequens Epacta respondens Aureo num. 1 ob rationem paulo ante dictam. Id quod sequens tabella perspicuum faciet, quæ continet Aureos num. et Epactas inter se respondentes ab anno correctionis 1582 post detractionem x dierum, usque ad annum 1700 exclusive. Quamvis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, re ipsa tamen in principio anni mutandæ sunt, una cum Aureo numero, in cujus locum hæ nostræ Epactæ succedunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. (detractis prius decem diebus) usque ad annum 1700 exclusive.

Aurei num.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.
Epactæ.	xxvj.	vij.	xviij.	xxix.	x.	xxj.	ij.	xiij.	xxiv.

15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.
v.	xvj.	xxvij.	viij.	xix.	j.	xij.	xxiij.	iv.	xv.

Itaque si Epacta quocumque anno proposito invenienda sit, quærendus est Aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur Epacta anni propositi, vel certe hoc signum. * Ubi ergo illa Epacta vel signum * in Kalendario inventum fuerit, eo die Novilunium fiet. Invenietur autem Aureus numerus, vel antecedente canone, vel ex tabella Epactarum proposito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum tabellæ illi anno, a quo usus tabellæ incipit, et secundum Aureum numerum sequenti anno, etc. Eodem modo reperietur Epacta sine Aureo numero, si 1. Epacta tabellæ tribuatur illi anno, a quo ejus usus incipit, et secunda Epacta sequenti anno.

Exemplum. Anno correctionis 1582 Aureus numerus erat 6, nempe primus primæ tabellæ, cujus usus incœpit ab idibus Octobris dicti anni 1582 detractis prius x diebus. Fuit ergo tunc Epacta xxvj quæ sub Aureo numero 6 collocatur, acciditque Novilunium die 27 Octobris, et 26 Novembris, et 25 Decembris. Item anno 1583 jam correcto, Aureus numerus erat 7 cui in eadem tabella supposita est Epacta vij, quæ toto eo anno in Kalendario Novilunia indicat, ut in Januario die 24, in Februario die 22, in Martio die 24. etc...

Tabella litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. (detractis prius decem diebus) usque ad annum 1700 exclusive.

c b	A g	f e d	c b	A g f	e d	c b A	g f
e d c	b A	g f e	d c	b A g	f e	d	

Usus hujus tabellæ hic est. Anno correctionis 1582 post Idus Octobris (detractis prius decem diebus) tribuatur littera c. primæ cellulæ; et sequenti anno 1583 littera b, secundæ, et anno 1584 dentur litteræ A, g, tertiæ cellulæ, et sic deinceps aliis annis suo ordine aliæ litteræ aliis cellulis tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit quam annus 1700, dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quæ si unica occurrerit, annus erit communis; si vero duplex, Bissextilis : et tunc superior littera Dominicam diem ostendet in Kalendario a principio anni, usque ad festum sancti Matthiæ Apostoli, inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni. Exempli gratia : Si sit invenienda littera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1582 quem tribue primæ litteræ c. usque annum 1587, tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas litteras quascumque, superiorem, et inferiorem pro una cellula) cadetque annus 1587 in litteram d, quæ sextum locum in tabella occupat. Fuit ergo toto eo anno littera Dominicalis d, annus que communis erat, cum littera simplex occurrat. Rursus si sit investiganda littera Dominicalis anno 1616, numera ab anno 1582 ut dictum est, usque ad annum 1616 redeundo ad principium tabellæ, postquam eam percurreris, perveniesque ad duas hasce litteras c, b, septimo loco positas. Fuit ergo annus ille Bissextilis, cum duplex littera occurrat, superiorque littera c, Dominicam diem indicavit a principio anni illius usque ad festum sancti Matthiæ, inferior autem b, in reliqua parte anni.

Tabellæ suprapositæ tam Epactarum cum Aureis numeris, quam Litterarum Dominicalium hic conservantur, ut facile per eas ascendi possit ad annum correctionis Gregorianæ Kalendarii. Quia tamen annus 1700 (qui non fuit Bissextus, proptereaque unam tantum Litt. Dominicalem habuit, nempe c) impedivit, ne ultra deservire possent, idcirco novæ aliæ usui futuri temporis accommodatæ illis subjiciuntur.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab anno 1700. inclusive usque ad annum 1900. exclusive.

Aurei num.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.
Epactæ.	ix.	xx.	j.	xij.	xxiij.	iv.	xv.	xxvj.	vij.
19.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
xviij.	*.	xj.	xxij.	iij.	xiv.	xxv.	vj.	xvij.	xxviij.

Ab anno 1900. inclusive usque ad annum 2199. pariter inclusive, regit sequens tabella.

Aurei num.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
Epactæ.	xxix.	x.	xxj.	ij.	xiij.	xxiv.	v.	xvj.	xxvij.
10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
viij.	xix.	*.	xj.	xxij.	iij.	xiv.	25.	vj.	xvij.

Ad tollendam dubitationem de usu hujus novæ tabulæ Epactarum ostendemus rem exemplis. Anno 1700 tribuatur Epacta ix, quæ sub Aureo numero 10 collocatur, fietque Novilunium 22 Januarii, 20 Februarii, et 22 Martii. Item anno 1701 tribuatur Epacta xx sub Aureo numero 11 collocata, quæ toto eo anno in Kalendario Novilunia monstrabit: ut in Januario die 11, in Februario die 9, in Martio die 11. Et sic deinceps per ordinem annis progredientibus, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Rursus anno 1710 Epacta non signatur numero, sed hoc signo *, quod collocatur sub Aureo numero 1, et in Kalendario toto eo anno Novilunia indicabit, nimirum in Januario die 1 et 31, in Martio (nam in Februario nullum tunc Novilunium, cum in eo signum hoc * non reperiatur) die 1 et 31, in Aprili die 29, etc.

Postremo, anno 1916 Aureus numerus est 17, sub quo in ordine Epactarum tertiæ tabellæ, quæ proposito anno congruit, reperitur Epacta 25 non antiquo numero, ut aliæ Epactæ, sed vulgari numero scripta. Ubicumque ergo anno 1916 in Kalendario Epacta 25 vulgari numero scripta reperitur, ibi Novilunium fit, ut in Januario die 6, in Februario die 4, in Martio die 6, in Aprili die 4, etc. Quotiescumque enim Epacta 25 respondet Aureis numeris majoribus quam 11, quales sunt posteriores octo a 12 usque ad 19, sumenda est in Kalendario Epacta 25 vulgari numero scripta; quando vero eadem Epacta respondet minoribus numeris quam 12, quales sunt priores undecim ab 1 ad 11 inclusive, accipienda est in Kalendario Epacta xxv antiquo numero scripta: atque hoc solum contingit in Epacta 25, in aliis nunquam; quod ideo fit, ut anni lunares solaribus annis perfectius respondeant. Ob quam etiam causam in sex locis Kalendarii duæ Epactæ, scilicet xxv et xxiv sunt adscriptæ.

Tabella Litterarum Dominicalium ab anno 1701. inclusive usque ad annum 1800. exclusive.

b A g	f e	d c b	A g	f e d	c b	A g f
e d	c b A	g f	e d c	b A	g f e	d c

Tabella Litterarum Dominicalium, ab anno 1801, (nam præcedenti, quia communis, servivit tant. Litt. e) usque ad annum 1900 exclusive.

d c b	A g	f e d	c b	A g f	e d	c b A
g f	e d c	b A	g f e	d c	b A g	f e

Ab anno vero 1901 (nam anterior 1900 quia non fuit Bissextilis. habuit Litt. g unicam usque ad annum 2100 exclusive regit tabella sequens:

f e d	c b	A g f	e d	c b A	g f	e d c
b A	g f e	d c	b A g	f e	d c b	A g

Usus hujus tabellæ talis est. Anno 1700 tribuatur unica littera c, quia annus ille 1700 non est Bissextilis, sed communis, et littera d fuit Dominicalis præcedenti anno 1699. Anno sequenti 1701 tribuatur littera b primæ cellulæ, etc. Item anno 1704 tribuantur geminæ litteræ f e, quartæ cellulæ, et sic deinceps aliis annis per ordinem aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum pervenias, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris: nam cellula, in quam annus propositus cadet, dummodo minor sit quam annus 1800, dabit litteram Dominicalem propositi anni: quæ si unica occurrerit, annus erit communis; si vero duplex, Bissextilis: et tunc superior littera Dominicalem diem indicabit in Kalendario a principio anni usque ad festum S. Mathiæ Apostoli, inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni.

DE INDICTIONE.

INDICTIO est revolutio 15 annorum a 1 usque ad 15, qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli a Januario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens usus est in Diplomatibus, et scripturis publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti tabella, cujus usus perpetuus est: initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

Brevius invenietur Indictio cujuslibet anni a Nativitate Domini usque in perpetuum, addendo anno proposito numerum ternarium, et dividendo Summam per 15. Nam si nihil superest, Indictio erit decima quinta; sin autem aliquid residuum fuerit, hoc ipsum erit numerus Indictionis anni dati.

Tabella Indictionis ab anno correctionis.

10.	11.	12.	13.	14.	15.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

Nam si anno 1582 tribuas primum numerum, qui est 10, et sequenti anni 1583 secundum numerum, qui est 11 et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam decurreris, cadet annus propositus in Indictionem, quæ quæritur.

DE FESTIS MOBILIBUS.

QUONIAM ex decreto sacri Concilii Nicæni Pascha, ex quo reliqua Festa mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit xiv Lunæ primi mensis, (is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cujus xiv Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur) efficitur, ut si Epacta cujusvis anni inveniatur, et ab ea in Kalendario notata inter diem octavum Martii inclusive, et quintum Aprilis inclusive (hujus enim Epactæ xiv Luna cadit vel in diem Æquinoctii verni, id est, in diem 21 Martii, vel eum propius sequitur) numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim, tunc proximus dies Dominicus diem hunc xiv sequens (ne cum Judæis conveniamus, si forte dies xiv Lunæ caderet in diem Dominicum) sit dies Paschæ.

Exemplum. Anno 1851 Epacta est xxviij et Littera Dominicalis e; et quoniam Epacta xxviij invenitur inter diem 8 Martii, et 5 Aprilis inclusive, posita e regione diei 2 Aprilis, a quo inclusive deorsum versus numerati 14 dies xiv Lunam indicabunt die 15 Aprilis; sumemus Litt. Dominical. e, quæ sequitur Lunam xiv, eam nempe, quæ est e regione diei 20 Aprilis; sicque illo anno Pascha celebremus die 20 Aprilis.

Item anno sequenti 1852 Epacta erit ix et Littera Dominicalis d, c,

quia annus erit Bissextilis; et quoniam Epacta ix reperietur inter diem 8 Martii, et 5 Aprilis inclusive, locata e regione diei 22 Martii, a quo inclusive deorsum versus numerati 14 dies indicabunt Lunam xiv, die 4 Aprilis, sumemus Litt. Dominical. c, non eam, quæ est e regione die 4 Aprilis, sed proxime inferiorem, nimirum quæ est ex adverso die 11. ejusd. mensis collocata, in quo die celebrabitur Pascha.

Cæterum ut facilius omnia Festa mobilia inveniantur, compositæ sunt duæ sequentes tabulæ Paschales, una antiqua, et nova altera. Ex antiqua ita Festa mobilia reperientur. In latere sinistro tabulæ accipiatur Epacta currens, et in linea litterarum Dominicalium, sumatur littera Dominicalis currens, infra tamen Epactam currentem, ita ut si littera Dominicalis currens reperiatur e regione Epactæ currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proxime inferior. Et e regione hujus litteræ Dominicalis omnia Festa mobilia continentur.

Exemplum. Anno 1853 Epacta erit xx, et Littera Dominicalis b, et licet hæc littera non reperiatur e regione Epactæ xx, tamen sumenda est ad inquirenda anni istius Festa mobilia in regione inferiori : ibi enim hæc littera b designabit regionem sibi correspondentem directe, quæ continet dies Festorum mobilium anni 1853, et ostendet Septuagesimam incidere in diem 23 Januarii, Cineres in 9 Februarii. Pascha in 27 Martii, Ascensionem in 5 Maji, Pentecosten in 15 Maji, Corpus Christi in 26 ejusdem. Dominicas post Pentecosten esse 27, seu 25 post Octavam Trinitatis, prout secundum nostrum Ritum in Breviario nostro numeramus, et Dominicam primam Adventus die 27 Novembris. Sicque in cæteris.

Notandum autem est, quod quemadmodum in anno communi, cadente littera Dominicali e regione Epactæ in Tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, ut diximus : ita quoque in anno Bissextili, si alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentium e regione Epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proxime inferiores, ut Festa mobilia inveniantur.

Ex tabula vero Paschali nova ita eadem Festa mobilia reperientur. In cellula litteræ Dominicalis currentis quæratur Epacta currens. Et e directo omnia Festa mobilia deprehendentur. Ut hoc eodem anno 1853 in cellula Litteræ b, quæ est anni hujus Littera Dominicalis, reperietur ejusdem anni Epacta xx et recta ad dexteram, hac eadem linea procedendo, habentur eadem festa, ut ex antiqua tabula ostensa sunt.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, invenienda sunt omnia Festa mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post festum S. Matthiæ Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc, aut illo Festo indagando accipienda sit : ita tamen, ut Septuagesimæ, et diei Cinerum inventæ in Januario, aut Februario addatur unus dies. Quod ideo fit, quia ante diem S. Matthiæ currit prior littera Dominicalis, quæ in Kalendario posteriorem semper sequitur : post festum autem S. Matthiæ in Februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita ut dies 24 Februarii dicatur dies 25, et dies 25 dicatur 26 etc. Quod si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendum est, quia tunc et littera posterior currit, et dies mensis propriis numeris respondent, cum dies intercalaris Februario sit additus. Immo nisi per posteriorem litteram investigarentur, non inveniretur recte Septuagesima in anno Bissextili, currente Epacta xxiv vel xxv, et littera Dominicali d, c, ut in secundo, ac tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088 et 3784. Exempli gratia : anno 2096. Bissextili, Epacta erit v. et litteræ Dominicales A, g. Si igitur per posteriorem litteram, quæ est g, Festa mobilia investigentur, reperietur Septuagesima die 11 Februarii, et dies Cinerum 28 Februarii. Si

autem addatur unus, cadet Septuagesima in diem 12 Februarii, quæ est Dominica, et dies Cinerum in diem 29 Februarii, quæ est Feria quarta. Pascha autem et reliqua Festa in eos dies cadent, qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088 Bissextili Epacta erit xxiv et litteræ Dominicales d, c. Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantur Festa mobilia, invenietur Septuagesima die 21 Februarii, et si addatur unus dies, cadet in diem 22 Februarii, quæ est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10 Martii, quare nihil additur, etc. Rursus anno 3784 Bissextili Epacta erit xxv et litteræ Dominicales d, c, ergo iterum per posteriorem c, reperietur Septuagesima die 21 Februarii, hoc est, addita una, die 22. Quod si per priorem litteram d, in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiv et xxv littera d, indicet Septuagesimam die 15 Februarii, quod falsum esset, cum eo anno posterior littera c Pascha offerat die 25 Aprilis, ac proinde Septuagesima die 22 Februarii celebranda sit, ut liquido constat, si a die Paschæ, Dominicæ retro numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porro tabula Paschali antiqua reformata, Epactis ad sinistram præposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarii collocari solebant, ut ex iis Festa mobilia, invenirentur. Hoc autem idcirco a nobis factum est ut Pascha, cæteraque Festa mobilia, a Concilio Nicæno usque ad annum 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio ex Aureis numeris ita distributis Festa mobilia eruuntur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando festa hæc celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7 et littera Dominicalis d, si Aureus numerus 7 in sinistro latere accipiatur, et prima littera d, infra eum occurrens, reperietur e regione hujus litteræ d, Septuagesima die 1 Februarii, dies Cinerum 18 Februarii, Pascha die 5 Aprilis, etc.

Adventus Domini celebratur semper die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreæ Apostoli, nempe a die 27 Novembris inclusive, usque ad diem 3 Decembris inclusive, ita ut littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario a die 27 Novembris, usque ad diem 3 Decembris, indicet Dominicam Adventus. Ut, verbi gratia, si littera Dominicalis est g, Dominica Adventus cadet in diem 2 Decembris, quia ibi est littera g in Kalendario, etc.

Ad finem tandem tabularum Paschalium apposita est tabula temporaria multorum annorum, e regione quorum omnia Festa mobilia inveniuntur : quæ quidem tabula ex tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque annis.

TABULA PASCHALIS ANTIQUA REFORMATA.

Aureus num.	Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Septuag.	Dies Cinerum.	Pascha.	Ascensio.	Pentecoste.	Corpus Christi.	Dom. post Oct. Trin.	Dom. j. Advent
			Jan.	Febr.	Mart.	April.	Maii.	Maii.		
16	xxiij									
5	xxij	d	18	4	22	30	10	21	26	29 Nov.
	xxj	e	19	5	23	1 Maii.	11	22	26	30
13	xx	f	20	6	24	2	12	23	26	1 Dec.
2	xix	g	21	7	25	3	13	24	26	2
	xviij	A	22	8	26	4	14	25	26	3
10	xvij	b	23	9	27	5	15	26	25	27 Nov.
	xvj	c	24	10	28	6	16	27	25	28
18	xv	d	25	11	29	7	17	28	25	29
7	xiv	e	26	12	30	8	18	29	25	30
	xiij	f	27	13	31	9	19	30	25	1 Dec.
15	xij	g	28	14	1 Apr.	10	20	31	25	2
4	xj	A	29	15	2	11	21	1 Jun.	25	3
	x	b	30	16	3	12	22	2	24	27 Nov.
12	ix	c	31	17	4	13	23	3	24	28
1	viij	d	1 Febr.	18	5	14	24	4	24	29
	vij	e	2	19	6	15	25	5	24	30
9	vj	f	3	20	7	16	26	6	24	1 Dec.
	v	g	4	21	8	17	27	7	24	2
17	iv	A	5	22	9	18	28	8	24	3
6	iij	b	6	23	10	19	29	9	23	27 Nov.
	ij	c	7	24	11	20	30	10	23	28
14	j	d	8	25	12	21	31	11	23	29
3	½	e	9	26	13	22	1 Jun.	12	23	30
	xxix	f	10	27	14	23	2	13	23	1 Dec.
11	xxviij	g	11	28	15	24	3	14	23	2
	xxvij	A	12	1 Mart.	16	25	4	15	23	3
19	25 xxvj	b	13	2	17	26	5	16	22	27 Nov.
8	xxv xxiv	c	14	3	18	27	6	17	22	28
		d	15	4	19	28	7	18	22	29
		e	16	5	20	29	8	19	22	30
		f	17	6	21	30	9	20	22	1 Dec.
		g	18	7	22	31	10	21	22	2
		A	19	8	23	1 Junii.	11	22	22	3
		b	20	9	24	2	12	23	21	27 Nov.
		c	21	10	25	3	13	24	21	28

TABULA PASCHALIS NOVA REFORMATA.

Litt. Domin.	Cyclus Epactarum.	Septuages.	Dies Cinerum.
D	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	18 Januarii 25 Januarii 1 Februarii 8 Februarii 15 Februarii	4 Februarii 11 Februarii 18 Februarii 25 Februarii 4 Martii
E	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	19 Januarii 26 Januarii 2 Februarii 9 Februarii 16 Februarii	5 Februarii 12 Februarii 19 Februarii 26 Februarii 5 Martii
F	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	20 Januarii 27 Januarii 3 Februarii 10 Februarii 17 Februarii	6 Februarii 13 Februarii 20 Februarii 27 Februarii 6 Martii
G	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	21 Januarii 28 Januarii 4 Februarii 11 Februarii 18 Februarii	7 Februarii 14 Februarii 21 Februarii 28 Februarii 7 Martii
A	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	22 Januarii 29 Januarii 5 Februarii 12 Februarii 19 Februarii	8 Februarii 15 Februarii 22 Februarii 1 Martii 8 Martii
B	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	23 Januarii 30 Januarii 6 Februarii 13 Februarii 20 Februarii	9 Februarii 16 Februarii 23 Februarii 2 Martii 9 Martii
C	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	24 Januarii 31 Januarii 7 Februarii 14 Februarii 21 Februarii	10 Februarii 17 Februarii 24 Februarii 3 Martii 10 Martii

TABULA PASCHALIS NOVA REFORMATA.

Pascha.	Ascensio.	Pentecoste	Corpus Christi.	Dom. post Oct. Trin.	Dominica j. Adventus.
22 Martii	30 Aprilis	10 Maii	21 Maii	26	29 Novembris
29 Martii	7 Maii	17 Maii	28 Maii	25	29
5 Aprilis	14 Maii	24 Maii	4 Junii	24	29
12 Aprilis	21 Maii	31 Maii	11 Junii	23	29
19 Aprilis	28 Maii	7 Junii	18 Junii	22	29
23 Martii	1 Maii	11 Maii	22 Maii	26	30 Novembris
30 Martii	8 Maii	18 Maii	29 Maii	25	30
6 Aprilis	15 Maii	25 Maii	5 Junii	24	30
13 Aprilis	22 Maii	1 Junii	12 Junii	23	30
20 Aprilis	29 Maii	8 Junii	19 Junii	22	30
24 Martii	2 Maii	12 Maii	23 Maii	26	1 Decembris
31 Martii	9 Maii	19 Maii	30 Maii	25	1
7 Aprilis	16 Maii	26 Maii	6 Junii	24	1
14 Aprilis	23 Maii	2 Junii	13 Junii	23	1
21 Aprilis	30 Maii	9 Junii	20 Junii	22	1
25 Martii	3 Maii	13 Maii	24 Maii	26	2 Decembris
1 Aprilis	10 Maii	20 Maii	31 Maii	25	2
8 Aprilis	17 Maii	27 Maii	7 Junii	24	2
15 Aprilis	24 Maii	3 Junii	14 Junii	23	2
22 Aprilis	31 Maii	10 Junii	21 Junii	22	2
26 Martii	4 Maii	14 Maii	25 Maii	26	3 Decembris
2 Aprilis	11 Maii	21 Maii	1 Junii	25	3
9 Aprilis	18 Maii	28 Maii	8 Junii	24	3
16 Aprilis	25 Maii	4 Junii	15 Junii	23	3
23 Aprilis	1 Junii	11 Junii	22 Junii	22	3
27 Martii	5 Maii	15 Maii	26 Maii	25	27 Novembris
3 Aprilis	12 Maii	22 Maii	2 Junii	24	27
10 Aprilis	19 Maii	29 Maii	9 Junii	23	27
17 Aprilis	26 Maii	5 Junii	16 Junii	22	27
24 Aprilis	2 Junii	12 Junii	23 Junii	21	27
28 Martii	6 Maii	16 Maii	27 Maii	25	28 Novembris
4 Aprilis	13 Maii	23 Maii	3 Junii	24	28
11 Aprilis	20 Maii	30 Maii	10 Junii	23	28
18 Aprilis	27 Maii	6 Junii	17 Junii	22	28
25 Aprilis	3 Junii	13 Junii	24 Junii	21	28

TABELLA TEMPORARIA FESTORUM MOBILIUM.

Anno D.	Litterae Dominic.	Aureus Numerus.	Epactae.	Septuages.	Dies Cinerum.	Pascha.
1908	e d	9	xxvij	16 Februarii	4 Martii	19 Aprilis
1909	c	10	viij	7 Februarii	24 Februarii	11 Aprilis
1910	b	11	xix	23 Januarii	9 Februarii	27 Martii
1911	A	12	*	12 Februarii	1 Martii	16 Aprilis
1912	g f	13	xj	4 Februarii	21 Februarii	7 Aprilis
1913	e	14	xxij	19 Januarii	5 Februarii	23 Martii
1914	d	15	iij	8 Februarii	25 Februarii	12 Aprilis
1915	c	16	xiv	31 Januarii	17 Februarii	4 Aprilis
1916	b A	17	25	20 Februarii	8 Martii	23 Aprilis
1917	g	18	vj	4 Februarii	21 Februarii	8 Aprilis
1918	f	19	xvij	27 Januarii	13 Februarii	31 Martii
1919	e	1	xxix	16 Februarii	5 Martii	20 Aprilis
1920	d c	2	x	1 Februarii	18 Februarii	4 Aprilis
1921	b	3	xxj	23 Januarii	9 Februarii	27 Martii
1922	A	4	ij	12 Februarii	1 Martii	16 Aprilis
1923	g	5	xiij	28 Januarii	14 Februarii	1 Aprilis
1924	f e	6	xxiv	17 Februarii	5 Martii	20 Aprilis
1925	d	7	v	8 Februarii	25 Februarii	12 Aprilis
1926	c	8	xvj	31 Januarii	17 Februarii	4 Aprilis
1927	b	9	xxvij	13 Februarii	2 Martii	17 Aprilis
1928	A g	10	viij	5 Februarii	22 Februarii	8 Aprilis
1929	f	11	xix	27 Januarii	13 Februarii	31 Martii
1930	e	12	*	16 Februarii	5 Martii	20 Aprilis
1931	d	13	xj	1 Februarii	18 Februarii	5 Aprilis
1932	c b	14	xxij	24 Januarii	10 Februarii	27 Martii
1933	A	15	iij	12 Februarii	1 Martii	16 Aprilis
1934	g	16	xiv	28 Januarii	14 Februarii	1 Aprilis
1935	f	17	25	17 Februarii	6 Martii	21 Aprilis
1936	e d	18	vj	9 Februarii	26 Februarii	12 Aprilis
1937	c	19	xvij	24 Januarii	10 Februarii	28 Martii
1938	b	1	xxix	13 Februarii	2 Martii	17 Aprilis
1939	A	2	x	5 Februarii	22 Februarii	9 Aprilis
1940	g f	3	xxj	21 Januarii	7 Februarii	24 Martii
1941	e	4	ij	9 Februarii	26 Februarii	13 Aprilis
1942	d	5	xiij	1 Februarii	18 Februarii	5 Aprilis
1943	c	6	xxiv	21 Februarii	10 Martii	25 Aprilis

TABELLA TEMPORARIA FESTORUM MOBILIUM.

Anno D	Ascensio.	Pentec.	Corpus Christi.	Indictio.	Dom. post Oct. Trin.	Dom. I. Adventus.	Litt. Mart.
1908	28 Maii	7 Junii	18 Junii	6	22	29 Nov.	H
1909	20 Maii	30 Maii	10 Junii	7	23	28 Nov.	h
1910	5 Maii	15 Maii	26 Maii	8	25	27 Nov.	u
1911	25 Maii	4 Junii	15 Junii	9	23	3 Dec.	P
1912	16 Maii	26 Maii	6 Junii	10	24	1 Dec.	l
1913	1 Maii	11 Maii	22 Maii	11	26	30 Nov.	C
1914	21 Maii	31 Maii	11 Junii	12	23	29 Nov.	c
1915	13 Maii	23 Maii	3 Junii	13	24	28 Nov.	p
1916	1 Junii	11 Junii	22 Junii	14	22	3 Dec.	F
1917	17 Maii	27 Maii	7 Junii	15	24	2 Dec.	f
1918	9 Maii	19 Maii	30 Maii	1	25	1 Dec.	s
1919	29 Maii	8 Junii	19 Junii	2	22	30 Nov.	N
1920	13 Maii	23 Maii	3 Junii	3	24	28 Nov.	k
1921	5 Maii	15 Maii	26 Maii	4	25	27 Nov.	B
1922	25 Maii	4 Junii	15 Junii	5	23	3 Dec.	b
1923	10 Maii	20 Maii	31 Maii	6	25	2 Dec.	n
1924	29 Maii	8 Junii	19 Junii	7	22	30 Nov.	E
1925	21 Maii	31 Maii	11 Junii	8	23	29 Nov.	e
1926	13 Maii	23 Maii	3 Junii	9	24	28 Nov.	r
1927	26 Maii	5 Junii	16 Junii	10	22	27 Nov.	H
1928	17 Maii	27 Maii	7 Junii	11	24	2 Dec.	h
1929	9 Maii	19 Maii	30 Maii	12	25	1 Dec.	u
1930	29 Maii	8 Junii	19 Junii	13	22	30 Nov.	P
1931	14 Maii	24 Maii	4 Junii	14	24	29 Nov.	l
1932	5 Maii	15 Maii	26 Maii	15	25	27 Nov.	C
1933	25 Maii	4 Junii	15 Junii	1	23	3 Dec.	c
1934	10 Maii	20 Maii	31 Maii	2	25	2 Dec.	p
1935	30 Maii	9 Junii	20 Junii	3	22	1 Dec.	F
1936	21 Maii	31 Maii	11 Junii	4	23	29 Nov.	f
1937	6 Maii	16 Maii	27 Maii	5	25	28 Nov.	s
1938	26 Maii	5 Junii	16 Junii	6	22	27 Nov.	N
1939	18 Maii	28 Maii	8 Junii	7	24	3 Dec.	k
1940	2 Maii	12 Maii	23 Maii	8	26	1 Dec.	B
1941	22 Maii	1 Junii	12 Junii	9	23	30 Nov.	b
1942	14 Maii	24 Maii	4 Junii	10	24	29 Nov.	n
1943	3 Junii	13 Junii	24 Junii	11	21	28 Nov.	E

FESTA MOBILIA

QUÆ ABSUNT A CALENDARIO.

	PARTE	PAGINA
Feria iij. post Dom. Septuag. Oratio D. N. J. C. in Monte Oliveti.	I	581
Feria iij. post Dom. Sexag. Commemoratio Passionis D. N. J. C.	I	592
Feria v. post Dom. Sexag. Translatio S. Catharinæ Senensis V. O. P.	I	606
Feria vj. post Dom. j. Quadrag. SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.	I	614
Feria vj. post Dom. ij. Quadrag. SS. Sindonis D. N. J. C.	I	625
Feria vj. post Dom. iij. Quadrag. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C.	I	637
Feria vj. post Dom. iv. Quadrag. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.	I	648
Feria vj. post Dom. in Passione. Compassio B. Mariæ.	I	662
Pascha Resurrectionis	I	480
Dominica ij. post Octavam Paschæ. Patrocinium S. Joseph Confessoris Sponsi B. Mariæ Virginis	I	677
Si tamen post Trinitatem transferatur.	II	367
Ascensio Domini	I	537
Pentecoste.	I	561
Festum SS. Trinitatis	II	161
Festum SS. Corporis Christi	II	175
Feria vj. post festum Corporis Christi. Festum SS. Cordis Jesu	II	374
Dominica j. post Oct. Trinitatis. Purissimi Cordis B. Mariæ V.	II	388
Dedicatio Ecclesiæ		11*

CALENDARIUM.

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		Dies mensis.	
*	A	Calendis	1	Circumcisio Domini. Totum Duplex.
xxix	b	iv. non.	2	Octava S. Stephani Protomart. Tres Lectiones.
xxviij	c	iij. non.	3	Octava S. Joannis Apostoli et Evangelistæ. Tres Lectiones.
xxvij	d	Prid. non.	4	Octava SS. Innocentium Martyrum. Tres Lectiones.
xxvj	e	Nonis.	5	Vigilia.
25. xxv	f	viij. id.	6	Epiphania Domini. Totum Duplex. Dominica infra Octavam Epiphaniæ. Inventio Domini nostri Jesu Christi in medio Doctorum. Totum Duplex.
xxiv	g	vij. id.	7	
xxiij	A	vj. id.	8	
xxij	b	v. id.	9	
xxj	c	iv. id.	10	B. Gundisalvi Confess. O. P. Totum Duplex.
xx	d	iij. id.	11	
xix	e	Pridie id.	12	
xviij	f	Idibus	13	Octava Epiphaniæ. Simplex.
xvij	g	xix. cal. FEBRUAR.	14	S. Hilarii Episc., Conf. et Eccl. Doct. Duplex.
xvj	A	xviij. cal.	15	SS. Nominis Jesu. Totum Duplex. S. Mauri Abbatis. Memoria.
xv	b	xvij. cal.	16	B. Stephanæ de Quinzanis V. O. P. Duplex. S. Marcelli Papæ et Mart. Memoria.
xiv	c	xvj. cal.	17	S. Antonii Abbatis. Totum Duplex.
xiij	d	xv. cal.	18	Cathedra Romana S. Petri. Duplex. S. Priscæ Virg. et Mart. Memoria. Ante non erit Septuagesima.
xij	e	xiv. cal.	19	B. Andreæ a Piscaria Conf. O. P. Duplex. S. Felicis Presb. et Mart. Memoria.
xj	f	xiij. cal.	20	SS. Fabiani Papæ et Sebastiani MM. Totum Duplex.
x	g	xij. cal.	21	S. Agnetis Virg. et Mart. Totum Duplex.
ix	A	xj. cal.	22	S. Vincentii Mart. Totum Duplex.
viij	b	x. cal.	23	S. Raymundi Conf. O. P. Totum Duplex. S. Emerentianæ Virg. et Mart. Memoria.
vij	c	ix. cal.	24	B. Marcolini Conf. O. P. Duplex. S. Timothei Ep. et Mart. Memoria.
vj	d	viij. cal.	25	Conversio S. Pauli Apost. Totum Duplex.
v	e	vij. cal.	26	B. Margaritæ de Hungaria Virg. O. P. Duplex. S. Polycarpi Ep. et Mart. Memoria.
iv	f	vj. cal.	27	S. Joannis Chrysostomi Ep. Conf. et Eccl. Doct. Duplex. S. Juliani Ep. et Conf. Memoria.
iij	g	v. cal.	28	Translatio S. Thomæ Aquinatis Conf. et Eccl. Doct. O. P. Totum Duplex. S. Agnetis secundo. Memoria.

Cyclus Epact	Litt. Dom.		Dies mensis.	
ij	A	iv. cal.	29	S. Francisci Salesii Ep. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.
				Octava S. Vincentii Mart. Memoria.
				S. Pauli primi Eremitæ. Memoria.
j	b	iij. cal.	30	S. Martinæ Virg. et Mart. Simplex.
				Octava S. Raymundi Conf. O. P. Simplex.
*	c	Pridie cal.	31	S. Petri Nolasco Conf. Duplex.

FEBRUARIUS.

xxix	d	Calendis	1	S. Ignatii Ep. et Mart Duplex.
xxviij	e	iv. non.	2	Purificatio B. Mariæ Virg. Totum Duplex.
xxvij	f	iij. non.	3	S. Blasii Ep. et Mart. Simplex.
25. xxvj	g	Pridie non.	4	S. Andreæ Corsini Ep. et Conf. Duplex.
				Anniversarium Patrum et Matrum. Novem Lectiones.
				Ante non erit Cinis.
xxv. xxiv	A	Nonis	5	S. Agathæ Virg. et Mart. Duplex.
xxiij	b	viij. id.	6	S. Dorotheæ Virg. et Mart. Duplex.
				SS. Vedasti et Amandi Confessorum. Memoria.
xxij	c	vij. id.	7	S. Romualdi Abbatis. Duplex.
xxj	d	vj. id.	8	S. Joannis de Matha Conf. Duplex.
xx	e	v. id.	9	B. Bernardi Scammacca Conf. O. P. Duplex.
				S. Apolloniæ Virg. et Mart. Memoria.
xix	f	iv. id.	10	S. Scholasticæ Virg. Duplex.
xviij	g	iij. id.	11	Desponsatio B. Mariæ Virg. Totum Duplex.
				S. Joseph Conf. et Sponsi B. Mariæ Virg. Memoria.
xvij	A	Pridie id.	12	B. Reginaldi Conf. O. P. Duplex.
xvj	b	Idibus	13	S. Catharinæ de Ricciis V. O. P. Totum Duplex.
xv	c	xvj. cal. MARTII.	14	B. Nicolai Palea Conf. O. P. Duplex.
xiv	d	xv. cal.	15	B. Jordani Saxonis Conf. O. P. Duplex.
xiij	e	xiv. cal.	16	B. Gregorii Papæ X. Conf. Duplex.
xij	f	xiij. cal.	17	Septem Confessorum Ordinis Servorum B. Mariæ Fundatorum. Duplex.
xj	g	xij. cal.	18	B. Laurentii a Ripafracta Conf. O. P. Duplex.
x	A	xj. cal.	19	B. Alvari Cordubensis Conf. O. P. Duplex.
ix	b	x. cal.	20	Octava S. Catharinæ de Ricciis Virg. O. P. Simplex.
viij	c	ix. cal.	21	B. Aimonis Taparelli Conf. O. P. Duplex.
				S. Valentini Mart. Memoria.
				Post non erit Septuagesima.
vij	d	viij. cal.	22	Cathedra Antiochena S. Petri. Duplex.
vj	e	vij. cal.	23	S. Petri Damiani Ep. Conf. et Eccl. Doct. Duplex. Vigilia.
v	f	vj. cal. LOCUS BISSEXTI.	24	S. Mathiæ Apostoli. Totum Duplex.
iv	g	v. cal.	25	B. Constantii a Fabriano Conf. O. P. Duplex.
iij	A	iv. cal.	26	
ij	b	iij. cal.	27	
j	c	Pridie cal.	28	B. Villanæ de Bottis Vid. O. P. Duplex.

In Anno bissextili Februarius est dierum viginti novem et Festum S. Mathiæ celebratur die 25. Februarii et bis dicitur Sexto calendas Martii., idest die 24. et die 25.; et Littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario mutatur in præcedentem : ut si in Januario Littera Dominicalis fuit A, mutetur in præcedentem, quæ est g. etc. Festum vero B. Constantii celebratur die 26., et Festum B. Villanæ die 29.

MARTIUS.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies mensis.		
*	d	Calendis	1	B. Christophori a Milano Conf. O. P. Duplex. S. Albini Ep. et Conf. Memoria.
xxix	c	vj. non.	2	B. Henrici Susonis Conf. O. P. Duplex.
xxviij	f	v. non.	3	
xxvij	g	iv. non.	4	S. Casimiri Conf. Duplex.
xxvj	A	iij. non.	5	
25. xxv	b	Prid. non.	6	B. Jordani a Pisis Conf. O. P. Duplex.
xxiv	c	Nonis	7	S. Thomæ Aquinatis Conf. et Eccl. Doct. O. P. Totum Duplex.
xxiij	d	viij. id.	8	S. Joannis de Deo Conf. Duplex.
xxij	e	vij. id.	9	S. Franciscæ Romanæ Vid. Duplex.
xxj	f	vj. id.	10	B. Petri de Jeremia Conf. O. P. Duplex. Post non erit Cinis.
xx	g	v. id.	11	
xix	A	iv. id.	12	S. Gregorii Magni Papæ, Conf. et Eccl. Doct. Totum Duplex.
xviij	b	iij. id.	13	
xvij	c	Pridie id.	14	Octava S. Thomæ Aquinatis O.P. Solemnis.
xvj	d	Idibus	15	
xv	e	xvij. cal. APRILIS.	16	
xiv	f	xvj. cal.	17	S. Patritii Ep. Conf. Duplex.
xiij	g	xv. cal.	18	B. Sibyllinæ de Biscossis Virg. O. P. Duplex.
xij	A	xiv. cal.	19	S. Joseph Conf. Sponsi B. Mariæ Virg. Totum Duplex.
xj	b	xiij. cal.	20	
x	c	xij. cal.	21	S. Benedicti Abbatis. Duplex.
ix	d	xj. cal.	22	B. Ambrosii Sansedonii Conf. O. P. Duplex. Ante non erit Pascha.
viij	e	x. cal.	23	
vij	f	ix. cal.	24	S. Gabrielis Archangeli. Totum Duplex.
vj	g	viij. cal.	25	Annuntiatio B. M. Virg. Totum Duplex.
v	A	vij. cal.	26	Octava S. Joseph. Solemnis.
iv	b	vj. cal.	27	
iij	c	v. cal.	28	
ij	d	iv. cal.	29	
j	e	iij. cal.	30	
*	f	Pridie cal.	31	

APRILIS.

xxix	g	Calendis	1	Octava Annuntiationis B. Mariæ Virg. Solemnis.
xxviij	A	iv. non.	2	S. Francisci de Paula Conf. Duplex.
xxvij	b	iij. non.	3	Impressio sacrorum Stigmatum S. Catharinæ Senen. Virg. O. P. Duplex.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		Dies mensis.	
25. xxvj	c	Prid. non.	4	S. Ambrosii Ep. Conf. et Eccl. Doct. Totum Duplex.
xxv. xxiv	d	Nonis	5	S. Vincentii Ferrerii Conf. O. P. Totum Duplex.
xxiij	e	viij. id.	6	
xxij	f	vij. id.	7	
xxj	g	vj. id.	8	
xx	A	v. id.	9	B. Antonii Pavonii Mart. O. P. Duplex.
xix	b	iv. id.	10	B. Antonii Neyrot Mart. O. P. Duplex.
xviij	c	iij. id.	11	S. Leonis Magni Papæ, Conf. et Eccl. Doct. Totum Duplex.
xvij	d	Pridie id.	12	Octava S. Vincentii Conf. O. P. Simplex.
xvj	e	Idibus	13	B. Margaritæ de Castello Virg. O. P. Duplex.
xv	f	xviij. cal. MAII.	14	B. Petri Gonzalez Conf. O. P. Duplex.
xiv	g	xvij. cal.	15	S. Hermenegildi Mart. Duplex.
xiij	A	xvj. cal.	16	SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi MM. Tres Lectiones.
xij	b	xv. cal.	17	B. Claræ Gambacurtæ Vid. O. P. Duplex.
xj	c	xiv. cal.	18	
x	d	xiij. cal.	19	
ix	e	xij. cal.	20	S. Agnetis de Monte Politiano Virg. O. P. Totum Duplex.
viij	f	xj. cal.	21	B. Bartholomæi Mart. O. P. Duplex.
vij	g	x. cal.	22	
vj	A	ix. cal.	23	S. Georgii Mart. Simplex.
v	b	viij. cal.	24	SS. Coronæ spineæ Domini. Totum Duplex. S. Adalberti Ep. et Mart. Memoria.
iv	c	vij. cal.	25	S. Marci Evangelistæ. Totum Duplex. Ultimum Pascha.
iij	d	vj. cal.	26	BB. Dominici et Gregorii Confessorum O. P. Duplex.
ij	e	v. cal.	27	Octava S. Agnetis. Virg. O. P. Simplex.
j	f	iv. cal.	28	S. Pauli a Cruce Conf. Duplex. S. Vitalis Mart. Memoria.
*	g	iij. cal.	29	S. Petri Martyris O. P. Totum Duplex.
xxix	A	Pridie cal.	30	S. Catharinæ Senensis Virg. O. P. Totum Duplex.
				Ante non erit Ascensus.

MAIUS.

xxviij	b	Calendis	1	SS. Philippi et Jacobi Apostolorum. Totum Duplex.
xxvij	c	vj. non.	2	S. Athanasii Ep. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.
xxvj	d	v. non.	3	Inventio sanctæ Crucis. Totum Duplex. SS. Alexandri, Eventii et Theoduli MM. Memoria.
25. xxv	e	iv. non.	4	S. Monicæ Vid. Duplex.
xxiv	f	iij. non.	5	S. Pii Quinti Papæ et Conf. O. P. Totum Duplex.
xxiij	g	Prid. non.	6	S. Joannis ante Portam Latinam. Duplex. Octava S. Petri Mart. O. P. Simplex.
xxij	A	Nonis	7	Octava S. Catharinæ Senensis O. P. Solemnis.
xxj	b	viij. id.	8	Apparitio S. Michaelis Archangeli. Totum Duplex.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies mensis.		
xx	c	vij. id.	9	S. Gregorii Nazianzeni Ep. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.
xix	d	vj. id.	10	S. Antonini Ep. Conf. O. P. Totum Duplex. SS. Gordiani et Epimachi MM. Memoria. Ante non venit Ignis.
xviij	e	v. id.	11	S. Stanislai Ep. Mart. Duplex.
xvij	f	iv. id.	12	B. Joannæ de Lusitania Virg. O. P. Duplex. Octava S. Pii Quinti O. P. Simplex. SS. Nerei, Achillei et Pancratii MM. Memoria.
xvj	g	iij. id.	13	B. Alberti a Bergomo Conf. O. P. Duplex.
xv	A	Prid. id.	14	B. Ægidii Conf. O. P. Duplex.
xiv	b	Idibus	15	Conversio S. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.
xiij	c	xvij. cal. JUNII.	16	S. Joannis Nepomuceni Mart. Duplex.
xij	d	xvj. cal.	17	B. Andreæ Abellonii Conf. O. P. Duplex. Octava S. Antonini O. P. Simplex.
xj	e	xv. cal.	18	S. Venantii Mart. Simplex.
x	f	xiv. cal.	19	S. Petri Cælestini Papæ et Conf. Duplex. S. Pudentianæ Virg. Memoria.
ix	g	xiij. cal.	20	B. Columbæ Virg. O. P. Duplex.
viij	A	xij. cal.	21	S. Bernardini Senensis Conf. Simplex. Ante non erit Corpus.
vij	b	xj. cal.	22	S. Servatii Ep. et Conf. Totum Duplex.
vj	c	x. cal.	23	B. Ludovici Mariæ Grignon de Montfort Conf. O. P. Duplex.
v	d	ix. cal.	24	B. Mariæ Virg. titulo Auxilium Christianorum. Totum Duplex.
iv	e	viij. cal.	25	Translatio S. P. N. Dominici Conf. Totum Duplex. S. Mariæ de Pazzis Virg. Memoria. S. Urbani Papæ Mart. Memoria.
iij	f	vij. cal.	26	S. Philippi Nerii Conf. Totum Duplex.
ij	g	vj. cal.	27	BB. Petri Sanz Ep. et Sociorum MM. O. P. Duplex.
j	A	v. cal.	28	B. Mariæ Bartholomææ Virg. O. P. Duplex.
*	b	iv. cal.	29	BB. Guillelmi O. P. et Sociorum MM. Duplex.
xxix	c	iij. cal.	30	
xxviij	d	Pridie cal.	31	B. Jacobi Salomonii Conf. O. P. Duplex. S. Petronillæ Virg. Memoria.

JUNIUS.

xxvij	e	Calendis	1	BB. Alphonsi Navarrete O. P. et Sociorum MM. Duplex.
25. xxvj	f	iv. non.	2	BB. Sadoc et Sociorum MM. O. P. Duplex. SS. Marcellini Presbyteri et Petri Exorcistæ MM. Memoria.
xxv. xxiv	g	iij. non.	3	Post non erit Ascensus.
xxiij	A	Prid. non.	4	Translatio S. Petri Mart. O. P. Totum Duplex.
xxij	b	Nonis	5	S. Francisci Caracciolo Conf. Duplex.
xxj	c	viij. id.	6	S. Norberti Ep. et Conf. Duplex.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		Dies mensis.	
xx	d	vij. id.	7	
xix	e	vj. id.	8	S. Angelæ Mericiæ Virg. Duplex. S. Medardi Ep. et Conf. Memoria.
xviij	f	v. id.	9	BB. Dianæ, Cæciliæ et Amatæ Virginum O.P. Duplex. SS. Primi et Feliciani MM. Memoria.
xvij	g	iv. id.	10	B. Joannis Dominici Ep.et Conf.O.P.Duplex.
xvj	A	iij. id.	11	S. Barnabæ Apostoli. Totum Duplex.
xv	b	Pridie id.	12	B. Stephani Bandelli Conf. O. P. Duplex. SS. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii MM. Memoria.
xiv	c	Idibus	13	S. Antonii de Padua Conf. Duplex. Post non venit Ignis.
xiij	d	xviij. cal. JULII.	14	S. Basilii Ep. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.
xij	e	xvij. cal.	15	SS. Viti, Modesti et Crescentiæ M M. Tres Lectiones.
xj	f	xvj. cal.	16	S. Martialis Ep. et Conf. Tres Lectiones. SS. Quirici et Julittæ MM. Memoria.
x	g	xv. cal.	17	
ix	A	xiv. cal.	18	B. Osannæ Mantuanæ Virg. O. P. Duplex.
viij	b	xiij. cal.	19	SS. Gervasii et Protasii MM. Simplex.
vij	c	xij. cal.	20	SS. Marci et Marcelliani MM. Tres Lectiones.
vj	d	xj. cal.	21	
v	e	x. cal.	22	B. Innocentii Quinti Papæ et Conf. O. P. Duplex.
iv	f	ix. cal.	23	Decem millium Martyrum. Duplex. Vigilia.
iij	g	viij. cal.	24	Nativitas S. Joannis Baptistæ. Totum Duplex. Post non erit Corpus.
ij	A	vij. cal.	25	
j	b	vj. cal.	26	SS. Joannis et Pauli MM. Simplex.
*	c	v. cal.	27	
xxix	d	iv. cal.	28	S. Leonis Secundi Papæ et Conf. Memoria Vigilia.
xxviij	e	iij. cal.	29	SS. Petri et Pauli Apostolorum. Totum Duplex.
xxvij	f	Pridie cal.	30	Commemoratio S. Pauli Apostoli. Duplex.

JULIUS.

xxvj	g	Calendis	1	Octava S. Joannis Baptistæ. Simplex.
25. xxv	A	vj. non.	2	Visitatio B. Mariæ V. Totum Duplex.
xxiv	b	v. non.	3	B. Marci Mutinensis Conf. O. P. Duplex. SS. Processi et Martiniani MM. Memoria.
xxiij	c	iv. non.	4	
xxij	d	iij. non.	5	S. Antonii Mariæ Zaccaria Conf. Duplex.
xxj	e	Prid. non.	6	Octava SS. Petri et Pauli Apostolorum. Solemnis.
xx	f	Nonis	7	B. Benedicti Undecimi Papæ et Conf. O. P. Duplex.
xix	g	viij. id.	8	

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		Dies mensis.	
xviij	A	vij. id.	9	SS. Joannis O. P. et Sociorum MM. Totum Duplex. Octava Visitationis B. Mariæ Virg. Simplex.
xvij	b	vj. id.	10	Septem Fratrum MM. Memoria.
xvj	c	v. id.	11	BB. Ignatii Delgado, Dominici Henares O. P. et Sociorum MM. Duplex. S. Procopii Abbatis. Memoria.
xv	d	iv. id.	12	S. Joannis Gualberti Abbatis. Duplex. Anniversarium sepultorum in Cœmeteriis nostris. Novem Lectiones.
xiv	e	iij. id.	13	B. Jacobi a Voragine Ep. et Conf. O. P. Duplex.
xiij	f	Pridie id.	14	S. Bonaventuræ Ep. Conf. et Eccl. Doct. Totum Duplex.
xij	g	Idibus	15	S. Henrici Imperatoris Conf. Duplex.
xj	A	xvij. cal. AUGUSTI.	16	Commemoratio B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo. Totum Duplex. Octava SS. Joannis et Sociorum M M. Simplex.
x	b	xvj. cal.	17	S. Alexii Conf. Tres Lectiones.
ix	c	xv. cal.	18	B. Ceslai Conf. O. P. Duplex.
viij	d	xiv. cal.	19	S. Vincentii a Paulo Conf. Duplex.
vij	e	xiij. cal.	20	S. Margaritæ Virg. et Mart. Simplex.
vj	f	xij. cal.	21	S. Hieronymi Æmiliani Conf. Duplex. S. Praxedis Virg. Memoria.
v	g	xj. cal.	22	S. Mariæ Magdalenæ. Totum Duplex.
iv	A	x. cal.	23	B. Joannæ Urbevetanæ Virg. O. P. Duplex. S. Liborii Ep. et Conf. Memoria. S. Apollinaris Ep. et Mart. Memoria.
iij	b	ix. cal.	24	S. Camilli de Lellis Conf. Duplex. S. Christinæ Virg. et Mart. Memoria. Vigilia.
ij	c	viij. cal.	25	S. Jacobi Apostoli. Totum Duplex. SS. Christophori et Cucuphatis MM. Memoria.
j	d	vij. cal.	26	S. Annæ Matris B. Mariæ Virg. Totum Duplex.
*	e	vj. cal.	27	B. Augustini de Bugella Conf. O. P. Duplex.
xxix	f	v. cal.	28	B. Antonii ab Ecclesia Conf. O. P. Duplex. SS. Nazarii, Celsi et Pantaleonis MM. Memoria.
xxviij	g	iv. cal.	29	S. Marthæ Virg. Duplex. Octava S. Mariæ Magdalenæ. Simplex. SS. Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis MM. Memoria.
xxvij	A	iij. cal.	30	B. Mannis Conf. O. P. Duplex. SS. Abdon et Sennen MM. Memoria.
25. xxvj	b	Pridie cal.	31	S. Ignatii Conf. Duplex. S. Germani Ep. et Conf. Memoria.

AUGUSTUS.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.	Dies mensis.		
xxv.xxiv	c	Calendis	1	S. Petri Apostoli ad Vincula. Duplex. SS. Machabæorum MM. Memoria.
xxiij	d	iv. non.	2	B. Joannæ de Aza Matris S. P. N. Dominici. Duplex. S. Stephani Papæ et Mart. Memoria.
xxij	e	iij. non.	3	Inventio Corporis S. Stephani Protomartyris Simplex.
xxj	f	Prid. non.	4	S. P. N. Dominici Conf. Totum Duplex.
xx	g	Nonis	5	S. Mariæ ad Nives. Duplex.
xix	A	viij. id.	6	Transfiguratio Domini. Totum Duplex. SS. Xysti Papæ, Felicis et Agapiti MM. Memoria.
xviij	b	vij. id.	7	S. Cajetani Conf. Duplex. S. Donati Ep. et Mart. Memoria.
xvij	c	vj. id.	8	B. Augustini Lucerini Ep. et Conf. O. P. Duplex. SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi MM. Memoria.
xvj	d	v. id.	9	B. Joannis de Salerno Conf. O. P. Duplex. Vigilia.
xv	e	iv. id.	10	S. Laurentii Mart. Totum Duplex.
xiv	f	iij. id.	11	Octava S. P. N. Dominici. Solemnis. S. Tirbutii Mart. Memoria.
xiij	g	Pridie id.	12	S. Claræ Virg. Duplex.
xij	A	Idibus	13	SS. Hippolyti et Sociorum MM. Duplex.
xj	b	xix. cal. SEPTEMB.	14	S. Emygdii Ep. et Mart. Duplex. S. Eusebii Presbyteri et Conf. Memoria. Vigilia.
x	c	xviij. cal.	15	Assumptio B. Mariæ Virg. Totum Duplex.
ix	d	xvij. cal.	16	S. Hyacinthi Conf. O. P. Totum Duplex. Dominica infra Octavam Assumptionis. S. Joachim Conf. Patris B. Mariæ Virg. Totum Duplex.
viij	e	xvj. cal.	17	B. Æmiliæ Bicchieri Virg. O. P. Duplex. Octava S. Laurentii. Simplex.
vij	f	xv. cal.	18	S. Rochi Conf. Duplex. S. Agapiti Mart. Memoria.
vj	g	xiv. cal.	19	S. Alphonsi Mariæ de Ligorio Ep. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.
v	A	xiij. cal.	20	S. Bernardi Abbatis et Eccl. Doct. Duplex.
iv	b	xij. cal.	21	S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. Duplex.
iij	c	xj. cal.	22	Octava Assumptionis B. Mariæ Virg. Solemnis. SS. Timothei et Symphoriani MM. Memoria.
ij	d	x. cal.	23	B. Jacobi a Mevania Conf. O. P. Duplex. Octava S. Hyacinthi O. P. Simplex. Vigilia.
j	e	ix. cal.	24	S. Bartholomæi Apostoli. Totum Duplex.
*	f	viij. cal.	25	S. Ludovici Galliæ Regis Conf. Duplex.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		Dies mensis.	
xxix	g	vij. cal.	26	S. Philippi Benitii Conf. Duplex.
xxviij	A	vj. cal.	27	S. Josephi Calasanctii Conf. Duplex. S. Rufi Ep. et Mart. Memoria.
xxvij	b	v. cal.	28	S. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doct. Totum Duplex.
xxvj	c	iv. cal.	29	Decollatio S. Joannis Baptistæ. Duplex. S. Sabinæ Mart. Memoria.
25. xxv	d	iij. cal.	30	S. Rosæ a Lima Virg. O. P. Totum Duplex. SS. Felicis et Adaucti MM. Memoria.
xxiv	e	Pridie cal.	31	S. Raymundi Nonnati Conf. Duplex.

Ubi festum S. Bartholomæi die 25. Augusti celebratur, sic disponenda sunt quæ supra pro diebus 23., 24., 25. et 26. notata fuerant.

ij	d	x. cal.	23	B. Jacobi a Mevania Conf. O. P. Duplex. Octava S. Hyacinthi. Simplex.
j	e	ix. cal.	24	S. Philippi Benitii Conf. Duplex. Vigilia.
*	f	viij. cal.	25	S. Bartholomæi Apostoli Totum Duplex.
xxix	g	vij. cal.	26	S. Ludovici Galliæ Regis Conf. Duplex.

SEPTEMBER.

xxiij	f	Calendis	1	S. Philumenæ Virg. et Mart. Duplex. S. Ægidii Abbatis. Memoria.
xxij	g	iv. non.	2	S. Stephani Hungariæ Regis Conf. Duplex.
xxj	A	iij. non.	3	B. Gualæ Ep. et Conf. O. P. Duplex.
xx	b	Prid. non.	4	Octava S. Augustini. Solemnis.
xix	c	Nonis	5	B. Catharinæ a Raconixio Virg. O. P. Duplex. Anniversarium Familiarium et Benefactorum defunctorum Ord. N. Novem Lect.
xviij	d	viij. id.	6	B. Bertrandi a Garriga Conf. O. P. Duplex. Octava S. Rosæ a Lima O. P. Simplex.
xvij	e	vij. id.	7	S. Rosæ a Viterbio Virg. Duplex. S. Marcelli Mart. Memoria.
xvj	f	vj. id.	8	Nativitas B. Mariæ Virg. Totum Duplex. Dominica infra Octavam Nativitatis B. Mariæ.SS. Nominis ejusdem. Totum Duplex.
xv	g	v. id.	9	S. Gorgonii Mart. Memoria.
xiv	A	iv. id.	10	S. Nicolai a Tolentino Conf. Duplex.
xiij	b	iij. id.	11	SS. Proti et Hyacinthi MM. Memoria.
xij	c	Pridie id.	12	
xj	d	Idibus	13	
x	e	xviij. cal. OCTOBRIS.	14	Exaltatio sanctæ Crucis. Totum Duplex.
ix	f	xvij. cal.	15	Commemoratio S. P. N. Domini Conf. in Suriano. Totum Duplex. Octava Nativitatis B.Mariæ Virg. Simplex. S. Nicomedis Mart. Memoria.
viij	g	xvj. cal.	16	B. Imeldæ Virg. O. P. Duplex. S. Euphemiæ Virg. et Mart. Memoria.
vij	A	xv. cal.	17	Impressio Stigmatum S. Francisci. Duplex. S. Lamberti Ep. et Mart. Memoria.
vj	b	xiv. cal.	18	SS. Cornelii Papæ et Cypriani Ep. MM. Duplex.
v	c	xiij. cal.	19	SS. Januarii Ep. et Sociorum MM. Duplex.
iv	d	xij. cal.	20	B. Francisci de Possadas Conf. O. P. Duplex. Vigilia.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		Dies mensis.	
iij	e	xj. cal.	21	S. Matthæi Apostoli et Evangelistæ. Totum Duplex.
ij	f	x. cal.	22	SS. Mauritii et Sociorum MM. Simplex.
j	g	ix. cal.	23	S. Theclæ Virg. feminarum Protomartyris. Duplex.
*	A	viij. cal.	24	B. Mariæ Virg. de Mercede. Totum Duplex.
xxix	b	vij. cal.	25	S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf. Duplex.
xxviij	c	vj. cal.	26	B. Dalmatii Monerii Conf. O. P. Duplex.
xxvij	d	v. cal.	27	SS. Cosmæ et Damiani MM. Simplex.
25. xxvj	e	iv. cal.	28	S. Josephi a Cupertino Conf. Duplex. S. Venceslai Mart. Memoria.
xxv. xxiv	f	iij. cal.	29	S. Michaelis Archangeli. Totum Duplex.
xxiij	g	Pridie cal.	30	S. Hieronymi Presbyteri, Conf. et Eccl. Doct. Totum Duplex.

OCTOBER.

				Dominica in calendis vel prima post calendas Octobris. Festivitas SS. Rosarii B. Mariæ Virg. Totum Duplex cum Octava Solemni.
xxij	A	Calendis	1	SS. Eustachii et Sociorum MM. Duplex. S. Remigii Ep. et Conf. Memoria.
xxj	b	vj. non.	2	SS. Angelorum Custodum. Totum Duplex.
xx	c	v. non.	3	B. Joannis Massias Conf. O. P. Duplex.
xix	d	iv. non.	4	S. P. N. Francisci Conf. Totum Duplex.
xviij	e	iij. non.	5	B. Raymundi a Capua Conf. O. P. Duplex. SS. Placidi et Sociorum MM. Memoria.
xvij	f	Prid. non.	6	S. Brunonis Conf. Duplex. Octava S. Michaelis. Simplex.
xvj	g	Nonis	7	B. Matthæi Carrerii Conf. O. P. Duplex.
xv	A	viij. id.	8	S. Birgittæ Viduæ. Simplex.
xiv	b	vij. id.	9	SS. Dionysii Ep. et Sociorum M M. Totum Duplex.
xiij	c	vj. id.	10	S. Ludovici Bertrandi Conf. O. P. Totum Duplex.
xij	d	v. id.	11	Octava S. P. N. Francisci. Solemnis. S. Leodegarii Ep. et Mart. Memoria.
xj	e	iv. id.	12	B. Jacobi ab Ulma Conf. O. P. Duplex.
x	f	iij. id.	13	S. Eduardi Regis et Conf. Duplex.
ix	g	Pridie id.	14	B. Magdalenæ de Panateriis Virg. O. P. Duplex. S. Callisti Papæ et Mart. Memoria.
viij	A	Idibus	15	S. Teresiæ Virg. Totum Duplex.
vij	b	xvij. cal. NOVEMBR	16	
vj	c	xvj. cal.	17	Octava S. Ludovici Bertrandi. Simplex.
v	d	xv. cal.	18	S. Lucæ Evangelistæ. Totum Duplex.
iv	e	xiv. cal.	19	S. Petri ab Alcantara Conf. Simplex.
iij	f	xiij. cal.	20	S. Marci Papæ et Conf. Tres Lectiones. SS. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apulei MM. Memoria.
ij	g	xij. cal.	21	SS. Ursulæ et Sociarum VV. et MM. Totum Duplex.
j	A	xj. cal.	22	B. Petri a Tiferno Conf. O. P. Duplex. S. Hilarionis Abbatis. Memoria.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		Dies mensis.	
*	b	x. cal.	23	B. Bartholomæi de Bregantia Ep. et Conf. O. P. Duplex.
xxix	c	ix. cal.	24	S. Raphaelis Archangeli. Totum Duplex.
xxviij	d	viij. cal.	25	SS. Crispini et Crispiniani MM. Tres Lectiones.
xxvii	e	vij. cal.	26	B. Damiani a Finario Conf. O. P. Duplex.
xxvj	f	vj. cal.	27	Vigilia.
25. xxv	g	v. cal.	28	SS. Simonis et Judæ Apostolorum. Totum Duplex.
xxiv	A	iv. cal.	29	B. Benvenutæ Bojani Virg. O. P. Duplex.
xxiij	b	iij. cal.	30	Commemoratio Sanctorum, quorum Reliquiæ in Ecclesiis nostris asservantur. Totum Duplex.
xxij	c	Pridie cal.	31	S. Quintini Mart. Memoria. Vigilia.

NOVEMBER.

xxj	d	Calendis	1	Festivitas Omnium Sanctorum. Totum Duplex.
xx	e	iv. non.	2	Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. Novem Lectiones.
xix	f	iij. non.	3	B. Simonis Ballacchii Conf. O. P. Duplex.
xviij	g	Prid. non.	4	S. Caroli Ep. et Conf. Duplex.
xvij	A	Nonis	5	B. Martini de Porres Conf. O. P. Duplex.
xvj	b	viij. id.	6	BB. Hieronymi, Valentini, Francisci, Hyacinthi et Sociorum MM. O. P. Duplex.
xv	c	vij. id.	7	B. Petri de Ruffia Mart. O. P. Duplex. Dominica in die octava Novembris, vel prima post diem octavam Novembris. Patrocinium B. Mariæ Virg. Totum Duplex.
xiv	d	vj. id.	8	Octava Omnium Sanctorum. Solemnis.
xiij	e	v. id.	9	Festivitas Omnium Sanctorum Ordinis Prædicatorum. Totum Duplex. S. Theodori Mart. Memoria.
xij	f	iv. id.	10	SS. Quatuor Coronatorum MM. Tres Lectiones. Anniversarium Omnium Fratrum et Sororum defunctorum Ordinis nostri. Novem Lectiones.
xj	g	iij. id.	11	S. Martini Ep. et Conf. Totum Duplex. S. Mennæ Mart. Memoria.
x	A	Pridie id.	12	Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris. Duplex.
ix	b	Idibus	13	S. Didaci Conf. Simplex. S. Britii Ep. et Conf. Memoria.
viij	c	xviij. cal. DECEMBR.	14	B. Joannis Licii Conf. O. P. Duplex.
vij	d	xvij. cal.	15	B. Alberti Magni Ep. et Conf. O. P. Totum Duplex.
vj	e	xvj. cal.	16	B. Luciæ a Narnia Virg. O. P. Duplex.
v	f	xv. cal.	17	S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf. Duplex.
iv	g	xiv. cal.	18	Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apostolorum. Duplex. Octava S. Martini. Simplex.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		Dies mensis.	
iij	A	xiij. cal.	19	S. Elisabeth Viduæ. Duplex.
ij	b	xij. cal.	20	S. Felicis de Valois Conf. Duplex.
j	c	xj. cal.	21	Præsentatio B. Mariæ Virg. Totum Duplex.
*	d	x. cal.	22	S. Cæciliæ Virg. et Mart. Duplex.
xxix	e	ix. cal.	23	S. Clementis Papæ et Mart. Duplex.
xxviij	f	viij. cal.	24	S. Joannis a Cruce Conf. Duplex. S. Chrysogoni Mart. Memoria.
xxvij	g	vij. cal.	25	S. Catharinæ Virg. et Mart. Totum Duplex.
25. xxvj	A	vj. cal.	26	S. Andreæ Avellini Conf. Duplex.
xxv. xxiv	b	v. cal.	27	B. Margaritæ de Sabaudia Vid. O.P. Duplex. SS. Vitalis et Agricolæ MM. Memoria.
xxiij	c	iv. cal.	28	
xxij	d	iij. cal.	29	B. Jacobi de Benefactis Ep. et Conf. O. P. Duplex. S. Saturnini Ep. et Mart. Memoria. Vigilia.
xxj	e	Pridie cal.	30	S. Andreæ Apostoli. Totum Duplex.

Adventus Domini celebratur Dominica proximiori festo S. Andreæ Apostoli, sive ante, sive post. Et si festum illud venerit in Dominica, ipsa die celebrabitur de Dominica Adventus; prima autem Feria non impedita, de S. Andrea. Adventus autem non erit ante diem 27. Novembris. neque post 3. Decembris.

DECEMBER.

xx	f	Calendis	1	
xix	g	iv. non.	2	B. Joannis a Vercellis Conf. O. P. Duplex. Octava S. Catharinæ Virg. et Mart. Simplex. S. Bibianæ Virg. et Mart. Memoria.
xviij	A	iij. non.	3	S. Francisci Xaverii Conf. Duplex.
xvij	b	Prid. non.	4	S. Barbaræ Virg. et Mart. Duplex.
xvj	c	Nonis	5	
xv	d	viij. id.	6	S. Nicolai Ep. et Conf. Totum Duplex.
xiv	e	vij. id.	7	Ordinatio S. Ambrosii Ep. Conf. et Eccl. Doct. Duplex. Octava S. Andreæ Apostoli. Memoria. Vigilia.
xiij	f	vj. id.	8	Conceptio immaculata B. Mariæ Virg. Totum Duplex.
xij	g	v. id.	9	
xj	A	iv. id.	10	Translatio almæ Domus Lauretanæ. Totum Duplex.
x	b	iij. id.	11	S. Damasi Papæ et Conf. Memoria.
ix	c	Pridie id.	12	
viij	d	Idibus	13	S. Luciæ Virg. et Mart. Totum Duplex.
vij	e	xix. cal. JANUARII.	14	
vj	f	xviij. cal.	15	Octava Conceptionis immaculatæ B. Mariæ Virg. Solemnis.
v	g	xvij. cal.	16	B. Sebastiani Maggii Conf. O. P. Duplex.
iv	A	xvj. cal.	17	
iij	b	xv. cal.	18	Exspectatio partus B. Mariæ Virg. Totum Duplex.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		Dies mensis.	
ij	c	xiv. cal.	19	
j	d	xiij. cal.	20	S. Dominici Sylensis Abbatis. Duplex. Vigilia.
*	e	xij. cal.	21	S. Thomæ Apostoli. Totum Duplex.
xxix	f	xj. cal.	22	B. Mariæ Mancini Viduæ O. P. Duplex.
xxviij	g	x. cal.	23	
xxvij	A	ix. cal.	24	Vigilia.
xxvj	b	viij. cal.	25	Nativitas D. N. Jesu Christi. Totum Duplex.
25. xxv	c	vij. cal.	26	S. Stephani Protomartyris. Totum Duplex.
xxiv	d	vj. cal.	27	S. Joannis Apostoli et Evangelistæ. Totum Duplex.
xxiij	e	v. cal.	28	SS. Innocentium MM. Simplex.
xxij	f	iv. cal.	29	S. Thomæ Ep. et Mart. Simplex.
xxj	g	iij. cal.	30	
xx	A	Pridie cal.	31	S. Silvestri Papæ et Conf. Simplex.

ANNIVERSARIA DEFUNCTORUM

IN TOTO ORDINE CELEBRANDA.

ET OBITUS MAGISTRORUM ORDINIS.

Quando in Choro vel in Capitulo, præsente Conventu, finita fuerint quæ de Calendario et de Martyrologio pronuntianda sunt, dicatur ℣. Pretiósa. etc., ut in Breviario pag. 25. notatum est.

¶ Si vero recitandus fuerit Obitus, vel Anniversarium, tunc antequam dicatur Commemoratio Fratrum, dicendum est : Obitus venerabilis Fratris N. Magistri Ordinis., vel Anniversarium... ut infra notatur. Et illico subjungat Lector : Item Commemoratio Fratrum, Sororum, Familiárium, Benefactorum defunctórum Ordinis nostri.

¶ Si eodem die incidant Obitus et Anniversarium, semper addatur : Item Commemoratio...

JANUARIO.

Die 8. Obitus venerábilis Fratris Joséphi Maríæ Larróca Hispáni, Septuagésimiquárti Magistri Ordinis. Item Commemoratio...
Et sic semper in aliis.

Die 18. Ob. V. F. Bárnabæ Vercellénsis, Quintidécimi Magistri Ordinis.

FEBRUARIO.

Die 4. Anniversárium Patrum et Matrum. Novem Lectiones. Item Ob. V. F. Vincéntii Ajéllo Lucaniénsis in regno Neapolitáno, Septuagesimisecúndi Magistri Ordinis. Item Commemorátio...

Die 19. Ob. V. F. Muniónis Hispáni, Séptimi Magistri Ordinis. P. (1)

Die 21. Ob. V. F. Augustini Pipia, Sexagesimi primi Magistri Ordinis : qui fuit sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális. P.

Die 23. Ob. V. F. Joánnis de Molendino, Vigésimi Magistri Ordinis : qui fuit sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

Die 26. Ob. V. F. Antoníni Cloche Galli, Sexagésimi Magistri Ordinis.

MARTIO.

Die 1. Ob. V. F. Petri de Palma Decimioctávi Magistri Ordinis.

Die 3. Ob. V. F. Stéphani Ususmáris Quadragesimiséxti Magistri Ordinis.

Die 9. Ob. V. F. Francisci Ferdinándi Jabalot Parménsis, Sexagesimioctávi Magistri Ordinis.

Die 16. Ob. V. F. Leonárdi Státii Florentíni Vigesimiquinti Magistri Ordinis.

APRILI.

Die 8. Ob. V. F. Guarini de Giáco Galli, Deciminóni Magistri Ordinis.

Die 12. Ob. V. F. Aimeríci Placentíni, Duodécimi Magistri Ordinis.

Die 21. Ob. V. F. Garsiæ de Loaisa Hispáni, Trigesiminóni Magistri Ordinis : qui fuit sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális. P.

MAIO.

Die 6. Ob. V. F. Joánnis Baptístæ de Marínis Románi, Quinquagésimiséptimi Magistri Ordinis.

Die 16. Ob. V. F. Petri Rochim, Vigesimiséptimi Magistri Ordinis.

(1) Littera P Obitui apposita indicat Magistrum Ordinis qui Pontificali dignitate fuerit insignitus.

Die 25. Ob. V. F. Nicolái Rodúlfii Florentíni, Quinquagesimiquínti Magístri Ordínis.

JUNIO.

Die 7. Ob. V. F. Simónis Lingoniénsis Vigesimiprimi Magístri Ordínis. P.

Die 11. Ob. V. F. Antoníni Bremond Massiliénsis, Sexagesimitértii Magístri Ordínis.

Die 13. Ob. V. F. Joánnis Thomæ de Roccabérti Hispáni, Quinquagesimioctávi Magístri Ordínis. P.

Die 16. Ob. V. F. Sixti Fabri Lucénsis, Quinquagésimi Magístri Ordínis.

Die 20. Ob. VV. FF. Eliæ Petragoricénsis Tolosáni, Vigesimisecúndi Magístri Ordínis : et Balthasáris de Quiñónes Toletani, Sexagesimiquínti Magístri Ordínis.

Die 25. Ob. V. F. Leonárdi Mansuéti Perusíni, Trigesimiprími Magístri Ordínis.

JULIO.

Die 6. Ob. V. F. Joánnis de Fenário, Quadragesimisecúndi Magístri Ordínis.

Die 9. Ob. V. F. Thomæ Hyacínthi Cipollétti Asculáni, Septuagésimi Magístri Ordínis.

Die 12. Anniversárium ómnium sepultórum in Cœmetériis nostris. — Novem Lectiones.

Die 14. Ob. V. F. Humbérti de Románis, Quínti Magístri Ordínis.

Die 20. Ob. V. F. Francísci Romæi, Quadragesimiquínti Magístri Ordínis.

Die 27. Ob. V. F. Gerárdi de Adaumário, Decimiséptimi Magístri Ordínis : qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

Die 29. Ob. V. F. Bárnabæ Sáxoni de Neápoli, Trigesimiquárti Magístri Ordínis.

AUGUSTO

Die 1. Ob. V. F. Jóachim Turriáni Véneti, Trigesimiquinti Magístri Ordínis.

Die 3. Ob. V. F. Hippólyti Maríæ Beccaríæ de Monte Regáli, Quinquagesimiprími Magístri Ordínis.

Die 4. Ob. V. F. Bartholomæi de Comátiis Bononiénsis, Trigesimitértii Magístri Ordínis.

Die 7. Ob. V. F. Thomæ Firmáni, Vigesimiquárti Magístri Ordínis.

Die 8. Ob. V. F. Hugónis Vaussemáni Galli, Sextidécimi Magístri Ordínis.

Die 9. Ob. VV. FF. Hervæi Natális Brítonis, Quartidécimi Magístri Ordínis : et Joánnis Claré Galli Trigesimiséptimi Magístri Ordínis.

Die 27. Ob. V. F. Vincéntii Bandélli Lombárdi, Trigesimiséxti Magístri Ordínis.

Die 28. Ob. V. F. Albérti Clávari Genuénsis, Décimi Magístri Ordínis.

Die 29. Ob. V. F. Angeli Dominici Ancaráni Faventíni, Septuagesimiprími Magístri Ordínis.

Die 30. Ob. V. F. Augustini Galamíni, Quinquagesimitértii Magístri Ordínis : qui fuit sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális. P.

SEPTEMBRI.

Die 1. Ob. V. F. Berengárii de Landóra, Tertiidécimi Magístri Ordínis. P.

Die 5. Anniversárium familiárium et benefactórum Ordínis nostri. Novem Lectiones.

Die 9. Ob. V. F. Thomæ de Vio Cajetáni, Trigesimioctávi Magístri Ordínis : qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális. P.

Die 12. Ob. V. F. Hierónymi Xavierre Cæsaraugustáni, Quinquagésimisecúndi Magístri Ordinis : qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

Die 15. Ob. V. F. Salvi Cassétæ Sículi, Trigesimisecúndi Magístri Ordinis.

Die 17. Ob. VV. FF. Bernárdi de Júzico Burdegalénsis, Undécimi Magístri Ordinis : et Pauli Constábilis Ferrariénsis, Quadragesiminóni Magístri Ordinis.

Die 21. Ob. V. F. Martiális Auribélli Avenionénsis, Vigesiminóni Magístri Ordinis.

Die 22. Ob. V. F. Thomæ Ripóll Tarraconénsis, Sexagesimisecúndi Magístri Ordinis.

Die 24. Ob. VV. FF. Francísci Silvéstri Ferrariénsis, Quadragésimi Magístri Ordinis : et Seraphini Sicci Papiénsis, Quinquagesimiquárti Magístri Ordinis.

Die 27. Ob. V. F. Mauritii Benedicti Olivieri Salusiensis, Sexagesiminóni Magístri Ordinis.

OCTOBRI

Die 9. Ob. V. F. Pauli Butigéllæ, Quadragesimiprimi Magístri Ordinis.

Die 15. Ob. V. F. Bartholomæi Texérii, Vigesimiséxti Magístri Ordinis.

Die 28. Ob. V. F. Vincéntii Justiniáni Chiénsis, Quadragesimiséptimi Magístri Ordinis : qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

NOVEMBRI

Die 4. Ob. V. F. Joánnis Teutónici, Quarti Magístri Ordinis. P.

Die 7. Ob. V. F. Antonii de Monroy Mexicáni, Quinquagesiminóni Magístri Ordinis. P.

Die 10. Anniversárium ómnium Fratrum et Sorórum Ordinis nostri, Novem Lectiones.

Die 16. Ob. V. F. Albérti de las Casas Hispáni, Quadragesimiquárti Magístri Ordinis.

Die 18. Ob. V. F. Guidónis Flammochéti, Vigesimioctávi Magístri Ordinis.

Die 21. Ob. VV. FF. Stéphani Bisuntini, Octávi Magístri Ordinis: et Seraphini Cabálli Brixiénsis, Quadragesimioctávi Magístri Ordinis.

DECEMBRI.

Die 1. Ob. V. F. Thomæ Turci Cremonénsis, Quinquagesimiséxti Magístri Ordinis.

Die 3. Ob. V. F. Jóachim Briz Hispáni, Sexagesimiséptimi Magístri Ordinis. P.

Die 11. Ob. V. F. Alexándri Vincéntii Jandel Nanceiénsis in Gallia, Septuagesimitértii Magístri Ordinis.

Die 15. Ob. V. F. Conradi Astén-sis, Trigésimi Magístri Ordinis.

Die 16. Ob. V. F. Joánnis Thomæ de Boxadors, Sexagesimiquárti Magístri Ordinis : Qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

Die 20. Ob. V. F. Augustini Recuperáti, Quadragesimitértii Magístri Ordinis.

Die 23. Ob. V. F. Pii Joséphi Gaddi Foroliviénsis, Sexagesimiséxti Magístri Ordinis.

INDEX RUBRICARUM.

§ I. De modo dicendi Officium de Tempore.
§ II. de Tempore Paschali.
§ III. De Die Dominica celebranda.
§ IV. De Dominica prima mensis.
§ V. De Oratione dominicali.
§ VI. De Homilia dominicali, quando legenda, vel transferenda, vel omnino dimittenda.
§ VII. De divisione Historiæ dominicalis per Ferias.
§ VIII. Quæ sit Dominica prima Adventus.
§ IX. De festorum celebratione.
§ X. De Officio, et Lectionibus recitandis in festivitatibus Sanctorum.
§ XI. De diversitate festivitatum.
§ XII. De festo habente solam Memoriam.
§ XIII. De festo trium Lectionum.
§ XIV. De festo Simplici.
§ XV. De festo Duplici.
§ XVI. De festo Toto Duplici.
§ XVII. De festis votivis, vel quæ celebrantur per hebdomadam.
§ XVIII. De divisione Octavarum.
§ XIX. De Octavis cum sola Memoria.
§ XX. De Octavis trium Lectionum.
§ XXI. De Octavis Simplicibus.
§ XXII. De Octavis Solemnibus.
§ XXIII. De Octavis Solemnissimis.
§ XXIV. De translatione festivitatum.
§ XXV. De concomitantia festivitatum.
§ XXVI. De festivitatibus extraordinariis.
§ XXVII. De festo sancti Patroni.
§ XXVIII. De festo Dedicationis Ecclesiæ.
§ XXIX. De festo sancti Tituli principalis Ecclesiæ nostræ.
§ XXX. De festo Sancti, cujus corpus, vel insignis reliquia condita sunt in nostris Ecclesiis.
§ XXXI. De aliis festis locorum, et Sanctorum, quæ auctoritate Apostolica de novo celebranda approbantur.
§ XXXII. De Memoriis faciendis.
§ XXXIII. De ordine Memoriarum.
§ XXXIV. De Orationibus in festis et Vigiliis Sanctorum.
§ XXXV. De Homilia in Vigiliis Sanctorum.
§ XXXVI. De Matutinis in sero post Completorium dicendis.
§ XXXVII. De Officio quotidiano B. M. V.
§ XXXVIII. De Litaniis Sanctorum, et de prostrationibus super formas.
§ XXXIX. De Precibus.

RUBRICÆ GENERALES

TAM DE TEMPORE QUAM DE SANCTIS JUXTA RITUM BREVIARII

FF. SAC. ORD. PRÆDICATORUM.

§ I.

De modo dicendi Officium de Tempore.

PER totum annum Officium tam diei, quam noctis est de Tempore celebrandum, exceptis festis, et Octavis Sanctorum, quæ in Calendario notantur : et certis Feriis, quibus de SS. Sacramento, de B. Virgine, de Sanctis Ordinis, aut aliis agendum præscribitur, vel permittitur.

2. Modus autem, et ordo dicendi hujusmodi Officium de Tempore, per totum annum servetur, prout in Dominica prima post Octavam Epiphaniæ, et per ejus Hebdomadam disponitur. Quæ igitur suis propriis locis non sunt adnotata, in præfata Dominica, et infra ejus Hebdomadam requirantur.

3. Quando vero de Tempore est celebrandum, in omnibus Dominicis, extra tempus Paschale, dicendæ sunt novem Lectiones in Matutinis. In profestis autem, seu ferialibus diebus per totum annum (præterquam in triduo ante Pascha, et in die Animarum) tres tantum dicantur.

§ II.

De tempore Paschali.

TEMPUS Paschale vocatur a Missa Sabbati Sancti in Vigilia, Paschæ, usque ad primas Vesperas Trinitatis exclusive. Et tunc sive fiat de Tempore, sive de Sanctis, dicendi sunt tantum tres Psalmi, singuli cum GLORIA PATRI. et tres Lectiones ad Matutinum : in fine Invitatorii, et omnium Antiphonarum, Versiculorum, et Responsoriorum, additur ALLELUIA, et in Responsoriis Horarum duplex ALLELUIA apponitur. Reliqua suis locis notata sunt.

§ III.

De die Dominica celebranda.

DIES Dominica festis Duplicibus æquipolleat; et ita per totum annum cum solemnitate festi Duplicis ab omnibus celebretur : ita tamen, ut dicta solemnitas a Matutinis tantummodo incipiat. Officium autem de Dominica, propter nullum festum Duplici minus, et propter quascumque Octavas non Solemnes in ea occurrentes, non dimittatur. Exceptis Octavis S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, SS. Innocentium, et Epiphaniæ. Exceptis etiam aliis diebus octavis Simplicibus, et festis Simplicibus, cum occurrerint in Dominica infra Octavas Solemnes, juxta inferius dicenda § XXI. num. 7. et § XXII. num. 8.

2. Hujusmodi autem dies Octavæ, et festa Simplicia, quæ in Dominica celebrantur, debent similiter cum solemnitate Dominicæ celebrari, nempe cum solemnitate festi Duplicis a Matutinis; et in concomitantia cum festo contingente in Feria secunda, debet observari quemadmodum si de Dominica Officium fieret.

3. Quæcumque festa, etiam Duplicia, et majora, tam in Dominicis diebus Adventus, quam in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis occurrerint, impedita censeantur, et in sequentem diem (non vero in Sabbato præcedenti, ut antiquitus fiebat) sunt transferenda; aut in alterum proximiorem subsequentem non occupa-

tum, si in primo aut altero evenerit festum Simplex, et supra.

4. Excipitur festum Purificationis B. M. V. quod semper suo die celebrabitur. Cum autem festum Purificationis in Dominicam Septuagesimæ inciderit, tunc Homilia dominicalis Septuagesimæ omittitur illo anno propter festa occurrentia.

5. Excipitur quoque festum sancti Patroni principalis loci de præcepto, Dedicationis Ecclesiæ et sancti Tituli principalis Ecclesiæ nostræ necnon Conceptionis immaculatæ B. M. V. die 8. Decembris, S. Thomæ Aquinatis die 7. Martii, S. Patriarchæ Joseph, universalis Ecclesiæ Patroni, die 19. Martii, et Annuntiationis B. M. V. die 25 Martii : quæ celebranda sunt, etiam quacumque die Dominica; nisi evenerint prima Dominica Adventus, aut prima Quadragesimæ, vel Dominica in Passione, vel a Dominica in Ramis Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive.

6. De Dominica infra Octavas Solemnes vide § XXII. n. 5. et n. 6.

7. Quomodo autem celebrandum sit Officium, si Dominica Septuagesimæ venerit in prima, vel altera Dominica post Octavam Epiphaniæ; vide in Breviario in Rubrica de Dominica prima post Oct. Epiph. Similiter si Dominicæ post Octavam Trinitatis fuerint plures, vel pauciores quam viginti duæ; vide in Breviario in Rubrica post Dominicam xx. et xxj. post Oct. Trinitatis.

§ IV.

De Dominica prima mensis.

DOMINICA illa, quæ incidit in Calendas mensis, vel quæ propinquior est ipsis Calendis, seu præcedat, seu subsequatur, ipsa erit Dominica prima mensis. Unde si Calendæ fuerint in secunda, vel tertia, vel quarta Feria, tunc præcedens Dominica erit prima mensis, et inchoabitur Historia. Si in quinta, vel sexta Feria, vel Sabbato Calendæ fuerint, tunc sequens Dominica erit prima mensis, in qua et dominicalis Historia inchoabitur.

§ V.

De Oratione dominicali.

ORATIO Dominicæ dicenda est in Sabbato præcedenti ad Vesperas : excepto Sabbato Dominicæ infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Christi, in quibus ad Vesperas Sabbati neque Memoria Dominicæ fit. Dicenda etiam est ad Laudes, ad Tertiam, Sextam, Nonam, et Vesperas ipsius Dominicæ. In Prima autem et Completorio semper dicuntur Orationes propriæ, nisi aliter notetur.

2. Dicenda item est eadem dominicalis Oratio ad singulas prædictas Horas in singulis ejusdem Hebdomadæ Feriis usque ad Sabbati sequentis Vesperas exclusive, cum de Tempore agitur : nisi recitanda fuerit Oratio alterius Dominicæ propter Homiliam transferendam, ac interponendam, ut contingit quando Dominicæ aliquæ post Octav. Epiphaniæ fuerint omissæ, incidente Dominica Septuagesimæ in primam, vel alteram Domin. post Octav. Epiphaniæ, et non possunt resumi post Octavas Trinitatis; vel quando Dominicæ post Octav. Trinit. sunt pauciores quam viginti duæ : in his enim casibus Oratio illius Dominicæ, cujus et Homilia lecta fuerit, dicetur tantum in Laudibus, et Vesperis; ad reliquas vero Horas diei, dicetur Oratio Dominicæ immediate præcedentis.

3. Dicenda etiam non est Oratio Dominicæ in Feriis ejusdem Hebdomadæ, sed Orationes propriæ Feriarum, si Feriæ eas habuerint : ut contingit in Quadragesima, ubi a quarta Feria Cinerum, usque ad Dominicam in Albis exclusive: similiter in Vigilia Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et Pentecostes, et per Hebdomadam Paschæ et Pentecostes, singulis diebus propria est Oratio assignata, quæ in Laudibus, et Horis diei, ac etiam Vesperis recitari debet. In jejuniis autem Quatuor Temporum Adventus, et Septembris, et in duobus primis diebus Rogationum.

Orationes propriæ tantum dicuntur in Laudibus : ad ceteras vero Horas Oratio dominicalis. Orationes autem Feriarum semper inchoandæ sunt in Laudibus.

§ VI.

De Homilia dominicali, quando legenda, vel transferenda, vel omnino dimittenda.

IN omni Dominica, si de ea fiat Officium, tres ultimæ Lectiones de expositione Evangelii Dominicæ legantur : præterquam in Vigilia Nativitatis Domini, quando in Dominica evenerit : tunc enim Homilia dominicalis omittitur illo anno. Quando vero propter aliquod impedimentum dominicalis Homilia non legitur in Dominica, semper infra Hebdomadam suam in aliqua Feria vacante est legenda.

2. Feria vacans pro legenda Homilia dominicali, illa censeri debet, quæ non impeditur a festo Simplici, et supra, prout fusius declaratur infra § XXIV. num. 16. Porro Feriæ pro recitanda Homilia dominicali ita coordinari debent, ut primo in Feria 6. qua impedita, Feria 2. postea 4. 3. 5. ultimo Sabbato dicatur. Prædictusque Feriarum ordo servandus erit, nisi Feria 6. celebretur festum Sancti trium Lectionum, et 2. sive 4. sit vacans : tunc enim non debet legi Homilia Feria 6. sed in Feria vacanti : ut infra dicetur § XIII. num. 9.

3. Si vero in Hebdomada non sit Feria vacans, vel quia in ea legenda sit alia Homilia, vel quia aliqua Octava, sive Simplex, sive Solemnis, celebratur, debet Homilia dominicalis legi, etiamsi sit dies Octava : et in hoc casu non servabitur prædictus ordo Feriarum, sed in prima die illius Octavæ legetur Homilia et Missa Dominicæ. Excipitur tamen dies octava Solemnis SS. Apost. Petri et Pauli prout dicetur § XXII. n. 8.

4. Eo die, quo Homilia dominicalis legitur, semper totum Officium fiat de Feria currente : nisi quando legitur infra aliquas Octavas; quia tunc Homilia tantum, et Missa erunt de Dominica, reliquum vero Officii cum tertia Lectione erit de Octava.

5. Quando festum S. Silvestri in Dominica evenerit, et quando festum aliquod Duplex, vel Totum Duplex in Dominica ante Ascensionem occurrerit, Homilia dominicalis dimittitur illo anno. Quando etiam Circumcisio Domini, vel Octava dies S. Stephani, vel S. Joannis, vel SS. Innocentium, vel Vigilia Epiphaniæ, vel dies Octava Epiphaniæ in Dominica occurrerit, illa Dominica caret proprio Officio et Homilia; nec Memoria de illa fit.

6. Cum festum Purificationis in diem Dominicam Septuagesimæ inciderit, Homilia dominicalis omittitur, ut dictum est supra, § III. n. 4.

7. Si duæ Homiliæ in unam eamdemque Feriam recitandæ inciderint, una videlicet dominicalis, et alia alicujus Feriæ, v. g. Quatuor Temporum, vel alicujus Sancti Vigiliæ, quæ propriam habeat Homiliam : tunc præferenda est omnino Homilia Feriæ currentis, vel Vigiliæ : dominicalis autem Homilia vel ulterius transferenda, vel totaliter omittenda est. Potest tamen hæc recitari in Vigilia Sancti non habente Homiliam propriam.

8. Homilia Dominicæ Quadragesimæ nunquam legetur infra Hebdomadam, propter proprias Homilias Feriarum : sed si contingat de aliquo Festo celebrari in aliqua ex Dominicis Quadragesimæ (juxta dicta § III. n. 5.) tunc Homilia dominicalis omittitur illo anno.

§ VII.

De divisione Historiæ dominicalis per Ferias.

PER Adventum (præterquam in jejuniis Quatuor Temporum) et a Septuagesima usque ad Cenam Domini, Responsoria dominicalis Historiæ repetuntur per Hebdomadam, quando de Feria agitur, hoc ordine : In secunda et quinta Feria, tria prima : in tertia et sexta Feria, tria media : in quarta Feria et Sabbato, tria ultima. Quando autem

festum aliquod infra Hebdomadam celebratur, nihilominus præfatus ordo in reliquis Feriis observetur.

2. Si Dominicæ, in quibus dicenda fuerit Historia, impeditæ sint festis Duplicibus, et supra, Historia semel dividetur per Ferias ordine prædicto : qui si servari non possit propter occurrentiam festorum, in Feria primo loco vacante, quæcumque illa sit, tria prima ; in secundo loco vacante, tria media ; et in alia tertio loco vacante, tria ultima Responsoria dicantur.

3. Hic ordo etiam servandus est tempore Paschali, cum hoc tamen addito, quod si a prima Hebdomada post Octavam Paschæ usque ad tertiam Dominicam exclusive, propter concursum festorum, duæ tantum sint Feriæ vacantes in prima, vel secunda Hebdomada, et in sequenti solum secunda Dominica sit vacans, tunc, ut tota Historia recitetur, debent legi tria prima Responsoria in prima Feria vacante ; et tria ultima in tali Dominica. Similiter, si in prima, vel secunda Hebdomada sit solum una Feria vacans, et Dominica secunda non impedita, ac sit in Hebdomada sequenti solum una Feria vacans ; legantur tunc in prima Feria tria prima Responsoria, in Dominica tria media, et in sequenti Feria vacanti tria ultima. Quod proportionabiliter observandum est pro Historia : Si OBLITUS. recitanda a Dominica tertia post Octavam Paschæ usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive.

4. In aliis temporibus observandæ sunt Rubricæ positæ in Dominica et Hebdomada prima post Octavam Epiphaniæ, et aliæ peculiares propriis locis adscriptæ. Unde etiam peti poterunt, quæ hic desiderari videntur.

§ VIII.

Quæ sit Dominica prima Adventus.

DOMINICA prima Adventus est illa, in qua festum S. Andreæ occurrit ; vel ei proximior est, sive præcedat, sive sequatur.

§ IX.

De festorum celebratione.

FESTA quælibet per anni circulum occurrentia, ea solemnitate, iisque diebus, quibus notata sunt in Calendario, et non aliter celebrari debent : nisi ab aliis festis supervenientibus majoris solemnitatis fuerint impedita, quia tunc propter ea, in alium diem illa transferenda sunt.

2. Fratres vero hospites, dum sunt præsentes in aliquo Conventu Ordinis, facere debent Officium, sicut fit in Conventu illo, tam de festis, quam de Octavis, quamvis per Ordinem generaliter de iis non fiat. Postquam vero recesserint de illo Conventu, ad Officium consuetum redeant.

§ X.

De Officio, et Lectionibus recitandis in festivitatibus Sanctorum.

ANTIPHONÆ, Hymni, Versiculi, Responsoria, tam in Matutinis, quam in aliis Horis dicenda, ex propriis festivitatum locis, ut in hoc Breviario notantur, vel si ibi non habentur, ex Communi Sanctorum assumi debent, tam extra tempus Paschale, quam intra.

2. Festa quælibet Simplicia, et supra, tria semper Nocturna habebunt in Matutinis. et in quolibet Nocturno Psalmos tres, et totidem Antiphonas, Versiculum, et tres Lectiones cum tribus Responsoriis : præterquam tempore Paschali, quo unicum semper est Nocturnum, cum Psalmis tribus, et tribus Lectionibus, ac Responsoriis tribus. In ceteris vero Sanctorum festis inferioris solemnitatis, unicum dicitur Nocturnum cum tribus tantum Lectionibus, ac totidem Responsoriis, et Psalmis novem, et Antiphona una, et uno Versiculo : præterquam tempore Paschali, quo tres tantum Psalmi dicuntur.

3. In omnibus festis Sanctorum, ad Laudes dicuntur sequentes Psalmi. DOMINUS REGNAVIT. JUBILATE

DEO; DEUS, DEUS MEUS; Canticum BENEDICITE, LAUDATE DOMINUM DE CÆLIS. ut notantur in Psalterio, pag. 17.

4. Ad Primam, et tres sequentes Horas, dicentur Antiphonæ Laudum, excepta quarta. Diebus autem Sabbati, quando fit de B. Virgine; et in Feriis secundis, vel sextis, quando fit de S. Vincentio; et in tertiis Feriis, quando fit de B. Dominico; et in quartis, cum fit de Sancto Ordinis; et in quintis, cum fit de venerabili Sacramento : notantur Antiphonæ post Commune Sanctorum.

5. In festis novem Lectionum, et in diebus Octavis eorum (præterquam in festo Omnium Sanctorum, et eorum Octava die, et in Commemoratione Omnium Defunctorum) tres Lectiones primi Nocturni erunt ex sacra Scriptura, quæ vel in propriis locis reperiuntur, vel in currenti Feria. Si vero Feria currens omnes tres Lectiones in tali festo dicendas non habuerit, pro tertia Lectione assumetur prima ex illis, quæ in Communi illius Sancti, de quo fit Officium, ex sacra Scriptura pro primo Nocturno notantur. Si autem Feria currens nullas Lectiones de Scriptura habuerit, ut contingit tempore Quadragesimæ, et Quatuor Temporibus Adventus et Septembris, in quibus Lectiones sunt de Homilia; tunc pro primo Nocturno festi assumentur tres Lectiones ex Communi, pro primo Nocturno notatæ.

6. In festis vero novem Lectionum, sive infra Octavas, aut in die Octava eorum, quæ in Dominicis celebrari possunt, si proprias Lectiones de sacra Scriptura non habuerint, tres primæ erunt Apostoli Pauli, signatæ in Dominicis post Octavam Epiphaniæ pro primo Nocturno, et post Octavam Trinitatis pro secundo. Idem fiet, si contingat festum Patroni loci celebrari (ut dictum est supra, § III. num. 3.) in aliqua Dominica Adventus, vel in Septuagesima, vel in aliis sequentibus. In Quadragesima vero legentur Lectiones notatæ pro primo Nocturno Dominicæ.

7. Lectiones secundi et tertii Nocturni, vel ex propriis, vel ex Communi assumantur, prout in unoquoque festo notatum fuerit.

8. In festis, in quibus leguntur tantum tres Lectiones; prima et secunda, aut saltem prima, erunt de sacra Scriptura, similiter vel propriæ, vel Feriæ currentis, vel ex Communi; eo modo, quo dictum est num. 5. Sicut etiam desumentur ex Communi, si festa non habent proprias, et celebrentur in Dominicis temporis Paschalis, Feria secunda Rogationum, et Vigilia Ascensionis, quarum Lectiones sunt de Homilia. Infra Octavas vero omnes, et in die Octava, (si contigerit tempore Paschali) semper duæ primæ Lectiones erunt de Scriptura, aut ex Homilia, si fuerit tunc dicenda.

§ XI.

De diversitate festivitatum

FESTA celebranda, alia habent solam Memoriam; alia dicuntur trium Lectionum; alia Simplicia; alia Duplicia; alia Tota Duplicia; alia tandem dicuntur Votiva, seu quæ celebrantur per Hebdomadam in toto Ordine.

2. Ut quædam uniformitas statuatur inter Ritum Breviarii Romani et Ordinis Prædicatorum, S. R. C. sub die 7. Septembris 1850. declaravit, quod festum apud nos Simplex æquivalet festo Semiduplici; festum Duplex. festo Duplici minori; festum Totum Duplex ordinarium, festo Duplici majori; festum Totum Duplex cum quacumque Octava, excepta Solemnissima, festo Duplici secundæ classis; ac tandem festum Totum Duplex cum Octava Solemnissima, festo Duplici primæ classis. Verum ad Duplex secundæ classis reducuntur festum Circumcisionis D. N. J. C. et omnia festa B. M. Virginis (præter Purificationem de qua infra) etiamsi sine Octava celebrentur : excipiuntur tamen festa B. Mariæ tit. Auxilium Christianorum, Nominis Mariæ, purissimi Cordis B. M. V., B. M. Virginis de Monte Carmelo, et de Mercede, quæ tamquam Duplicia majora haberi debent.

Item Duplicibus secundæ classis æquiparantur festa duodecim Apostolorum, SS. Innocentium Martyrum, Patrocinii S. Joseph, S. Annæ et S. Joachim Parentum B. M. V., atque Exaltationis S. Crucis, necnon Feria secunda et tertia post Pascha Resurrectionis et Pentecosten. Pariter ad Duplicia primæ classis referuntur festa Epiphaniæ, Ascensionis Domini, SS. Trinitatis, SS. Cordis Jesu; Conceptionis immaculatæ, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Rosarii B. V. Mariæ, Nativitatis S Joannis Baptistæ, S Joseph Sponsi B. M. V. SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Dominici P. N., S. Francisci Assis., S. Thomæ Aquinatis, Omnium Sanctorum, Patroni principalis de præcepto, Tituli principalis et Dedicationis Ecclesiæ nostræ.

§ XII.

De festo habente solam Memoriam.

FESTUM tunc dicitur solam Memoriam habere, cum per Antiphonam, Versiculum, et Orationem celebratur, vel in Laudibus tantum ut aliqua; vel in primis Vesperis, et in Laudibus, ut alia plura, præsertim ea, quæ sub ritu trium Lectionum celebrari solebant, de quibus in perpetuum impeditum est Officium. Omnia tamen hujusmodi festa in peculiaribus suis locis notantur in corpore Breviarii.

2. Omittuntur hæc festa habentia solam Memoriam, si evenerint in illis diebus, in quibus celebrari non possunt festa trium Lectionum, neque de his potest Memoria fieri.

3. Si festum aliquod habeat Memoriam Sancti annexam, illudque transferri contingat, transferatur simul et Memoria.

§ XIII.

De festo trium Lectionum.

FESTUM trium Lectionum ita celebratur. In primis Vesperis (si eas impeditas non habuerit) dicantur Psalmi de Feria cum suis Antiphonis. Officium autem festi a Capitulo incipiet, et terminabitur in Nona sequentis diei. In Completorio, et in Prima dicantur Preces feriales.

2. In Matutinis habebit Invitatorium, Hymnum, et novem Psalmos (extra tempus Paschale). Antiphonam unam super eos, Versiculum, et tres Lectiones, quarum secunda et tertia, vel saltem tertia, erunt de Historia Sanctorum : et tria Responsoria secundum ordinem Feriarum de suo Communi; exceptis festis sanctarum Virginum non Martyrum, in quibus semper dicuntur tria ultima Responsoria.

3. Tempore Paschali tres tantum Psalmi dicantur : Responsoria, Antiphonæ, et Versiculi cum ALLELUIA. Ad BENEDICAMUS DOMINO, tam in Vesperis, quam in Laudibus, addatur unum tantum ALLELUIA.

4. Canticum TE DEUM, semper omittatur. In Laudibus prima tantum Antiphona Laudum super Psalmos dicatur; Capitulum autem, Hymnus, Versiculus, et post Canticum BENEDICTUS, Antiphona, et Oratio, sicut in aliis festis Sanctorum. Officium quotidianum beatæ Virginis semper dicatur.

5. Quando festum trium Lectionum celebrandum fuerit Feria secunda (et in Dominica fuit de ea Officium recitatum) aut post festum Simplex, aut diem Octavam Simplicem; in primis Vesperis habebit tantum Memoriam. Si vero post festum Duplex, et supra, aut post diem Octavam Solemnissimam, aut Solemnem; nulla de illo fiet Memoria in primis Vesperis.

6. De festo trium Lectionum fiet Memoria in Vesperis, et in Laudibus, quando in Feria quarta Cinerum, et deinceps usque ad Cenam Domini exclusive, aut in Vigilia Pentecostes evenerit. Si vero inciderit in Dominicam, aut in Feriam, in qua est legenda Historia, aut Homilia dominicalis, aut in diebus Rogationum, fiet tunc Memoria illius, quando transferri non potest Idem observabitur infra Octavas Simplices, et in jejuniis Quatuor Temporum Septembris. Idem et in Feriis tertiis, cum de B. Dominico;

et in quintis, cum de SS. Sacramento; et Sabbatis, cum de B. Virgine agendum est. In Feriis autem quartis, vel aliis, in quibus potest agi de Sancto Ordinis, quid faciendum sit de festo trium Lectionum in illis Feriis incidente, dicetur infra § XVII. num. 4. 5. et 7.

7. Omittitur festum trium Lectionum, et ejus Memoria, quando transferri non potest, si evenerit in Cena Domini, et deinceps usque ad Dominicam in Albis inclusive, aut in diebus Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, et Corporis Christi, usque ad eorum Octavas inclusive.

8. Si contingat festum Duplex, et supra, propter eorum multitudinem tunc temporis occurrentem, transferri, aut ex approbata consuetudine Provinciarum, aut locorum celebrari in die festi trium Lectionum, quod transferri non potest; fiat de festo trium Lectionum Memoria in primis Vesperis, et Laudibus. Idem intelligitur de hujusmodi festo incidente in Octavas Solemnes : exceptis Octavis Solemnibus Ascensionis et Trinitatis, in quibus Memoria de festo trium Lectionum omittitur, ut num. præcedenti dictum est. Immo si contingat aliquo anno ita impediri festa trium Lectionum, ut propter supervenientes majores festivitates, nec propriis diebus celebrari, nec ulterius transferri possint; fiat de ipsis Memoria in primis Vesperis, et Laudibus festi, etiam Totius Duplicis, quod celebrabitur illa die, quæ festo trium Lectionum debebatur, nisi festivitates supervenientes sint ex supra exceptis, in quibus nec Memoria fit de festo trium Lectionum.

9. Si in Feria sexta, quæ pro dicenda Homilia dominicali primo loco assignatur supra § VI. num. 2. evenerit festum trium Lectionum, impedita intelligatur pro dicenda Homilia, et fiat de festo : si tamen Feria secunda, vel quarta, postea assignata, huiusmodi impedimentum non habuerit. Quod ad Feriam tertiam, vel quintam, vel Sabbatum nequit extendi; quia in istis Feriis nunquam potest de festis trium Lectionum fieri Officium; sed hæc cedunt Officiis votivis destinatis pro dictis Feriis : possunt tamen celebrari in Feria secunda, vel quarta, ut infra § XVII. fusius declarabitur.

10. Festum trium Lectionum transferri potest per quidecim dies, a die ipsius exclusive. Et hujusmodi festa transferantur secundum ordinem, quo venerunt.

§ XIV.

De festo Simplici.

OFFICIUM festi Simplicis, nisi a majori festo præcedenti impediatur, a Capitulo in primis Vesperis inchoetur : Psalmi autem cum suis Antiphonis erunt de Feria currente; vel si infra aliquas Octavas celebretur, Psalmi et Antiphona erunt de Octava.

2. In Matutinis, Invitatorium, Hymnus, tria Nocturna (extra tempus Paschale), et in quolibet eorum tres Psalmi cum tribus Antiphonis, Versiculo, tribus Lectionibus, et totidem Responsoriis dicantur, quæ omnia, vel ex propriis locis, vel ex Communi desumenda sunt. Canticum TE DEUM. semper dicatur, nisi a Septuagesima usque ad Dominicam in Ramis Palmarum; et tunc loco ejus, nonum Responsorium repetatur usque ad Versum exclusive.

3. Tempore Paschali dicuntur tantum tres Psalmi, et una Antiphona super eos; Versiculus, tres Lectiones, et tria Responsoria : cetera vero, ut in Communi illius temporis notatum fuerit. Antiphonæ, Responsoria, et Versiculi cum ALLELUIA. dicantur. Ad BENEDICAMUS DOMINO. addatur duplex ALLELUIA.

4. In Laudibus dicuntur quinque Antiphonæ, singulæ ad singulos Psalmos. In Prima et in Completorio utriusque diei, dicuntur Preces. In secundis Vesperis sola prima Antiphona Laudum dicitur super Psalmos, qui semper de Communi petantur; præterquam in festis Sanctorum infra Octavas Nativitatis Domini, ubi quinque Psalmi et Antiphonæ erunt de Nativitate. Semper

dicatur Officium quotidianum beatæ Virginis, nisi celebretur infra Octavas Solemnes, et supra.

5. Festa Simplicia occurrentia in Dominica in Ramis Palmarum, et deinceps usque ad Feriam quartam immediate sequentem, si non possint transferri, ut regulariter contingit, illo anno solam habebunt Memoriam in utrisque Vesperis, et in Laudibus: Feria vero quarta, solum in primis Vesperis, et Laudibus.

6. Festum Simplex transferri potest per quindecim dies, a die ipsius exclusive, etiam infra Octavam Solemnem, excepta Dominica, ut dicetur § XXII. num. 9.

§ XV.

De festo Duplici.

FESTUM Duplex in primis Vesperis, nisi a majori festo præcedenti impediatur, habebit Antiphonam propriam, vel ex Communi desumptam, super quinque Psalmos, (qui erunt de Feria currente, vel de festo præcedenti, vel de Octava, si infra eam celebretur) et post Capitulum, Responsorium cum Versu, et GLORIA PATRI, etiamsi veniat post Dominicam in Passione. Dimittuntur Preces in Completorio, et in Prima; et Officium quotidianum beatæ Virginis. Canticum TE DEUM semper dicitur. In reliquis servetur ordo festi Simplicis.

2. Si in Dominica occurrerit, dicitur semper in Prima Symbolum S. Athanasii QUICUMQUE VULT SALVUS ESSE.

§ XVI.

De festo toto Duplici.

IN festo toto Duplici, sive de Tempore (etiam in Circumcisione Domini) sive de Sanctis, ad primas Vesperas dicuntur hi Psalmi: LAUDATE PUERI; LAUDATE DOMINUM OMNES; LAUDA ANIMA MEA; LAUDATE DOMINUM QUONIAM; LAUDA JERUSALEM; ut notatur in Psalterio pag. 145. præterquam in festis Commemorationis Dominicæ Passionis, Quinque Vulnerum D. N. J. C. et Compassionis beatæ Mariæ Virginis, et præterquam in Sabbato sancto, et in Vigilia Pentecostes. Una sola Antiphona dicitur super Psalmos: excipitur Vigilia Nativitatis Domini, in qua erunt quinque Antiphonæ. Post Capitulum dicatur Responsorium, etc. ut dictum est in festo Duplici Tit. præcedenti, num. 1. Item Antiphona integra dicitur ante et post Cantica MAGNIFICAT et BENEDICTUS.

2. Si in die Dominica de eo fiat Officium, in Prima dimittitur Symbolum S. Athanasii: excepto festo SS. Trinitatis, in quo dicitur. Responsoria Horarum, etiam extra tempus Paschale, dicuntur cum duplici ALLELUIA, præterquam a Septuagesima usque ad Pascha. In secundis Vesperis sola prima Antiphona Laudum super Psalmos dicatur, excepto festo Nativitatis Domini, et sequentibus, juxta quod ibi notatur.

§ XVII.

De festis Votivis, vel quæ celebrantur per Hebdomadam.

OMNIBUS Sabbatis totius anni, præterquam in Quadragesima, et jejuniis Quatuor Temporum, et infra Octavas, et in Octavis, tam de Tempore, quam de Sanctis, de quibus Octavis fit totum Officium; et in festis Simplicibus, et supra; et in Vigiliis quæ habent Missas proprias; et quando Historia, vel Homilia dominicalis legi non posset alio die, nisi in Sabbato: fiat Officium de B. Virgine Maria. Et tunc tam in choro, quam extra, tenentur fratres dicere ante Matutinum quindecim Psalmos graduales modo et ordine suo loco notatis.

2. In omnibus tertiis Feriis per totum annum, præterquam in Feria tertia proxime Vigiliam Nativitatis Domini antecedente, et deinceps usque ad diem Octavam Epiphaniæ inclusive; et in Quadragesima usque ad Octavam Paschæ inclusive; in tertia Rogationum, et deinceps usque ad Octavam Corporis Christi inclusive; et infra Octavas omnes, et in Octavis, de quibus fit totum Officium; et in omnibus festis Sim-

plicibus, et supra; et in Vigiliis, quæ habent proprium Officium, vel Missam; et quando Homilia vel Historia dominicalis juxta Rubricas illo die est recitanda : fiat Officium de B. P. N. Dominico.

3. In omnibus quintis Feriis per totum annum, exceptis temporibus, quæ supra num. præcedenti pro Officio de Beato Dominico in Feria tertia excepta sunt, fiat Officium de Corpore Christi.

4. In omnibus Conventibus, ubi viget studium artium, simul et theologiæ, (dummodo tali die ex consuetudine vel privilegio non celebretur Officium de alio Sancto Ordinis nostri) singulis quartis Feriis fiat Officium de S. Thoma Aquinate : exceptis temporibus supra expressis, in quibus non fit Sabbato Officium de beata Maria, et in Feria tertia de beato Dominico. Excipitur etiam casus, quando in eadem Feria quarta occurrit festum Sancti trium Lectionum, quod infra quindecim dies non posset transferri : quia in eo casu fiet de festo trium Lectionum cum Memoria sancti Thomæ. Festa vero trium Lectionum, quæ suo die celebrari non possunt, non sunt transferenda in Feriam quartam; ita ut propter hoc impediatur fieri in illa Officium de S. Thoma.

5. Ex consuetudine antiqua et approbata aliquarum Provinciarum, vel Conventuum, in illis fit Feria quarta, vel in alia Feria, Officium de aliquo Sancto Ordinis nostri : quæ consuetudo servanda est; exceptis temporibus supra expressis numero præcedenti pro Officio de S. Thoma in Feria quarta. Dum autem Feria quarta in hujusmodi Conventibus celebrari contingerit de alio Sancto Ordinis, fiat Memoria de S. Thoma, si in illis vigeat studium artium, simul et theologiæ.

6. Quando propter impedimentum aliquod ex assignatis, prædicta Officia beatæ Mariæ in Sabbato, beati Dominici in Feria tertia, Corporis Christi in Feria quinta, et B. Thomæ, vel alterius Sancti Ordinis in Feria quarta intermittuntur, facienda est Memoria de ipsis, ut dicetur infra, § XXXII, num. 7.

7. Ex speciali concessione Clementis Papæ X. sub die 19. Septembris 1674. recitari potest in toto Ordine Officium de S. Vincentio Ferrerio sub ritu trium Lectionum semel in mense, hoc est, prima Feria secunda, non impedita tamen alio simili festo trium Lectionum ejusdem Ordinis; et impeditis omnibus prædictis secundis Feriis illius mensis, tunc recitari poterit prima Feria sexta ejusdem mensis. pariter non impedita, ut supra. Hujusmodi autem Feriæ secundæ vel sextæ non dicuntur impeditæ, quia in ipsas sit transferendum aliquod festum trium Lectionum, quod suo proprio die celebrari non potuit : sicut supra num. 4. pro Officio de S. Thoma in Feria quarta dictum est. Quod si in nulla Feria secunda vel sexta mensis possit de S. Vincentio Officium fieri; nec de ipso Memoria aliqua est facienda in tali mense.

8. Officia hujusmodi votiva terminantur in Nona. In Matutinis dicitur Canticum TE DEUM. extra Septuagesimam; infra tamen eam loco Cantici præfati repetitur ultimum Responsorium usque ad Versum exclusive : et similiter tempore Paschali in Vesperis et Laudibus dicitur BENEDICAMUS DOMINO. cum duplici ALLELUIA.

§ XVIII.

De divisione Octavarum.

OCTAVÆ festorum, aliæ sunt Solemnissimæ; aliæ Solemnes; aliæ Simplices; aliæ trium Lectionum; aliæ cum sola Memoria.

2. Octavæ Solemnissimæ sunt quatuor, videlicet : Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Corporis Christi.

3. Octavæ Solemnes sunt : Ascensionis, Trinitatis; immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis, et SS. Rosarii beatæ Virginis; S. Joseph Sponsi B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, beati Dominici Patris nostri, Omnium Sanctorum, sancti Augustini, S. Thomæ Aquinatis, S. Francisci de Assisio et S. Catharinæ Senensis.

4. Octavæ Simplices sunt : Epiphaniæ, Dedicationis Ecclesiæ, Nativitatis et Visitationis Beatæ Mariæ; necnon SS. Joannis Baptistæ, Laurentii Martyris, Martini Confessoris, Michaëlis Archangeli, S. Mariæ Magdalenæ, et S. Catharinæ Virginis et Martyris. Similiter, ex variis concessionibus Apostolicis, omnium et singulorum Sanctorum Ordinis nostri, qui solemni canonizationis ritu fastis Ecclesiæ adscripti sunt, videlicet : Petri Martyris, Joannis et soc. MM. Gorcom., Pii Papæ et Confessoris, Antonini, Vincentii, Hyacinthi, Raymundi, Ludovici Confessorum, Catharinæ de Ricciis, Agnetis a Monte Politiano. et Rosæ Limanæ Virginum.

5. Octavæ trium Lectionum sunt : Sanctorum Stephani Protomartyris, Joannis Evangelistæ, et Innocentium.

6. Octavæ de sola Memoria sunt : Sanctorum Andreæ Apostoli, et Vincentii Martyris.

7. Abstinendum tamen omnino est a celebratione Octavarum, tam Dedicationis Ecclesiæ Matricis, quam et Patroni loci, aut Titularis Ecclesiæ : nisi super hoc speciale decretum Sedis Apostolicæ vel sacræ Rituum Congregationis habeatur, et per Capitulum Generale sic constitutum fuerit.

§ XIX.

De Octavis cum sola Memoria.

OCTAVÆ de sola Memoria dicuntur quia in eis non fit aliud Officium quam sola Memoria in Vesperis et Laudibus. Hujusmodi autem Octavæ terminantur per Memoriam in Laudibus diei Octavæ.

2. Dimittitur hæc Memoria, si in diebus infra Octavam occurrant festa Duplicia, et supra, aut Octavæ Solemnes, et supra. Ipsius autem diei Octavæ semper fiat Memoria, etiam in festo Duplici, et supra, præterquam in utrisque Vesperis et Laudibus Pentecostes, et Corporis Christi, usque ad eorum Octavas; et in utrisque Vesperis, et Laudibus festorum, in quibus nec Octavarum Simplicium fit Memoria, ut sunt festa Ascensionis, et Assumptionis B. Virginis, prout dicitur infra § XXI. num. 6.

§ XX.

De Octavis trium Lectionum.

OCTAVÆ trium Lectionum vocantur, quoniam in die Octava celebrantur tamquam festum trium Lectionum : infra Octavas vero solam habent Memoriam in Vesperis et in Laudibus. Earum Officium in die Octava durat per totum diem. Si fuerit Dominica, in Matutinis habent novem Lectiones : si vero alio die venerint, dicentur Preces in Prima et Completorio. Semper tamen Responsoria Horarum cum ALLELUIA, et Canticum TE DEUM. dicantur. Reliqua omnia in propriis locis notantur.

§ XXI.

De Octavis Simplicibus.

OCTAVÆ Simplices sunt, quando de eis quotidie infra Octavam, et in die Octava fit totum Officium (nisi a majori solemnitate præoccupentur) hoc modo :

2. In diebus infra Octavam : Ad Matutinum, Invitatorium, ut suis locis est notatum; Hymnus, et Psalmi sicut in festo; una tantum Antiphona super Psalmos, incipiendo a prima Nocturnorum festi, et sic deinceps quot fuerint necessariæ pro sequentibus diebus. Tres tantum Lectiones, quarum duæ priores erunt de Scriptura, vel de Homilia Feriæ currentis, (ut in Quadragesima, diebus Rogationum, et Quatuor Temporum Adventus et Septembris) et tertia erit de gestis et vita Sancti aut de aliquo Sermone Sanctorum. Versiculus ante Lectiones, et tria Responsoria de festo secundum ordinem, quo Historia dominicalis dividitur per Ferias, ut dictum est § VII. num. 1. Canticum TE DEUM. quotidie dicatur, præterquam infra Septuagesimam, et tunc loco ejus repetitur ultimum Responsorium usque ad Versum exclusive.

3. In Laudibus, prima tantum Antiphona super Psalmos; Capitulum, Hymnus, et Versiculus, sicut in festo. Ad Benedictus. Antiphona quæ ibi notatur. Ad Primam et Completorium dicuntur Preces: Responsoria Horarum absque ALLELUIA, præterquam tempore Paschali, et cum celebratur de die Octava Simplici infra Octavas Solemnes. In Vesperis Antiphona ad Magnificat, quæ suo loco signatur. Reliqua omnia sicut in principali festo.

4. In primis Vesperis Octavæ diei Officium fiet, sicut in aliis ejusdem Octavæ diebus, excepta Antiphona ad Magnificat, quæ sumetur ex primis Vesperis festi, nisi sit alia specialiter posita : et similiter fiat pro secundis Vesperis. In Matutinis leguntur novem Lectiones : et reliqua omnia, sicut in festo, servato modo festi Simplicis, nisi aliter notetur.

5. Tempore Paschali, infra omnes Octavas, et in Octava die dicuntur tantum tres Psalmi in Matutinis, cum tribus Lectionibus ac Responsoriis : addito ALLELUIA in fine Antiphonarum, Versiculorum, et Responsoriorum, sicut in aliis festis Paschalibus.

6. In festis Duplicibus, et supra, quæ eveniunt infra has Octavas, et in die Octava, de Octavis tantum fit Memoria in Vesperis et Laudibus. Excipitur dies Octava Epiphaniæ, in qua nullum festum debet celebrari. Memoria autem etiam omittitur in festis Pentecostes, et Corporis Christi, usque ad eorum Octavas, et in utrisque Vesperis et Laudibus festorum Ascensionis, et Assumptionis B. Mariæ : in quibus de Octavis Simplicibus nulla fit Memoria : infra Octavam tamen Corporis Christi fit Memoria Octavæ S. Joannis Baptistæ, ut infra dicetur § XXIII. num. 1.

7. Similiter hujusmodi Octavarum Simplicium fiet Memoria, si evenerint infra Octavas Solemnes. Si tamen infra has dies Octava Simplex evenerit, fiat Officium de die Octava Simplici; etiamsi fuerit dies Dominica infra illas Octavas. Excipitur, si evenerit infra Octavam Ascensionis; nam tunc non fit Officium de die Octava Simplici alicujus Sancti, sed de ea fiat sola Memoria.

8. In Sabbatis infra has Octavas, aut in die Octava, Officium Dominicæ incipiet a Capitulo; Psalmi autem et Antiphona erunt de Octava, et fiet Memoria ipsius post MAGNIFICAT. Die vero Dominica fiet tantum Memoria de Octava in Laudibus et Vesperis. Excipitur dies Octava Simplex incidens in Dominicam infra Octavas Solemnes, in qua de Octava Simplici fiet similiter Officium, ut numero præcedenti dictum est. Si tamen dies Octava Simplex Dominicæ successerit, in secundis Vesperis Dominicæ fiet solum Memoria Octavæ Simplicis.

9. Homilia dominicalis, quando Dominica est impedita, legetur infra has Octavas; non attento jam ordine Feriarum, ut dictum est supra § VI. n. 3. et tunc duæ Lectiones erunt de Homilia, et tertia de Octava. Neque transferetur extra has Octavas, nisi in eadem Hebdomada contingat fieri de Feria : nam tunc non legetur Homilia infra Octavas, sed ea die, qua fit de Feria, dummodo in hac die non sit legenda alia Homilia. Immo et in ipsa die Octava, tam intra, quam extra tempus Paschale, legatur Homilia dominicalis, dum non superest alia Feria vacans, in qua legi possit. Et similiter infra has Octavas, et in ipsa die Octava, si venerit in Quadragesima, diebus Rogationum, et Quatuor Temporum Adventus et Septembris, dicetur Homilia Feriæ currentis.

10. Officium quotidianum B. Virginis tam infra Octavas, quam in die Octava dicitur: exceptis Octavis ejusdem B. Virginis, quando de ea agitur Officium; itemque cum celebratur de die Octava Simplici infra Octavas Solemnes. In Octavis tamen B. Virginis dicetur ad Vesperas Officium quotidianum illius, si in Vesperis incipiat a Capitulo Officium v. g. Dominicæ, ut dicitur supra num. 8. vel festi, aut diei Octavæ Simplicis.

§ XXII.

De Octavis Solemnibus.

OFFICIUM, tam infra Octavas Solemnes, quam in ipsa die Octava, per omnia fiat sicut de Octavis Simplicibus supra notatum est; exceptis aliquibus et additis aliis, paulo post dicendis.

2. In his Octavis non dicitur Officium quotidianum B. Virginis nec in Prima et Completorio dicuntur Preces. Canticum TE DEUM. semper dicitur, etiam infra Septuagesimam. Responsoria Horarum dicuntur quotidie (extra Septuagesimam tamen) cum ALLELUIA; quod etiam servetur in festis Duplicibus, et in Octavis aut festis Simplicibus, infra Octavas Solemnes occurrentibus : quia omnia festa ita induunt conditiones harum Octavarum, ut cum eadem solemnitate debeant celebrari. Festa Simplicia, et Duplicia, quæ eveniunt in die Octava Solemni, transferantur; Tota Duplicia vero celebrentur; excepta die octava Ascensionis, in qua nullum festum debet celebrari, nisi festa excepta infra § XXIV. num. 8.

3. In his Octavis Solemnibus fiat Memoria de festis trium Lectionum, (si transferri non possint) et de festo habente solam Memoriam, exceptis Octavis Ascensionis et Trinitatis, in quibus de supradictis Memoria non fit, ut supra de singulis dictum est § XII. num. 2. § XIII. num. 8. Similiter fiat Memoria de Octavis Simplicibus; itemque de die Octava de sola Memoria, ut etiam de singulis dictum est § XIX. num. 2 § XXI. num. 7. ubi etiam dicitur, quid agendum sit de die Octava Simplici infra Octavas Solemnes incidente.

4. Infra Octavam S. Thomæ Aquinatis perpetuo servetur sequens Rubrica. Quotiescumque de Octava agitur in Matutinis, duæ primæ Lectiones erunt de Homilia Feriæ, et tertia erit de Octava; Missa vero conventualis dicetur de Feria. In Dominica infra Octavam, solum fiet Memoria S. Thomæ, ita ut Officium Dominicæ incipiat in Sabbato præcedenti a Capitulo, et tunc dicitur Officium quotidianum B. M. Virginis ad Vesperas et Completorium, et dicentur Preces. Si Feria quarta Cinerum evenerit infra Octavam, de ea (Feria nimirum) fiet Officium usque ad Nonam, cum Memoria S. Thomæ, et Officio quotidiano B. M. Virginis, et terminatur in Nona. Quando in Feria secunda celebratur dies Octava, in primis Vesperis Psalmi et Antiphonæ erunt de Dominica, et Officium incipiet a Capitulo : si autem occurrat in Sabbato, secundæ Vesperæ erunt de Octava cum Memoria Dominicæ, et non dicetur Officium quotidianum B. M. Virginis. Quotidie infra Octavam in Completorio dicatur Responsorium IN PACE, quando regulariter dicitur.

5. Quæcumque Octava Solemnis occurrens in Adventu, et a Septuagesima usque ad Pascha, (quo tempore Dominicis diebus debet fieri Officium de Dominica) in Missa, et in illa parte Officii quæ est de Dominica, incipiendo a Vesperis Sabbati præcedentis, si sint a Capitulo, consideretur tamquam Octava Simplex. Ita tamen, quod ad Matutinum Dominicæ Palmarum omnino cesset qualiscumque Octava. In reliquo Octavæ Solemnes, etiam immaculatæ Conceptionis B. M. V. prædicto tempore celebrentur juxta modum præscriptum n. 4. pro Octava S. Thomæ. S. R. C. 7. Septembris 1850.

6. Dominica infra has Octavas solum habebit Memoriam. Lectiones primi Nocturni erunt de Apostolo, signatæ pro Dominica occurrente (prout supra § X. num. 6. dictum est) : secundi, de Octava; tertii vero, de Homilia dominicali. Si vero fuerit dies octava in Dominica, primæ Lectiones erunt de Apostolo Dominicæ occurrentis, reliquæ vero sex erunt de Octava : nisi in tertio Nocturno legenda fuerit Homilia dominicalis, prout infra n. 7. dicetur.

7. Homilia Dominicæ præcedentis, quando est impedita, debet legi infra has Octavas eo modo, quo dictum est de Octavis Simplicibus

§ XXI. num. 9. excepta die Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, ut dicetur n. sequenti. Immo, et Homiliæ Vigiliarum, Rogationum, vel Quatuor Temporum infra has Octavas legi debent, non tamen in ipsa die Octava.

8. Si festum habens Octavam incidat in Dominicam aut Dominica infra Octavas impedita sit aliquo festo : Homilia dominicalis legatur in die Octava Solemni, quando non superest Feria aliqua vacans, in qua legi possit. Prout communiter solet fieri in die Octava Ascensionis, ubi Homilia dominicalis, si propter festa impedientia infra istam Octavam lecta non fuerit, neque Feria sexta sequenti poterit legi, legitur ipsa die Octava Ascensionis, assumpto pro tertia Lectione Sermone S. Augustini, HODIE, FRATRES., posito in die Octava. Excipitur tamen dies Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, si in Dominica evenerit, et Homilia dominicalis legi non poterit infra Hebdomadam ; quia tunc Homilia Dominicæ omittitur ob Homiliam propriam SS. Apostolorum. Excipiuntur pariter dies octava SS. Rosarii, et dies octava Omnium Sanctorum, in quibus nulla Homilia legi solet.

9. De festo Simplici fit Officium infra has Octavas, etiamsi inciderit in Dominicam infra eas. Immo transferri potest festum Simplex in aliquam diem infra illas excepta Dominica.

10. Quando infra Octavas Solemnes celebratur de festo Duplici (et idem de Octava, aut festo Simplici) in primis Vesperis incipiat Officium a Capitulo : Psalmi autem, et Antiphonæ erunt de Octava, si illa die Officium fieret de Octava. Idem observetur, si infra Octavas Solemnes celebretur de festo Duplici post Octavam, vel festum Simplex ; cum namque hæc, ut sæpe dictum est, induant solemnitatem Octavæ, infra quam celebrantur, Officium festi Duplicis in primis Vesperis incipiet a Capitulo; Psalmi autem et Antiphonæ erunt de Octava, vel festo Simplici. Si vero festum Duplex, vel Octava aut festum Simplex occurrerint ante diem Octavam, Officium diei Octavæ Solemnis incipiet a Capitulo: si autem post diem Octavam, in primis Vesperis solam habebunt Memoriam.

§ XXIII.

De Octavis Solemnissimis.

INFRA Octavas Solemnissimas, vel in ipsis Octavis, omnia fiant, sicut de Octavis Solemnibus dictum est §. præcedenti : excepto, quod non fit de aliquo Sancto Officium, neque Memoria (etiamsi sit Sanctus Ordinis) nisi infra Octavam Nativitatis Domini, et nisi quando infra Octavam, vel etiam in ipsa die Octava Corporis Christi occurrerit festum S. Joannis Baptistæ, vel SS. Apostolorum Petri et Pauli; quia tunc de ipsis Sanctis fit Officium, ac etiam Memoria de ipsorum Octavis. Similiter Feria sexta ejusdem Octavæ Corporis Christi fit semper Memoria de Octava sanctissimæ Trinitatis in Laudibus, et Vesperis : Sabbato vero, in Laudibus tantum. Excipiuntur etiam festa, quæ transferri non possunt, eo modo quo dicetur § seq. num. 17.

2. De concurrentia festi Duplicis, vel Totius Duplicis immediate post Octavam diem harum Octavarum, dicetur infra § XXV. n. 9. Similiter de quibus festivitatibus extraordinariis in aliquibus ex his Octavis potest fieri Officium, dicetur infra § XXIV. n. 5. et suis specialibus Titulis.

§ XXIV.

De translatione festivitatum.

DE festis Duplicibus et supra occurrentibus in Dominicis diebus Adventus, et in Dominicis Septuagesima usque ad Dominicam in Albis, dictum est § III. n. 3. 4. et 5.

2. Festum Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti, et ea, quæ sequuntur de Passione in Feria tertia Sexagesimæ, et Feriis sextis Quadragesimæ, non possunt transferri ad aliam diem, nisi occurrente Offi-

cio potioris ritus; et tunc transferenda sunt eo ordine, quo venerunt, dummodo infra Quadragesimam hæc translatio fiat; nam illa festa non sunt celebranda extra Quadragesimam, nec sunt omittenda. Similiter festum Compassionis B. Mariæ celebrandum est Feria sexta post Dominicam Passionis; nec propter aliud festum est transferendum, nisi festum S. Joseph, vel Annuntiationis, aut alicujus Sancti nostri Ordinis occurrerit in illa Feria; et tunc festum Compassionis transferatur in Sabbatum subsequens. Si tamen in dicto Sabbato aliquod festum occurrerit, illud transferatur post Octavam Paschæ, ut de mandato Summi Pontificis in Urbe fuit factum; ideoque festum Compassionis non est celebrandum extra Quadragesimam, nec est omittendum. Similiter omnia festa Duplicia, et supra, occurrentia a Dominica in Ramis Palmarum usque ad Octavam Paschæ inclusive, et in die Pentecostes usque ad festum Trinitatis inclusive, transferenda sunt post prædictas Octavas, in Ferias non impeditas festo Simplici, et supra.

3. Transferenda etiam sunt festa Simplicia occurrentia in Dominica in Ramis Palmarum, et deinceps usque ad Octavam Paschæ, vel in aliis supradictis diebus. Si tamen infra quindecim dies non possunt transferri, fiat de illis Memoria a Dominica in Ramis usque ad Laudes Feriæ quartæ sequentis, ut dictum est § XIV. num. 5. Aliis vero diebus nec Memoria fiat.

4. Eadem regula debet servari, quantum ad translationem, in omnibus festis tam Simplicibus, quam Duplicibus, et supra, quæ evenerint in festo Corporis Christi usque ad Feriam sextam post Octavam Corporis Christi inclusive, qua Feria celebratur festum SS. Cordis Jesu.

5. Excipiuntur festa sanctorum Joannis Baptistæ, et Apostolorum Petri et Pauli, S. Patroni principalis loci de præcepto, Dedicationis Ecclesiæ, et S. Tituli principalis Ecclesiæ nostræ : quæ transferenda non sunt post Octavam Corporis Christi, sed infra Octavam, vel in die octava suis propriis diebus celebranda; et in reliquis aliis diebus infra Octavam, et in Octava Corporis Christi fiet quotidie Memoria de Octava S. Joannis, aut Apostolorum, ut dictum est § XXIII. n. 1. Quod si festa sancti Joannis Baptistæ, S. Patroni principalis loci de præcepto, Dedicationis Ecclesiæ, et S. Tituli principalis Ecclesiæ nostræ in diem Corporis Christi inciderint in proximum sequentem diem transferantur : et in secundis Vesp. Corporis Christi fiet de eis tantum Memoria. Si vero Nativitas S. Joannis Baptistæ, et festum Apostolorum Petri et Pauli in Feriam sextam post Octavam Corporis Christi inciderint, festum SS. Cordis Jesu in proximum sequentem diem, velut in sedem propriam, transferatur; idem fiat, si in eadem Feria sexta occurrerit festum S. Patroni principalis loci, vel Tituli principalis et Dedicationis Ecclesiæ, dummodo hæc sint de præcepto. S. R. C. 28. Jun. 1889.

6. Quando festum Simplex, aut majus in Feriam quartam Cinerum inciderit, non celebrabitur in præcedenti Feria tertia (ut antiqua Rubrica disponebat sed transferendum erit in diem primam non impeditam post diem Cinerum.

7. Si aliquod festum Duplex, aut majus occurrerit in Vigilia Pentecostes, non celebretur in præcedenti Feria sexta (ut pariter antiqua Rubrica decernebat) sed post festum Trinitatis transferatur, aut post Octavam Corporis Christi. Si vero fuerit Simplex, et transferri non possit, fiat de eo Memoria in Vesperis præcedentibus, et in Laudibus Vigiliæ.

8. Omnia festa Duplicia, et supra, occurrentia in die Ascensionis, vel in ejus die octava, sunt etiam transferenda in proximam Feriam non impeditam festo Simplici, et supra. Excipiuntur festa Sancti Patroni principalis loci de præcepto, Dedicationis Ecclesiæ nostræ : de quibus debet fieri Officium in die octava Ascensionis (si in ea evenerint) cum

ejusdem Memoria. Quare si festum Ascensionis incidat in ultimam diem Aprilis, aut primam Maii, festa S. Catharinæ Senensis, aut Apostolorum Philippi et Jacobi, post festum SS. Trinitatis sunt transferenda, et habebunt Officium novem Lectionum, prout suo loco notatum est. Si festum Coronæ Domini, ex novo decreto S. R. Cong. diei 24. Aprilis assignatum, impeditum fuerit, nec transferri queat intra tempus Paschale, die 4. Maii celebrabitur. Festum vero S. Monicæ illo anno transferatur in aliquam Feriam vacantem, servato tamen ordine cum aliis festis Sanctorum, quæ transferenda occurrant, juxta Rubricam infra positam num. 13.

9. Si Nativitas S. Joannis Baptistæ, vel festum Apostolorum Petri et Pauli, vel Visitatio B. M. V. Dominica prima post Oct. Trinitatis evenerit, festum purissimi Cordis Mariæ suo ordine transferatur. Si festum Exaltationis sanctæ Crucis incidat in Dominicam infra Octavam Nativitatis B. Virginis : celebretur festum Exaltationis, et festum Nominis B. Mariæ transferatur. Si tamen dies octava Nativitatis B. Mariæ in Dominica evenerit, in ea festum Nominis ejusdem celebretur : festum vero Commemorationis sancti P. N. Dominici in proximam Feriam non impeditam transferatur. Similiter si festum Omnium Sanctorum Ordinis nostri evenerit Dominica secunda Novembris, in qua occurrit festum Patrocinii B. Mariæ, de hoc fiet Officium, et illud transferatur. Similiter etiam si festum S. Hyacinthi Conf. evenerit in Dominica infra Octavam Assumpt. B. M. V. celebretur festum S. Hyacinthi, et festum S. Joachim transferatur. Si tamen dies octava Assumptionis B. Mariæ Virg. in Dominica evenerit, in ea festum S. Joachim celebretur, juxta Rubr. § XXII. num. 2.

10. Cum transfertur festum habens Octavam, etiam Octava transferatur. Similiter si transfertur festum habens Memoriam Sancti annexam, transferatur simul et Memoria, ut dictum est supra, § XII. num. 3.

11. Si festum Simplex concurrat simul cum die octava Simplici. Officium fiat de Octava, si festum Simplex ulterius transferri potest. Quod si festum Simplex non sit transferibile, propter festa impedientia omnes quindecim dies suæ translationi determinatos; tunc fiet de eo Officium, cum Memoria Octavæ Simplicis simul concurrentis.

12. Festa Simplicia occurrentia in quibuscumque Dominicis diebus per totum annum, transferri debent eo modo quo dicitur n. 14. Excipiuntur festa sanctorum Innocentium, S. Thomæ Episcopi et Martyris, et sancti Silvestri Papæ, de quibus semper suis diebus agetur : quæ pure Simplicia reputanda non sunt; quia Octavarum illarum, infra quas occurrunt, in omnibus induunt qualitatem. Excipiuntur etiam, propter eamdem rationem, festa Simplicia incidentia in Dominicam infra Octavas Solemnes, de quibus etiam fiet Officium, ut dictum est supra § III. num. 1. et § XXII. num. 8.

13. Festa Duplicia, et supra, transferenda sunt eo ordine, quo venerunt. Excipiuntur festum SS. Cordis Jesu, festum Annuntiationis, festum principale S. Joseph, die 19. Martii et festum S. Francisci Assisii ✠ quæ transferenda sunt in diem fixam, tamquam in sedem propriam. De festo SS. Cordis Jesu dictum est supra, n. 5. Festum Annuntiationis B. M. V. si venerit in Dominica Passionis, transferendum erit ad Feriam secundam immediate sequentem, translato quocumque festo etiam æqualis, non tamen altioris ritus. Si vero occurrerit in Hebdomada Majori, vel Paschali, transferendum erit pari cum privilegio) in Feriam secundam post Dominicam in Albis. S. R. C. 18. Sept. 1882. et quidem una cum præcepto audiendi Missam, et vacandi ab operibus, si occurrerit Feria sexta in Parasceve, vel Sabbato Sancto. Festum vero S. Joseph, si occurrerit in Dominica Passionis,

transferatur in Feriam secundam immediate sequentem; et quoties inciderit in Majorem Hebdomadam, reponatur in Feria quarta post Dominicam in Albis, tamquam in sede propria : servato Rubricarum præscripto quoad translationem festorum iisdem diebus occurrentium. S. R. C. 15. Aug. 1892. Si festum S. Francisci Assisii inciderit Dominica prima Octobris, transferatur ad diem quintam tanquam ad sedem propriam et festum B. Raymundi a Capua transferatur secundum ordinem Rubricarum. S. R. C. 16. Febr. 1907.

Excipiuntur etiam festa duodecim Apostolorum, ac festa Sanctorum Ordinis nostri (non autem festa Translationis, vel Commemorationis eorum, aut Beatorum Ordinis nostri), quæ præponuntur in celebratione omnibus aliis festivitatibus æqualis ritus : sed festa Apostolorum præponuntur festis Sanctorum Ordinis nostri. Similiter festum Totum Duplex habens Octavam debet transferri prius quam alia festa Tota Duplicia, quæ non habent Octavas : præter festa Apostolorum, quæ, licet Octavas non habeant, omnibus aliis præponuntur, etiam Sanctis Ordinis nostri, ut dictum est.

14. Festa Simplicia transferenda sunt etiam eo ordine, quo venerunt : sed post Duplicia, et supra. Si tamen festum Simplex non sit ulterius transferibile, (non enim potest transferri ultra quindecim dies), tunc transferatur prius quam festum Duplex, et supra.

15. Festa Duplicia, et supra, non habent tempus determinatum suæ translationis : quia nullo modo est omittendum hujusmodi Officium nisi in casu, de quo dicitur infra, n. 17. Festum vero Simplex, sicut et trium Lectionum transferri possunt per quindecim dies exclusive a die ipsorum, in aliquam Feriam vacantem : quod si infra hos dies non sit aliqua Feria vacans, omittitur illo anno eorum Officium, et solum fit Memoria de illis; nisi in diebus, in quibus etiam Memoria omittitur, exceptis supra in suis peculiaribus Titulis.

16. Vocatur Feria vacans non impedita, in quam transferri possunt festa illa in qua non fit Officium de die Octava Simplici, aut de festo Simplici, et supra; vel quæ non est destinata pro legenda Homilia, vel recitanda Historia dominicali. In casu namque illo, quo transferretur festum Duplex, aut majus (exceptis, quæ præponenda sunt in celebratione aliis festivitatibus, de quibus dictum est supra, num. 13.) immo etiam et festum Simplex, in Feriam destinatam pro legenda Historia, vel Homilia dominicali; prorogabitur ulterius translatio hujusmodi festorum : Homilia vero, vel Historia dominicalis, illa ipsa die recitabitur. Quod de festo Simplici intelligendum est, si hujusmodi festum ulterius transferri potest, infra tempus supra assignatum suæ translationis : si tamen non sit ulterius transferibile, fiat Officium de festo Simplici; et Homilia, vel Historia Dominicæ, vel ulterius transferatur, vel plane omittatur : sicut similiter Homiliæ Rogationum, Quatuor Temporum, et Vigiliæ alicujus Sancti omittuntur, si in eam transferantur festa, etiam Simplicia, dummodo hæc ulterius transferri non possint, ut de Homilia Vigiliæ dicetur infra, § XXXV. num. 2. A proprio autem die festum Simplex nullatenus transferri potest solum ob Homiliam, vel Historiam dominicalem recitandam.

17. Verum ex nova S. R. Congregationis dispositione, festa Duplicia, et supra, si ad eorum translationem infra annum non sufficiant Feriæ vacantes, transferri debent primo in dies Octavas Simplices, deinde in festa Simplicia : et si adhuc non sufficiant Feriæ vacantes, festa Tota Duplicia transferri debent in dies octavas Solemnes; non vero festa Duplicia : ita ut si pro istis non sit locus pro translatione, de iisdem fiat Memoria proprio die in utrisque Vesperis, et Laudibus : quæ tamen Memoria omittitur a Vesperis Feriæ quartæ Hebdomadæ Majoris ad Feriam tertiam post Pascha, et a primis Vesperis Pentecostes usque ad Feriam tertiam post eamdem in-

clusive. Hæc autem omnia intelligenda sunt de festis Duplicibus, quæ sunt in nostro Calendario, non vero de festis extraordinariis, quæ adnotantur § XXXI. n. 3. quæ in hoc casu omitti debent, ne omittantur Officia cujuscumque ritus, quæ describuntur in nostro Calendario. Festa tamen S. Patroni principalis de præcepto, S. Patroni minus principalis etiam de præcepto, si alias celebretur ab omnibus, Dedicationis Ecclesiæ nostræ, sancti Tituli principalis Ecclesiæ nostræ, Sancti cujus Corpus, vel insignis Reliquia asservatur in Ecclesiis nostris, et Dedicationis Ecclesiæ Matricis, seu Cathedralis, semper celebrari debent.

18. De duabus Homiliis eadem die occurrentibus, dictum est § VI. num. 7.

§ XXV.

De concomitantia festivitatum.

CONCOMITARI dicuntur festivitates, cum una post aliam immediate celebratur, et præcedens festum in secundis Vesperis cum sequenti festo in primis Vesperis concurrit.

2. Si festum minoris solemnitatis, ante vel post festum majoris solemnitatis occurrerit; festum majus duas integras Vesperas habebit, et de minori tantum fiet Memoria.

3. Si festum Totum Duplex post aliud ejusdem qualitatis celebrari contigerit; immo si tria, vel plura festa Tota Duplicia in celebratione sibi succedant : primum duas integras Vesperas habebit, secundum vero solam Memoriam in primis Vesperis : et sic de reliquis, quotquot successive celebranda venerint; ita tamen, quod quodlibet festum Totum Duplex debet ad minus unas integras Vesperas habere.

4. Excipiuntur festa Epiphaniæ, Ascensionis, Trinitatis, Corporis Christi; immaculatæ Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Rosarii beatæ Mariæ; tum et S. Thomæ Aquin., S. Joseph Sponsi B. M. V., beati Dominici P. N., et Omnium Sanctorum; item Patroni principalis loci de præcepto, Dedicationis Ecclesiæ, et Sancti Tituli principalis Ecclesiæ nostræ : quæ omnia festa semper habebunt duas integras Vesperas, sive ante, sive post quæcumque festa ordinaria, etiam Ordinis nostri, celebrentur, et etiamsi secundo aut tertio loco eveniant. Quare quando festum Rosarii beatæ Mariæ celebratur immediate post festum S. Hieronymi, habebit festum S. Hieronymi primas Vesperas, cum Memoria S. Michaëlis, et festum Rosarii, licet tertio loco celebretur, habebit duas integras Vesperas. Et idem fiat in casibus similibus, ut quodlibet Totum Duplex habeat ad minus semel integras Vesperas, et festum ex supra exceptis habeat duas integras. Verum, in concomitantia cum festo SS. Cordis Jesu, festa S. Joannis Baptistæ, atque Apostolorum Petri et Pauli, necnon festa de præcepto Sancti Patroni principalis loci, Titularis, et Dedicationis Ecclesiæ. Vesperas integras habebunt cum sola Memoria SS. Cordis Jesu, etiam in secundis hujus Vesperis, quamvis ipsum non habuerit primas S. R. C. 5. Sept. 1891.

5. Similiter festa duodecim Apostolorum, Sanctorum Ordinis nostri (non autem Translat. et Commem. eorum, aut Beatorum Ordinis nostri) sive evenerint ante, sive post quodlibet aliud festum Totum Duplex ordinarium, quod invenitur in Calendario, habebunt duas integras Vesperas, et prioris festi in secundis ejus Vesperis, aut subsequentis in primis, solum fiet Memoria. Inde festa SS Fabiani et Sebastiani Martyrum, S. Agnetis Virginis et Martyris, et sancti Vincentii Levitæ et Martyris in celebratione immediate sibi succedentia, unumquodque illorum primas Vesperas integras habebit propter festum S. Raymundi eis succedens, quod duas integras habebit.

6. Excipiuntur festa Sanctorum Ordinis nostri, si evenerint ante vel post quodlibet festum Apostolorum quæ vel primis, vel secundis

Vesperis carebunt, ut festum Apostolorum duas integras habeat : sic contingit in festis S. Petri Martyris et S. Catharinæ Senensis, et Apostolorum Philippi et Jacobi, sibi immediate succedentibus. Idem dicendum, si festa Apostolorum, vel Sanctorum Ordinis nostri evenerint ante, vel post aliquod festum ex supra exceptis num. 4. ut cum festum S. Catharinæ Senensis celebrabitur immediate post festum sanctissimæ Trinitatis ; vel cum festum Apostolorum Philippi et Jacobi, aut festum sancti Antonini inciderint ante vel post festum Ascensionis; in quibus, et in aliis similibus casibus festa Apostolorum, vel Sanctorum Ordinis primis, vel secundis Vesperis carebunt.

7. Si festum Sancti Ordinis nostri post aliud ejusdem Ordinis occurrerit, servetur regula generalis de duobus festis Totis Duplicibus inter se concurrentibus. Excipiuntur festa Translationis, vel Commemorationis eorumdem, quæ in concomitantia aliorum festorum Sanctorum Ordinis, vel primis, vel secundis Vesperis carebunt.

8. Omnia festa beatæ Mariæ, quæ sub ritu Totius Duplicis celebrabuntur, habebunt semper duas integras Vesperas, in concurrentia cujuscumque festi Sanctorum, etiam Ordinis nostri. Excipitur festum Visitationis B. M. V. quod in concomitantia cum festo SS. Cordis Jesu, primis Vesperis carebit. Pariter excipitur festum Nominis beatæ Mariæ, quando occurrerit celebrandum ante, vel post festum Exaltationis sanctæ Crucis : quia tunc festum Nominis B. Mariæ primis, vel secundis Vesperis carebit. Excipiuntur etiam festa purissimi Cordis B. M. Virginis, beatæ Mariæ de Monte Carmelo, et beatæ Mariæ de Mercede, si concurrerint cum festis Apostolorum, aut Sanctorum Ordinis nostri. Aliæ autem exceptiones notabuntur in Titulis de festivitatibus extraordinariis.

9. Si festum Duplex, aut Totum Duplex immediate succedat post Octavam diem Octavarum Solemnissimarum, in primis Vesperis solam Memoriam habebit sine ulla alia solemnitate in choro. Exceptis festis Annuntiationis beatæ Virginis; Apostolorum Philippi et Jacobi, et Apostolorum Petri et Pauli; Sanctorum Ordinis nostri (non autem Beatorum Ordinis nostri) et sancti Joannis Baptistæ; item S. Patroni principalis loci de præcepto, Dedicationis Ecclesiæ, et Sancti Tituli principalis Ecclesiæ nostræ : quæ festa habebunt primas Vesperas integras cum Memoria Octavæ. Inde etiam quando post Octavam diem Octavarum Solemnissimarum immediate celebratur de festo Toto Duplici non excepto, et post illud debeat fieri de festo ex supra exceptis, tunc primum succedens Octavæ habebit primas Vesperas integras cum Memoria Octavæ, ut festum postea subsequens habeat primas Vesperas integras, uti illas haberet, si immediate post Octavam celebraretur. Excipitur festum SS. Cordis Jesu, in cujus concomitantia cum die Octava Corporis Christi, Vesperæ fiant de eadem Octava, sine ulla SS. Cordis Memoria, attenta indole peculiari utriusque festi. S. C. R. 28. Jun. 1889.

10. Si festum Duplex post aliud Duplex evenerit, et primum non habuit primas Vesperas impeditas, in secundis Psalmi et Antiphona erunt primi festi, et incipiet Officium secundi Duplicis a Capitulo cum Memoria primi : si tamen secundum similiter secundas suas Vesperas impeditas non habeat. Idem fiet, cum primum habuit primas Vesperas impeditas, et sequens habiturum est secundas a majori solemnitate etiam impeditas. Quod si primum festum Duplex habuit impeditas primas Vesperas, et sequens non habet impeditas secundas; primo Duplici debentur secundæ Vesperæ cum Memoria secundi, cujus postea suo die secundæ Vesperæ integræ erunt. Et similiter, si primum Duplex non habuit primas Vesperas impeditas, et sequens secundas impeditas habuerit : primum Duplex solum habebit Memoriam in secundis Vesperis, quæ erunt integræ sequentis Duplicis;

licet Psalmi erunt de primo Duplici, juxta Rubricam § XV. num. 1. In concurrentia tamen trium vel plurium festorum Duplicium immediate sibi succedentium, servetur quantum fieri potest, ut primum Duplex utrasque Vesperas integras habeat; de reliquis vero disponatur secundum modum superius præscriptum in hoc num. : ita ut si primum Duplex habuerit primas Vesperas ab Antiphona, vel a Capitulo, habebit secundas Vesperas integras cum Memoria sequentis; et pariter alia sequentia habebunt integras secundas Vesperas. Si vero ultimum Duplex habebit secundas Vesperas impeditas, primæ ejus Vesperæ erunt a Capitulo.

11. Si festum Duplex inter duo festa Tota Duplicia venerit, in utrisque Vesperis solam Memoriam habebit. Idem sentiendum de festo Simplici incidente inter duo festa Duplicia (extra tamen Octavas Solemnes, juxta infra dicenda n. 13.) et Tota Duplicia.

12. Si festum Duplex, vel majus in quocumque Sabbato celebretur, integras Vesperas habebit in ipso Sabbato cum Memoria Dominicæ, etiamsi Dominica non sit habitura secundas Vesperas. Si vero festum Dominicæ successerit, Officium Duplicis incipiet a Capitulo : et cum illud Duplex non haberet primas Vesperas integras, si occurrat aliud Duplex subsequens non habens secundas Vesperas impeditas, tunc præcedens habebit secundas Vesperas integras cum Memoria sequentis : si tamen hoc habuerit secundas Vesperas impeditas, ejus Officium in primis Vesperis incipiet a Capitulo. Quomodo autem festa Duplicia celebranda sint in Octavis Solemnibus, dictum est supra § XXII. n. 10.

13. Si festum Duplex post festum Simplex, vel infra Octavam, aut post Octavam diem Octavarum Simplicium evenerit : in primis Vesperis Psalmi erunt de festo vel Octava Simplici; Antiphona, Capitulum, et quæ sequuntur, erunt de festo Duplici. Si vero successerit festo, vel diei Octavæ Simplici, de quibus celebratum fuerit in Dominica, vel infra Octavas Solemnes, tunc Officium Duplicis subsequentis incipiet a Capitulo : Psalmi vero et Antiphona erunt festi vel Octavæ Simplicis, ut dictum est supra § III. n. 2. et § XXII. n. 10.

14. Si festum Simplex post aliud Simplex occurrerit, idem ordo per omnia servetur, qui pro Duplicibus est notatus supra, n. 10. Idemque cum proportione servetur, si festum Simplex antecedat, vel sequatur diem Octavæ Simplicis, in Vesperis, in quibus se contingunt festum et dies Octava Simplex.

15. Cum festum Simplex celebratur in Sabbato, in secundis Vesperis incipiet Officium Dominicæ a Capitulo; Psalmi vero et Antiphona erunt festi Simplicis. Quod si habuerit primas Vesperas Feria sexta impeditas, in Sabbato habebit secundas integras, cum Memoria Dominicæ. Si tamen Responsorium Historiæ fuerit dicendum, tunc Psalmi et Antiphona erunt festi Simplicis; Capitulum vero, et reliqua erunt de Dominica. Si tandem Officio Dominicæ successerit festum Simplex, in primis Vesperis solam Memoriam habebit.

§ XXVI.

De festivitatibus extraordinariis.

FESTIVITATES extraordinariæ vocantur, quæ non inveniuntur notatæ in nostro Calendario, sed in aliquibus regnis, provinciis, civitatibus, seu oppidis, ex sanctæ Sedis privilegio, et approbata consuetudine solemniter celebrantur. Hujusmodi sunt festum Sancti Patroni principalis; festum Dedicationis Ecclesiæ; festum Sancti Tituli principalis Ecclesiæ; et festum Sancti, cujus Corpus, vel insignes Reliquiæ asservantur in Ecclesiis nostris; necnon aliæ festivitates, quæ solemniter solent celebrari.

§ XXVII.

De festo Sancti Patroni.

FESTUM Sancti Patroni principalis de præcepto, celebretur sub ritu Totius Duplicis, sed sine Octa-

va. Et celebrandum est suo die, nisi occurrerit Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima, seu quinta Quadragesimæ, Dominica in Ramis Palmarum, et usque ad Dominicam in Albis inclusive : in Vigilia Nativitatis Domini, in Circumcisione, in die octava Epiphaniæ, in Ascensione, a Vigilia Pentecostes usque ad festum sanctissimæ Trinitatis inclusive, et in die Corporis Christi : in festo Assumptionis beatæ Mariæ, et in festo Omnium Sanctorum. Tunc enim transferatur festum Sancti Patroni principalis de præcepto juxta consuetudinem Ecclesiæ Matricis, cui in hujus festivitatis celebratione debent Ecclesiæ nostræ conformari.

2. Si festum Sancti Patroni principalis de præcepto occurrerit Dominica prima Octobris, fiat Officium de Sancto Patrono, et festum Rosarii beatæ Virginis cum sua Octava transferatur in proxime vacantem Feriam, sed quoad Officium tantum; non vero quoad solemnitatem Processionis, quæ tali die a confratribus sanctissimi Rosarii publice fieri consuevit. Si vero prænominatum festum Patroni in die S. P. N. Dominici occurrerit, transferatur festum Patroni.

3. Si festum Patroni principalis de præcepto celebretur ante vel post festa Apostolorum, Sanctorum Ordinis nostri, vel Dedicationis Ecclesiæ, habebit duas Vesperas integras, et festa prædicta semel integras. Si vero eadem die evenerit, transferenda sunt festa Dedicationis Ecclesiæ, Apostolorum, et Sanctorum Ordinis nostri. Si autem concurrat cum festivitatibus beatæ Virginis, aut aliis majoribus (ut sunt designatæ supra § XXV. n. 4. pro duabus integris Vesperis habendis) servandus est mos Matricis Ecclesiæ, tam in translatione, quam in concomitantia.

4. Quæ Rubricæ pariter observandæ sunt in festo Patroni regni, aut provinciæ, vel civitatis : dummodo Patroni principales sint, et de præcepto, necnon juxta sedis Apostolicæ decreta nominati et instituti. De occursu vero, seu concursu Patroni principalis regni cum Patrono principali provinciæ, vel civitatis, nihil statui potest; observetur tamen consuetudo Ecclesiæ Matricis.

5. Juxta S. R. Congregationis declarationem sub die 17. Sept. 1853. Regulares non tenentur ad celebranda festa Patronorum minus principalium. Verum festum Patroni minus principalis de præcepto, si alias celebretur ab omnibus, qui ad Horas canonicas tenentur, in illo loco, cujus est Patronus, debet etiam a nobis celebrari, ex generali concessione Apostolica, de qua infra, § XXXI. sub eo tamen ritu, qui dicto § designatur. De Sancto vero Patrono minus principali, non de præcepto, non tenemur celebrare festum, ex antedicta declaratione S. Congregationis; possumus tamen juxta præfatam Apostolicam concessionem.

6. De concursu vero cum aliis festivitatibus observetur mos Ecclesiæ Matricis : nisi forte ob peculiarem festivitatem illius Ecclesiæ propriam, debeat festum Patroni non principalis transferri : nam tunc debet fieri Officium de Sancto Patrono, proprio die. Si in die Sanctorum Ordinis nostri occurrerit festum Sancti Patroni minus principalis, si sit de præcepto, transferatur festum sancti Ordinis nostri; secus vero, si de præcepto non fuerit.

§ XXVIII.

De festo Dedicationis Ecclesiæ.

UBI Ecclesiæ nostræ sunt consecratæ, singulis annis in Anniversario fiat Officium sicut in Toto Duplici, et Octava celebretur ad instar Octavarum Simplicium; præterquam in Adventu, et deinceps usque ad Octavas Epiphaniæ; et in Septuagesima, et deinceps usque ad Octavas Paschæ, et in diebus Rogationum, et deinceps usque ad Octavam Corporis Christi. Quando autem Octavæ non fiunt, non fiat Memoria de Dedicatione.

2. Quod si hoc festum Dedicationis infra Octavas alicujus Sancti evenerit, durante Octava de Sancto,

fiat Memoria de Octava Dedicationis; et Octava de Sancto celebrata, fiat Officium de Octava Dedicationis, nisi adsit impedimentum.

3. Festum vero Dedicationis Ecclesiæ Matricis, seu Cathedralis alicujus civitatis, ubi moramur, debet a nobis celebrari, si ab omnibus tam sæcularibus, quam Regularibus illius civitatis celebratur, sub ritu etiam Totius Duplicis, sed sine Octava : non tamen de Dedicatione alterius Ecclesiæ.

4. Festum Dedicationis Ecclesiæ nequit celebrari in illis diebus, quibus non potest fieri Officium de Sancto Patrono principali de præcepto, ut dictum est supra § XXVII. n. 1. et 2. Neque in ipsa die Patroni principalis de præcepto : unde si eodem die occurrerit, debet festum Dedicationis transferri : et si præcedat, sive sequatur, habebit festum Patroni duas integras Vesperas, ut dictum est supra, § præcedenti, numero 3. Secus vero si festum Dedicationis occurrerit in die Sancti Patroni minus principalis, etiam de præcepto, sive in festo S. Tituli principalis, sive in festo Sancti cujus Corpus vel insignis Reliquia asservatur in Ecclesiis nostris, sive in festis Apostolorum, vel Sanctorum Ordinis nostri : nam tunc debet Officium fieri de Dedicatione, et prænominata festa transferri ; et in concomitantia cum illis, festum Dedicationis habebit duas integras Vesperas : sicut etiam si concomitetur festa beatæ Virginis : exceptis designatis supra § XXV. n. 4. quæ duas integras Vesperas debent habere. Quæ omnia intelligenda sunt de festo Dedicationis Ecclesiæ nostræ; festum enim Dedicationis Ecclesiæ Matricis celebrari debet secundum Rubricas, sicut alia festa non solemnia, nec de præcepto in civitate, de quibus infra § XXXI.

§ XXIX.

De festo Sancti Tituli principalis Ecclesiæ nostræ.

FESTUM Sancti Tituli principalis Ecclesiæ nostræ celebretur sub ritu Totius Duplicis, sed sine Octava. Festum Sancti Tituli minus principalis celebretur sub ritu designato, vel consueto.

2. Festum Sancti Tituli principalis nostræ Ecclesiæ debet transferri, si occurrerit in diebus Sancti Patroni principalis de præcepto, vel Dedicationis nostræ Ecclesiæ, quia hæc sunt festa majoris solemnitatis : proindeque transferendum est festum Sancti Tituli principalis, si occurrat in illis diebus, quibus nequit fieri Officium de Sancto Patrono principali, vel de Dedicatione, de quo § XXVII. num. 1 et 2, § præcedenti, num. 4.

3. Festum Sancti Tituli principalis Ecclesiæ nostræ præcedit in solemnitate festum Sancti, cujus Corpus conditum est in Ecclesiis nostris : et ideo hoc secundum, si eodem die evenerit, transferendum est; et si in duobus diebus immediate, semper festum Tituli principalis habebit duas integras Vesperas. Idque idem servetur de festo Sancti Tituli principalis respectu festorum beatæ Virginis, Apostolorum, et Sanctorum Ordinis nostri, sicut § præcedenti, num. 4. de festo Dedicationis dictum est.

4. In concursu cum S. Patrono minus principali, etiamsi sit de præcepto, debet præferri festum Sancti Tituli principalis Ecclesiæ; non vero festum Sancti Tituli minus principalis, sed debet celebrari festum Patroni minus principalis de præcepto. Si vero festum Patroni non sit de præcepto, et occurrerit in die Sancti Tituli minus principalis, fiat translatio juxta qualitatem solemnitatis festorum. Sed si ejusdem solemnitatis sint, præferatur festum Sancti Tituli minus principalis, nisi propter maximam populi devotionem aliter fieri oporteat.

§ XXX.

De festo Sancti cujus Corpus, vel insignis Reliquia condita sunt in Ecclesiis nostris.

FESTUM Sancti, cujus Corpus conditum est in Ecclesiis nostris, celebretur sub ritu Toto Du-

plici, et computandum est inter festa solemnia patriæ : ac de ejus translatione, et concomitantia cum aliis festivitatibus judicandum est secundum morem patriæ et devotionem populi. Si nulla fuerit consuetudo, debent huic festo in omnibus præferri festum Sancti Patroni principalis de præcepto, festum Dedicationis Ecclesiæ, et festum S. Tituli principalis Ecclesiæ nostræ : et similiter eidem festo præferenda sunt festa beatæ Virginis, Apostolorum, et Sanctorum Ordinis nostri.

2. Non potest autem Officium de hujusmodi Sancto celebrari, eo quod in loco sit ejus Corpus, aut aliqua Reliquia; sed tantum in Ecclesiis nostris, ubi asservatur Corpus, aut insignis Reliquia. Ita habetur ex decreto sacræ Congregationis Rituum, quæ aliter fieri vetuit, et prohibuit : et insuper declaravit, insignes Reliquias esse : Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata.

3. Advertendum tamen, quod dictum est de Sanctis, quorum Corpora, vel insignes Reliquiæ asservantur in Ecclesiis nostris, intelligendum est dumtaxat de Sanctis in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis, vel de illis, quorum festivitates celebratæ sunt cum licentia sacræ Congregationis Rituum, vel Summi Pontificis. De ceteris autem Sanctis, de quibus non habetur hujusmodi licentia, nullo modo fiat Officium, Magistro Ordinis, vel sacra Congregatione inconsultis.

4. Quod si sanctus ille, cujus Corpus, seu insignis Reliquia in nostris asservatur Ecclesiis, habuerit socium, aut socios, quorum Corpora, seu insignes Reliquiæ non asservantur in nostris Ecclesiis, debet festum Sancti, cujus Corpus, seu Reliquiam insignem habemus, proprio die celebrari : et socii in primam Feriam non impeditam transferri, et sub ritu in Calendario designato celebrari. Quod etiam est observandum, si Sanctus Patronus de præcepto, vel Titularis Ecclesiæ habuerint socios, qui nec Patroni, nec Titulares sint.

5. Quando autem fit festum de Sancto principali, et non de sociis, separentur in Matutino Lectiones, si commode fieri potest : et dicantur in festo Sancti principalis, quæ ejus vitam et acta referunt; relictis pro sociis aliis Lectionibus, quarum numerus debet ex Communi compleri. Si vero historia vitæ separabilis non sit, legantur omnes Lectiones in festo principali, et pro sociis sumantur ex Communi. Idemque de Oratione, si Sanctorum nomina possunt separari.

6. Festum Sancti, cujus insignem habemus Reliquiam, celebretur tantum sub ritu Duplici : nisi aliunde majorem habeat solemnitatem.

§ XXXI.

De aliis festis locorum, et Sanctorum, quæ auctoritate Apostolica de novo celebranda approbantur.

DE Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, civibus, et aliis festis, de quibus in Calendario, seu Rubricis nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed omnino consulatur sacrorum Rituum Congregatio, prout ipsa per suum speciale decretum statuit, et mandavit.

2. Cum Ordinis nostri Ritus in divino Officio recitando sit specialis, et a Sede Apostolica specialiter approbatus, et confirmatus; non licet alicui pro suo libito disponere recitationem Officiorum, vel recitari facere Officia Sanctorum, quæ a Sede Apostolica recitanda, sive ad libitum, sive de præcepto conceduntur omnibus tam sæcularibus, quam regularibus Urbis et Orbis, qui ad Horas canonicas tenentur; donec specialiter et expresse Ordini nostro fuerint concessa ab eadem Sede Apostolica, et jussu Magistri Ordinis nostro Breviario inserta, et ea die, ac eo ritu, quibus in illo dicta festa designantur. Idem quoque est

dicendum, si de novo auctoritate Apostolica elevatur ritus alicujus festi pro Breviario Romano, vel de novo conceditur celebratio illius sub ritu majori eo, sub quo jam a nobis celebratur : quod scilicet illa elevatio ritus, vel nova concessio Officii sub ritu majori, licet sit universalis, et Urbis et Orbis, debet specialiter et expresse Ordini nostro concedi, et nostro Breviario, ut supra, inseri, ut illa possimus uti. Quæ omnia ab initio Ordinis usque ad hæc nostra tempora servata fuerunt.

3. Ex concessione speciali sanctæ mem. sanctissimi Domini nostri Benedicti XIII Ordinis nostri, ad instantiam Magistri Ordinis, possumus celebrare Officia et Missas illorum Sanctorum, de quibus in aliquo regno, provincia, vel civitate, ex concessione Apostolica speciali, vel ex approbata consuetudine, universim ab omnibus tam sæcularibus, quam regularibus, Officium cum Missa celebratur, sub ritu tamen, et forma juxta Rubricas Breviarii Ordinis. Pro usu igitur hujusmodi gratiæ, maxime debent Superiores, et directores divini Officii pro illo regno, provincia, vel civitate prius attendere, de quibus festis, ut supra, universim fiat Officium, ut de illis a nostris fieri possit.

4. Circa tamen occurrentiam hujusmodi festorum, est etiam regula sequens : si aliquod festum ex dictis occurrerit in die Sancti nostri Ordinis, vel alterius Sancti nostri Calendarii, transferendum est, et fieri debet Officium de Sancto Ordinis, vel de Sancto nostri Calendarii; nisi illud festum sit Patroni principalis loci de præcepto, vel Patroni minus principalis, etiam de præcepto, vel aliud festum solemne, et de præcepto in patria, quæ semper præferenda sunt festis Sanctorum Ordinis, et Sanctorum nostri Calendarii, etiamsi hæc sint ejusdem vel majoris solemnitatis; et debet fieri Officium de Sancto patriæ, et nostra festa transferenda sunt.

5. Quando prædicta Officia, vel inter se, vel cum Sanctis Ordinis, vel aliis nostri Calendarii eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus, seu aliquorum sit perpetua; tunc prima dies proxima non impedita, censeatur assignata in perpetuum pro die propria festi translati respective, ita ut de illo fiet, etiamsi evenerit in Dominicam, nisi fuerit talis Dominica, vel talis dies juxta Rubricas impedita, ut in illam nullum festum transferri possit, prout dictum est § XXVII. num. 1.

§ XXXII.

De Memoriis faciendis.

PER totum annum, cum de Dominica non agitur, Sabbato præcedenti in Vesperis, et ipsa die in Laudibus, et in secundis Vesperis, fiat illius Memoria : exceptis Dominicis occurrentibus in Vigilia Nativitatis Domini usque ad Epiphaniam : de quibus suis locis notatum est. Item Dominicis infra Octavas Ascensionis, et Corporis Christi, de quibus nulla est facienda Memoria Sabbato præcedenti. Similiter de Dominica fiat Memoria in Laudibus, et Vesperis aliquo die infra Hebdomadam, si non possit fieri de Feria pro Dominicis, quæ supersunt post Octavam Epiphaniæ, et non possunt resumi post Octavam Trinitatis : et etiam de Dominica xxj. post Octavam Trinitatis, prout in propriis locis dicitur.

2. De Feria fiat quotidie Memoria in Adventu, et Quadragesima, et tribus diebus Rogationum, cum aliquod festum in iisdem contigerit celebrari : aliis vero temporibus nulla est facienda Memoria de Feria.

3. De festo Duplici, et supra, semper fiat Memoria in Vesperis, quando eas impeditas habuerit. Idem fiat de festo Simplici, præterquam in Vigilia Pentecostes, in qua in secundis Vesperis omittitur Memoria festi Simplicis, ut dictum est § XXIV. num. 7. et in Feria quarta majoris Hebdomadæ, ut dictum est § XIV. num. 5. Etiam est facienda Memoria de Octava Simplici : præterquam in diebus notatis § XXI. num. 6. et 7. Similiter est facienda Memoria de Octava Solemni, et Solemnissima, si de ipsis non fiat Offi-

cium, sicut in suis specialibus Titulis supra notatum est.

4. De festo trium Lectionum fiat Memoria; similiter fiat de Octava trium Lect.; etiam de festo et Octava habentibus solam Memoriam, sicut de singulis in suis specialibus locis dictum est.

5. Memoria quæcumque tam in Vesperis, quam in Laudibus, fiat per Antiphonam, Versiculum, et Orationem.

6. Sanctorum Memoria fiat per Antiphonas proprias, aut ex Communi Sanctorum desumptas, quæ notantur in Vesperis, vel Laudibus. Si contigerit eodem die plures seorsim Memorias fieri, vel Martyrum vel Confessorum, vel Virginum etc. et Officium illius diei ex Communi desumatur, tunc in primis Vesperis, prima Memoria fiat per Antiphonam notatam ad Magnificat pro secundis Vesperis. Secunda Memoria, per primam Antiphonam Laudum. Tertia, per quartam Antiphonam Laudum. In secundis Vesperis, prima Memoria fiat per Antiphonam positam ad Magnificat pro primis Vesperis. Secunda, per Antiphonam, quæ dicitur super Psalmos in primis Vesperis. Tertia, per quartam Antiphonam Laudum. In Laudibus, Memoria prima fiat per secundam Antiphonam Laudum. Secunda, per tertiam Antiphonam Laudum. Tertia, per quintam Antiphonam Laudum. Versiculus autem pro prima Memoria in Vesperis. erit positus in primo Nocturno : pro secunda, positus in secundo, etc. In Laudibus vero pro prima Memoria Versieulus erit positus in tertio Nocturno : pro secunda, positus in secundo, etc. Si illud contigerit tempore Paschali. fiat eodem modo, sumendo Antiphonas de Communi illius temporis : sed prima Memoria in Vesperis, et Laudibus fiat respective per Antiphonas ad Magnificat et Benedictus de Communi extra tempus Paschale cum ALLELUIA.

7. In omnibus Sabbatis per totum annum in Vesperis, et Laudibus fiat Memoria de beata Virgine, quotiescumque de ipsa non agitur. Eodem modo fiat Memoria de beato Dominico Patre nostro in tertiis Feriis; et in quintis, de sanctissimo Sacramento; et in quartis, ubi viget studium, de D. Thoma; aut de alio Sancto Ordinis, juxta consuetudinem approbatam. Fiat etiam in eadem Feria Memoria de sancto Thoma in conventibus, in quibus celebratur Officium de alio Sancto Ordinis nostri : si tamen in illis vigeat studium artium simul et theologiæ. Intermittitur autem Memoria hujusmodi in dictis Feriis de beata Virgine, de beato Dominico, de Sancto Ordinis, et de sanctissimo Sacramento, in festis Duplicibus, et supra, et infra Octavas Solemnissimas, et Solemnes, ac in diebus Octavis earum, et a secunda die Januarii usque ad diem Octavam Epiphaniæ inclusive, et in die Animarum.

8. Fiat Memoria de beata Virgine in Laudibus, et Vesperis diei Octavæ sancti Stephani, et deinceps usque ad secundas Vesperas diei Octavæ Epiphaniæ exclusive : præterquam in Laudibus Vigiliæ Epiphaniæ, et in Vesperis utrisque, et Laudibus festorum Epiphaniæ, Inventionis D. N. J. C. in medio Doctor. et beati Gundisalvi. Ejusdem beatæ Virginis Memoria fiat in die sancto Paschæ, et duobus sequentibus in Vesperis, ut ibidem notatum est; item in omnibus Dominicis per totum annum, quando de Dominica agitur, fit Memoria de beata Virgine in Laudibus per Antiphonam SUB TUUM PRÆSIDIUM. ℣. POST PARTUM. et Orationem PROTEGE DOMINE. In Vesperis per Antiphonam REGALI EX PROGENIE. ℣. ORA PRO NOBIS. et Orationem PROTEGE. Exceptis Dominicis infra Octavas Simplices beatæ Virginis.

9. De Cruce est facienda Memoria quotidie per Hebdomadam Paschæ ad Vesperas, et in Dominica in Albis, et deinceps quotidie usque ad Vigiliam Ascensionis exclusive, tam in Laudibus quam in Vesperis, exceptis festis Duplicibus, et supra.

10. In Officio quotidiano beatæ Virginis, semper fiat Memoria in Laudibus et Vesperis de B. Domi-

nico Patre nostro, et de omnibus Sanctis nostri Ordinis : etiam Feria tertia, quando de beato Dominico Patre nostro fit Officium, aut Memoria.

11. In omnibus tertiis Feriis, quando fit Officium de sancto Patre nostro Dominico, fiat Memoria in Vesperis et Laudibus de sancto Patre nostro Francisco.

§ XXXIII.

De ordine Memoriarum.

MEMORIA festi Simplicis, et supra, præcedit Memoriam Octavæ non solemnis; Memoria tamen diei Octavæ Simplicis præcedit Memoriam festi Simplicis; Memoria festi Duplicis, et supra, et Octavæ Solemnis, et supra, præcedit Memoriam Dominicæ, et festi Simplicis : excipiuntur festa Simplicia, quæ celebrantur infra Octavas Nativitatis Domini; et similiter festum Simplex, aut Octava Simplex, quando celebrantur infra Octavas Solemnes : tunc enim si habeant primas aut secundas Vesperas impeditas a festo Duplici, et supra, Memoriæ illorum præcedunt Memoriam Octavæ, infra quam celebrantur.

2. Memoria de Octava Simplici, et Memoria de Adventu, et Quadragesima, ac de Dominica post Octavas Epiphaniæ, vel Trinitatis, quando fit in aliqua Feria infra Hebdomadam, præcedunt Memorias de beata Virgine in Sabbato; de B. Dominico Patre nostro, Feria tertia; de sanctissimo Sacramento, Feria quinta; de D. Thoma, aut S. Ordinis, Feria quarta. Istæ autem supradictæ Memoriæ de beata Virgine, etc. præcedunt Memoriam festi trium Lectionum, et festi habentis solam Memoriam : hoc vero præcedit Memoriam de S. Patre Francisco Feria tertia faciendam, et Memoriam Octavarum habentium solam Memoriam infra ipsas Octavas; sed in die Octava festum habens solam Memoriam præceditur ab Octava. Festum habens Memoriam solam in Vesperis et Laudibus, præcedere debet festum de sola Memoria in Laudibus : et hujusmodi Memoria in proprio die debet præcedere Memoriam festi hujusmodi translati cum alio festo, cum quo est annexum. Semper tamen in Vesperis prima Memoria fiat de eo, de quo fiet Officium die sequenti, si alias de eo est facienda sola Memoria; ut contingit, quando Feria tertia fit de festo, vel Octava Simplici, et Feria quarta fiat Officium de festo trium Lectionum; tunc enim in Vesperis Feriæ tertiæ Memoria de festo trium Lectionum præcedet Memoriam de S. Thoma, vel de Sancto Ordinis.

3. Memoria de Cruce, Paschali tempore, fiat post omnes prænotatas Memorias. Memoria vero de beata Virgine, quæ fit Dominicis diebus, fit quovis tempore post omnes Memorias : sicut et Memoria de beata Virgine, quæ fit ab Octava sancti Stephani, et deinceps usque ad diem Octavam Epiphaniæ, debet fieri post omnes Memorias.

§ XXXIV.

De Orationibus in festis et Vigiliis Sanctorum.

ORATIO, quæ in festis Sanctorum dicitur ad primas Vesperas, dicenda est ad omnes Horas diei (exceptis Prima et Completorio, ut supra dictum est) usque ad secundas Vesperas inclusive. Excipiuntur festa Sanctorum, quæ in Vigiliis habent proprias Orationes, quæ dicendæ sunt ad primas Vesperas. Omittatur Oratio Vigiliæ, si festum transferatur ad secundam Feriam.

§ XXXV.

De Homilia in Vigiliis Sanctorum.

HOMILIA dicenda est in Vigiliis Apostolorum Petri et Pauli; Apostolorum Simonis et Judæ; et Omnium Sanctorum. In his Vigiliis Officium fiat de Feria, cum Homilia propria : exceptis Vigiliis occurrentibus infra Octavas Simplices, aut Solemnes; in quibus Officium erit de Octava, duæ Lectiones de Homilia, et tertia de Octava. In ceteris autem Vigiliis B. Mariæ V. aut San-

ctorum, Homilia Vigiliæ prorsus omittitur ob festa occurrentia.

2. Dimittitur Homilia, cum Vigilia in Dominica evenerit. Item quando transfertur in Vigiliam aliquod festum Simplex (quod ulterius transferri non potest) aut majus. Item quando Vigilia Apostolorum Petri et Pauli, in die Corporis Christi aut infra Octavam, vel in die octava ejusdem occurrerit.

§ XXXVI.

De Matutinis in sero post Completorium dicendis.

MATUTINÆ in sero post Completorium dicantur in triduo ante Pascha. A festo autem sanctissimæ Trinitatis, in festis Duplicibus, et supra, et Dominicis diebus, similiter dicantur, usque ad diem ultimam Augusti. Item infra Octavas Corporis Christi, et Visitationis beatæ Virginis, propter Indulgentias. Ubi autem consuetum est semper media nocte, aut post mediam noctem, omnibus his prædictis diebus, aut saltem aliquibus, Matutinas dici, servetur consuetudo. Si tamen Matutinæ in sero, vel ante mediam noctem dicantur, PRETIOSA. non est dicenda tunc immediate post illas, sed reservetur, ut dicatur immediate post Primam nisi post mediam noctem finiantur, ut in nocte Natalis Domini.

§ XXXVII.

De Officio quotidiano beatæ Mariæ Virginis.

OFFICIUM quotidianum B. Virginis dicendum est pro tempore ante Horas canonicas, excepto Completorio, quod post Completorium de Tempore, vel de Sancto, dicendum est ante Antiphonam SALVE REGINA. et ideo Completorium beatæ Virginis non terminatur, sicut aliæ Horæ, per ℣. AVE MARIA. sed illo omisso, immediate post ℣. BENEDICAMUS DOMINO. sequitur Antiphona SALVE.

2. Intermittitur prædictum Officium in Vigilia Nativitatis Domini in Matutinis, et deinceps usque in crastinum post Octavam Epiphaniæ inclusive; et in quarta Feria ante Cenam Domini in Vesperis, et deinceps usque in secundam Feriam post Octavam Paschæ exclusive. Intermittitur etiam in festis Duplicibus, et Totis Duplicibus in primis Vesperis, et deinceps usque ad Completorium diei festi inclusive. In omnibus Dominicis diebus per totum annum in Matutinis, et usque ad Completorium inclusive. Et similiter infra omnes Octavas Solemnissimas, et Solemnes, et in diebus Octavis, etiamsi in die aliqua infra ipsas Octavas Officium de ipsis Octavis non fiat : sed fiat Officium de festo, vel Octava Simplici, ut dictum est supra § XIV. num. 4. et § XXI. num. 10. Omittitur autem quandocumque de ipsa beata Virgine Officium celebratur, sive in Octavis ipsius, sive extra Octavas; in Octavis tamen dicitur in Vesperis, in casibus expressis supra § XXI. n. 10.

3. In Vigilia Pentecostes dicatur Officium quotidianum beatæ Virginis in Matutinis, et usque ad Vesperas exclusive.

§ XXXVIII.

De Litaniis Sanctorum et de prostrationibus super formas.

POST Completorium, quantumvis ea die solemne festum fuerit; si nihilominus die sequenti fiat Officium de Feria, tam extra tempus Paschale, quam intra, semper legantur sero præcedenti, in choro Litaniæ Sanctorum cum Psalmo DEUS IN ADJUTORIUM. Precibus, Versiculis, et Orationibus, ut designantur in Breviario, post Completorium, pag. 156. Exceptis Vigilia Nativitatis Domini, Feria quinta in Cena Domini, et Feria sexta in Parasceve; in quibus Litaniæ, etc. omnino dimittuntur. Sabbato autem Sancto, tribus diebus Rogationum, et Vigilia Pentecostes, Litaniæ dicuntur ante Missam Feriæ : sed in tribus diebus Rogationum (si fit de Feria) et in Vigilia Pentecostes, dicentur in sero præcedenti

post Completorium, Psalmus DEUS IN ADJUTORIUM, Preces, et Orationes Litaniarum.

2. Dum Litaniæ post Completorium recitantur in choro, fratres debent esse genuflexi, aut (si fuerint factæ prostrationes in Vesperis) prostrati, a principio usque ad ultimam Orationem inclusive. Qui autem tunc non fuerint in choro, ad eas recitandas minime teneantur,

3. Si ex aliqua causa aut necessitate Litaniæ recitantur, addenda est Oratio, et Versiculus pro illa necessitate.

4. Post Litanias (si alias hæ sunt dicendæ) vel immediate post Completorium (si Litaniæ non sunt dicendæ) fratres prostrati dicant : CONFITEOR, cum Psalmo MISERERE. ut notatur in Breviario in Dominica prima post Octavam Epiphaniæ vel Trinitatis, si illa die de Feria fiat Officium : exceptis Vigilia Pentecostes, et tribus diebus ante Pascha. Dum autem dicitur Psalmus prædictus, recipiant fratres disciplinam ab Hebdomadario, qui postea etiam eam recipiat ab eo, qui præest choro. In tribus vero diebus Rogationum id non omittatur; sed post Preces et Orationes (similiter si Officium fuerit de Feria) in sero præcedenti prædicta dicuntur, et disciplina detur.

5. Quod si post Completorium, ubi est talis consuetudo, disciplina dari non possit, propter sæculares. detur in sacristia, vel capitulo : aut tunc, si fuerit grave impedimentum, relinquatur post Matutinas. Fratres vero, qui disciplinis non intersunt, tenentur recitare Psalmum MISERERE cum Oratione.

6. Prostrationes super formas faciendæ tantum sunt quando Officium fit de Feria extra tempus Paschale ad omnes Horas respective (prout in Constitutionibus nostris De inclinationibus. cap. 2. dist. 1. videre est), Quæ quidem intermittuntur in Nona in omni Sabbato, quando fit de Feria, et in omni Vigilia cujuslibet festi novem Lectionum, nisi in Quadragesima : nam in ea etiam in Nona prædictis diebus sunt faciendæ. Intermittuntur etiam in Vesperis festi trium Lectionum usque ad Nonam sequentis diei inclusive; et in Vesperis Sabbati, et Vigiliæ festi novem Lectionum usque ad Completorium Dominicæ, vel festi inclusive : et ubi particulariter est notatum, quod intermittantur.

7. Fiant etiam prostrationes in Officio Defunctorum, si in Hora canonica immediate præcedenti factæ sunt in choro.

§ XXXIX.

De Precibus.

PRECES dicuntur in Vesperis, Completorio, Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, et Nona, cum de Feria agitur.

2. Tempore autem Paschali non dicuntur Preces, nisi in Prima, et in Completorio.

3. Intermittuntur etiam Preces in Nona, quandocumque in eadem intermittuntur prostrationes super formas : ut (quando fit de Feria) in omni Sabbato, et in Vigilia cujuslibet festi novem Lectionum, nisi in Quadragesima, prout § præcedenti num. 6. dictum est : quare in Quadragesima, etiam in Nona prædictis diebus Preces sunt recitandæ.

4. Preces dicuntur quotidie in Prima, et Completorio, nisi in Dominica die, festis Duplicibus, et supra, et in omnibus diebus Octavarum Solemnium, et supra, et infra has Octavas, etiamsi in eis fiat Officium de festo, aut Octava Simplici; et ubi specialiter est notatum, ut non dicantur.

5. Advertendum est autem, eum, qui Sabbato Sancto extra Missam recitat Vesperas, debere in principio dicere PATER NOSTER, non autem in fine earumdem Vesperarum.

6. Dicendum tamen est PATER NOSTER, in Officio Defunctorum post REQUIESCANT IN PACE, cum non sequitur alia Hora.

MODUS TERMINANDI ORATIONES,

QUARUM NON PLENE FUERIT NOTATA CONCLUSIO.

In Officio de Tempore et in Officio de Sanctis, sic concludendæ sunt Orationes, nisi aliter notetur.

Ubi in fine alicujus Orationis, legeris particulam Per., si Oratio prima fuerit, vel ultima, vel sola, eam ita conclude : Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus : per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ¶ Si vero particulam Per. post Orationem intermediam legeris, Oratio hac breviore clausula terminanda est : Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ubi legeris. Per eúmdem., si Oratio prima fuerit, vel ultima, vel sola, eam ita conclude : Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus : per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ¶ Si vero verba Per eúmdem post Orationem intermediam legeris, Oratio hac breviore clausula terminanda est : Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ubi legeris Qui tecum vivit., si Oratio prima fuerit, vel ultima, vel sola, eam ita conclude : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus : per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ¶ Si vero verba Qui tecum vivit. post Orationem intermediam legeris, Oratio hac breviore clausula terminanda est : Qui tecum vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum ℟. Amen.

Ubi legeris Qui vivis., si Oratio prima fuerit, vel ultima, vel sola, eam ita conclude : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spíritus sancti Deus : per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ¶ Si vero verba Qui vivis. post Orationem intermediam legeris, Oratio hac breviore clausula terminanda est : Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Ubi post particulam Per., aut post verba Per eúmdem., verba Qui tecum vivit., aut post verba Qui vivis., legeris in unitáte ejúsdem. si Oratio prima fuerit, vel ultima, vel sola, inter verbum conclusionis unitáte et nomen Spíritus sancti. insere pronomen ejúsdem. ¶ Si vero Oratio intermedia fuerit, eam ut supra, pro casuum varietate, breviore formula conclude, Spíritus sancti mentione prorsus omissa in conclusione.

Præter Orationes intermedias, de quibus modo dictum est, breviore etiam clausula, juxta easdem regulas terminantur aliæ quædam Orationes, signanter illæ quæ post Antiphonam Salve Regina. et post Antiphonam de S. P. N. Dominico aut de alio Sancto Ordinis sive loci in fine Completorii dicuntur. Similiter Orationes in Pretiósa., in Psalmis Gradualibus, et fere quæcumque dicuntur extra et præter Officium diei. Item Oratio prima et Orationes intermediæ in Vesperis et Laudibus Officii quotidiani de beata Virgine Maria (in quo tamen Oratio ultima Vesperarum et Laudum et Orationes ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam et Completorium longiore clausula terminantur.

Quando vero plures Orationes continuantur absque interpositis Antiphonis aut Versiculis, vel non præmisso Orémus, tunc Oratio prima et Orationes intermediæ nulla terminantur clausula, sed sola ultima Oratio longiore vel breviore clausula terminatur, secundum quod loco suo notatum fuerit, ut fit in Officio Defunctorum, in Litaniis Sanctorum, in Orationibus pro Domino Papa et Benefactoribus, in Orationibus post Antiphonas Salve Regina. et Pie Pater Dominice., terminatis Horis diei (excepto Completorio) recitari solitis, et in quibusdam aliis.

Oratio Réspice, quæsumus. in Vesperis Feriæ quartæ post Dominicam in Ramis palmarum longiore clausula terminatur; sed triduo sequenti absque ulla clausula absolvitur.

Exceptiones hic non positas suis locis notatas invenies.

INDEX ALPHABETICUS
FESTORUM ET MEMORIARUM
DE TEMPORE ET DE SANCTIS.

	PARTE	PAGINA
Abdon et Sennen MM. 30 Jul.	II	632
Adalberti E. M. 24 Apr.	I	1102
Ægidii C. O. P. 14 Maii. Tempore Paschali	I	1159
Post Trinitatem.	II	465
Ægidii Abbatis. 1 Sept.	II	745
Æmiliæ Bicchieri V. O. P. 17 Aug.	II	706
Agapiti M. 18 Aug.	II	710
Agathæ V. M. 5 Febr.	I	885
Agnetis V. M. 21 Jan.	I	834
Agnetis V. M. secundo. 28 Jan.	I	863
Agnetis de Monte Politiano V. O. P. 20 Apr. Temp. Pasch.	I	1092
Post Trin.	II	398
Aimonis Taparelli C. O. P. 21 Febr.	I	929
Alberti a Bergomo C. O. P. 13 Maii. Temp. Pasch.	I	1159
Post Trin.	II	464
Alberti Magni E. C. O. P. 15 Nov.	II	980
Albini E. C. 1 Mart.	I	946
Alexandri, Eventii et Theoduli M. 3 Maii. Temp. Pasch.	I	1133
Post Trin.	II	441
Alexii C. 17 Julii.	II	604
Alphonsi Mariæ de Ligorio E. C. Eccl. Doct. 19 Aug.	II	710
Alphonsi Navarrete O. P. et Soc. MM. 1 Jun. Temp. Pasch.	I	1193
Post Trin.	II	505
Alvari C. O. P. 19 Febr.	I	926
Ambrosii E. C. Eccl. Doct. 4 April.	I	1052
Ambrosii Sansedonii C. O. P. 22 Mart.	I	991
Andreæ Apostoli. 30 Nov.	I	686
	II	1021
Andreæ Abellonii C. O. P. 17 Maii. Temp. Pasch.	I	1167
Post Trin.	II	474
Andreæ Avellini C. 26 Nov.	II	1014
Andreæ Corsini E. C. 4 Febr.	I	884
Andreæ a Piscaria C. O. P. 19 Jan.	I	831
Angelæ Mericiæ V. 8 Jun. Temp. Pasch.	I	1203
Post Trin.	II	518
Angelorum Custodum. 2 Oct.	II	841
Annæ Matris B. Mariæ V. 26 Julii.	II	625
Annuntiatio B. Mariæ V. In Quadragesima	I	1013
Temp. Pasch.	I	1033
Antonii Abbatis. 17 Jan.	I	824
Antonii ab Ecclesia C. O. P. 28 Jul.	II	628
Antonii Mariæ Zaccaria C. 5 Jul.	II	577
Antonii Neyrot M. O. P. 10 April.	I	1080
Antonii a Padua C. 13 Junii	II	527
Antonii Pavonii M. O. P. 9 April.	I	1078
Antonini E. C. O. P. 10 Maii. Temp. Pasch.	I	1152
Post Trin.	II	454

	PARTE	PAGINA
Apollinaris E. M. 23 Jul.	II	619
Apolloniæ V. M. 9 Febr.	I	895
Apparitio B. Mariæ V. Immaculatæ. 11 Febr.	I	1211
Apparitio S. Michaelis Archangeli. 8 Maii. Temp. Pasch.	I	1144
Post Trin.	II	452
Ascensio Domini	I	537
Assumptio B. Mariæ V. 15 Aug.	II	688
Athanasii E. C. Eccl. Doct. 2 Maii. Temp. Pasch.	I	1128
Post Trin.	II	436
Augustini E. C. Eccl. Doct. 28 Aug.	II	728
Augustini a Bugella C. O. P. 27 Jul.	II	627
Augustini Lucerini E. C. O. P. 8 Aug.	II	672
Barbaræ V. M. 4 Dec.	I	696
Barnabæ Apostoli. 11 Junii. Temp. Pasch.	I	1208
Post Trin.	II	523
Bartholomæi Apostoli. 24 (Romæ 25) Aug.	II	719
Bartholomæi de Bregantia E. C. O. P. 23 Oct.	II	903
Bartholomæi de Cerveriis M. O. P. 21 Apr. Temp. Pasch.	I	1099
Post Trin.	II	405
Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii MM. 12 Jun.	II	526
Basilii E. C. Eccl. Doct. 14 Jun.	II	528
Benedicti Abbatis. 21 Mart.	I	990
Benedicti Undecimi PP. C. O. P. 7 Julii	II	585
Benvenutæ V. O. P. 29 Oct.	II	922
Bernardi Abbatis Eccl. Doct. 20 Aug.	II	712
Bernardi Scammacca C. O. P. 9 Febr.	II	895
Bernardini Senensis C. 21 Maii. Temp. Pasch.	I	1172
Post Trin.	II	480
Bertrandi de Garriga C. O. P. 6 Sept.	II	755
Bibianæ V. M. 2 Dec.	I	692
	II	1027
Birgittæ Viduæ. 8 Oct.	II	871
Blasii E. M. 3 Febr.	I	883
Bonaventuræ E. C. Eccl. Doct. 14 Jul.	II	600
Britii E. C. 13 Nov.	II	979
Brunonis C. 6 Oct.	II	867
Cæciliæ V. M. 22 Nov.	II	997
Cajetani C. 7 Aug.	II	670
Callisti PP. M. 14 Oct.	II	884
Camilli de Lellis C. 24 Jul.	II	620
Caroli E. C. 4 Nov.	II	947
Casimiri C. 4 Mart.	I	950
Catharinæ V. M. 25 Nov.	II	1008
Catharinæ a Raconixio V. O. P. 5 Sept.	II	754
Catharinæ de Ricciis V. O. P. 13 Febr.	I	905
Catharinæ Senensis V. O. P. 30 April. Temp. Pasch.	I	1118
Post Trin.	II	422
Cathedra S. Petri Antiochena. 22 Febr. Extra Temp. P.	I	931
Temp. Pasch.	I	935
Cathedra S. Petri Romana. 18 Jan.	I	826
Ceslai C. O. P. 18 Jul.	II	605
Christinæ V. M. 24 Jul.	II	621
Christophori et Cucuphatis MM. 25 Jul.	II	625
Christophori a Mediolano C. O. P. 1 Mart.	I	946
Chrysogoni M. 24 Nov.	II	1006

	PARTE	PAGINA
Circumcisio Domini. 1 Jan.	I	228
Claræ V. 12 Aug.	II	684
Claræ Gambacurtæ Vid. O. P. 17 Apr. In Quadr. aut T. P.	I	1090
Post Trinit.	II	396
Clementis PP. M. 23 Nov.	II	1002
Columbæ V. O. P. 20 Maii. Temp. Pasch.	I	1171
Post Trin.	II	479
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo	II	602
Commemoratio S. P. N. Dominici C. in Suriano 15 Sept.	II	785
Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. 2 Nov.	II	938
Commemoratio Passionis D. N. J. C.	I	592
Commemoratio S. Pauli Apostoli. 30 Jun.	II	556
Compassio B. Mariæ V. Feria vj. post Dom. in Passione	I	662
Conceptio Immaculata B. Mariæ V. 8 Dec.	I	703
Constantii C. O. P. 25 (in anno bissext. 26) Febr.	I	942
Conversio S. Augustini E. C. Eccl. D. 15 Maii. Temp. P.	I	1161
Post Trin.	II	466
Conversio S. Pauli Apost. 25 Jan.	I	853
Cordis Jesu (Sanctissimi)	II	374
Cordis B. Mariæ V. (Purissimi)	II	388
Cornelii PP. et Cypriani E. MM. 18 Sept.	II	793
Coronæ Spineæ Domini. 24 Apr.	I	1101
Corporis Christi Festivitas	II	175
Corporis Christi Officium Votivum		144*
Cosmæ et Damiani MM. 27 Sept.	II	808
Crispini et Crispiniani MM. 25 Oct.	II	917
Cyriaci, Largi et Smaragdi MM. 8 Aug.	II	673
Dalmatii C. O. P. 26 Sept.	II	807
Damasi PP. C. 11 Dec.	I	724
Damiani C. O. P. 26 Oct.	II	917
Decem millium Martyrum. 23 Jun.	II	535
Decollatio S. Joannis Baptistæ. 29 Aug.	II	734
Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli. 18 Nov.	II	985
Dedicatio Basilicæ sanctissimi Salvatoris. 12 Nov.		975
Dedicatio Ecclesiæ in primo anno		11*
Dedicationis Ecclesiæ Anniversarium		12*
Desponsatio B. Mariæ V. 20 Febr.	I	897
Dianæ, Cæciliæ et Amatæ VV. O. P. 9 Jun. Temp. Pasch.	I	1204
Post Trin.	II	519
Didaci C. 13 Nov.	II	978
Dionysii, Rustici et Eleutherii MM. 9 Oct.	II	872
Dominici C. P. N. Festivitas. 4 Aug.	II	646
Dominici C. P. N. Officium Votivum		133*
Dominici et Gregorii Conf. O. P. 26 Apr. Temp. Pasch.	I	1108
Post Trin.	II	409
Dominici Sylensis Abbatis. 20 Dec.	I	742
Donati E. M. 7 Aug.	II	671
Dorotheæ V. M. 6 Febr.	I	890
Eduardi Regis. 13 Oct.	II	882
Elisabeth Viduæ. 19 Nov.	II	988
Emerentianæ V. M. 23 Jan.	I	845
Emygdii E. M. 14 Aug.	II	686
Epiphania Domini. 6 Jan.	I	246
Euphemiæ V. M. 16 Sept.	II	789
Eusebii Presbyteri C. 14 Aug	II	687

	PARTE	PAGINA
Eustachii et Sociorum MM. 1 Oct.	II	840
Exaltatio sanctæ Crucis. 14 Sept.	II	773
Exspectatio Partus B. Mariæ V. 18 Dec.	I	735
Fabiani PP. et Sebastiani MM. 20 Jan.	I	833
Felicis Presbyteri M. 19 Jan.	I	831
Felicis et Adaucti MM. 30 Aug.	II	743
Felicis, Simplicii et Beatricis MM. 29 Jul.	II	631
Felicis de Valois C. 20 Nov.	II	990
Franciscæ Romanæ Vid. 9 Mart.	I	962
Francisci ab Assisio C. P. N. 4 Oct.	II	854
Francisci Caracciolo C. 5 Jun. Temp. Pasch.	I	1200
Post Trin.	II	515
Francisci a Paula C. 2 April.	I	1042
Francisci de Possadas C. O. P. 20 Sept.	II	797
Francisci Salesii E. C. Eccl. Doct. 29 Jan.	I	869
Francisci Xaverii C. 3 Dec.	I	694
Gabrielis Archangeli 24 Mart. In Quadragesima	I	993
Temp. Pasch.	I	1006
Georgii M. 23 April.	I	1100
Germani Autissiodorensis E. C. 31 Jul.	II	634
Gervasii et Protasii MM. 19 Jun.	II	533
Gordiani et Epimachi MM. 10 Maii. Temp. Pasch.	I	1152
Post Trin.	II	454
Gorgonii M. 9 Sept.	II	765
Gregorii Decimi PP. C. 16 Febr.	I	914
Gregorii Magni PP. C. Eccl. Doct. 12 Mart.	I	965
Gregorii Nazianzeni E. C. et Eccl. D. 9 Maii. Temp. Pasch.	I	1151
Post Trin.	II	453
Gregorii Thaumaturgi E. C. 17 Nov.	II	983
Gualæ E. C. O. P. 3 Sept.	II	748
Guillelmi O. P. et Soc. MM. O. P. 29 Maii. Temp. Pasc.	I	1190
Post Trin.	II	502
Gundisalvi C. O. P. 10 Jan.	I	805
Henrici Imperatoris C. 15 Jul.	II	601
Henrici Susonis C. O. P. 2 Mart.	I	947
Hermenegildi Regis M. 15 April. In Quadrag. vel T. P.	I	1088
Post Trin.	II	395
Hieronymi Presbyteri C. Eccl. Doct. 30 Sept.	II	824
Hieronymi Æmiliani C. 21 Jul.	II	609
Hieronymi Hermosilla, Valentini et Soc. MM. O. P. 6 Nov.	II	950
Hilarii E. C. Eccl. Doct. 14 Jan.	I	813
Hilarionis Abbatis 22. Oct.	II	901
Hippolyti et Sociorum MM. 13 Aug.	II	685
Hyacinthi C. O. P. 16 Aug.	II	699
Ignatii E. M. 1 Febr.	I	874
Ignatii Delgado, Dominici Henares EE. O. P. et Sociorum MM. 11 Jul.	II	595
Ignatii a Loyola C. 31 Jul.	II	633
Imeldæ V. O. P. 16 Sept.	II	789
Innocentii Quinti PP. C. O. P. 22 Jun.	II	534
Innocentium MM. 28 Dec.	I	761

	PARTE	PAGINA
Inventio D. N. J. C. in Templo. Dom. infra Oct. Epiph.	I	270
Inventio sanctæ Crucis. 3 Maii. Temp. Pasch.	I	1129
Post Trin.	II	437
Inventio S. Stephani Protomartyris 3 Aug.	II	642
Jacobi Apost. 25 Jul.	II	621
Jacobi de Benefactis C. O. P. 29 Nov.	I	685
	II	1020
Jacobi a Mevania C. O. P. 23 Aug.	II	717
Jacobi Salomonii C. O. P. 31 Maii. Temp. Pasch.	I	1192
Post Trin.	II	503
Jacobi ab Ulma C. O. P. 12 Oct.	II	881
Jacobi a Voragine E. C. O. P. 13 Jul.	II	598
Januarii E. et Sociorum MM. 19 Sept.	II	795
Joachim C. Patris B. Mariæ V. Dom. infra Oct. Assumpt.	II	705
Joannæ de Aza Matris S. P. N. Dominici 2. Aug.	II	640
Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. 21 Aug.	II	713
Joannæ a Lusitania V. O. P. 12 Maii. Temp. Pasch.	I	1158
Post Trin.	II	462
Joannæ Urbevetanæ V. O. P. 23 Jul.	II	618
Joannis Apost. et Evang. 27 Dec.	I	754
Joannis ante Portam Latinam. 6 Maii. Temp. Pasch.	I	1140
Post Trin.	II	449
Joannis O. P. et Sociorum MM. Gorcomiensium. 9 Jul.	II	587
Joannis Chrysostomi E. C. Eccl. Doct. 27 Jan.	I	861
Joannis a Cruce C. 24 Nov.	II	1006
Joannis de Deo C. 8 Mart.	I	960
Joannis Dominici E. C. O. P. 10 Jun. Temp. Pasch.	I	1207
Post Trin.	II	522
Joannis Gualberti Abbatis. 12 Jul.	II	596
Joannis Liccii C. O. P. 14 Nov.	II	979
Joannis Massias C. O. P. 3 Oct.	II	852
Joannis de Matha C. 8 Febr.	I	893
Joannis Nepomuceni M. 16 Maii. Temp. Pasch.	I	1165
Post Trin.	II	472
Joannis et Pauli MM. 26 Jun.	II	543
Joannis a Salerno C. O. P. 9 Aug.	II	673
Joannis a Vercellis C. O. P. 2 Dec.	I	691
	II	1027
Jordani a Pisis C. O. P. 6 Mart.	I	950
Jordani Saxonis C. O. P. 15 Febr.	I	913
Joseph C. Sponsi B.M.V. Festivitas 19 Mart. Temp. Quadr.	I	971
Temp. Pasch.	I	983
Joseph C. Sponsi B. Mariæ V. Memoria 20 Febr.	I	898
Josephi Calasanctii C. 27 Aug.	II	725
Josephi a Cupertino C. 28 Sept.	II	809
Juliani E. C. 27 Jan.	I	860
Lamberti E. M. 17 Sept.	II	791
Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. Feria vj. post Dom. j. Quadr.	I	614
Laurentii M. 10 Aug.	II	675
Laurentii a Ripafracta C. O. P. 18 Febr.	I	925
Leodegarii E. M. 11 Oct.	II	881
Leonis Magni PP. C. Eccl. Doct. 11 April.	I	1081
Leonis Secundi PP. C. 28 Jun.	II	547
Liborii E. C. 23 Jul.	II	618

	PARTE	PAGINA
Lucæ Evangelistæ. 18 Oct.	II	892
Luciæ V. M. 13 Dec.	I	724
Luciæ a Narnia V. O. P. 16 Nov.	II	982
Ludovici Regis C. 25 vel 26 Aug.	II	722
Ludovici Bertrandi C. O. P. 10 Oct.	II	874
Ludovici Mariæ Grignon de Montfort C. O. P. 23 Maii. Temp. Pasch.	I	1174
Post Trin.	II	484
Machabæorum MM. 1 Aug.	II	639
Magdalenæ de Panateriis V. O. P. 14 Oct.	II	884
Mannis C. O. P. Fratris S. P. N. Dominici. 30 Jul.	II	632
Marcelli PP. M. 16 Jan.	I	823
Marcelli M. 7 Sept.	II	758
Marcellini Presbyteri et Petri Exorcistæ MM. 2 Jun. Temp. Pasch.	I	1193
Post Trin.	II	508
Marci Evangelistæ. 25 April. Temp. Pasch.	I	1106
Post Trin.	II	406
Marci PP. C. 20 Oct.	II	897
Marci et Marcelliani MM. 20 Jun.	II	534
Marci Mutinensis C. O. P. 3 Jul.	II	571
Marcolini C. O. P. 24 Jan.	I	852
Margaritæ V. M. 20 Jul.	II	609
Margaritæ de Castello V. O. P. 13 April.	I	1084
Margaritæ ab Hungaria V. O. P. 26 Jan.	I	859
Margaritæ de Sabaudia V. O. P. 27 Nov.	I	683
	II	1016
Mariæ V. Christianorum Aux. 24 Maii. Temp. Pasch.	I	1175
Post Trin.	II	486
Mariæ V. de Mercede. 24 Sept.	II	804
Mariæ V. de Monte Carmelo. 16 Jul.	II	602
Mariæ V. ad Nives. 5 Aug.	II	656
Mariæ V. Officium in Festis		1*
Mariæ V. Officium Quotidianum		159*
Mariæ V. Officium Votivum in Sabbatis		150*
Mariæ Bartholomææ V. O. P. 28 Maii. Temp. Pasch.	I	1189
Post Trin.	II	500
Mariæ Magdalenæ. 22 Jul.	II	612
Mariæ Magdalenæ de Pazzis. 25 Maii. Temp. Pasch.	I	1182
Post Trin.	II	494
Mariæ Mancini Vid. O. P. 22 Dec.	I	747
Marthæ V. 29 Jul.	II	630
Martialis E. C. 16 Jun.	II	531
Martinæ V. M. 30 Jan.	I	871
Martini E. C. 11 Nov.	II	969
Martini de Porres C. O. P. 5 Nov.	II	948
Mathiæ Apostoli. 24 (in anno bissext. 25) Febr.	I	939
Matthæi Apost. et Evang. 21 Sept.	II	798
Matthæi Carrerii C. O. P. 7 Oct.	II	870
Mauri Abbatis. 15 Jan.	I	815
Mauritii, Exsuperii, Candidi, Vitalis, Innocentii et Sociorum MM. 22 Sept.	II	801
Medardi E. C. 8 Jun. Temp. Pasch.	I	1203
Post Trin.	II	518
Mennæ M. 11 Nov.	II	973
Michaelis Archangeli. 29 Sept.	II	813

	PARTE	PAGINA
Monicæ Viduæ. 4 Maii. Temp. Pasch.	I	1134
Post Trin.	II	442
Nativitas Domini. 25 Dec.	I	199
Nativitas S. Joannis Baptistæ. 24 Jun.	II	536
Nativitas B. Mariæ V. 8 Sept.	II	759
Nazarii, Celsi et Pantaleonis MM. 28 Jul.	II	630
Nerei, Achillei et Pancratii MM. 12 Maii. Temp. Pasch.	I	1158
Post Trin.	II	462
Nicolai E. C. 6 Dec.	I	697
Nicolai Palea C. O. P. 14 Febr.	I	911
Nicolai a Tolentino C. 10 Sept.	II	765
Nicomedis M. 15 Sept.	II	788
Nominis Jesu (Sanctissimi) 15 Jan.	I	814
Nominis Mariæ (Sanctissimi) Dom. infra Oct. Nativitatis ejusdem	II	767
Norberti E. C. 6 Jun. Temp. Pasch.	I	1202
Post Trin.	II	517
Omnium Sanctorum. 1 Nov.	II	925
Omnium Sanctorum Ord. Præd. 9 Nov.	II	958
Oratio D. N. J. C. in Monte Oliveti. Feria iij. post Septuag.	I	581
Ordinatio S. Ambrosii E. C. Eccl. Doct. 7 Dec.	I	701
Osannæ V. O. P. 18 Jun.	II	532
Pascha Resurrectionis	I	480
Patritii E. C. 17 Mart.	I	968
Patrocinii S. Joseph C. Sponsi B. Mariæ V. Temp. Pasch.	I	677
Post Trin.	II	367
Patrocinii S. Mariæ V. Dom. in octava die vel prima post octavam diem Novembris	II	958
Pauli C. primi Eremitæ. 29 Jan.	I	869
Pauli a Cruce C. 28 April. Temp. Pasch.	I	1112
Post Trin.	II	414
Pentecoste.	I	561
Petri et Pauli Apostolorum. 29 Jun.	II	548
Petri ad Vincula. 1 Aug.	II	635
Petri Martyris O. P. 29 April. Temp. Pasch.	I	1113
Post Trin.	II	416
Petri ab Alcantara C. 19 Oct.	II	895
Petri Cœlestini PP. C. 19 Maii. Temp. Pasch.	I	1170
Post Trin.	II	478
Petri Damiani E. C. Eccl. Doct. 23 Febr.	I	937
Petri Gonzalez Telmi C. O. P. 14 April.	I	1085
Petri de Jeremia C. O. P. 10 Mart.	I	963
Petri Nolasco C. 31 Jan.	I	872
Petri de Rodulphia (vulgo Ruffia) M. O. P. 7 Nov.	II	952
Petri M. Sanz E. et Soc. MM. O. P. 27 Maii. Temp. Pasch.	I	1187
Post Trin	II	499
Petri a Tiferno C. O. P. 22 Oct.	II	901
Petronillæ V. 31 Maii. Temp. Pasch.	I	1192
Post Trin.	II	503
Philippi et Jacobi Apostolorum. 1 Maii. Temp. Pasch.	I	1126
Post Trin.	II	432
Philippi Benitii C. 26 (vel 24) Aug.	II	724
Philippi Nerii C. 26 Maii. Temp. Pasch.	I	1186
Post Trin.	II	498
Philumenæ V. M. 1 Sept.	II	745

	PARTE	PAGINA
Pii Quinti PP. C. O. P. 5 Maii. Temp. Pasch.	I	1135
Post Trin.	II	443
Placidi et Sociorum MM. 5 Oct.	II	866
Polycarpi E. M. 26 Jan.	I	860
Præsentatio B. Mariæ V. 21 Nov.	II	991
Praxedis V. 21 Jul.	II	610
Primi et Feliciani MM. 9 Jun. Temp. Pasch.	I	1205
Post Trin.	II	520
Priscæ V. M. 18 Jan.	I	826
Processi et Martiniani MM. 3 Jul.	II	573
Procopii Abbatis. 11 Jul.	II	595
Proti et Hyacinthi MM. 11 Jul.	II	766
Pudentianæ V. 19 Maii. Temp. Pasch.	I	1170
Post Trin.	II	478
Purificatio B. Mariæ V. 2 Febr.	I	875
Quatuor Coronatorum MM. 10 Nov.	II	968
Quintini M. 31 Oct.	II	925
Quirici et Julittæ MM. 16 Jun.	II	531
Raphaelis Archangeli. 24 Oct.	II	904
Raymundi a Capua C. O. P. 5 Oct.	II	866
Raymundi Nonnati C. 31 Aug.	II	744
Raymundi de Pennafort C. O. P. 23 Jan.	I	844
Reginaldi C. O. P. 12 Febr.	I	904
Reliquiarum (Sanctarum). 30 Oct.	II	923
Remigii E. C. 1 Oct.	II	840
Rochi C. 18 Aug.	II	708
Romualdi Abbatis. 7 Febr.	I	892
Rosæ a Lima V. O. P. 30 Aug.	II	738
Rosæ a Viterbio V. 7 Sept.	II	758
Rosarii B. M. V. Dom. in calendis vel j. post calendas Oct.	II	825
Rufi E. M. 27 Aug.	II	725
Sabinæ Mart. 29 Aug.	II	937
Sadoc et Sociorum MM. O. P. 2 Jun. Temp. Pasch.	I	1193
Post Trin.	II	508
Sanguinis D. N. Jesu Christi (Pretiosissimi). Feria vj. post Dom. iv. Quadragesimæ.	I	648
Saturnini E. M. 29 Nov.	I	686
	II	1021
Scholasticæ V. 10 Febr.	I	896
Sebastiani Maggi C. O. P. 16 Dec.	I	732
Septem Fratrum MM. 10 Jul.	II	595
Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. 17 Febr.	I	916
Sergii, Bacchi, Marcelli et Apulei MM. 20 Oct.	II	897
Servatii E. C. 22 Maii. Temp. Pasch.	I	1173
Post Trin.	II	481
Sibyllinæ V. O. P. 18 Mart.	I	969
Silvestri PP. C. 31 Dec.	I	777
Simonis et Judæ Apostolorum. 28 Oct.	II	919
Simonis Ballacchii C. O. P. 3 Nov.	II	945
Sindonis D. N. Jesu Christi (Sanctissimæ). Feria vj. post Dom. ij. Quadragesimæ.	I	625
S. Sixti. Vide Xysti		
Stanislai E. M. 11 Maii. Temp. Pasch.	I	1157
Post Trin.	II	461

	PARTE	PAGINA
Stephanæ de Quinzanis V. O. P. 16 Jan.	I	823
Stephani Protomart. 26 Dec.	I	748
Stephani PP. M. 2 Aug.	II	640
Stephani Hungariæ Regis C. 2 Sept.	II	746
Stephani Bandelli C. O. P. 12 Jun.	II	526
Stigmatum S. Catharinæ Senensis V. O. P. 3 April.	I	1044
Stigmatum S. Francisci C. 17 Sept.	II	791
Theclæ V. M. 23 Sept.	II	802
Theodori M. 9 Nov.	II	959
Thomæ Apostoli. 21 Dec.	I	744
Thomæ Aquinatis C. Eccl. Doct. O. P. Festivitas. 7 Mart.	I	952
Thomæ Aquinatis. Officium Votivum		139*
Thomæ Cantuariensis E. M. 29 Dec.	I	771
Thomæ de Villanova E. C. 25 Sept.	II	805
Tiburtii, Valeriani et Maximi MM. 16 April.	I	1089
Tiburtii M. 11 Aug.	II	682
Timothei E. M. 24 Jan.	I	852
Timothei et Symphoriani MM. 22 Aug.	II	717
Transfiguratio Domini. 6 Aug.	II	657
Translatio S. Catharinæ Senensis V. O. P. Feria v. post Dom. Sexagesimæ	I	606
Translatio S. P. N. Dominici C. 25 Maii Temp. Pasch.	I	1181
Post Trin.	II	494
Translatio Almæ Domus La etanæ. 10 Dec.	I	717
Translatio S. Petri M. O. P. 4 Jun. Temp. Pasch.	I	1196
Post Trin	II	509
Translatio S. Thomæ Aquinatis C. Eccl. Doct. O. P. 28 Jan.	I	863
Trinitatis (Sanctissimæ)	II	161
Urbani PP. M. 25 Maii. Temp. Pasch.	I	1183
Post Trin.	II	494
Ursulæ et Sociarum VV. MM. 21 Oct.	II	897
Valentini M. 21 Febr.	I	929
Vedasti et Amandi EE. CC. 6 Febr.	I	890
Venantii M. 18 Maii Temp. Pasch.	I	1169
Post Trin.	II	476
Venceslai M. 28 Sept.	II	809
Villanæ Vid. O. P. 28 (in anno bissext. 29) Febr.	I	944
Vincentii Martyris. 22 Jan.	I	839
Vincentii Ferrerii C. O. P. Festivitas 5 Apr.	I	1054
Vincentii Ferrerii. Officium Votivum		128*
Vincentii a Paulo C. 19 Jul.	II	607
Visitatio B. Mariæ V. 2 Jul.	II	565
Vitalis Martyris. 28 Apr. Temp. Pasch.	I	1112
Post Trin.	II	414
Vitalis et Agricola MM. 27 Nov.	I	683
	II	1016
Viti, Modesti et Crescentiæ MM. 15 Jun.	II	530
Vulneratum D. N. Jesu Christi (Sanctorum quinque). Feria vj. post Dom. iij. Quadragesimæ	I	637
Wenceslai. Vide Venceslai		
Xysti, Felicis et Agapiti MM. 6 Aug.	II	668
Zedislavæ Matronæ O. P. 28 Nov.	I	1210
	II	1018

PSALMORUM INDEX ALPHABETICUS

PSALMI

PSALM.		PAG.
	A	
119.	Ad Dominum cum tribularer.	131
27.	Ad te Domine clamabo	48
24.	Ad te Domine levavi	35
122.	Ad te levavi oculos	133
28.	Afferte Domino filii Dei	48
77.	Attendite popule meus	92
48.	Audite hæc omnes gentes.	67
	B	
118.	Beati immaculati in via	28
127.	Beati omnes, qui timent	134
31.	Beati quorum remissæ	50
40.	Beatus qui intelligit	60
1.	Beatus vir, qui non abiit	4
111.	Beatus vir, qui timet	125
33.	Benedicam Dominum	51
102.	Benedic anima mea... et omnia	112
103.	Benedic anima mea... Domine	113
143.	Benedictus Dominus Deus.	141
84.	Benedixisti Domine	101
91.	Bonum est confiteri	121
	C	
18.	Cæli enarrant	13
149.	Cantate Domino... laus	20
95.	Cantate Domino... cantate.	106
97.	Cantate Domino... quia	110
74.	Confitebimur tibi Deus	90
9.	Confitebor tibi... narrabo.	6
110.	Confitebor tibi... in	125
137.	Confitebor tibi...quoniam.	138
104.	Confitemini Domino, et	114
105.	Confitemini... Quis	116
106.	Confitemini... Dicant	117
117.	Confitemini... Dicat	24
135.	Confitemini Domino quoniam	137
15.	Conserva me Domine	10
115.	Credidi, propter quod	130
4.	Cum invocarem exaudivit.	149
	D	
129.	De profundis clamavi	135
43.	Deus auribus nostris.	64
49.	Deus deorum Dominus	68
62.	Deus, Deus meus ad te	18
21.	Deus, Deus meus respice	33
69.	Deus in adjutorium meum.	87
53.	Deus in nomine tuo	28
71.	Deus judicium tuum.	88
108.	Deus laudem meam	119
66.	Deus misereatur nostri	18
45.	Deus noster refugium	66
82.	Deus, quis similis erit	100
59.	Deus, repulisti nos	77
81.	Deus stetit in synagoga	99
78.	Deus venerunt gentes	94
93.	Deus ultionum Dominus	105
114.	Dilexi, quoniam exaudiet	130
17.	Diligam te Domine	11
38.	Dixi: Custodiam vias meas.	61
109.	Dixit Dominus Domino meo.	124
35.	Dixit injustus	53
13.	Dixit insipiens in corde suo.	8
52.	Dixit insipiens in corde suo.	73
140.	Domine clamavi ad te	140
7.	Domine Deus meus	5
87.	Domine Deus salutis meæ.	102
8.	Domine Dominus noster	6
101.	Domine exaudi... et clamor.	111
142.	Domine exaudi... auribus.	107
20.	Domine in virtute tua	15
6.	Domine, ne in furore... Miserere	5
37.	Domine ne in furore... Quoniam	55
130.	Domine non est exaltatum.	135
138.	Domine probasti me.	139
3.	Domine, quid multiplicati.	4
14.	Domine quis habitabit	9
89.	Domine, refugium	96
23.	Domini est terra	34
26.	Dominus illuminatio.	47
22.	Dominus regit me	34
92.	Dominus regnavit, decorem	17
96.	Dominus regnavit, exsultet.	106
98.	Dominus regnavit, irascantur	110
	E	
133.	Ecce nunc benedicite	150
132.	Ecce quam bonum	136
58.	Eripe me de inimicis	76

PSALM	PAG.
139. Eripe me, Domine	140
44. Eructavit cor meum	65
144. Exaltabo te Deus meus	142
29. Exaltabo te Domine	49
19. Exaudiat te Dominus	14
60. Exaudi Deus deprecationem	77
54. Exaudi Deus... et ne	24
63. Exaudi Deus... cum deprecor	78
16. Exaudi Domine justitiam	10
39. Exspectans exspectavi	62
80. Exsultate Deo adjutori	99
32. Exsultate justi in Domino.	51
67. Exsurgat Deus	79
F	
86. Fundamenta ejus	107
I	
85. Inclina Domine	101
125. In convertendo Dominus	134
10. In Domino confido	7
113. In exitu Israël	126
30. In te Domine speravi	49
70. In te Domine speravi	87
J	
65. Jubilate Deo... psalmum	78
99. Jubilate Deo... servite	18
34. Judica Domine nocentes	52
42. Judica me Deus	70
25. Judica me Domine	35
L	
121. Lætatus sum in his	133
145. Lauda anima mea	142
147. Lauda Jerusalem	143
148. Laudate Dominum de cælis.	19
150. Laudate Dominum in sanctis	20
116. Laudate Dominum omnes.	26
146. Laudate Dominum quoniam	143
134. Laudate nomen Domini	136
112. Laudate pueri Dominum	126
120. Levavi oculos meos	131
M	
47. Magnus Dominus, et	66
131. Memento Domine David	135
56. Miserere mei Deus, misere.	75
55. Miserere mei Deus, quoniam	75
50. Miserere mei... secundum.	24
100. Misericordiam, et judicium.	111
88. Misericordias Domini	103

PSALM.	PAG.
N	
126. Nisi Dominus ædificaverit.	134
123. Nisi quia Dominus	133
36. Noli æmulari	54
61. Nonne Deo subjecta.	77
75. Notus in Judæa Deus	91
O	
46. Omnes gentes plaudite	66
P	
107. Paratum cor meum Deus	119
Q	
72. Quam bonus Israel	89
83. Quam dilecta tabernacula.	100
2. Quare fremuerunt	4
41. Quemadmodum desiderat.	63
124. Qui confidunt in Domino.	133
51. Quid gloriaris in malitia	68
90. Qui habitat in adjutorio	149
79. Qui regis Israel, intende	95
S	
128. Sæpe expugnaverunt	135
68. Salvum me fac Deus.	85
11. Salvum me fac Domine	8
57. Si vere utique justitiam	75
136. Super flumina Babylonis	138
T	
64. Te decet hymnus	82
V	
94. Venite, exsultemus	105
5. Verba mea auribus percipe.	57
76. Voce mea ... ad Deum	91
141. Voce mea ... ad Dominum	141
U	
12. Usquequo Domine	8
73. Ut quid Deus repulisti	89

CANTICA

Audite cœli quæ loquor	122
Benedicite omnia opera	18
Benedictus Dominus Deus	23
Cantemus Domino	97
Confitebor tibi Domine	59
Domine audivi auditionem	108
Ego dixi : In dimidio	71
Exsultávit cor meum	83
Magnificat anima mea	129
Nunc dimittis servum tuum	150
Quicumque vult salvus esse	29
Te Deum laudamus	16

PSALMORUM INDEX NUMERICUS

NUM.	PAG.
1. Beatus vir, qui non abiit	4
2. Quare fremuerunt gentes	4
3. Domine, quid multiplicati	4
4. Cum invocarem	149
5. Verba mea auribus	57
6. Domine ne in furore... Miserere mei Domine	5
7. Domine Deus meus	5
8. Domine Dominus noster	6
9. Confitebor tibi... narrabo	6
10. In Domino confido	7
11. Salvum me fac Domine	8
12. Usquequo Domine	8
13. Dixit insipiens in corde	8
14. Domine quis habitabit	9
15. Conserva me Domine	10
16. Exaudi Domine justitiam	10
17. Diligam te Domine	11
18. Cæli enarrant	13
19. Exaudiat te Dominus	14
20. Domine in virtute tua	15
21. Deus, Deus meus respice	33
22. Dominus regit me	34
23. Domini est terra	34
24. Ad te Domine levavi	35
25. Judica me Domine	35
26. Dominus illuminatio	47
27. Ad te Domine clamabo	48
28. Afferte Domine	48
29. Exaltabo te Domine	49
30. In te Domine speravi	49
31. Beati quorum	50
32. Exsultate justi	51
33. Benedicam Dominum	51
34. Judica Domine	52
35. Dixit injustus	53
36. Noli æmulari	54
37. Domine ne in furore	55
38. Dixi : Custodiam	61
39. Exspectans exspectavi	62
40. Beatus qui intelligit	63
41. Quemadmodum desiderat	63
42. Judica me Deus	70
43. Deus auribus	64
44. Eructavit cor meum	65
45. Deus noster refugium	66
46. Omnes gentes	66
47. Magnus Dominus, et	66
48. Audite hæc omnes gentes	67
49. Deus deorum Dominus	68
50. Miserere... secundum	24
51. Quid gloriaris	68
52. Dixit insipiens in corde suo	73
53. Deus in nomine tuo	28
54. Exaudi Deus... et ne	74
55. Miserere mei Deus, quoniam	75
56. Miserere mei Deus, miserere	75
57. Si vere utique	75
58. Eripe me de inimicis	76
59. Deus repulisti nos	77
60. Exaudi Deus deprecationem	77
61. Nonne Deo subjecta	77
62. Deus, Deus meus ad te	18
63. Exaudi Deus..., cum deprecor	78
64. Te decet hymnus	82
65. Jubilate Deo..., psalmum	78
66. Deus misereatur nostri	18
67. Exsurgat Deus	79
68. Salvum me fac	85
69. Deus in adjutorium	87
70. In te Domine speravi	87
71. Deus judicium	88
72. Quam bonus Israel Deus	89
73. Ut quid Deus repulisti	89
74. Confitebimur tibi	90
75. Notus in Judæa Deus	91
76. Voce mea... ad Deum	91
77. Attendite populo meus	92
78. Deus venerunt gentes	94
79. Qui regis Israel	95
80. Exsultate Deo	99
81. Deus stetit in synagoga	99
82. Deus quis similis	100
83. Quam dilecta	100
84. Benedixisti Domine	101
85. Inclina Domine	101
86. Fundamenta ejus	102
87. Domine Deus salutis	102

NUM.		PAG.
88.	Misericordias Domini	103
89.	Domine refugium	96
90.	Qui habitat	149
91.	Bonum est confiteri	121
92.	Dominus regnavit, decorem	17
93.	Deus ultionum	105
94.	Venite, exsultemus	105
95.	Cantate Domino..., cantate	106
96.	Dominus regnavit... exsultet.	106
97.	Cantate Domino... quia	110
98.	Dominus regnavit, irascantur	110
99.	Jubilate Deo..., servite	111
100.	Misericordiam et judicium.	111
101.	Domine exaudi..., et clamor	111
102.	Benedic anima..., et omnia	112
103.	Benedic anima..., Domine.	113
104.	Confitemini Domino, et	114
105.	Confitemini Domino ... Quis	116
106.	Confitemini Domino... Dicant	117
107.	Paratum cor meum	119
108.	Deus laudem meam	119
109.	Dixit Dominus	124
110.	Confitebor... Magna opera.	125
111.	Beatus vir, qui timet.	125
112.	Laudate pueri	126
113.	In exitu Israel	126
114.	Dilexi quoniam.	130
115.	Credidi, propter quod	130
116.	Laudate Dominum omnes.	131
117.	Confitemini Domino... Dicant	24
118.	Beati immaculati	28
119.	Ad Dominum cum tribularer	131
120.	Levavi oculos meos	131
121.	Lætatus sum	133
122.	Ad te levavi oculos meos	133
123.	Nisi quia Dominus	133
124.	Qui confidunt in Domino.	133
125.	In convertendo.	134
126.	Nisi Dominus	134
127.	Beati omnes	134
128.	Sæpe expugnaverunt me	135
129.	De profundis	135
130.	Domine non est exaltatum.	135
131.	Memento Domine David	135
132.	Ecce quam bonum	136
133.	Ecce nunc benedicite	150
134.	Laudate nomen Domini	136
135.	Confitemini Domino ... quoniam	137
136.	Super flumina Babylonis	138
137.	Confitebor tibi... quoniam.	138
138.	Domine probasti me.	139
139.	Eripe me Domine ab homine	140
140.	Domine clamavi	140
141.	Voce mea... ad Dominum.	141
142.	Domine exaudi... auribus.	107
143.	Benedictus Dominus.	141
144.	Exaltabo te Deus	142
145.	Lauda anima mea	142
146.	Laudate Dominum, quoniam	143
147.	Lauda Jerusalem Dominum	143
148.	Laudate Dominum de cælis.	19
149.	Cantate Domino canticum novum : laus ejus.	20
150.	Laudate Dominum in sanctis	20

ORATIO

DICENDA ANTE OFFICIUM

APERI Dómine os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum : munda cor meum ab ómnibus vanis, pervérsis, et aliénis cogitatiónibus : intelléctum illúmina, afféctum inflámma, ut digne, atténte, ac devóte hoc Officium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspéctum divinæ majestátis tuæ. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dómine, in unióne illíus divínæ intentiónis, qua ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi horas persólvo.

ORATIO

DICENDA POST OFFICIUM

Orationem sequentem devote post Officium recitantibus Leo Papa X. defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit.

SACROSANCTÆ et indivíduæ Trinitáti, crucifíxi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimæ ac gloriosíssimæ sempérque Vírginis Maríæ fecúndæ integritáti, et ómnium Sanctórum universitáti, sit sempitérna laus, honor, virtus, et glória ab omni creatúra, nobísque remíssio ómnium peccatórum, per infiníta sæcula sæculórum. Amen.

℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. ℟. Et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum.

Dicitur pro statu summi Pontificis, et Ecclesiæ :

PATER noster, qui es in cælis: sanctificétur nomen tuum.

Advéniat regnum tuum.

Fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.

Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie.

Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris.

Et ne nos indúcas in tentatiónem.

Sed líbera nos a malo. Amen.

AVE Maria, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui, Jesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

BENEDICTIONES ANTE LECTIONES

IN MATUTINIS

IN I. NOCTURNO.

Benedictio j.

BENEDICTIONE perpétua benedícat nos Pater ætérnus. ℟. Amen.

ij. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adjuváre dignétur. ℟. Amen.

iij. Spíritus sancti grátia illumináre dignétur sensus et corda nostra. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio j.

DEUS Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

ij. Ad gáudia Paradísi perdúcat nos misericórdia Christi. ℟. Amen.

iij. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

¶ Si non fuerit Homilia,

Benedictio j.

ILLE nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen.

¶ Si fuerit Homilia,

j. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

ij. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

iij. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

IN FESTIS B. MARIÆ V.

IN I. NOCTURNO.

Benedictio j.

ALMA Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

ij. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

iij. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio j.

AB hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix virgo. ℟. Amen.

ij. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

iij. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

¶ Si non fuerit Homilia,

Benedictio j.

ORET voce pia pro nobis Virgo María. ℟. Amen.

¶ Si vero sit Homilia,

j. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

ij. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

iij. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína Angelórum. ℟. Amen.

¶ In Sabbato, quando de ea fit Officium, dicantur tres ultimæ Benedictiones.

PSALTERIUM DAVID.

DOMINICIS DIEBUS AD MATUTINUM.

Oratio Dominica.

PATER noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra; sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem. Sed líbera nos a malo. Amen.

Symbolum Apostolorum.

CREDO in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ, Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, Qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine, Passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus et sepúltus; Descéndit ad ínferos, tértia die resurréxit a mórtuis : Ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : Inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, Sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, Remissiónem peccatórum, Carnis resurrectiónem, Vitam ætérnam. Amen.

℣. Dómine lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína: Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

¶ A Septuagesima vero usque ad Feriam quintam in Cena Domini exclusive, omisso Allelúia. dicitur : Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

DOMINICIS AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGES. ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Invitatorium.

VENITE, exsultémus Dómino : * Jubilémus Deo salutári nostro.

Quo dicto sequitur

℣. Præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Deinde repetitur : Veníte, exsultémus Dómino : Jubilémus Deo salutári nostro.

℣. Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam : quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Jubilémus Deo salutári nostro.

℣. Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus : veníte adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino, qui fecit nos : quia ipse est Dóminus Deus noster : nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Veníte exsultémus Dómino : Jubilémus Deo salutári nostro.

℣. Hódie, si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, et vidérunt ópera mea.

Jubilémus Deo salutári nostro.

℣. Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognovérunt vias meas : quibus jurávi in ira mea : Si introíbunt in réquiem meam.

Veníte exsultémus Dómino : Jubilémus Deo salutári nostro.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Jubilémus Deo salutári nostro.

Postea repetatur totum Invitatorium : Veníte exsultémus Dómino : Jubilémus Deo salutári nostro.

¶ Quandocumque ad Matutinum Invitatorium dicitur, dicatur etiam Psalmus Veníte, exsultémus.

PER ADVENTUM :

Hymnus.

VERBUM supérnum pródiens
A Patre olim éxiens,
Qui natus orbi súbvenis
Cursu declívi témporis :

ILLUMINA nunc péctora,
Tuóque amóre cóncrema,
Audíto ut præcónio,
Sint pulsa tandem lúbrica.

JUDEXQUE cum post áderis
Rimári facta péctoris,
Reddens vicem pro ábditis,
Justísque regnum pro bonis :

NON demum arctémur malis
Pro qualitáte críminis,
Sed cum beátis cómpotes
Simus perénnes cælibes.

LAUS, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

DOMINICIS AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGES. ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Hymnus.

NOCTE surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Víribus totis Dómino canámus
Dúlciter hymnos.

UT pio Regi páriter canéntes
Cum suis sanctis mereámur aulam
Ingredi cæli, simul et beátam
Dúcere vitam.

PRÆSTET hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus réboat in omni
Glória mundo. Amen.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ ET SEQUENTIBUS USQUE AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Hymnus.

SUMMI largítor præmii,
Spes qui es única mundi,
Preces inténde servórum
Ad te devóte clamántium.

NOSTRA te consciéntia
Grave offendísse monstrat :
Quam emúndes, supplicámus,
Ab ómnibus piáculis.

Si rénuis, quis tríbuet?
Indúlge, quia potens es :
Te corde rogáre mundo
Fac nos, precámur Dómine.
Ergo nunc accépta nostrum,
Qui sacrásti jejúnium :
Quo mystice Paschália
Capiámus sacraménta.
Summa nobis hoc cónferat
In Deitáte Trínitas,
In qua gloriátur unus
Per cuncta sæcula Deus.
Amen.

DOMINICIS IN PASSIONE ET IN RAMIS PALMARUM :

Hymnus.

Pange lingua gloriósi
Prœlium certáminis,
Et super crucis trophæum
Dic triúmphum nóbilem,
Quáliter Redémptor orbis
Immolátus vícerit.
De paréntis protoplásti
Fraude Factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
Morsu in mortem córruit,
Ipse lignum tunc notávit
Damna ligni ut sólveret.
Hoc opus nostræ salútis
Ordo depopóscerat,
Multifórmis proditóris
Ars ut artem fálleret,
Et medélam ferret inde
Hostis unde læserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus orbis Cónditor,
Ac de ventre virgináli
Caro factus pródiit.
Vagit infans inter arcta
Cónditus præsépia :
Membra pannis involúta
Virgo mater álligat,
Et manus, pedésque et crura
Stricta cingit fáscia.
Gloria et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque
Inclyto Paráclito,
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

DOMINICA IN ALBIS ET QUATUOR DOMINICIS PROXIME SEQUENTIBUS :

Hymnus.

Aurora lucis rútilat,
Cælum láudibus íntonat,
Mundus exsúltans júbilat,
Gemens inférnus úlulat :
Cum Rex ille fortíssimus,
Mortis confráctis víribus,
Pede concúlcans tártara,
Solvit a pœna míseros.
Ille, qui clausus lápide
Custodítur sub mílite,
Triúmphans pompa nóbili
Victor surgit de fúnere.
Solutis jam gemítibus
Et inférni dolóribus,
Quia surréxit Dóminus
Respléndens clamat Angelus.
Tristes erant Apóstoli
De nece sui Dómini,
Quem pœna mortis crudéli
Servi damnárant ímpii.
Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.
Gloria tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre, et sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣ Hoc signum ℣ indicat flexionem in priori parte Versus. Asteriscus autem * indicat metrum seu pausam in medio Versus.

¶ Sequentes Psalmi in tribus Nocturnis dicantur omnibus Dominicis, quando de simplici Dominica agitur, nisi Tempore Paschali.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem próji-cit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

¶ Non omnes Psalmi hujus Nocturni, sed tantum quilibet quartus in ordine, per ℣. Glória Patri. terminetur.

Psalmus 2.

QUARE fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, ℣ et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Psalmus 3.

DOMINE quid multiplicáti sunt qui tribulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Psalmus 6.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dómine quóniam infírmus sum : * sana me Dómine quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu Dómine úsquequo?

Convértere Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam,

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, ℣ lavábo per singulas noctes lectum meum : * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur et erubéscant valde velóciter. Glória...

A DOMINICA I. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Super Psalmos Aña. Servíte Dómino in timóre, et exsultáte ei cum tremóre.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM :

Super Psalmos Aña. Pro fídei méritis vocitátur jure beátus, legem qui Dómini meditátur nocte diéque.

Psalmus 7.

DOMINE Deus meus in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, ℣ et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge Dómine in ira tua : * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et

pátiens : * numquid irascitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum : * et incidit in fóveam, quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * et in vérticem ipsíus iniquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Psalmus 9.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor et exsultábo in te : * psallam nómini tuo Altíssime,

In converténdo inimícum meum retrórsum : * infirmabúntur, et períbunt a fácie tua.

Quóniam fecísti judícium meum et causam meam : * sedísti super thronum qui júdicas justítiam.

Increpásti gentes, et périit ímpius : * nomen eórum delésti in ætérnum et in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem : * et civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu : * et Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum : ℣ et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, * judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te qui novérunt nomen tuum : * quóniam non dereliquísti quæréntes te Dómine.

Psállite Dómino, qui hábitat in Sion : * annuntiáte inter gentes stúdia ejus :

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est : * non est oblítus clamórem páuperum.

Miserére mei Dómine : * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis

mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exsultábo in salutári tuo : * infíxæ sunt gentes in intéritu, quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens : * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis : * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exsúrge Dómine, non confortétur homo : * judicéntur gentes in conspéctu tuo.

Constítue Dómine legislatórem super eos : * ut sciant gentes quóniam hómines sunt

Ut quid Dómine reces ísti longe, * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper : * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ : * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secúndum multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus : * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua a fácie ejus : * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo : * Non movébor a generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo : * sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem : * rápere páuperem dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, et cadet, cum dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo : Oblítus est Deus, * avértit fáciem suam ne vídeat in finem.

Exsúrge Dómine Deus, exaltétur manus tua : * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo : Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem et dolórem consíderas : * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper : * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris et malígni : * quærétur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, et in sæculum sæculi : * períbitis gentes de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus : * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo et húmili, * ut non appónat ultra magnificáre se homo super terram.

Psalmus 10.

In Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus. Glória...

A DOMINICA I. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Super Psalmos Aña. Dómine Deus meus in te sperávi.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM :

Super Psalmos Aña. Juste Deus, judex fortis, patiénsque, benígnus, in te sperántes muni miserándo fidéles.

Psalmus 11.

SALVUM me fac Dómine, quóniam defécit sanctus : * quóniam diminútæ sunt veritátes a fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum : * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * et linguam magníloquam.

Qui dixérunt : Linguam nostram magnificábimus, ℣ lábia nostra a nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum, et gémitum páuperum * nunc exsúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári : * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta : * argéntum igne examinátum, probátum terræ purgátum séptuplum.

Tu Dómine servábis nos : et custódies nos * a generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant : * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus 12.

USQUEQUO Dómine oblivísceris me in finem? * Usquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos ne unquam obdórmiam in morte : * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exsultábunt si motus fúero : * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exsultábit cor meum in salutári tuo: ℣ cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus 3.

DIXIT insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis : *

non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cælo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ℣ simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlcrum patens est guttur eórum : ℣ linguis suis dolóse agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est : * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio et infelícitas in viis eórum, ℣ et viam pacis non cognovérunt : * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt, * illic trepidavérumt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne justa est, consílium ínopis confudístis : * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, et lætábitur Israel.

Psalmus 14.

DOMINE quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorífical :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum. Glória...

A DOMINICA I. ADVENTUS AD NATIVITATEM DOMINI :

Super Psalmos Aña. Sciéntes quia hora est jam nos de somno súrgere; nunc enim própior est nostra salus quam cum credídimus : nox præcéssit, dies autem appropinquávit.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster maniféste véniet.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Super Psalmos Aña. Tu Dómine servábis nos, et custódies nos.

¶ Usque ad Quadragesimam ℣. Memor fui nocte nóminis tui Dómine. ℟. Et custodívi legem tuam.

¶ A Dominica j. Quadragesimæ usque ad Dominicam in Passione ℣. Dicet Dómino : Suscéptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum Deus meus.

DOMINICIS IN PASSIONE ET IN RAMIS PALMARUM :

Super Psalmos Aña. Quid molésti estis huic mulíeri? Opus enim bonum operáta est in me.

℣. Erue a frámea Deus ánimam meam. ℟. Et de manu canis únicam meam.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM :

Super Psalmos Aña. Surge, et in ætérnum serva munímine sacro, custodíque tuos Astrípotens fámulos.

℣. Memor fui nocte nóminis tui Dómine. ℟. Et custodívi legem tuam.

IN II. NOCTURNO.

¶ Psalmi secundi et tertii Nocturni terminantur singuli per ℣. Glória Patri.

Psalmus 15.

CONSERVA me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum : * insuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * insuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, ℟ adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Super Psalmum Aña. Bonórum meórum non índiges : in te sperávi, consérva me Dómine.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM :

Super Psalmum Aña. Natúræ Génitor consérva a morte redémptos : facque tuo dignos servítio fámulos.

Psalmus 16.

EXAUDI Dómine justítiam meam : * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte : * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me Deus: * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me: * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ℣ ádipem suum concluserunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam: * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge Dómine, prævені eum, et suppланta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine a paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis: * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cum apparúerit glória tua.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE:

Super Psalmum Aña. Inclína Dómine aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM:

Super Psalmum Aña. Péctora nostra tibi tu Cónditor orbis adúre: igne pio purgans, atque cremándo probans.

Psalmus 17.

DILIGAM te Dómine fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * et sperábo in eum.

Protéctor meus, et cornu salútis meæ, * et suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum: * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * et torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * et ad Deum meum clamávi:

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam: * et clamor meus in conspéctu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta est, et contrémuit terra: ℣ fundaménta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt, * quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus: ℣ et ignis a fácie ejus exársit: * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cælos, et descéndit: * et calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, et volávit: * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum, ℣ in circúitu ejus tabernáculum ejus : * tenebrósa aqua in núbibus áeris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando et carbónes ignis.

Et intónuit de cælo Dóminus, ℣ et Altíssimus dedit vocem suam : * grando et carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, et dissipávit eos : * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * et reveláta sunt fundaménta orbis terrárum :

Ab increpatióne tua Dómine, * ab inspiratióne spíritus iræ tuæ.

Misit de summo, et accépit me : * et assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, ℣ et ab his qui odérunt me : * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ : * et factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem : * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam, * et secúndum puritátem mánuum meárum retríbuet mihi :

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpie gessi a Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo : * et justítias ejus non répuli a me.

Et ero immaculátus cum eo : * et observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam : * et secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * et cum viro innocénte ínnocens eris :

Et cum elécto eléctus eris : * et cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies : * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam Dómine : * Deus meus illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne, * et in Deo meo transgrédiar murum.

Deus meus impollúta via ejus : ℣ elóquia Dómini igne examináta : * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcínxit me virtúte : * et pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * et super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prœlium : * et posuísti, ut arcum æreum, bráchia mea.

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ : * et déxtera tua suscépit me :

Et disciplína tua corréxit me in finem : * et disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me : * et non sunt infirmáta vestígia mea :

Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos : * et non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare : * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum : * et supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * et odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret, ad Dóminum : * nec exaudívit eos.

Et commínuam eos, ut púlverem ante fáciem venti : * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli : * constítues me in caput géntium.

Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi : * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi, ℣ fílii aliéni inveteráti sunt, * et claudicavérunt a sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, * et exaltétur Deus salútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, ℣ et subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * a viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus Dómine : * et nómini tuo psalmum dicam,

Magníficans salútes regis ejus, ℣ et fáciens misericórdiam christo suo David, * et sémini ejus usque in sæculum.

A DOMINICA I. ADVENTUS AD NATIVITATEM DOMINI :

Super Psalmos Aña. Hora est jam nos de somno súrgere, et apérti sunt óculi nostri súrgere ad Christum : quia lux vera est fulgens in mundo.

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse. ℟. Et flos de radíce ejus ascéndet.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Super Psalmum Aña. Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum.

¶ Usque ad Quadragesimam ℣. Média nocte surgébam ad confiténdum tibi. ℟. Super judícia justificatiónis tuæ.

¶ A Dominica j. Quadragesimæ usque ad Dominicam in Passione ℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

DOMINICIS IN PASSIONE ET IN RAMIS PALMARUM :

Super Psalmos Aña. Mittens hæc múlier in corpus meum hoc unguéntum, ad sepeliéndum me fecit.

℣. De ore leónis líbera me Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM :

Super Psalmum Aña. Tu pópulum húmilem salvásti a morte Redémptor : atque supérba tuo colla premis jáculo.

℣. Média nocte surgébam ad confiténdum tibi. ℟. Super judícia justificatiónis tuæ.

℣ IN III. NOCTURNO.

Psalmus 18.

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Super Psalmum Aña. Non sunt loquélæ, neque sermónes, quorum non audiántur voces eórum.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM :

Super Psalmum Aña. Sponsus ut e thálamo procéssit Christus in orbem, descéndens cælo jure salutífero.

~~Psalmus~~ 19.

EXAUDIAT te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt · * nos autem surréximus et erécti sumus.

Dómine salvum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Super Psalmum Aña. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM :

Super Psalmum Aña. Auxílium nobis Salvátor mitte salútis : et tríbuas vitam témpore perpétuo.

Psalmus 20.

DOMINE in virtúte tua lætábitur rex: * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

A DOMINICA I. ADVENTUS AD NATIVITATEM DOMINI :

Super Psalmos Aña. Nox præcéssit, dies autem appropinquávit : abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis, sicut in die honéste ambulémus.

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet, ut salvet pópulum suum.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Super Psalmum Aña. Dómine in virtúte tua lætábitur Rex.

¶ Usque ad Quadragesimam ℣. Exaltáre Dómine in virtúte tua. ℟. Cantábimus, et psallémus virtútes tuas.

¶ A Dominica j. Quadragesimæ usque ad Dominicam in Passione ℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperábis.

DOMINICIS IN PASSIONE ET IN RAMIS PALMARUM :

Super Psalmos Aña. Magíster dicit : Tempus meum prope est : apud te fácio Pascha cum discípulis meis.

℣. Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

A DOMINICA I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM :

Super Psalmum Aña. Rex sine fine manens míseris tu parce ruínis : præmia concédens, et tua cuncta regens.

℣. Exaltáre Dómine in virtúte tua. ℟. Cantábimus, et psallémus virtútes tuas.

Canticum SS. Ambrosii et Augustini, quod dicendum erit post nonum ℟. omnibus Dominicis, præterquam in Adventu et a Septuagesima usque ad Pascha exclusive, quando fit Officium de Dominica.

In aliis Officiis dicatur, vel omittatur secundum quod in Rubricis generalibus notatum fuerit.

TE Deum laudámus : * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cæli, et univérsæ Potestátes.

Tibi Chérubim et Séraphim, * incessábili voce proclámant :

Sanctus, Sanctus, Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis número,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia :

Patrem * imménsæ majestátis,

Venerándum tuum verum * et únicum Fílium,

Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Hic genuflectitur usque ad Ætérna fac.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni : * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum sanctis tuis * in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, * et bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine : * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi : * non confúndar in ætérnum.

Hic nunquam dicitur Glória Patri

VERSICULI ANTE LAUDES.

IN DOMINICIS ADVENTUS :

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

DOMINICIS AB OCT. EPIPHAN. AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ante Laudes ℣. Excélsus super omnes gentes Dóminus. ℟. Et super cælos glória ejus.

A DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

DOMINICIS IN PASSIONE ET IN RAMIS PALMARUM :

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

DOMINICIS ET FERIIS TEMPORE RESURRECTIONIS :

Ante Laudes ℣. In Resurrectióne tua Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

DOMINICA AD LAUDES.

Dicto ℣. ante Laudes pro Tempore, ut supra, vel ut suo loco notatur, statim dicitur :

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

¶ Infra Septuagesimam, omisso Allelúia., dicitur : Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

¶ Dominica j. post Octavam Epiphaniæ et deinceps usque ad Septuagesimam; Dominica j. post Octavam Trinitatis et deinceps usque ad Adventum; item quatuor Dominicis proximis post Octavam Paschæ, quando de simplici Dominica agitur, dicitur super Psalmos Laudum una tantum Antiphona, ut infra post ultimum Psalmum notatum est. Aliis Dominicis dicuntur quinque Antiphonæ propriæ.

¶ Sequentes Psalmi dicuntur ad Laudes in Dominicis diebus (præterquam infra Septuagesimam). Item dicuntur in omni Festo sive novem sive trium Lectionum (non tamen in Cena Domini nec in die Animarum). Dicuntur etiam infra quascumque Octavas, si de Octava fiat Officium; in Officiis Votivis per hebdomadam; in Vigiliis Nativitatis et Epiphaniæ Domini et in Ferialibus diebus Tempore Paschali.

Psalmus 92.

DOMINUS regnávit, decórem indútus est : * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc : * a sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina Dómine : * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris, * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis : * domum tuam decet sanctitúdo Dómine in longitúdinem diérum.

Psalmus 99.

JUBILATE Deo omnis terra : * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exsultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus : * ipse fecit nos, et non ipsi nos :

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus : ℣ introíte portas ejus in confessióne, * átria ejus in hymnis : confitémini illi.

Laudáte nomen ejus : quóniam suávis est Dóminus, ℣ in ætérnum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Psalmus 62.

DEUS Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : ℣ sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣ in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣ adhæsit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣ introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣ laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus

DEUS misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes : ℣ quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus : ℣ confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, ℣ benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terræ.

Canticum trium Puerorum.
Dan. 3.

BENEDICITE ómnia ópera Dómini Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino : * benedícite cæli Dómino.

Benedícite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino : * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol, et luná Dómino : * benedícite stellæ cæli Dómino.

Benedícite omnis imber, et ros Dómino : * benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis, et æstus Dómino : * benedícite frigus, et æstus Dómino.

Benedícite rores, et pruína Dómino : * benedícite gelu, et frigus Dómino.

Benedícite glácies, et nives Dómino : * benedícite noctes, et dies Dómino.

Benedícite lux, et ténebræ Dómino : * benedícite fúlgura, et nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum : * laudet, et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite montes, et colles Dómino : * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino : * benedícite mária, et flúmina Dómino.

Benedícite cete, et ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino : * benedícite omnes vólucres cæli Dómino.

Benedícite omnes béstiæ, et pécora Dómino : * benedícite fílii hóminum Dómino.

Benedícat Israel Dóminum : * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino : * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus, et ánimæ justórum Dómino : * benedícite sancti, et húmiles corde Dómino.

Benedícite Ananía, Azaría, Mísael Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem, et Fílium cum sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli : * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 148.

LAUDATE Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol, et luna : * laudáte eum omnes stellæ, et lumen.

Laudáte eum cæli cælórum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ :

Reges terræ, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum, et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 149.

CANTATE Dómino canticum novum : * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória : * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 150.

LAUDATE Dóminum, in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum múltitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : ℣ laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

DOMINICIS AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGES. ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Super Psalmos Laudum sola Aña. Regnávit Dóminus præcínctus fortitúdine cum decóre virtútum : cujus sedes paráta est in ætérnum.

QUATUOR DOMINICIS PROXIMIS POST OCT. PASCHÆ :

Super Psalmos Laudum sola Aña. Allelúia, allelúia. ¶ Prædicta Antiphona dicatur ad Laudes super Psalmos etiam ferialibus diebus inter diem Octavam Paschæ et Ascensionem Domini, quando de Tempore agitur.

IN DOMINICIS ADVENTUS :

Capitulum. Jer. 23.

ECCE dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen justum : et regnábit rex, et sápiens erit : et fáciet judícium et justítiam in terra. ℟. Deo grátias. ¶ Sicque ad omnia Capitula respondetur semper : Deo grátias.

Hymnus.

VOX clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat:
Pellántur éminus sómnia,
Ab æthere Christus prómicat.

MENS jam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia :
Sidus refúlget jam novum,
Ut tollat omne nóxium.

E SURSUM Agnus míttitur
Laxáre gratis débitum :
Omnes pro indulgéntia
Vocem demus cum lácrimis :

SECUNDO ut cum fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed pius nos tunc prótegat.

LAUS, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Vox clamántis in desérto.
℟. Paráte viam Dómini.

DOMINICIS AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGES. ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Capitulum. Apoc. 7.

BENEDICTIO, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, virtus, et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

ECCE jam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat :
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

UT Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

PRÆSTET hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. Dóminus regnávit. ℟. Decórem índuit.

DOMINICIS IN SEPTUAGESIMA, IN SEXAGESIMA ET IN QUINQUAGESIMA :

Capitulum Benedíctio. et Hymnus Ecce jam noctis., ut supra.

℣. Dómine refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne et progénie.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ ET SEQUENTIBUS USQUE AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Capitulum. 2. Cor. 6.

HORTAMUR vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim : Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adjúvi te.

Hymnus.

JAM, Christe sol justítiæ,
Mentis dehíscant ténebræ,
Virtútum ut lux rédeat,
Terris diem cum réparas.

DA tempus acceptábile,
Et pœnitens cor tríbue :
Convértat ut benígnitas
Quos longa suffert píetas.

QUIDDAMQUE pœniténtiæ
Da ferre, quamvis grávium,
Majóre tuo múnere,
Quo démptio fit críminum.

DIES venit, dies tua,
In qua reflórent ómnia :
Lætémur in hac, ad tuam
Per hanc redúcti grátiam.

TE rerum univérsitas
Clemens adóret Trínitas :
Et nos novi per véniam,
Novum canámus cánticum.
Amen.

℣. Scuto circúmdabit te véritas ejus. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.

DOMINICIS IN PASSIONE ET IN RAMIS PALMARUM :

Capitulum. Jer. 11.

TU autem Dómine Sábaoth, qui júdicas juste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis : tibi enim revelávi causam meam Dómine Deus meus.

Hymnus.

LUSTRIS sex qui jam peráctis
Tempus implens córporis,
Se voléntе natus ad hoc,
Passióni déditus,
Agnus in crucis levátur
Immolándus stípite.

HIC acétum, fel, arúndo,
Spina, clavi, láncea :
Mite corpus perforátur,
Sanguis, unda prófluit :
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavántur flúmine !

CRUX fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis :
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, gérmine :
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sústinet.

FLECTE ramos arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas,
Ut supérni membra Regis
Miti tendas stípite.

SOLA digna tu fuísti
Ferre sæcli prétium,
Atque portum præparáre
Nauta mundo náufrago :
Quem sacer cruor perúnxit
Fusus Agni córpore.

GLORIA et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclyto Paráclito :
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula. Amen.

℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

DOMINICA IN ALBIS ET QUATUOR DOMINICIS PROXIME SEQUENTIBUS :

Capitulum. Rom. 6.

CHRISTUS resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.

Hymnus.

SERMONE blando Angelus
Prædíxit muliéribus :
In Galilæa Dóminus
Vidéndus est quantócius.

ILLÆ, dum pergunt cóncitæ
Apóstolis hoc dícere,
Vidéntes eum vívere,
Osculántur pedes Dómini.

QUO ágnito, discípuli
In Galilæam própere
Pergunt, vidére fáciem
Desideratam Dómini.

CLARO Paschali gáudio
Sol mundo nitet rádio,
Cum Christum jam Apóstoli
Visu cernunt corpóreo.

OSTENSA sibi vúlnera,
In Christi carne fúlgida,
Resurrexísse Dóminum
Voce faténtur pública.

REX Christe clementíssime
Tu corda nostra pósside :
Ut tibi laudes débitas
Reddámus omni témpore.

QUÆSUMUS, Auctor ómnium,
In hoc Paschali gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

GLORIA tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

¶ Istæ duæ Strophæ dicantur in fine omnium Hymnorum ejusdem metri usque ad j. Vesperas Ascensionis Domini, nisi aliter notetur.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

BENEDICTUS Dóminus Deus Israel, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ:

Et eréxit cornu salútis nobis: * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, prophetárum ejus:

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos:

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus: * in remissiónem peccatórum eórum:

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos óriens ex alto:

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

℣. Canticum Benedíctus. per totum annum dicitur in Laudibus.

Antiphona et Oratio, prout suo loco notatum fuerit.

AD MEMORIAM DE CRUCE TEMPORE RESURRECTIONIS:

A Dominica in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis exclusive, de Cruce facienda est Memoria quotidie in Laudibus, exceptis festis Duplicibus et Totis Duplicibus:

Aña. Crucifíxus surréxit a mórtuis, et redémit nos, allelúia, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concéde nobis fámulis tuis ut resurrectiónis grátiam consequámur: Per eúmdem.

AD MEMORIAM DE B. MARIA V. IN DOMINICIS:

In omnibus Dominicis per totum annum, quando de simplici Dominica agitur, fit Memoria de beata Maria in Laudibus:

Aña. Sub tuum præsídium confúgimus sancta Dei Génitrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta. T. P. Allelúia.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti. T. P. Allelúia. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis. T. P. Allelúia.

Oratio.

PROTEGE Dómine fámulos tuos subsídiis pacis: et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes a cunctis hóstibus redde secúros: Per Dóminum.

℣. Modum terminandi Horas require ante Completorium.

PSALMI DICENDI AD LAUDES DOMINICA IN SEPTUAGESIMA ET DEINCEPS IN DOMINICIS USQUE AD RAMOS INCLUSIVE, QUANDO DE DOMINICA AGITUR:

Psalmus 50.

MISERERE mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miserationum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta, et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Psalmus 117.

CONFITEMINI Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum : * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor : * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor : * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quam confídere in hómine :

Bonum est speráre in Dómino, * quam speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, ℣ et exarsérunt sicut ignis in spinis : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem : * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus : * et factus est mihi in salútem.

Vox exsultatiónis, et salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem : ℣ déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam : * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus : * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ, ℣ ingréssus in eas confitébor Dómino : * hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes : * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud : * et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus : * exsultémus, et lætémur in ea.

O Dómine salvum me fac, o Dómine bene prosperáre : * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : * Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi : * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Psalmus Deus Deus meus, ad te de luce vígilo cum ceteris, ut in aliis Dominicis, pag. 18. et sequentibus.

Super Psalmos Antiphonæ quinque propriæ suis locis notatæ.

AD PRETIOSA.

Finitis quæ de Martyrologio pronuntianda sunt, et responso Deo grátias., dicatur Pretiósa. hoc modo :

℣. Pretiósa est in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Oratio absque Orémus.

SANCTA María et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum : ut mereámur adjuvári ab eo, qui vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína.

Hic ℣. Deus in adjutórium. cum ℟. Dómine ad adjuvándum. ter dicatur.

Deinde Glória Patri... Sicut erat... Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater

noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice Dómine in servos tuos, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos : et opus mánuum nostrárum dírige.

Oratio absque Orémus.

DIRIGERE et sanctificáre dignéris Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, hódie corda et córpora nostra in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum; ut hic, et in ætérnum, te auxiliánte, semper salvi esse mereámur : Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea dicto Jube Domne benedícere., si de Evangelio legendum fuerit, detur Benedictio : Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

℣ Si vero de Constitutionibus, detur Benedictio : Reguláribus disciplínis ínstruat nos Magíster cæléstis. ℟. Amen.

Data Benedictione, sequitur Lectio de Evangelio, vel de Constitutionibus.

℣ Fratres qui extra Chorum aut Capitulum sunt, si Evangelium proprium in promptu non habuerint, dicant :

Secúndum Joánnem. Cap. 1.

IN princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

℣ De Constitutionibus extra Chorum aut Capitulum dicatur

Lectio. Prolog.

QUONIAM ex præcépto Régulæ jubémur habére cor unum et ánimam unam in Dómino : justum est ut qui sub una Régula et uníus professiónis voto vívimus, unifórmes in observántiis canónicæ Religiónis inveniámur. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

Finita Lectione de Evangelio vel de Constitutionibus, dicatur :

Commemorátio Fratrum, Sorórum, Familiárium, Benefactórum defunctórum Ordinis nostri.

Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Psalmus 116.

LAUDATE Dóminum omnes gentes : * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, et Fílio... Sicut erat...

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

ACTIONES nostras, quæsumus Dómine, aspirándo prævéni et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra operátio a te

semper incípiat, et per te cœpta finiátur : Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Si non sequatur aliqua Hora, dicatur :

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

¶ Si recitatus fuerit Obitus alicujus Magistri Generalis, immediate post Fidélium ánimæ. dicatur pro ejus anima Psalmus 129. De profúndis. (ut in Psalterio ad Vesperas Feriæ quartæ), cum Versu Réquiem ætérnam. et in fine ℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum Pontificáli (vel Sacerdotáli) fecísti dignitáte vigére : præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio : Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro pluribus Magistris Oratio sic dicatur :

DEUS, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulos tuos Sacerdotáli fecísti dignitáte vigére : præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post Orationem dicatur : Requiéscant in pace. ℟. Amen.

¶ Si recitatum fuerit Anniversarium, dicto Ps. De profúndis., ℣. A porta ínferi., Dóminus vobíscum., Orémus., ut supra, sequitur Oratio :

DEUS indulgentiárum Dómine, da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Requiéscant in pace. ℟. Amen.

¶ Si eadem die Anniversarium et Obitus inciderint, sub una conclusione dicatur utraque Oratio, deinde : Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

Dicto secreto Pater noster. et Credo in Deum., inchoatur ℣. Deus in adjutórium.; et sic ad alias Horas diei, nisi quod Credo in Deum. aliis Horis non præmittitur.

Hymnus.

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

LINGUAM refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

SINT pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

UT cum dies abscésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

Psalmus 53.

Deus in nómine tuo salvum me fac : * et in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : * et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis : * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo Dómine : quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Psalmus 118.

Beati immaculáti in via : * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus : * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ, * ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis : * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam : * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te : * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua : * ut non peccem tibi.

Benedíctus es Dómine : * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor : * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor : * non oblivíscar sermónes tuos.

Retribue servo tuo, vivifica me : * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos : * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra : * non abscóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos : * maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium, et contémptum : * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, * et advérsum me loquebán-

tur : * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est : * et consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me : * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me : * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio : * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove a me : * et de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi : * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis Dómine : * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cum dilatásti cor meum.

¶ In festo sanctissimæ Trinitatis et in omnibus Dominicis, nisi festum Totum Duplex evenerit, dicatur Symbolum sancti Athanasii :

QUICUMQUE vult salvus esse, * ante ómnia opus est ut téneat cathólicam fidem.

Quam nisi quisque íntegram inviolatámque serváverit, * absque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc est : * ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte venerémur.

Neque confundéntes persónas, * neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritus sancti.

Sed Patris, et Fílii, et Spíritus sancti una est divínitas : * æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius, * imménsus Spíritus sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres ætérni, * sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi, * sed unus increátus, et unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus.

Et tamen non tres omnipoténtes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres Dii, * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres Dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquámque persónam Deum ac Dóminum confitéri christiána veritáte compéllimur : * ita tres Deos aut Dóminos dícere cathólica religióne prohibémur.

Pater a nullo est factus : * nec creátus, nec génitus.

Fílius a Patre solo est : * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus a Patre et Fílio : * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres : ℣ unus Fílius, non tres Fílii : * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, ℣ nihil majus aut minus : * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt, et coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam supra dictum est, * et únitas in Trinitáte, et Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus et confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus, Dei Fílius, Deus et homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sæcula génitus : * et homo est ex substántia matris in sæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo : * ex ánima rationáli, et humána carne subsístens.

Æquális Patri secúndum divinitátem : * minor Patre secúndum humanitátem.

Qui, licet Deus sit et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem : * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno, non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális et caro unus est homo : * ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra : ℣ descéndit ad ínferos : * tértia die resurréxit a mórtuis.

Ascéndit ad cælos, ℣ sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : * inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis : * et redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt ibunt in vitam ætérnam : * qui vero mala in ignem ætérnum.

Hæc est fides cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmitérque credíderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri, et Fílio... Sicut erat...

A DOMINICA I. ADVENTUS AD VIGILIAM NATIVITATIS DOMINI :

¶ Dominicis diebus.

Aña propria, scilicet j. Laudum.

¶ Ferialibus diebus.

Aña. Veni et líbera nos, Deus noster.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

¶ Dominicis diebus.

Aña. Glória tibi Trínitas æquális una Déitas, et ante ómnia sæcula, et nunc, et in perpétuum.

¶ Ferialibus diebus.

Aña. Deus exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe verba oris mei.

A SEPTUAGESIMA AD QUADRAGESIMAM :

Ferialibus diebus.

Aña. Deus exáudi., ut in Ferialibus diebus post Octavam Epiphaniæ.

A FERIA SECUNDA POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Ferialibus diebus.

Aña. Vivo ego, dicit Dóminus : nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur, et vivat.

A FERIA SECUNDA POST DOMINICAM IN PASSIONE AD CENAM DOMINI :

Ferialibus diebus.

Aña. Animæ impiórum fremébant advérsum me : et gravátum est cor meum super eos.

A FERIA SECUNDA POST OCTAVAM PASCHÆ AD ASCENSIONEM :

Dominicis et Ferialibus diebus.

Aña. Cognovérunt Dóminum, allelúia, in fractióne panis, allelúia.

¶ Antiphonæ in Dominicis et Ferialibus diebus ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, quæ in Psalterio non notantur, propriis locis in Officio de Tempore sunt positæ.

Capitulum. 1. Tim. 1.

REGI sæculórum immortáli, et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

¶ Capitulum Regi sæculórum. dicatur ad Primam omnibus Dominicis et festis etiam trium Lectionum, per omnes Octavas quando de Octava agitur, et in Officiis Votivis per hebdomadam. Omittitur tamen in Cena Domini et in Hebdomada Paschæ, et in die Animarum.

¶ Ferialibus vero diebus, nisi in Parasceve et Sabbato sancto, dicitur sequens

Capitulum. Zach. 8.

PACEM et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. Jesu Christe Fili Dei vivi * Miserére nobis. Jesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Miserére nobis. Glória Patri. Jesu Christe.

℣. Exsúrge Dómine ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

¶ ℟. Jesu Christe. semper dicatur, nisi quando a Dominica in Passione ad Dominicam in Albis de Tempore agitur, et nisi in die Animarum. ℣. Qui sedes. cum ℟. Jesu Christe. semper dicatur, nisi alius ℣. sit notatus.

¶ ℣. Exsúrge. semper dicatur, nisi in die Cenæ et deinceps usque ad Dominicam in Albis, et nisi in die Animarum.

Deinde, nisi Preces dicendæ fuerint, subditur a Prælato :

CONFITEOR Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et vobis Fratres : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa : precor vos oráre pro me.

Chorus autem dicat :

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua : líberet te ab omni malo, salvet, et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat te ad vitam ætérnam. Respondeat Prælatus : Amen.

Postea Chorus replicet :

CONFITEOR Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et tibi Pater : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa : precor te oráre pro me.

Quo finito, Prælatus dicat Absolutionem :

MISEREATUR vestri omnípotens Deus, et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra : líberet vos ab omni malo, salvet, et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

¶ Quando autem Frater solus dicit Primam, vel Completorium, dicat sic :

CONFITEOR Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa : precor beátam Maríam semper Vírginem, et beátum Domínicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos oráre pro me.

MISEREATUR mei omnípotens Deus, et dimíttat mihi ómnia peccáta mea : líberet me ab omni malo, salvet, et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat me ad vitam ætérnam. Amen.

Deinde dicatur :

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

IN hac hora hujus diéi tua nos Dómine reple misericórdia : ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus júgiter delectémur : Per Dóminum nostrum...

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

MODUS DICENDI PRECES AD PRIMAM :

Dicto ℣. Exsúrge Dómine, ádjuva nos. cum ℟. Et líbera nos propter nomen tuum., sequitur :

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Vivet ánima mea, et laudábit te. ℟. Et judícia tua adjuvábunt me.

℣. Errávi sicut ovis, quæ périit. ℟. Quære servum tuum Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus.

Credo in Deum... Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

Deinde Confíteor. et Misereátur., ut supra.

℣. Dignáre Dómine die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus.

¶ Si dictum fuerit Capitulum Regi sæculórum., dicatur Oratio In hac hora., ut supra.

¶ Si vero dictum fuerit Capitulum Pacem et veritátem., dicatur sequens Oratio.

DOMINE Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte : ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera : Per Dóminum nostrum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

MODUS DICENDI PRIMAM DOMINICA IN SEPTUAGESIMA ET DEINCEPS IN DOMINICIS USQUE AD RAMOS INCLUSIVE, QUANDO DE DOM. AGITUR :

Pater., Credo., ℣. Deus in adjutórium., Hymnus Jam lucis orto sídere, pag. 27.

Psalmus 21.

DEUS Deus meus réspice in me : quare me dereliquisti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, et non exáudies : * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt : * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo : * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me derisérunt me : * locúti sunt lábiis et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre : * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projéctus sum ex útero : ℣ de ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris a me :

Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum : * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, ℣ et lingua mea adhæsit fáucibus meis : * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuum a me : * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea Deus ánimam meam : * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis : * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum laudáte eum : * univérsum semen Jacob glorificáte eum :

Tímeat eum omne semen Israel : * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis :

Nec avértit fáciem suam a me : * et cum clamárem ad eum exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur : ℣ et laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ :

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum : * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ : * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet : * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : * et annuntiábunt cæli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 22.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Glória Patri, et Fílio... Sicut erat.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 24.

Ad te Dómine levávi ánimam meam : * Deus meus in te confído, non erubéscam :

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas Dómine demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo, qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera Deus Israel, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Glória Patri, et Fílio... Sicut erat...

Psalmus 25.

Judica me Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum : * et in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me Dómine, et tenta me : * ure renes meos et cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est : * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis : * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium : * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas : * et circúmdabo altáre tuum Dómine :

Ut áudiam vocem laudis, * et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine diléxi decórem domus tuæ, * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam :

In quorum mánibus iniquitátes sunt : * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum : * rédime me, et miserére mei.

Pes meus stetit in drécto : * in ecclésiis benedícam te Dómine.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 53.

DEUS in nómine tuo salvum me fac : * et in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : * et Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis : * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo Dómine : quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatióne erípuisti me : * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri, et Fílio... Sicut erat...

Psalmus 92.

DOMINUS regnávit, decórem indútus est : * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc : * a sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina Dómine : * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris, * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis : * domum tuam decet sanctitúdo Dómine in longitúdinem diérum.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalm. 118. Beáti immaculáti. cum Glória Patri., pag. 28; Retríbue servo tuo. cum Glória Patri., ibidem; Symbolum Quicúmque vult salvus esse. cum Glória Patri., pag. 29.

Antiphona propria ad Primam Dominicæ occurrentis.

Capitulum Regi sæculórum.; ℟. Jesu Christe. (præterquam Dominica in Passione et Dominica in Ramis palmarum); ℣. Exsúrge.; deinde Confíteor.,

Misereátur., Dóminus vobíscum., Oratio In hac hora., Dóminus vobíscum., Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD TERTIAM.

Hymnus.

NUNC sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus índeri,
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent :
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

PRÆSTA Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

LEGEM pone mihi Dómine viam justificatiónum tuárum : * et exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, et scrutábor legem tuam : * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum : * quia ipsam vólui.

Inclina cor meum in testimónia tua : * et non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem : * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspicátus sum : * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua : * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua Dómine : * salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum : * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque : * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper : * in sæculum et in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine : * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in testimóniis tuis in conspéctu regum : * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi : * et exercébar in justificatiónibus tuis.

MEMOR esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea : * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníque agébant usquequáque : * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum a sæculo Dómine : * et consolátus sum.

Defféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui Dómine : * et custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi : * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea Dómine, * dixi custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo : * miserére mei secúndum elóquium tuum.

Cogitávi vias meas : * et convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus : * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me : * et legem tuam non sum oblítus.

Média nocte surgébam ad confiténdum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te : * et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdia tua Dómine plena est terra : * justificatiónes tuas doce me.

BONITATEM fecísti cum servo tuo Dómine, * secúndum verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me : * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego delíqui : * proptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu : * et in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum : * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum : * ego vero legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me : * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super míllia auri et argénti.

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me : * da mihi intelléctum, et discam mandáta tua.

Qui timent te vidébunt me, et lætabúntur : * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi Dómine quia æquitas judícia tua : * et in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, et vivam : * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me : * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te : * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

A DOMINICA I. ADVENTUS AD VIGILIAM NATIVITATIS :

℣ Dominicis diebus.

Antiphona propria, scilicet ij. Laudum.

Capitulum. Jer. 23.

ECCE dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen justum : et regnábit rex, et sápiens erit : et fáciet judícium et justítiam in terra.

℟. Veni ad liberándum nos, * Dómine Deus virtútum. Veni. ℣. Osténde fáciem tuam, et salvi érimus. Dómine. Glória. Veni.

℣. Timébunt gentes nomen tuum Dómine. ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. Oratio propria.

¶ Ferialibus diebus.

Aña. Veni Dómine, et noli tardáre : reláxa facínora plebis tuæ Israel.

Capitulum, ℟., ℣. ut Dominicis diebus. Dicto ℣. Timébunt., subditur : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Dominicæ.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

¶ Dominicis diebus.

Aña. Laus et perénnis glória Deo Patri, et Fílio, sancto simul Paráclito, in sæcula sæculórum.

Capitulum. 1. Joann. 4.

DEUS cáritas est : et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. Inclína cor meum Deus * In testimónia tua. Inclína. ℣ Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem : in via tua vivífica me. In testimónia tua. Glória. Inclína.

℣. Adjútor meus esto Dómine : ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me Deus salutáris meus.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. Oratio propria.

¶ Ferialibus diebus.

Aña. Deduc me Dómine in sémitam mandatórum tuórum.

Capitulum. Jerem. 17.

SANA me Dómine, et sanábor : salvum me fac, et salvus ero : quóniam laus mea tu es.

℟. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi : Dómine miserére mei. Quia. Glória. Sana.

℣. Adjútor meus esto Dómine : ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me Deus salutáris meus.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Dominicæ.

A SEPTUAGESIMA AD CINERES:

Ferialibus diebus.

Antiphona, Capitulum, ℟., ℣., Preces, ut Ferialibus diebus post Octavam Epiphaniæ ; Oratio Dominicæ.

A FERIA SECUNDA POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Ferialibus diebus.

Aña. Advenérunt nobis dies pœniténtiæ, ad rediménda peccáta, et salvándas ánimas.

Capitulum. Joel. 2.

CONVERTIMINI ad me in toto corde vestro in jejúnio, et fletu, et planctu : et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra, ait Dóminus omnípotens.

Responsorium et Versiculus Dominicæ.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Feriæ.

A FERIA SECUNDA POST DOMINICAM IN PASSIONE AD CENAM DOMINI :

Ferialibus diebus.

Aña. Judicásti Dómine causam ánimæ meæ : defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Capitulum. Jer. 11.

TU autem Dómine Sábaoth, qui júdicas juste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis : tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

℟. Erue a frámea Deus ánimam meam : *Et de manu canis únicam meam. ℣. Salva me ex ore leónis : et a córnibus unicórnium humilitátem meam. Et de manu. ℟. Erue a frámea.

℣. De ore leónis líbera me Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Feriæ.

TEMPORE RESURRECTIONIS : Dominicis et Ferialibus diebus.

Aña. Pax vobis, ego sum, allelúia : nolíte timére, allelúia.

Capitulum. Rom. 6.

CHRISTUS resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.

℟. Resurréxit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Resurréxit. ℣. Sicut dixit vobis. Allelúia. Glória. Resurréxit.

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio propria Dominicæ.

AD SEXTAM.

Hymnus.

RECTOR potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane ínstruis,
Et ígnibus meridiem :

EXSTINGUE flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum
Verámque pacem córdium.

PRÆSTA Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

DEFECIT in salutáre tuum ánima mea : * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes : Quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui : * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes : * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas : * iníque persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulo minus consummavérunt me in terra : * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndum misericórdiam tuam vivífica me : * et custódiam testimónia oris tui.

In ætérnum Dómine, * verbum tuum pérmanet in cælo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua : * fundásti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies : * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditátio mea est : * tunc forte periíssem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíscar justificatiónes tuas : * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac : * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me exspectavérunt peccatóres ut pérderent me : * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem : * latum mandátum tuum nimis.

QUOMODO diléxi legem tuam Dómine? * tota die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo : * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi : * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi : * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos : * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi : * quia tu legem posuísti mihi.

Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua, * super mel ori meo!

A mandátis tuis intelléxi : * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * et lumen sémitis meis.

Jurávi, et státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque Dómine : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac Dómine : * et judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper : * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi : * et de mandátis tuis non errávi.

Hereditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum : * quia exsultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem.

INIQUOS ódio hábui : * et legem tuam diléxi.

Adjútor, et suscéptor meus es tu : * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte a me malígni : * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndum elóquium tuum, et vivam : * et non confúndas me ab exspectatióne mea.

Adjuva me, et salvus ero : * et meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes a judíciis tuis : * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ : * ídeo diléxi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas : * a judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium et justítiam : * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum : * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum : * et in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam : * et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : * da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi Dómine : * dissipavérunt legem tuam.

Ideo diléxi mandáta tua, * super aurum et topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar : * omnem viam iníquam ódio hábui.

A DOMINICA I. ADVENTUS AD VIGILIAM NATIVITATIS DOMINI :

¶ Dominicis diebus.

Antiphona propria, scilicet iij. Laudum.

Capitulum. Jer. 23.

IN diébus illis salvábitur Juda, et Israel habitábit confidénter : et hoc est nomen, quod vocábunt eum, Dóminus justus noster.

℟. Osténde nobis Dómine *Misericórdiam tuam. Osténde. ℣. Et salutáre tuum da nobis. Misericórdiam tuam. Glória. Osténde.

℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. Oratio propria.

¶ Ferialibus diebus.

Aña. Tuam Dómine éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Capitulum, ℟., ℣. ut Dominicis diebus. Dicto ℣. Meménto nostri., subditur : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Oratio Dominicæ.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

¶ Dominicis diebus.

Aña. Glória laudis résonet in ore ómnium Patri genitæque Proli : Spirítui sancto páriter resúltet laude perénni.

Capitulum. 2. Cor. 13.

GRATIA Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritus sit semper cum ómnibus vobis. Amen. ℟. Deo grátias.

℟. In ætérnum Dómine, * Pérmanet verbum tuum. In ætérnum. ℣. In cælo, et in sæculum sæculi véritas tua. Pérmanet. Glória. In ætérnum.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio propria.

¶ Ferialibus diebus.

Aña. Adjuva me, et salvus ero Dómine.

Capitulum. Gal. 6.

ALTER altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. In omni. Glória. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Dominicæ.

A SEPTUAGESIMA AD CINERES: Ferialibus diebus.

Antiphona, Capitulum, ℟., ℣., Preces, ut Ferialibus diebus post Octavam Epiphaniæ; Oratio Dominicæ.

A FERIA SECUNDA POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE : Ferialibus diebus.

Aña. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in

jejúniis multis, per arma justítiæ.

Capitulum. Isa. 55.

DERELINQUAT ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus : et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum.

Responsorium et Versiculus Dominicæ.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Feriæ.

A FERIA SECUNDA POST DOMINICAM IN PASSIONE AD CENAM DOMINI :

Ferialibus diebus.

Aña. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? respónde mihi.

Capitulum. Isa. 50.

FACIEM meam non avérti ab increpántibus, et conspuéntibus in me : Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus.

℟. De ore leónis líbera me Dómine : * Et a córnibus unicórnium humilitátem meam. ℣. Erue a frámea Deus ánimam meam : et de manu canis únicam meam. Et a córnibus. ℟. De ore.

℣. Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Feriæ.

TEMPORE RESURRECTIONIS :

Dominicis et Ferialibus diebus.

Aña. Ecce ego vobíscum sum, allelúia, ómnibus diébus, allelúia.

Capitulum. Coloss. 3.

SI consurrexístis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens : quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram.

℟. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia, allelúia. Surréxit. ℣. Et appáruit Simóni. Allelúia. Glória. Surréxit.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio propria Dominicæ.

AD NONAM.

Hymnus.

RERUM Deus tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successibus detérminans :

LARGIRE clarum véspere,
Quo vita nusquam décidat :
Sed præmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

PRÆSTA Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

MIRABILIA testimónia tua: * ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat : * et intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, et attráxi spíritum : * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére mei, * secúndum judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum : * et non dominétur mei omnis injustítia.

Rédime me a calúmniis hóminum : * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum : * et doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei : * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es Dómine : * et rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua : * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus : * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter : * et servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, et contémptus : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum : * et lex tua véritas.

Tribulátio, et angústia invenérunt me : * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum : * intelléctum da mihi, et vivam.

CLAMAVI in toto corde meo, exáudi me Dómine : * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac : * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, et clamávi : * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo : * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndum misericórdiam tuam Dómine : * et secúndum judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti : * a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu Dómine : * et omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis : * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, et éripe me : * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, et rédime me : * propter elóquium tuum vivífica me.

Longe a peccatóribus salus : * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ Dómine : * secúndum judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, et tríbulant me : * a testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, et tabescébam : * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi Dómine : * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum, véritas : * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

PRINCIPES persecúti sunt me gratis : * et a verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua : * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum : * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam : * et non est illis scándalum.

Exspectábam salutáre tuum Dómine : * et mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua : * et diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, et testimónia tua : * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo Dómine : * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo : * secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cum docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum : * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me : * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum Dómine : * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te : * et judícia tua adjuvábunt me.

Errávi, sicut ovis, quæ périit : * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

A DOMINICA I. ADVENTUS AD VIGILIAM NATIVITATIS DOMINI :

¶ Dominicis diebus.

Antiphona propria. scilicet v. Laudum.

Capitulum. Isa. 2.

ERIT in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.

℟. Super te Jerúsalem * Oriétur Dóminus. Super te. ℣. Et glória ejus in te vidébitur. Oriétur. Glória. Super te.

℣. Dómine Deus virtútum convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio propria.

¶ Ferialibus diebus.

Aña. In tuo advéntu érue nos Dómine.

Capitulum, ℟., ℣. ut Dominicis diebus. Dicto ℣. Dómine Deus virtútum., subditur : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Dominicæ.

¶ In omni Sabbato et in Vigilia cujuslibet festi novem Lectionum, post ℣. Dómine Deus virtútum., omisso Kyrie eléison. et Pater noster., statim dicitur Dóminus vobíscum. cum Oratione.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

¶ Dominicis diebus.

Antiphona. Ex quo ómnia, per quem ómnia, in quo ómnia, ipsi glória in sæcula.

Capitulum. I. Joan. 5.

TRES sunt, qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.

℟. Clamávi in toto corde, * Exáudi me Dómine. Clamávi. ℣. Justificatiónes tuas requíram. Exáudi me. Glória. Clamávi.

℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio propria.

¶ Ferialibus diebus.

Aña. Aspice in me Dómine, et miserére mei.

Capitulum. I. Cor. 6.

EMPTI enim estis prétio magno : glorificáte, et portáte Deum in córpore vestro.

℟. Rédime me Dómine, * Et miserére mei. Rédime me. ℣. Pes enim meus stetit in via recta : in ecclésiis benedícam te Dómine. Et miserére mei. Glória. Rédime me.

℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Dominicæ.

¶ In omni Sabbato et in Vigilia cujuslibet festi novem Lectionum, post ℣. Ab occúltis., omisso Kyrie eléison. et Pater noster., statim dicitur Dóminus vobíscum. cum Oratione.

A SEPTUAGESIMA AD CINERES:

Ferialibus diebus.

Antiphona, Capitulum, ℟., ℣., Preces, ut Ferialibus diebus post Octavam Epiphaniæ; Oratio Dominicæ.

A FERIA SECUNDA POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Ferialibus diebus.

Aña. Per arma justítiæ virtútis Dei, commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Capitulum. Isa. 58.

FRANGE esuriénti panem tuum, et egénos, vagósque induc in domum tuam : cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris, ait Dóminus omnípotens.

Responsorium et Versiculus Dominicæ.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Feriæ.

A FERIA SECUNDA POST DOMINICAM IN PASSIONE AD CENAM DOMINI :

Ferialibus diebus.

Aña. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Capitulum. Jer. 17.

CONFUNDANTUR qui me persequúntur, et non confúndar ego : páveant illi, et non páveam ego : induc super eos diem afflictiónis, et dúplici contritióne cóntere eos, Dómine Deus noster.

℟. Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis formidávit cor meum :* Lætábor ego super elóquia tua. ℣. Quasi qui invénit spólia multa. Lætábor ego. ℟. Príncipes.

℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

Et ne nos. Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio Feriæ.

TEMPORE RESURRECTIONIS : Dominicis et Ferialibus diebus.

Aña. Noli flere María, allelúia: resurréxit Dóminus, allelúia.

Capitulum. Coloss. 3.

CUM autem Christus appaarúerit, vita vestra : tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

℟. Surréxit Dóminus de sepúlcro, * Allelúia, allelúia. Surréxit. ℣. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia. Glória. Surréxit.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Dóminus vobíscum. Orémus. Oratio propria Dominicæ.

FERIA SECUNDA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Veníte, * Exsultémus Dómino. Quo dicto, sequitur in Psalmo ℣. Jubilémus Deo salutári nostro. etc.

¶ Prædictum Invitatorium dicatur Feria secunda ad Matutinum, quando de Tempore agitur, ab Octava Epiphaniæ ad Feriam secundam post Dominicam quartam Quadragesimæ inclusive, et ab Octava Trinitatis ad Adventum exclusive.

Hymnus qui pro Tempore ad Matutinum Dominicæ in Psalterio notatus fuerit.

IN NOCTURNO.

¶ Sequentes Psalmi et sequentes Antiphonæ super Psalmos in Nocturno dicantur quando de Feria secunda agitur ab Octava Epiphaniæ ad Feriam secundam Majoris hebdomadæ inclusive, et ab Octava Trinitatis ad Nativitatem Domini exclusive.

¶ Psalmi de Nocturno bini et bini terminantur per ℣. Glória Patri.

Psalmus 26.

DOMINUS illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo? Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas :

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsum me prœlium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, ℣ exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque despícias me Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Psalmus 27.

Ad te Dómine clamábo, ℣ Deus meus ne síleas a me : * nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te : * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus : * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me :

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tríbue illis : * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, * et in ópera mánuum ejus déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus : * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus : * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea : * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ : * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, ℣ et bénedic hereditáti tuæ : * et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Antiphona. Dóminus defénsor vitæ meæ.

Psalmus 28.

Afferte Dómino fílii Dei : * afférte Dómino filios aríetum :

Afférte Dómino glóriam et honórem, ℣ afférte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, ℣ Deus majestátis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : * et confrínget Dóminus cedros Líbani :

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani : * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : ℣ vox Dómini concutiéntis desértum : * et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, ℣ et revelábit condénsa : * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * et sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus 29.

EXALTABO te Dómine quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus : * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine Deus meus in ætérnum confitébor tibi.

Aña. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Psalmus 30.

IN te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem : ℣ et in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum : * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, * supervácue.

Ego autem in Dómino sperávi : * exsultábo, et lætábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci : * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei Dómine quóniam tríbulor : * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus :

Quóniam defécit in dolóre vita mea : * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea : * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium et vicínis meis valde : * et timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt a me : * oblivióni datus sum, tamquam mórtuus a corde.

Factus sum tamquam vas pérditum : * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu :

In eo dum convenírent simul advérsum me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi Dómine : * dixi : Deus meus es tu : in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et a persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, ℣ salvum me fac in misericórdia tua : * Dómine non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, et deducántur in inférnum : * muta fiant lábia dolósa.

Quæ loquúntur advérsus justum iniquitátem, * in supérbia, et in abusióne.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine, * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis, qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ * a conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * a contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus : * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ : * Projéctus sum a fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam veritátem requíret Dóminus, et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Psalmus 31.

BEATI quorum remíssæ sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exsultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, ℣ et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo et freno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino et exsultáte justi, * et gloriámini omnes recti corde.

Aña. In tua justítia líbera me Dómine.

Psalmus 32.

EXSULTATE justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et persequere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Aña. Rectos decet collaudátio.

Psalmus 34.

JUDICA Dómine nocéntes me, * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma et scutum : * et exsúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos, qui persequúntur me : * dic ánimæ meæ : Salus tua ego sum.

Confundántur et revereántur, * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti : * et Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ et lúbricum : * et Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui : * supervácue exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat : ℣ et cáptio, quam abscóndit, apprehéndat eum : * et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exsultábit

in Dómino : * et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent : * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus : * egénum et páuperem a diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis : * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cum mihi molésti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam : * et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam : * quasi lugens et contristátus sic humiliábar.

Et advérsum me lætáti sunt, et convenérunt : * congregáta sunt super me flagélla, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti, ℣ tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne : * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine quando respícies? * restítue ánimam meam a malignitáte eórum, a leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníque : * qui odérunt me gratis et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacífice loquebántur : * et in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum : * dixérunt : Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti Dómine, ne síleas : * Dómine ne discédas a me.

Exsúrge et inténde judício meo : * Deus meus, et Dóminus meus in causam meam.

Júdica me secúndum justítiam tuam Dómine Deus meus, * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis : Euge, euge, ánimæ nostræ : * nec dicant : Devorávimus eum.

Erubéscant et revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne et reveréntia * qui magna loquúntur super me.

Exsúltent et læténtur qui volunt justítiam meam : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * tota die laudem tuam.

Psalmus 35.

DIXIT injústus ut delínquat in semetípso : * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóse egit in conspéctu ejus : * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas, et dolus : * nóluit intellígere ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : ℣ ástitit omni viæ non bonæ, * malítiam autem non odívit.

Dómine in cælo misericórdia tua : * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abyssus multa.

Hómines, et juménta salvábis Dómine : * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ : * et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ : * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ : * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Aña. Expúgna impugnántes me.

Psalmus 36.

NOLI æmulári in malignántibus : * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent : * et quemádmodum ólera herbárum cito décident.

Spera in Dómino, et fac bonitátem : * et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino : * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, et spera in eo : * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam : ℣ et judícium tuum tamquam merídiem : * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli æmulári in eo, qui prosperátur in via sua : * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, et derelínque furórem : * noli æmulári ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur : * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hereditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, et non erit peccátor : * et quæres locum ejus, et non invénies.

Mansuéti autem hereditábunt terram, * et delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum : * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum : * quóniam próspicit quod véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres : * intendérunt arcum suum,

Ut dejíciant páuperem et ínopem : * ut trucident rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum : * et arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur : * confírmat autem justos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum : * et heréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, ℣ et in diébus famis saturabúntur : * quia peccatóres períbunt.

Inimíci vero Dómini mox ut honorificáti fúerint et exaltáti : * deficiéntes, quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet : * justus autem miserétur et tríbuet.

Quia benedicéntes ei hereditábunt terram : * maledicéntes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur : * et viam ejus volet.

Cum ceciderit, non collidétur : * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui : * et non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Tota die miserétur et cómmodat : * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína a malo, et fac bonum : * et inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat judícium, ℣ et non derelínquet sanctos suos : * in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur : * et semen impiórum períbit.

Justi autem hereditábunt terram : * et inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Os justi meditábitur sapiéntiam, * et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus: * et non supplantabúntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum: * et quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus : * nec damnábit eum cum judicábitur illi.

Exspécta Dóminum, et custódi viam ejus : ℣ et exaltábit te ut hereditáte cápias terram : * cum perierint peccatóres vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat: * et quæsívi eum, et non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, et vide æquitátem : * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem disperíbunt simul : * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum a Dómino : * et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, et liberábit eos : ℣ et éruet eos a peccatóribus, * et salvábit eos : quia speravérunt in eo.

Psalmus 37.

DOMINE ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi : * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corrúptæ sunt cicatríces meæ, * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem : * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt : * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes : * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens : * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine sperávi : * tu exáudies me Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei : * et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me : * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Añ. Revéla Dómino viam tuam.

IN ADVENTU :

℣. Ex Sion spécies decóris ejus. ℟. Deus noster maniféste véniet.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

℣. Dómine in cælo misericórdia tua. ℟. Et véritas tua usque ad nubes.

IN QUADRAGESIMA :

℣. Dicet Dómino : Suscéptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

TEMPORE PASSIONIS :

℣. Erue a frámea Deus ánimam meam. ℟. Et de manu canis únicam meam.

VERSICULI ANTE LAUDES.

IN ADVENTU :

Ante Laudes ℣. Emitte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ante Laudes ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

IN QUADRAGESIMA :

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

TEMPORE PASSIONIS :

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES.

¶ Sequentes Psalmi et Canticum Confitébor. dicantur in Feriis secundis, quando de Feria agitur extra Tempus Paschale.

¶ Antiphonæ vero dicantur, quando in Feriis secundis de Feria agitur, ab Octava Epiphaniæ ad Feriam secundam post Dominicam in Passione inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Feriam in qua incipiuntur Antiphonæ Laudum notatæ ante Vigiliam Nativitatis Domini exclusive.

Psalmus 50.

MISERERE mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta, et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Auditui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Antiphona. Miserére mei Deus.

Psalmus 5.

VERBA mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Ódisti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣ linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Aña. Intéllige clamórem meum Dómine.

Psalmus 62.

DEUS Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : ℣ sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣ in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣ adhæsit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣ introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣ laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 66.

DEUS misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes : ℣ quóniam júdicas pópu-

los in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus : ℣ confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, ℣ benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terræ.

Aña. Deus Deus meus, ad te de luce vígilo.

Canticum Isaiæ. Isa. 12.

CONFITEBOR tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * convérsus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus, * fiduciáliter agam, et non timébo :

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus salvatóris : * et dicétis in illa die : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus :

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino quóniam magnífice fecit : * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exsúlta, et lauda habitátio Sion : * quia magnus in médio tui sanctus Israel.

Aña. Convérsus est furor tuus Dómine, et consolátus es me.

Psalmus 148.

LAUDATE Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna : * laudáte eum omnes stellæ, et lumen.

Laudáte eum cæli cælórum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ:

Reges terræ, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum, et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 149.

CANTATE Dómino cánticum novum : * laus ejus in eclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória : * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 150.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : ℣ laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri... Sicut erat...

Aña. Laudáte Dóminum de cælis.

IN ADVENTU :

Capitulum Ecce dies véniunt., Hymnus Vox clara. et ℣. Vox clamántis., pag. 20.

Ad Benedictus Antiphona propria.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Capitulum. Rom. 13.

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus. Ecce jam noctis., pag. 21.

℣. In matutínis Dómine meditábor in te. ℟. Quia fuísti adjútor meus.

Ad Benedictus Aña. Benedictus Dóminus Deus Israel.

A SEPTUAGESIMA AD CINERES:

Omnia ut post Octavam Epiphaniæ, præter Antiphonas ad Benedictus, quæ suis locis ponuntur per hebdomadam dicendæ.

A DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Capitulum. Joel. 2.

CONVERTIMINI ad me in toto corde vestro in jejúnio, et fletu, et planctu : et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus Jam Christe sol justitiæ. et ℣. Scuto circúmdabit te., pag. 21.

Ad Benedictus Antiphona propria.

A DOMINICA IN PASSIONE AD CENAM DOMINI :

Capitulum Tu autem Dómine Sábaoth., Hymnus Lustris sex. et ℣. Eripe me de inimícis meis., pag. 21.

Ad Benedictus Antiphona propria.

MODUS DICENDI PRECES IN LAUDIBUS :

Cum de Feria agitur fiuntque prostrationes, præterquam in Parasceve et Sabbato sancto, post Antiphonam ad Benedictus, dicuntur Preces hoc modo:

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos.

Responso Sed líbera nos a malo., immediate additur Dóminus vobíscum. Orémus. et Oratio pro Tempore dicenda.

Finita Oratione, seu finitis Orationibus (si plures dicendæ occurrerint), dictoque iterum Dóminus vobíscum, ac deinde Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias., terminantur Laudes ut notatur post Vesperas Sabbati, nisi consequenter dicendus fuerit ℣. Pretiósa.

AB OCTAVA PASCHÆ AD ASCENSIONEM :

Diebus Ferialibus, Psalmus Dóminus regnávit. et ceteri dicuntur ad Laudes sicut in Dominicis, pag. 17.

Super Psalmos Aña. Allelúia, allelúia.

Capitulum Christus resúrgens., Hymnus Sermóne blando. ℣. Gavísi sunt., pag. 22.

Ad Benedictus (exceptis Feriis Rogationum) Antiphona quæ proprio loco per hebdomadam dicenda notatur. Omittuntur Preces et Prostrationes.

Ad Memoriam de Cruce (quæ quotidie usque ad Vigiliam Ascensionis exclusive facienda est) Antiphona Crucifíxus., ℣. Dícite., Oratio Deus, qui pro nobis., pag. 23.

Post ultimam Orationem, dicto Dóminus vobíscum., sequitur : Benedicámus Dómino, allelúia. ℟. Deo grátias, allelúia.

FERIA TERTIA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Jubilémus Deo * Salutári nostro.

¶ Prædictum Invitatorium dicatur Feria tertia ad Matutinum, quando de Tempore agitur, ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam tertiam post Dominicam quartam Quadragesimæ inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Adventum exclusive.

Hymnus, qui pro Tempore ad Matutinum Dominicæ in Psalterio notatus fuerit.

IN NOCTURNO.

¶ Sequentes Psalmi et sequentes Antiphonæ super Psalmos in Nocturno dicantur, quando de Feria tertia agitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam tertiam Majoris hebdomadæ inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Nativitatem Domini.

¶ Psalmi de Nocturno bini et bini terminantur per ℣. Glória Patri.

Psalmus 38.

DIXI: Custódiam vias meas: * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cum consísteret peccátor advérsum me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui a bonis : * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me : * et in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea: * Notum fac mihi Dómine finem meum,

Et número rum diérum meórum quis est : * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos : * et substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo : * sed et frustra conturbátur.

Thesaurízat : * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est exspectátio mea? nonne Dóminus? * et substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me : * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, et non apérui os meum, quóniam tu fecísti : * ámove a me plagas tuas.

A fortitúdine manus tuæ ego defíci in increpatiónibus : * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vane conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam Dómine, et deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrimas meas.

Ne síleas : quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam, * et ámplius non ero.

Psalmus 39.

EXSPECTANS exspectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * et edúxit me de lacu miséria, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos : * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt : * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua : * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : * multiplicáti sunt super número rum.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam, et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem Dómine ne longe

fácias miseratiónes tuas a me:* misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent et læténtur super te omnes quæréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper : * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus ne tardáveris.

Aña. Ut non delínquam in lingua mea.

Psalmus 40.

BEATUS qui intélligit super egénum, et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, ℣ et beátum fáciat eum in terra : * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei : * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum : * fiat, fiat.

Psalmus 41.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei :

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es,

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum affligit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei :

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Aña. Sana Dómine ánimam meam : quia peccávi tibi.

Psalmus 43.

DEUS áuribus nostris audívimus : * patres nostri annuntiavérunt nobis.

Opus, quod operátus es in diébus eórum : * et in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit, et plantásti eos : * afflixísti pópulos, et expulísti eos :

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * et bráchium eórum non salvávit eos :

Sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultus tui : * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse rex meus et Deus meus : * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * et in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo : * et gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de affligéntibus nos : * et odiéntes nos confudísti.

In Deo laudábimur tota die : * et in nómine tuo confitébimur in sæculum.

Nunc autem repulísti et confudísti nos : * et non egrediéris Deus in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimícos nostros : * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum : * et in géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio : * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem

et derísum his, qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus : * commotiónem cápitis in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est, * et confúsio faciéi meæ coopéruit me.

A voce exprobrántis, et obloquéntis : * a fácie inimíci, et persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te : * et iníque non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retro cor nostrum : * et declinásti sémitas nostras a via tua :

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

Si oblíti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad deum aliénum :

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur tota die : * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exsúrge, quare obdórmis Dómine? * exsúrge, et ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis, * oblivísceris inópiæ nostræ et tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra : * conglutinátus est in terra venter noster.

Exsúrge Dómine, ádjuva nos : * et rédime nos propter nomen tuum.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ,* velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tuis.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Aña. Eructávit cor meum verbum bonum.

Psalmus 45.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret et confríget arma : * et scuta combúret igni:

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Psalmus 46.

OMNES gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti sunt.

Aña. Adjútor in tribulatiónibus.

Psalmus 47.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera aquilónis, civitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, ℣ in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Psalmus 48.

AUDITE hæc omnes gentes : * áuribus percípite omnes, qui habitátis orbem :

Quique terrígenæ, et fílii hóminum : * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam : * et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me :

Qui confídunt in virtúte sua : * et in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, ℣ rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * et laborábit in ætérnum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cum víderit sapiéntes moriéntes : * simul insípiens, et stultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias suas : * et sepúlcra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie, et progénie : * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cum in honóre esset, non intelléxit : * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis : * et póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt : * mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutino : * et auxílium eórum veteráscet in inférno a glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cum accéperit me.

Ne timúeris cum dives factus fúerit homo : * et cum multiplicáta fúerit glória domus ejus.

Quóniam cum interíerit, non sumet ómnia : * neque descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur : * confitébitur tibi cum benefíceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum : * et usque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cum in honóre esset, non intelléxit : * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Aña. Auribus percípite, qui habitátis orbem.

Psalmus 49.

DEUS deórum Dóminus locútus est : * et vocávit terram.

A solis ortu usque ad occásum : * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus maniféste véniet : * Deus noster et non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet : * et in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cælum desúrsum : * et terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus : * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cæli justítiam ejus : * quóniam Deus judex est.

Audi pópulus meus, et loquar : ℣ Israel, et testificábor tibi : * Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te : * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos : * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília cæli : * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi : * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis : * et redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis : * éruam te, et honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus : * Quare tu enárras justítias meas, et assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu vero odísti disciplínam : * et projecísti sermónes meos retrórsum :

Si vidébas furem, currébas cum eo : * et cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia : * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, ℣ et advérsus fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecísti, et tácui.

Existimásti iníque quod ero tui símilis : * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc qui oblivíscimini Deum : * nequándo rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Psalmus 51.

QUID gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Tota die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem : * iniquitátem magis quam loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem, ℣ evéllet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo : * et

radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, et timébunt, ℣ et super eum ridébunt, et dicent : * Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suum : Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum : * et præváluit in vanitáte sua.

Ego autem, sicut olíva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum : et in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum quia fecísti : * et exspectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

Aña. Deus deórum Dóminus locútus est.

IN ADVENTU :

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse. ℟. Et flos de radíce ejus ascéndet.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

℣. Immola Deo sacrifícium laudis. ℟. Et redde Altíssimo vota tua.

IN QUADRAGESIMA :

℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

TEMPORE PASSIONIS :

℣. De ore leónis líbera me Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

VERSICULI ANTE LAUDES.

IN ADVENTU :

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ante Laudes ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

IN QUADRAGESIMA :

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

TEMPORE PASSIONIS :

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES.

¶ Sequentes Psalmi et Canticum Ego dixi. dicantur in Feriis tertiis quando de Feria agitur extra Tempus Paschale. ¶ Antiphonæ vero dicantur quando in Feriis tertiis de Feria agitur ab Octava Epiphaniæ ad Feriam tertiam post Dominicam in Passione inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Feriam in qua incipiuntur Antiphonæ Laudum notatæ ante Vigiliam Nativitatis Domini exclusive.

Psalmus 50.

MISERERE mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miserationum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta, et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocásta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Aña. Secúndum magnam misericórdiam tuam, miserére mei Deus.

Psalmus 42.

JUDICA me Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara Deus Deus meus : * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Aña. Salutáre vultus mei, et Deus meus.

Psalmus 62.

DEUS Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : ℣ sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita

mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣ in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣ adhæsit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣ introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣ laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 66.

DEUS misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus:* confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes : ℣ quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus : ℣ confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, ℣ benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terræ.

Aña. Ad te de luce vígilo Deus.

Canticum Ezechiæ. Isa. 38.

EGO dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra viéntium.

Non aspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea ablata est; et convolúta est a me, * quasi tabernáculum pastórum :

Præcísa est velut a texénte vita mea : ℣ dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me : * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum :

Dómine vim pátior, ℣ respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, ℣ corrípies me, et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima :

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret, * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, ℣ neque mors laudábit te : * non exspectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Aña. Cunctis diébus vitæ nostræ salvos nos fac Dómine.

Psalmus 148.

LAUDATE Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol, et luna : * laudáte eum omnes stellæ, et lumen.

Laudáte eum cæli cælórum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ :

Reges terræ, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum, et terram ; * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 149.

CANTATE Dómino cánticum novum : * laus ejus in eclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória : * lætabúntur in cubilibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 150.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : ℣ laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Aña. Omnes Angeli ejus laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum, Hymnus et ℣. pro Temporum varietate ut notantur Feria secunda ad Laudes in Psalterio pag. 60.

IN ADVENTU :

Ad Benedictus Antiphona propria; Preces feriales, ut pag. 61. et Oratio Dominicæ.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Benedictus Aña. Eréxit Dóminus nobis cornu salútis, in domo David púeri sui.

Preces ut pag. 61., Oratio Dominicæ.

A SEPTUAGESIMA AD CINERES :

Ad Benedictus Antiphona quæ per hebdomadam dicenda proprio loco notata fuerit; Preces, ut pag. 61. et Oratio Dominicæ.

IN QUADRAGESIMA ET TEMPORE PASSIONIS :

Ad Benedictus Antiphona propria, Preces ut pag. 61. et Oratio propria.

Quæ hic notata non sunt fiant ut Feria secunda in Psalterio notatum est.

FERIA QUARTA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. In manu tua Dómine * Omnes fines terræ.

¶ Prædictum Invitatorium dicatur Feria quarta ad Matutinum, quando de Tempore agitur, ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam quartam post Dominicam quartam Quadragesimæ inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Adventum exclusive.

Hymnus, qui pro Tempore ad Matutinum Dominicæ in Psalterio notatus fuerit.

IN NOCTURNO.

¶ Sequentes Psalmi et sequentes Antiphonæ super Psalmos in Nocturno dicantur quando de Feria quarta agitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam quartam Majoris hebdomadæ inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Nativitatem Domini.

¶ Psalmi de Nocturno bini et bini terminantur per ℣. Glória Patri.

Psalmus 52.

DIXIT insipiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in iniquitátibus : * non est qui fáciat bonum.

Deus de cælo prospéxit super fílios hóminum : * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ℣ simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent : * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cum convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, et lætábitur Israel.

Psalmus 54.

EXAUDI Deus oratiónem meam, ℣ et ne despéxeris deprecatiónem meam : * inténde mihi, et exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea : * et conturbátus sum a voce inimíci, et a tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes : * et in ira molésti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me : * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me : * et contexérunt me ténebræ :

Et dixi : ℣ Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, * et volábo, et requiéscam?

Ecce elongávi fúgiens : * et mansi in solitúdine.

Exspectábam eum, qui salvum me fecit * a pusillanimitáte spíritus, et tempestáte.

Præcípita Dómine, dívide linguas eórum : * quóniam vidi iniquitátem, et contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas : * et labor in médio ejus, et injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra, et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset : * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu vero homo unánimis, * dux meus, et notus meus :

Qui simul mecum dulces capiébas cibos : * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos : * et descéndant in inférnum vivéntes :

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum : * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi : * et Dóminus salvábit me.

Véspere, et mane, et merídie narrábo et annuntiábo : * et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his, qui appropínquant mihi : * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio, ℣ et non timuérunt Deum : * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, ℣ divísi sunt ab ira vultus ejus : * et appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum : * et ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, ℣ et ipse te enútriet : * non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo.

Tu vero Deus dedúces eos, * in púteum intéritus.

Viri sánguinum, et dolósi non dimidiábunt dies suos : * ego autem sperábo in te Dómine.

Aña. Avértit Dóminus captivitátem plebis suæ.

Psalmus 55.

MISERERE mei Deus, quóniam conculcávit me homo : * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die : * quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo : * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea exsecrabántur : * advérsum me omnes cogitatiónes eórum, in malum.

Inhabitábunt et abscóndent:* ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, ℣ pro níhilo salvos fácies illos :* in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuísti lácrimas meas in conspéctu tuo,

Sicut et in promissióne tua :* tunc converténtur inimíci mei retrórsum :

In quacúmque die invocávero te : * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, ℣ in Dómino laudábo sermónem:* in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Psalmus 56.

MISERERE mei Deus, miserére mei :* quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum :* Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, et liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam, ℣ et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum :* dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma et sagíttæ : * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cælos Deus:* et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis :* et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam : * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meum :* cantábo, et psalmum dicam.

Exsúrge glória mea, ℣ exsúrge psaltérium et cíthara :* exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine :* et psalmum dicam tibi in géntibus :

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cælos Deus:* et super omnem terram glória tua.

Aña. Quóniam in te confídit ánima mea.

Psalmus 57.

SI vere útique justítiam loquímini : * recta judicáte fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini : * in terra injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres a vulva, ℣ erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndum similitúdinem serpéntis : * sicut áspidis surdæ, et obturántis aures suas,

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * et venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum : * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens : * inténdit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera, quæ fluit, auferéntur : * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priúsquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum : * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus cum víderit vindíctam : * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo : ℣ Si útique est fructus justo : * útique est Deus júdicans eos in terra.

Psalmus 58.

ERIPE me de inimícis meis Deus meus : * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem : * et de viris sánguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam : * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum Dómine : * sine iniquitáte cucúrri, et diréxi.

Exsúrge in occúrsum meum, et vide : * et tu Dómine Deus virtútum, Deus Israel,

Inténde ad visitándas omnes gentes : * non misereáris ómnibus, qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam: ℣ et famem patiéntur ut canes, * et circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, ℣ et gládius in lábiis eórum : * quóniam quis audívit?

Et tu Dómine deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, ℣ quia Deus suscéptor meus es : * Deus meus misericórdia ejus prævéniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos : * nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua: * et depóne eos protéctor meus Dómine :

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum : * et comprehendántur in supérbia sua.

Et de exsecratióne et mendácio annuntiabúntur in consummatióne : * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob : * et fínium terræ.

Converténtur ad vésperam, ℣ et famem patiéntur ut canes: * et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum : * si vero non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam : * et exsultábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor

meus, * et refúgium meum, in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus tibi psallam, ℣ quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus misericórdia mea.

Aña. Justa judicáte fílii hóminum.

Psalmus 59.

DEUS, repulísti nos, et destruxísti nos : * irátus es, et misértus es nobis.

Commovísti terram, et conturbásti eam : * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura : * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem : * ut fúgiant a fácie arcus :

Ut liberéntur dilécti tui : * salvum fac déxtera tua, et exáudi me.

Deus locútus est in sancto suo : * Lætábor, et partíbor Síchimam : et convállem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses : * et Ephraim fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab olla spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munitam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulísti nos : * et non egrediéris Deus in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Psalmus 60.

EXAUDI Deus deprecatiónem meam : * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiónem meam : * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Aña. Da nobis Dómine auxílium de tribulatióne.

Psalmus 61.

NONNE Deo subjécta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus : * suscéptor meus, non movébor ámplius.

Quoúsque irrúitis in hóminem? ℣ interfícitis univérsi vos : * tamquam paríeti inclináto et macériæ depúlsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, ℣ cucúrri in siti : * ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto ánima mea : * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et salvátor meus : * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea : * Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli, ℣ effúndite coram illo corda vestra : * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, ℣ mendáces fílii hóminum in statéris : * ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, ℣ et rapínas nolíte concupíscere : * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi, ℣ quia potéstas Dei est, et tibi Dómine misericórdia : * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Psalmus 63.

EXAUDI Deus oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium, * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : ℣ intendérunt arcum rem amáram, * ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Aña. A timóre inimíci éripe Dómine ánimam meam.

Psalmus 65.

JUBILATE Deo omnis terra, ℣ psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo : quam terribília sunt ópera tua Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi : * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei : * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, ℣ in flúmine pertransíbunt pede : * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, ℣ óculi ejus super gentes respíciunt : * qui exásperant non exalténtur in semetípsis.

Benedícite gentes Deum nostrum : * et audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam : * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos Deus : *

igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, ℣ posuísti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam : * et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis : * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum : * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Psalmus 67.

EXSURGAT Deus, et dissipéntur inimíci ejus, * et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : * sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei : * et delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : ℣ iter fácite ei, qui ascéndit super occásum : * Dóminus nomen illi.

Exsultáte in conspéctu ejus, * turbabúntur a fácie ejus, patris orphanórum, et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo : * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo :

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos, qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus cum egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cum pertransíres in desérto :

Terra mota est, étenim cæli distillavérunt a fácie Dei Sínai, * a fácie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis Deus heredítati tuæ : et infirmáta est, * tu vero perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea : * parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti : * et speciéi domus divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ, * et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cæléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon : * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis : * ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium : *

Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, ℣ cepísti captivitátem : * accepísti dona in homínibus :

Etenim non credéntes, * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie : * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi : * et Dómini, Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum : * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris :

Ut intingátur pes tuus in sánguine : * lingua canum tuórum ex inimícis, ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos Deus, * ingréssus Dei mei : regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

In ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum : * príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Manda Deus virtúti tuæ : * confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibiófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, ℣ congregátio taurórum in vaccis populórum : * ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes, quæ bella volunt : ℣ vénient legáti ex Ægypto : * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo : * psállite Dómino :

Psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli, * ad oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis, ℣ date glóriam Deo super Israel, * magnificéntia ejus, et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, ℣ Deus Israel ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ, * benedíctus Deus.

Ańa. In ecclésiis benedícite Dómino.

IN ADVENTU :

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet, ut salvet pópulum suum.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

℣. Deus vitam meam annuntiávi tibi. ℟. Posuísti lácrimas meas in conspéctu tuo.

IN QUADRAGESIMA :

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperábis.

TEMPORE PASSIONIS :

℣. Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

VERSICULI ANTE LAUDES.

IN ADVENTU :

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ante Laudes ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

IN QUADRAGESIMA :

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

TEMPORE PASSIONIS :

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES.

¶ Sequentes Psalmi et Canticum Exsultávit cor meum. dicantur in Feriis quartis quando de Feria agitur extra Tempus Paschale.

¶ Antiphonæ vero dicantur quando in Feriis quartis de Feria agitur ab Octava Epiphaniæ ad Feriam quartam post Dominicam in Passione inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Feriam in qua incipiuntur Antiphonæ Laudum notatæ ante Vigiliam Nativitatis Domini exclusive.

Psalmus 50.

MISERERE mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miserationum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta, et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Auditui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Aña. Amplius lava me Dómine ab injustítia mea.

Psalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, ℣ et valles abundábunt frumento : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Aña. Te decet hymnus Deus in Sion.

Psalmus 62.

DEUS Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : ℣ sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣ in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣ adhæsit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣ introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣ laudabúntur omnes qui jurant

in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 66.

DEUS misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes : ℣ quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus: ℣ confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, ℣ benedícat nos Deus: * et métuant eum omnes fines terræ.

Ána. Lábia mea laudábunt te in vita mea, Deus meus.

Canticum Annæ. 1. Reg. 2.

EXSULTAVIT cor meum in Dómino, * et exaltátum est cornu meum in Deo meo :

Dilatátum est os meum super inimícos meos : * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus : ℣ neque enim est álius extra te, * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, * gloriántes :

Recédant vétera de ore vestro : ℣ quia Deus scientiárum, Dóminus est, * et ipsi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est, * et infírmi accincti sunt róbore.

Repléti prius, pro pánibus se locavérunt : * et famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos : * et quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat et vivíficat, * dedúcit ad ínferos et redúcit.

Dóminus páuperem facit et ditat, * humíliat et súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem :

Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * et pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, ℣ et ímpii in ténebris conticéscent : * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus : * et super ipsos in cælis tonábit :

Dóminus judicábit fines terræ, ℣ et dabit impérium regi suo, * et sublimábit cornu Christi sui.

Ána. Dóminus judicábit fines terræ.

Psalmus 148.

LAUDATE Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna : * laudáte eum omnes stellæ, et lumen.

Laudáte eum cæli cælórum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non prætería bit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ :

Reges terræ, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines : senes cum juniórĭbus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum, et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 149.

CANTATE Dómino cánticum novum : * laus ejus in eclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória : * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus 150.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : ℣ laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Aña. Cæli cælórum laudáte Deum.

Capitulum, Hymnus et ℣., pro Temporum varietate, ut notantur Feria secunda ad Laudes in Psalterio, pag. 60.

IN ADVENTU :

Ad Benedictus Antiphona propria; Preces feriales ut pag. 61. et Oratio Dominicæ, præterquam Feria quarta Quatuor Temporum, in qua dicitur Oratio propria Feriæ.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ
AD SEPTUAGESIMAM
ET AB OCTAVA TRINITATIS
AD ADVENTUM :

Ad Benedictus Aña. Salútem ex inimícis nostris, et de manu ómnium qui nos odérunt líbera nos Dómine.

Preces ut pag. 61., Oratio Dominicæ præterquam Feria quarta Quatuor Temporum Septembris, in qua dicitur Oratio propria Feriæ.

A SEPTUAGESIMA
AD CINERES :

Ad Benedictus Antiphona, quæ per hebdomadam dicenda proprio loco notata fuerit; Preces ut pag. 61. et Oratio Dominicæ.

IN QUADRAGESIMA ET
TEMPORE PASSIONIS :

Ad Benedictus Antiphona propria; Preces, ut pag. 61. et Oratio propria.

Quæ hic notata non sunt fiant ut Feria secunda in Psalterio notatum est.

FERIA QUINTA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Adorémus Dóminum, * Quóniam ipse fecit nos.

¶ Prædictum Invitatorium dicatur Feria quinta ad Matutinum quando de Tempore agitur, ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam quintam post Dominicam quartam Quadragesimæ inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Adventum exclusive.

Hymnus, qui pro Tempore ad Matutinum Dominicæ in Psalterio notatus fuerit.

IN NOCTURNO.

¶ Sequentes Psalmi et sequentes Antiphonæ super Psalmos in Nocturno dicantur quando de Feria quinta agitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam quintam post Dominicam in Passione inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Nativitatem Domini exclusive.

¶ Psalmi de Nocturno bini et bini terminentur per ℣. Glória Patri.

Psalmus 68.

SALVUM me fac Deus : * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infíxus sum in limo profúndi : * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris : * et tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, ℟ raucæ factæ sunt fauces meæ : * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt, qui persecúti sunt me inimíci mei injúste : * quæ non rápui, tunc exsolvébam.

Deus tu scis insipiéntiam meam : * et delícta mea a te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui exspéctant te Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me * qui quærunt te, Deus Israel.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium : * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me : * et oppróbria exprobrántium tibi, cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam : * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium : * et factus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur qui sedébant in porta : * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego vero oratiónem meam ad te Dómine : * tempus beneplániti Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte salútis tuæ :

Eripe me de luto, ut non infígar : * líbera me ab iis, qui odérunt me, et de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, ℣ neque absórbeat me profúndum : * neque úrgeat super me púteus os suum.

Exáudi me Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua : * secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo : * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, et líbera eam : * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, * impropérium exspectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel : * et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant : * et dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam : * et furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta : * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt : * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum : * et non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de Libro vivéntium : * et cum justis non scribántur.

Ego sum pauper et dolens : * salus tua Deus suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico : * et magnificábo eum in laude :

Et placébit Deo super vítulum novéllum : * córnua producéntem et úngulas.

Vídeant páuperes et læténtur : * quærite Deum, et vivet ánima vestra :

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus : * et vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cæli et terra, * mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion : * et ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * et hereditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam, * et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Psalmus 69.

DEUS in adjutórium meum inténde : * Dómine ad adjuvándum me festína.

Confundántur, et revereántur, * qui quærunt ánimam meam :

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala :

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum : * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : * Dómine ne moréris.

Añ. Dómine Deus in adjutórium meum inténde.

Psalmus 70.

IN te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, ℣ et in locum munítum : * ut salvum me fácias,

Quóniam firmaméntum meum, * et refúgium meum es tu.

Deus meus éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agéntis et iníqui :

Quóniam tu es patiéntia mea Dómine : * Dómine spes mea a juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero : * de ventre matris meæ tu es protéctor meus :

In te cantátio mea semper : * tamquam prodígium factus sum multis : et tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam : * tota die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis : * cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi : * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes : Deus derelíquit eum, ℣ persequímini, et comprehéndite eum : * quia non est qui erípiat.

Deus ne elongéris a me : * Deus meus in auxílium meum réspice.

Confundántur, et defíciant detraheńtes ánimæ meæ : * operiántur confusióne, et pudóre qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo : * et adjíciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit justítiam tuam : * tota die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini : * Dómine memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus docuísti me a juventúte mea : * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et usque in senéctam et sénium : * Deus ne derelínquas me,

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni, quæ ventúra est :

Poténtiam tuam, et justítiam tuam Deus usque in altíssima, quæ fecísti magnália : * Deus quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas et malas : ℣ et convérsus vivificásti me : * et de abyssis terræ íterum reduxísti me :

Multiplicásti magnificéntiam tuam : * et convérsus consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam : * Deus psallam tibi in cíthara, sanctus Israel.

Exsultábunt lábia mea cum cantávero tibi : * et ánima mea, quam redemísti.

Sed et lingua mea tota die meditábitur justítiam tuam : * cum confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Psalmus 71.

DEUS judícium tuum regi da : * et justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, ℣ et salvos fáciet fílios páuperum : * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia et abundántia pacis : * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthiopes : * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum, et Saba dona addúcent :

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi : * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, ℣ et adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, ℣ superextollétur super Líbanum fructus ejus : * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus :

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum : ℣ et replébitur majestáte ejus omnis terra : * fiat, fiat.

Aña. Esto mihi Dómine in Deum protectórem.

Psalmus 72.

QUAM bonus Israel Deus * his, qui recto sunt corde!
Mei autem pene moti sunt pedes : * pene effúsi sunt gressus mei.
Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.
Quia non est respéctus morti eórum : * et firmaméntum in plaga eórum.
In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabúntur :
Ideo ténuit eos supérbia, * opérti sunt iniquitáte et impietáte sua.
Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum : * transiérunt in affféctum cordis.
Cogitavérunt, et locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excélso locúti sunt.
Posuérunt in cælum os suum : * et lingua eórum transívit in terra.
Ideo convertétur pópulus meus hic : * et dies pleni inveniéntur in eis.
Et dixérunt : Quómodo scit Deus, * et si est sciéntia in excélso?
Ecce ipsi peccatóres, et abundántes in sæculo, * obtinuérunt divítias.
Et dixi : ℣ Ergo sine causa justificávi cor meum, * et lavi inter innocéntes manus meas :
Et fui flagellátus tota die, * et castigátio mea in matutínis.
Si dicébam : Narrábo sic : * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.
Existimábam ut cognóscerem hoc, * labor est ante me :
Donec intrem in Sanctuárium Dei : * et intélligam in novíssimis eórum.
Verúmtamen propter dolos posuísti eis : * dejecísti eos dum allevaréntur.
Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbito defecérunt : * periérunt propter iniquitátem suam.
Velut sómnium surgéntium Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.
Quia inflammátum est cor meum, ℣ et renes mei commutáti sunt : * et ego ad níhilum redáctus sum, et nescívi.
Ut juméntum factus sum apud te : * et ego semper tecum.
Tenuísti manum déxteram meam : ℣ et in voluntáte tua deduxísti me, * et cum glória suscepísti me.
Quid enim mihi est in cælo? * et a te quid vólui super terram?
Defécit caro mea, et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.
Quia ecce, qui elóngant se a te, períbunt : * perdidísti omnes, qui fornicántur abs te.
Mihi autem adhærére Deo bonum est : * pónere in Dómino Deo spem meam :
Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis fíliæ Sion.

Psalmus 73.

UT quid Deus repulísti in finem : * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?
Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.
Redemísti virgam hereditátis tuæ : * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem : * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te : * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa : * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum : * in secúri, et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum : * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul : * quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, ℣ jam non est prophéta : * et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo Deus improperábit inimícus : * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem rex noster ante sæcula : * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare : * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis : * dedísti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes, et torrentes : * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecísti omnes términos terræ : * æstátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino : * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum : * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus : * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exsúrge Deus, júdica causam tuam : * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum : * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Añ. Liberásti virgam hereditátis tuæ.

Psalmus 74.

CONFITEBIMUR tibi Deus : * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníque ágere : * et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu :

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab oriénte, neque ab occidénte, neque a desértis móntibus : * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exál-

tat : * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen fæx ejus non est exinanita : * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Psalmus 75.

NOTUS in Judæa Deus : * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua Deus Jacob * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti judícium : * terra trémuit et quiévit,

Cum exsúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro : * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Aña. In Israel magnum nomen ejus.

Psalmus 76.

VOCE mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Deum, et inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum : * et non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea, ℣ memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum : * et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei : * turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos : * et annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * et exercitábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus : * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, * a generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi : Nunc cœpi : * hæc mutátio dexteræ Excélsi.

Memor fui óperum Dómini : * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum,

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis : * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in sancto via tua : ℣ quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecísti in populis virtútem tuam : * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob, et Joseph.

Vidérunt te aquæ Deus, ℣ vidérunt te aquæ : * et timuérunt, et turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquárum : * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt : * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ : * commóta est et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis : * et vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum, * in manu Móysi et Aaron.

Psalmus 77.

ATTENDITE pópule meus legem meam : * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum : * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus et cognóvimus ea : * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta a fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, et virtútes ejus, * et mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob : * et legem pósuit in Israel.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis : * ut cognóscat generátio áltera.

Fílii qui nascéntur, et exsúrgent, * et narrábunt fíliis suis,

Ut ponant in Deo spem suam, ℣ et non obliviscántur óperum Dei : * et mandáta ejus exquírant :

Ne fiant sicut patres eórum : * generátio prava et exásperans.

Generátio, quæ non diréxit cor suum : * et non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Fílii Ephrem intendéntes et mitténtes arcum : * convérsi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei : * et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * et mirabílium ejus quæ osténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perdúxit eos : * et státuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi : * et tota nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo : * et adaquávit eos velut in abysso multa.

Et edúxit aquam de petra : * et dedúxit tamquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt Excélsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis : * ut péterent escas animábus suis.

Et male locúti sunt de Deo : * dixérunt : Numquid póterit Deus paráre mensam in desérto?

Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, * et torréntes inundavérunt.

Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideo audívit Dóminus, et dístulit : * et ignis accénsus est in Jacob, et ira ascéndit in Israel :

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus :

Et mandávit núbibus désuper, * et jánuas cæli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducándum, * et panem cæli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo : * cibária misit eis in abundántia.

Tránstulit Austrum de cælo : * et indúxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes : * et sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum suórum : * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt et saturáti sunt nimis, ℣ et desidérium eórum áttulit eis : * non sunt fraudáti a desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum : * et ira Dei ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum, * et eléctos Israel impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc : * et non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum : * et anni eórum cum festinatióne.

Cum occíderet eos, quærébant eum : * et revertebántur, et dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum : * et Deus excélsus redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * et lingua sua mentíti sunt ei :

Cor autem eórum non erat rectum cum eo : * nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus.

Ipse autem est misércors, ℣ et propítius fiet peccátis eórum : * et non dispérdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram suam : * et non accéndit omnem iram suam :

Et recordátus est quia caro sunt : * spíritus vadens, et non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto, * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et convérsi sunt, et tentavérunt Deum : * et sanctum Israel exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manus ejus, * die qua redémit eos de manu tribulántis,

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * et prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam, et comédit eos : * et ranam, et dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum : * et labóres eórum locústæ.

Et occídit in grándine víneas eórum : * et moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum : * et possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ : ℣ indignatiónem, et iram, et tribulatiónem : * immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, ℣ et non pepércit a morte animábus eórum : * et juménta eórum in morte conclúsit.

Et percússit omne primogénitum in terra Ægypti : * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Et ábstulit sicut oves pópulum suum : * et perdúxit eos tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, et non timuérunt : * et inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem, quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit a fácie eórum gentes : * et sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israel.

Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excélsum : * et testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, et non servavérunt pactum : * quemádmodum patres eórum, convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis : * et in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, et sprevit : * et ad níhilum redégit valde Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum : * et pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum : * et hereditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis : * et vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt : * et víduæ eórum non plorabántur.

Et excitátus est tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus a vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra : * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph : * et tribum Ephraim non elégit :

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra, * quam fundávit in sæcula.

Et elégit David servum suum, ℣ et sústulit eum de grégibus óvium : * de post fetántes accépit eum.

Páscere Jacob servum suum, * et Israel hereditátem suam :

Et pavit eos in innocéntia cordis sui : * et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Aña. Tu es Deus qui facis mirabília.

Psalmus 78.

DEUS venérunt gentes in hereditátem tuam, ℣ polluérunt templum sanctum tuum : * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cæli : * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem : * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris : * subsannátio et illúsio his, qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo Dómine irascéris

in finem : * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes, quæ te non novérunt : * et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt :

Quia comedérunt Jacob : * et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, ℣ cito anticipent nos misericórdiæ tuæ : * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutáris noster : ℣ et propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos : * et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum :

Ne forte dicant in géntibus : Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris.

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est : * introéat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum : * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in sæculum :

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Psalmus 79.

Qui regis Israel inténde : * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraim, Bénjamin, et Manásse.

Excita poténtiam tuam, et veni, * ut salvos fácias nos.

Deus convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúsque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrimárum : * et potum dabis nobis in lácrimis in mensúra?

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris : * et inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Víneam de Ægypto transtulísti : * ejecísti gentes, et plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus : * plantásti radíces ejus, et implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus : * et arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare : * et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus : * et vindémiant eam omnes, qui prætergrediúntur viam?

Exterminávit eam aper de silva : * et singulàris ferus depástus est eam.

Deus virtútum convértere : * réspice de cælo, et vide, et vísita víneam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, et suffóssa * ab increpatióne vultus tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Et non discédimus a te, vivificábis nos : * et nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Aña. Propítius esto peccátis nostris Dómine.

IN ADVENTU :

℣. Ex Sion spécies decóris ejus, ℟. Deus noster maniféste véniet.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

℣. Gaudébunt lábia mea, cum cantávero tibi. ℟. Et ánima mea, quam redemísti.

IN QUADRAGESIMA :

℣. Dicet Dómino : Suscéptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum Deus meus.

FERIA QUINTA POST DOMINICAM IN PASSIONE :

℣. Erue a frámea Deus ánimam meam. ℟. Et de manu canis únicam meam.

VERSICULI ANTE LAUDES.

IN ADVENTU :

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ante Laudes ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

IN QUADRAGESIMA :

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

FERIA QUINTA POST DOMINICAM IN PASSIONE :

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES.

¶ Sequentes Psalmi et Canticum Cantémus Dómino. dicantur in Feriis quintis quando de Feria agitur extra Tempus Paschale.

¶ Antiphonæ vero dicantur quando in Feriis quintis de Feria agitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam quintam post Dominicam in Passione inclusive et ab Octava Trinitatis usque ad Feriam in qua incipiuntur Antiphonæ Laudum notatæ ante Vigiliam Nativitatis Domini exclusive.

Psalmus 50. Miserére. pag. 81.

Aña j. Tibi soli peccávi Dómine, miserére mei.

Psalmus 89.

DOMINE, refúgium factus es nobis : * a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fierent, aut formarétur terra, et orbis : * a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem : * et dixísti : Convertímini fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna, quæ prætériit,

Et custódia in nocte, * quæ

pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, ℣ mane flóreat, et tránseat : * véspere décidat, indúret et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo : * sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt : * et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur : * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus, octogínta anni : * et ámplius eórum, labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo : * et corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ : * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac : * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere Dómine úsquequo? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua : * et exsultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti : * annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua : * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos : * et opus mánuum nostrárum dírige.

Aña ij. Dómine refúgium factus es nobis.

Psalmus 62. Deus Deus meus. et Psalmus 66. Deus misereátur nostri., pag. 82. et pag. 83.

Aña iij. In matutínis Dómine meditábor in te.

Canticum Moysis. Exodi 15.

CANTEMUS Dómino : glorióse enim magnificátus est, * equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem :

Iste Deus meus, et glorificábo eum : * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, Omnípotens nomen ejus. * Currus Pharaónis et exércitum ejus projécit in mare :

Elécti príncipes ejus submérsi sunt in Mari rubro. ℣ Abyssi operuérunt eos, * descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua Dómine magnificáta est in fortitúdine : ℣ déxtera tua Dómine percússit inimícum. * Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos :

Misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam. * Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ :

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus : Pérsequar et comprehéndam, ℣ dívidam spólia, * implébitur ánima mea :

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare : * submérsi sunt quasi plumbum in aquis vehemémtibus.

Quis símilis tui in fórtibus Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, ℣ et devorávit eos terra. * Dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti :

Et portásti eum in fortitúdine tua, * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt : * dolóres obtinuérunt habitatóres Philisthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor : * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor, *in magnitúdine bráchii tui :

Fiant immóbiles quasi lapis, ℣ donec pertránseat pópulus tuus Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, et plantábis in monte hereditátis tuæ, *firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es Dómine :

Sanctuárium tuum Dómine, quod firmavérunt manus tuæ. * Dóminus regnábit in ætérnum et ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus ejus in mare : * et redúxit super eos Dóminus aquas maris :

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Aña iv. In ætérnum Dóminus regnábit, et ultra.

Ps. 148. Laudáte Dóminum de cælis., et ceteri, pag. 83. et pag. 84.

Aña v. In sanctis ejus laudáte Deum.

Capitulum, Hymnus et ℣. pro Temporum varietate, ut notantur Feria secunda ad Laudes in Psalterio, pag. 60.

IN ADVENTU :

Ad Benedictus Antiphona propria; Preces feriales, ut pag. 61.; Oratio Dominicæ.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Benedictus, Aña. In sanctitáte serviámus Dómino, et liberábit nos ab inimícis nostris.

Preces ut pag. 61.; Oratio Dominicæ.

FERIIS QUINTIS POST SEPTUAGESIMAM ET SEXAGESIMAM :

Ad Benedictus Antiphona quæ per hebdomadam dicenda proprio loco notata fuerit; Preces ut pag. 61.; Oratio Dominicæ.

A FERIA QUINTA POST CINERES AD FERIAM QUINTAM POST DOMINICAM IN PASSIONE INCLUSIVE :

Ad Benedictus Antiphona propria; Preces ut pag. 61.; Oratio propria.

Quæ hic notata non sunt fiant ut Feria secunda in Psalterio notatum est.

FERIA SEXTA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminum, qui fecit nos, * Veníte adorémus.

¶ Prædictum Invitatorium dicatur Feria sexta ad Matutinum, quando de Tempore agitur, ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam sextam post Dominicam quartam Quadragesimæ inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Adventum exclusive.

Hymnus, qui pro Tempore ad Matutinum Dominicæ in Psalterio notatus fuerit.

IN NOCTURNO.

¶ Sequentes Psalmi et sequentes Antiphonæ super Psalmos in Nocturno dicantur, quando de Feria sexta agitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam sextam post Dominicam in Passione inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Nativitatem Domini.

¶ Psalmi de Nocturno bini et bini terminentur per ℣. Glória Patri.

Psalmus 80.

EXSULTATE Deo adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum : * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Bucináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ :

Quia præcéptum in Israel est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti : * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, et contestábor te : * Israel si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israel si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Psalmus 81.

DEUS stetit in synagóga deórum : * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequo judicátis iniquitátem : * et fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno, et pupíllo : * húmilem, et páuperem justificáte.

Erípite páuperem : * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, & in ténebris ámbulant : * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi : Dii estis, * et fílii excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini : * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge Deus, júdica terram : * quóniam tu hereditábis in ómnibus géntibus.

Aña. Exsultáte Deo adjutóri nostro.

Psalmus 82.

DEUS, quis símilis erit tibi? * nę táceas, neque compescáris Deus :

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt : * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium : * et cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, et disperdámus eos de gente : * et non memorétur nomen Israel ultra.

Quóniam cogitavérunt unanímiter, * simul advérsum te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumæórum et Ismaelítæ :

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec : * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis:* facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísaræ : * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor: * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb, et Zeb, * et Zebee, et Sálmana :

Omnes príncipes eórum: * qui dixérunt: Hereditáte possideámus Sanctuárium Dei.

Deus meus pone illos ut rotam : * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis, qui combúrit silvam : * et sicut flamma combúrens montes :

Ita persequéris illos in tempestáte tua : * et in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomínia : * et quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant, et conturbéntur in sæculum sæculi : * et confundántur, et péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus : * tu solus Altíssimus in omni terra.

Psalmus 83.

QUAM dilécta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ℣ ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus:* et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ańa. Tu solus Altíssimus super omnem terram.

Psalmus 84.

BENEDIXISTI Dómine terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Psalmus 85.

INCLINA Dómine aurem tuam, et exáudi me : * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te Dómine ánimam meam levávi.

Quóniam tu Dómine suávis, et mitis : * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe Dómine oratiónem meam : * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis Dómine : * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, ℣ vénient, et adorábunt coram te Dómine : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me Dómine in via tua, ℣ et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum :

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, ℣ da impérium tuum púero tuo : * et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ℣ ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu Dómine adjuvísti me, et consolátus es me.

Aña. Benedixísti Dómine terram tuam.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, ℣ et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Psalmus 87.

DOMINE Deus salútis meæ : * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber :

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, ℣ quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me : * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te Dómine tota die : * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília : * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua : * et justítia tua in terra oblivióni?

Et ego ad te Dómine clamávi : * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid Dómine repéllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea : * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ : * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum, et próximum : * et notos meos a miséria.

Aña. Fundaménta ejus in móntibus sanctis.

Psalmus 88.

MISERICORDIAS Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti : In ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis : * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, ℣ jurávi David servo meo : * Usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiónem, et generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine : * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino : * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum : * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum quis símilis tibi? * potens es Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris : * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum : * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli, et tua est terra, ℣ orbem terræ et plenitúdinem ejus tu fundásti : * aquilónem, et mare tu creásti.

Thabor et Hermon in nómine tuo exsultábunt : * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua : * justítia et judícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam : * beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, ℣ et in nómine tuo exsultábunt tota die : * et in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es : * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra : * et sancti Israel regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, ℣ et dixísti : Pósui adjutórium in poténte : * et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum : * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei : * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo,* et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos ejus : * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus : * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me : Pater meus es tu : * Deus meus, et suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam : * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, * et thronum ejus sicut dies cæli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam : * et in judíciis meis non ambuláverint :

Si justítias meas profanáverint : * et mandáta mea non custodíerint :

Visitábo in virga iniquitátes eórum : * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo : * neque nocébo in veritáte mea :

Neque profanábo testaméntum meum : * et quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo, ℣ si David méntiar : * Semen ejus in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu ..o, ℣ et sicut luna perfécta in ætérnum : * et testis in cælo fidélis.

Tu vero repulísti et despexísti : * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui : * profanásti in terra Sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus : * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam : * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum : * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus : * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne : * et sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus:* perfudísti eum confusióne.

Usquequo Dómine avértis in finem :* exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia : * numquid enim vane constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem : * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto Dómine oppróbrii servórum tuórum * (quod contínui in sinu meo) multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum : * fiat, fiat.

Psalmus 93.

DEUS ultiónum Dóminus : * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre qui júdicas terram : * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres Dómine : * úsquequo peccatóres gloriabúntur :

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem : * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum Dómine humiliavérunt : * et hereditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt : * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo : * et stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non considerat?

Qui córripit gentes, non árguet : * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris Dómine : * et de lege tua docúeris eum.

Ut mítiges ei a diébus malis : * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam : * et hereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium : * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me : * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus : * misericórdia tua Dómine adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo : * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis : * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi : * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium : * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum : ℟ et in malítia eórum dispérdet eos : * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ańa. Benedíctus Dóminus in ætérnum.

¶ Sequens Psalmus Veníte, exsultémus Dómino. hic omittitur, quando de Feria sexta fit Officium.

Psalmus 94.

VENITE, exsultémus Dómino : * jubilémus Deo salutári nostro :

Præoccupémus fáciem ejus in confessióne : * et in psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus : * et rex magnus super omnes deos.

Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ : * et altitúdines móntium ipsius sunt.

Quóniam ipsius est mare, et ipse fecit illud : * et siccam manus ejus formavérunt.

Veníte adorémus, et procidámus : et p ɛmus ante

Dóminum, qui fecit nos. * Quia ipse est Dóminus Deus noster :

Et nos pópulus páscuæ ejus, et oves manus ejus. * Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra;

Sicut in irritatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ℣ ubi tentavérunt me patres vestri, * probavérunt me, et vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis offénsus fui generatióni illi, * et dixi : Semper hi errant corde.

Et isti non cognovérunt vias meas : ℣ ut jurávi in ira mea : * Si introíbunt in réquiem meam.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus.

IN ADVENTU :

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse. ℟. Et flos de radíce ejus ascéndet.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

℣. Beátus homo, quem tu erudíeris Dómine. ℟. Et de lege tua docúeris eum.

IN QUADRAGESIMA :

℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

FERIA SEXTA POST DOMINICAM IN PASSIONE :

℣. De ore leónis líbera me Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

VERSICULI ANTE LAUDES.

IN ADVENTU :

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ante Laudes ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

IN QUADRAGESIMA :

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

FERIA SEXTA POST DOMINICAM IN PASSIONE :

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES.

¶ Sequentes Psalmi et Canticum Dómine audívi audítum tuum. dicantur in Feriis sextis, quando de Feria agitur extra Tempus Paschale.

¶ Antiphonæ vero dicantur quando in Feriis sextis de Feria agitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Feriam sextam post Dominicam in Passione inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Feriam in qua incipiuntur Antiphonæ Laudum notatæ ante Vigiliam Nativitatis Domini exclusive.

Psalmus 50. Miserére., pag. 81.

Aña j. Spíritu principáli confírma cor meum Deus.

Psalmus 142.

DOMINE exáudi oratiónem meam : ℣ áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judicium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, ℣ meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi :

Velóciter exáudi me Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum Dómine vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Aña ij. In veritáte tua exáudi me Dómine.

Psalmus 62. Deus Deus meus. et Psalmus 66. Deus misereátur nostri., pag. 82. et pag. 83.

Aña iij. Illúmina Dómine vultum tuum super nos.

Cantic. Habacuc. Habacuc 3.

DOMINE audívi auditiónem tuam, * et timui.

Dómine opus tuum, * in médio annórum vivífica illud :

In médio annórum notum fácies : * cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab austro véniet, * et sanctus de monte Pharan :

Opéruit cælos glória ejus : * et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit : * córnua in mánibus ejus :

Ibi abscóndita est fortitúdo ejus : * ante fáciem ejus ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus. * Stetit, et mensus est terram.

Aspéxit, et dissólvit gentes : * et contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi, * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ, * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es Dómine? ℣ aut in flumínibus furor tuus? * vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos : * et quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juraménta tríbubus, quæ locútus es :

Flúvios scindes terræ : ℣ vidérunt te, et doluérunt montes : * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol, et luna stetérunt in habitáculo suo, * in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * et in furóre obstupefácies gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui : * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii : * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, ℣ cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exsultátio eórum * sicut ejus, qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus : * a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * et subter me scáteat.

Ut requiéscam in die tribulatiónis : * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit : * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ : * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus : * et non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo : * et exsultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea : * et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor : * in psalmis canéntem.

Ana iv. Dómine audívi auditum tuum, et tímui.

Ps. 148. Laudáte Dóminum de cælis., et ceteri, pag. 83. et pag. 84.

Ana v. In tympano, et choro, in chordis, et órgano, laudáte Deum.

Capitulum, Hymnus et ℣. pro Temporum varietate, ut notantur Feria secunda ad Laudes in Psalterio, pag. 60.

IN ADVENTU :

Ad Benedictus Antiphona propria; Preces feriales, ut pag. 61.; Oratio Dominicæ, præterquam Feria sexta Quatuor Temporum, in qua dicitur Oratio propria Feriæ.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM, ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Benedictus Ana. Per víscera misericórdiæ Dei nostri, in quibus visitávit nos óriens ex alto.

Preces, ut pag. 61.; Oratio Dominicæ præterquam Feria sexta Quatuor Temporum Septembris, in qua dicitur Oratio propria Feriæ.

FERIIS SEXTIS POST SEPTUAGESIMAM ET SEXAGESIMAM :

Ad Benedictus Antiphona, quæ per hebdomadam dicenda proprio loco notata fuerit; Preces ut pag. 61.; Oratio Dominicæ.

A FERIA SEXTA POST CINERES AD FERIAM SEXTAM POST DOMINICAM IN PASSIONE INCLUSIVE :

Ad Benedictus Antiphona propria; Preces ut pag. 61.; Oratio propria.

Quæ hic notata non sunt fiant ut Feria secunda in Psalterio notatum est.

SABBATO.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Dóminum Deum nostrum * Veníte, adorémus.

℣ Prædictum Invitatorium dicatur Sabbato ad Matutinum, quando de Tempore agitur, ab Octava Epiphaniæ usque ad Sabbatum post Dominicam quartam Quadragesimæ inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Adventum exclusive.

Hymnus, qui pro Tempore ad Matutinum Dominicæ in Psalterio notatus fuerit.

IN NOCTURNO.

℣ Sequentes Psalmi et sequentes Antiphonæ super Psalmos in Nocturno dicantur, quando de Sabbato agitur, ab Octava Epiphaniæ usque ad Sabbatum post Dominicam in Passione inclusive, et ab Octava Trinitatis ad Nativitatem Domini.

℣ Psalmi de Nocturno bini et bini terminentur per ℣. Glória Patri.

Psalmus 97.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : ℟ moveátur mare, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℟ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Psalmus 98.

DOMINUS regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : ℟ quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℟ et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses, et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos : * Deus tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℣ et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Aña. Quia mirabília fecit Dóminus.

Psalmus 99.

JUBILATE Deo omnis terra : * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exsultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus : * ipse fecit nos, et non ipsi nos :

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus : ℣ introíte portas ejus in confessióne, * átria ejus in hymnis : confitémini illi.

Laudáte nomen ejus : quóniam suávis est Dóminus, ℣ in ætérnum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Psalmus 100.

MISERICORDIAM, et judícium * cantábo tibi Dómine :

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domus meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam : * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum : * declinántem a me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secréto próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ ut sédeant mecum : * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meæ qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ : * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Aña. Jubiláte Deo omnis terra.

Psalmus 101.

DOMINE exáudi oratiónem meam : * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me : * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei : * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, et áruit cor meum : * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : * et qui laudábant me advérsum me jurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignatiónis tuæ : * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes : * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exsúrgens miseréberis Sion : * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion : * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium : * et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de cælo in terram aspéxit :

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : * et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu Dómine terram fundásti : * et ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt : * et semen eórum in sæculum dirigétur.

Psalmus 102.

BENEDIC ánima mea Dómino : * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus :

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua :

Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Miserátor, et miséricors Dóminus : * longánimis, et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cæli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, ℣ misértus est Dóminus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : ℣ homo, sicut fœnum dies ejus, * tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus :

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam : * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus : * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Aña. Clamor meus ad te véniat Deus.

Psalmus 103.

BENEDIC ánima mea Dómino : * Dómine Deus meus magnificátus es veheménter.

Confessiónem, et decórem indúisti : * amíctus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens cælum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis Angelos tuos, spíritus : * et minístros tuos, ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus : * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient: * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes : et descéndunt campi * in locum, quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri: * exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens fœnum juméntis, * et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * et vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo: * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, ℣ et cedri Líbani, quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : ℣ montes excélsi cervis:* petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt : * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum: * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine! ℣ ómnia in sapiéntia fecísti : * impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus : * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt :

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia a te exspéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent : * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur : ℣ áuferes spíritum eórum, et defícient, * et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur : * et renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis :

Qui réspicit terram, et facit eam trémere: * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, ℣ et iníqui ita ut non sint : * bénedic ánima mea Dómino.

Psalmus 104.

CONFITEMINI Dómino, et invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei : * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus : * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, et confirmámini : * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit : * prodígia ejus, et judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus:* fílii Jacob, elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster : * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testaménti sui : * verbi, quod mandávit in mille generatiónes :

Quod dispósuit ad Abra-

ham : * et juraménti sui ad Isaac :

Et státuit illud Jacob in præcéptum : * et Israel in testaméntum ætérnum :

Dicens : Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hereditátis vestræ.

Cum essent número brevi, * paucíssimi, et íncolæ ejus :

Et pertransiérunt de gente in gentem, * et de regno ad pópulum álterum..

Non relíquit hóminem nocére eis : * et corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos : * et in prophétis meis nolíte malignári.

Et vocávit famem super terram : * et omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum : * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ℣ ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum : ℣ misit rex, et solvit eum : * princeps populórum, et dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domus suæ : * et príncipem omnis possessiónis suæ :

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum : * et senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israel in Ægyptum : * et Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter : * et firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus : * et dolum fácerent in servos ejus.

Misit Móysen servum suum : * Aaron, quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * et prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, et obscurávit : * et non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem : * et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, et venit cœnomyía : et cínifes * in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percússit víneas eórum, et ficúlneas eórum : * et contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, et venit locústa, et bruchus, * cujus non erat número :

Et comédit omne fœnum in terra eórum : * et comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terra eórum : * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto et auro : * et non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum : * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit cotúrnix : * et pane cæli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquæ : * abiérunt in sicco flúmina;

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exsultatióne, * et eléctos suos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium : * et labóres populórum possedérunt :

Ut custódiant justificatiónes ejus, * et legem ejus requírant.

Ana. Bénedic ánima mea Dómino.

Psalmus 105.

CONFITEMINI Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti, qui custódiunt judícium, * et fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui : * vísita nos in salutári tuo :

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ℣ ad lætándum in lætítia gentis tuæ : * ut laudéris cum hereditáte tua.

Peccávimus cum pátribus nostris : * injúste égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua : * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * Mare rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum : * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit Mare rubrum, et exsiccátum est : * et dedúxit eos in abyssis sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium : * et redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos : * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus : * et laudavérunt laudem ejus.

Cito fecérunt, oblíti sunt óperum ejus : * et non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto : * et tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum : * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris, * Aaron sanctum Dómini.

Apérta est terra, et deglutívit Dathan : * et opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exársit ignis in synagóga eórum : * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb : * et adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vituli comeditis fœnum.

Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos, ℣ qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham : * terribília in Mari rubro.

Et dixit ut dispérderet eos : * si non Móyses eléctus ejus stetísset in confractióne in conspéctu ejus :

Ut avérteret iram ejus ne dispérderet eos : * et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem:

Non credidérunt verbo ejus, ℣ et murmuravérunt in tabernáculis suis : * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos : * ut prostérneret eos in desérto :

Et ut dejíceret semen eórum

in natiónibus : * et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor : * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis : * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit : * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem et generatiónem usque in sempitérnum.

Et irritavérunt eum ad Aquas contradictiónis : ℣ et vexátus est Móyses propter eos : * quia exacerbavérunt spíritum ejus.

Et distínxit in lábiis suis : * non disperdidérunt gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commísti sunt inter gentes, ℣ et didicérunt ópera eórum : et serviérunt sculptílibus eórum : * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos, * et fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem : * sánguinem filiórum suórum et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infécta est terra in sanguínibus, ℣ et contamináta est in opéribus eórum : * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum : * et abominátus est hereditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium : * et dominati sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, ℣ et humiliáti sunt sub mánibus eórum : * sæpe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo : * et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cum tribularéntur : * et audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui : * et pœnítuit eum secúndum multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac Dómine Deus noster : * et cóngrega nos de natiónibus :

Ut confiteámur nómini sancto tuo : * et gloriémur in laude tua.

Benedíctus Dóminus Deus Israel a sæculo et usque in sæculum : * et dicet omnis pópulus : Fiat, fiat.

Psalmus 106.

CONFITEMINI Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt a Dómino, ℣ quos redémit de manu inimíci : * et de regiónibus congregávit eos :

A solis ortu, et occásu : * ab aquilóne, et mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso : * viam civitátis habitáculi non invenérunt,

Esuriéntes, et sitiéntes : * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam : * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia satiávit ánimam inánem : * et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris, et umbra mortis : * vinctos in mendicitáte, et ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei : * et consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum : * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, et umbra mortis : * et víncula eórum disrúpit.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia contrívit portas æreas: * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum : * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta est ánima eórum : * et appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos : * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacrífícent sacrifícium laudis : * et annúntient ópera ejus in exsultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis.

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * et mirabília ejus in profúndo.

Dixit, et stetit spíritus procéllæ : * et exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascéndunt usque ad cælos, ℣ et descéndunt usque ad abyssos : * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, et moti sunt sicut ébrius : * et omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur, * et de necessitátibus eórum edúxit eos.

Et státuit procéllam ejus in auram : * et siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt quia siluérunt : * et dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésia plebis : * et in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum : * et éxitus aquárum in sitim.

Terram fructíferam in salsúginem, * a malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárum : * et terram sine aqua in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes : * et constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas : * et fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, et multiplicáti sunt nimis : * et juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt : * et vexáti sunt a tribulatióne malórum, et dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes : * et erráre fecit eos in ínvio, et non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia : * et pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, et lætabúntur : * et omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens et custódiet hæc? * et intélliget misericórdias Dómini?

Aña. Vísita nos Dómine in salutári tuo.

Psalmus 107.

PARATUM cor meum Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psallam in glória mea.

Exsúrge glória mea, ℣ exsúrge psaltérium, et cíthara : * exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine : * et psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cælos misericórdia tua : * et usque ad nubes véritas tua :

Exaltáre super cælos Deus, ℣ et super omnem terram glória tua : * ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua : et exáudi me : * Deus locútus est in sancto suo :

Exsultábo, et dívidam Síchimam, * et convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses : * et Ephraim susséptio cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu Deus, qui repulísti nos, * et non exíbis Deus in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Psalmus 108.

DEUS laudem meam ne tacúeris : * quia os peccatóris, et os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me lingua dolósa, ℣ et sermónibus ódii circumdedérunt me : * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi : * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis : * et ódium pro dilectióne mea.

Constítue super eum peccatórem : * et diábolus stet a dextris ejus.

Cum judicátur, éxeat condemnátus : * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci : * et episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani : * et uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, et mendícent : * et ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fenerátor omnem substántiam ejus : * et dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor : * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu

Domini : * et peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, ℣ et dispéreat de terra memória eórum : * pro eo quod non est recordátus fácere misericórdiam.

Et persecútus est hóminem ínopem, et mendícum, * et compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, et véniet ei : * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum, * et intrávit sicut aqua in interióra ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur : * et sicut zona, qua semper præcíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum : * et qui loquúntur mala advérsus ánimam meam.

Et tu Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum : * quia suávis est misericórdia tua.

Líbera me quia egénus, et pauper ego sum : * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cum declínat, ablátus sum : * et excússus sum sicut locústæ.

Génua mea infirmáta sunt a jejúnio : * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis : * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me Dómine Deus meus : * salvum me fac secúndum misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc : * et tu Dómine fecísti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces : ℣ qui insúrgunt in me, confundántur : * servus autem tuus lætábitur.

Induántur qui détrahunt mihi, pudóre : * et operiántur sicut diplóide confusióne sua.

Confitébor Dómino nimis in ore meo : * et in médio multórum laudábo eum :

Quia ástitit a dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Aña. Confitébor Dómino nimis in ore meo.

IN ADVENTU :

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet, ut salvet pópulum suum.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

IN QUADRAGESIMA :

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis ejus sperábis.

SABBATO POST DOMINICAM IN PASSIONE :

℣. Ne perdas cum ímpiis Deus ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

VERSICULI ANTE LAUDES.

IN ADVENTU :

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum Dómine Dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ante Laudes ℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

IN QUADRAGESIMA :

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

SABBATO POST DOMINICAM IN PASSIONE :

Ante Laudes ℣. Inténdè ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES.

¶ Sequentes Psalmi et Canticum Audíte cæli. dicantur in Sabbatis, quando de Sabbato agitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Sabbatum post Dominicam in Passione inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusive.

¶ Antiphonæ vero dicantur, quando de Sabbato agitur, ab Octava Epiphaniæ usque ad Sabbatum post Dominicam in Passione inclusive, et ab Octava Trinitatis usque ad Feriam in qua incipiuntur Antiphonæ Laudum notatæ ante Vigiliam Nativitatis Domini exclusive.

Psalmus 50. Miserére. pag. 81.

Aña j. Benígne fac in bona voluntáte tua Dómine.

Psalmus 91.

BONUM est confitéri Dómino : * et psállere nómini tuo Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo, psaltério : * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me Dómine in factúra tua : * et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine ! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet : * et stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut fœnum : * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in sæculum sæculi : * tu autem Altíssimus in ætérnum Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui Dómine, ℣ quóniam ecce inimíci tui períbunt : * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus, ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : * et bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus Deus noster : * et non est iníquitas in eo.

Aña ij. Bonum est confitéri Dómino.

Psalmus 62. Deus Deus meus. et Psalmus 66. Deus misereátur nostri., pag. 82. et pag. 83.

Aña iij. Métuant Dóminum omnes fines terræ.

Canticum Moysis. Deut. 32.

AUDITE cæli quæ loquor, * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea, * fluat ut ros elóquium meum.

Quasi imber super herbam, ℣ et quasi stillæ super grámina. * Quia nomen Dómini invocábo :

Date magnificéntiam Deo nostro. * Dei perfécta sunt ópera, et omnes viæ ejus judícia :

Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, justus et rectus. * Peccavérunt ei, et non fílii ejus in sórdibus :

Generátio prava atque pervérsa. * Hæccine reddis Dómino pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas :

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi : * majóres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes : * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israel.

Pars autem Dómini, pópulus ejus : * Jacob funículus hereditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, et vastæ solitúdinis :

Circumdúxit eum, et dócuit : * et custodívit quasi pupillam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expándit alas suas, et assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit : * et non erat cum eo deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram : * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de saxo duríssimo.

Butyrum de arménto, et lac de óvibus * cum ádipe agnórum, et aríetum filiórum Basan :

Et hircos cum medúlla trítici, * et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, et recalcitrávit : * incrassátus, impinguátus, dilatátus,

Derelíquit Deum factórem suum, * et recéssit a Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, et non Deo, * diis, quos ignorábant :

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum, qui te génuit dereliquísti, * et oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, et ad iracúndiam concitátus est : * quia provocavérunt eum fílii sui et fíliæ.

Et ait : ℣ Abscóndam fáciem meam ab eis, * et considerábo novíssima eórum :

Generátio enim pervérsa est, * et infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in eo, qui non erat Deus, * et irritavérunt in vanitátibus suis :

Et ego provocábo eos in eo, qui non est pópulus, * et in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * et ardébit usque ad inférni novíssima :

Devorabítque terram cum gérmine suo, * et móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala, * et sagíttas meas complébo in eis.

Consuméntur fame, * et devorábunt eos aves morsu amaríssimo :

Dentes bestiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, et intus pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi : Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli : * ne forte superbírent hostes eórum,

Et dícerent : Manus nostra excélsa, et non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, et sine prudéntia. * Utinam sáperent, et intellígerent, ac novíssima providérent.

Quómodo persequátur unus mille, * et duo fugent decem míllia?

Nonne ídeo, quia Deus suus véndidit eos, * et Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum : * et inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * et de suburbánis Gomórrhæ :

Uva eórum uva fellis, * et botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * et venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * et signáta in thesáuris meis?

Mea est últio, et ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum :

Juxta est dies perditiónis, * et adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis miserébitur :

Vidébit quod infirmáta sit manus, ℣ et clausi quoque defecérunt, * residuíque consúmpti sunt.

Et dicet : Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * et bibébant vinum libáminum :

Surgant, et opituléntur vobis, * et in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quod ego sim solus, * et non sit álius Deus præter me :

Ego occídam, et ego vívere fáciam : ℣ percútiam, et ego sanábo, * et non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cælum manum meam, et dicam : * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * et arripúerit judícium manus mea :

Reddam ultiónem hóstibus meis, * et his qui odérunt me retríbuam.

Inebriábo sagíttas meas sánguine, * et gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum, * et de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte gentes pópulum ejus, * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur :

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum, * et propítius erit terræ pópuli sui.

Aña iv. Et in servis suis Dóminus miserébitur.

Ps. 148. Laudáte Dóminum de cælis. et ceteri, pag. 83. et pag. 84.

Aña v. In cymbalis benesonántibus laudáte Deum.

Capitulum, Hymnus et ℣. pro Temporum varietate, ut notantur Feria secunda ad Laudes in Psalterio, pag. 60.

IN ADVENTU :

Ad Benedictus Antiphona propria; Preces feriales, ut pag. 61.; Oratio Dominicæ, præterquam Sabbato Quatuor Temporum, in quo dicitur Oratio propria Sabbati.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Benedictus Aña. In viam pacis dírige nos Dómine.

Preces, ut pag. 61.; Oratio Dominicæ, præterquam in Sabbato Quatuor Temporum Septembris, in quo dicitur Oratio propria Sabbati.

SABBATIS POST SEPTUAGES. ET SEXAGESIMAM :

Ad Benedictus Antiphona, quæ per hebdomadam dicenda proprio loco notata fuerit; Preces, ut pag. 61.; Oratio Dominicæ.

A SABBATO POST CINERES AD SABBATUM POST DOMINICAM IN PASSIONE INCLUSIVE :

Ad Benedictus Antiphona propria; Preces, ut pag. 61.; Oratio propria.

Quæ hic notata non sunt fiant ut Feria secunda in Psalterio notatum est.

DOMINICA AD VESPERAS.

¶ Sequentes Psalmi dicantur omnibus Dominicis in Vesperis, quando de simplici Dominica agitur.

¶ Antiphonæ vero super Psalmos dicantur in Vesperis a Dominica j. post Octavam Epiphaniæ usque ad Dominicam in Ramis palmarum inclusive, et a Dominica j. post Octavam Trinitatis usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusive, quando de Dominica agitur.

¶ Tempore Paschali super Psalmos dicitur una tantum Antiphona.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis : Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Aña. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.

Psalmus 110.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini:

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Aña. Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in sæculum sæculi.

Psalmus 111.

BEATUS vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino ℣ confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : ℣ justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Aña. In mandátis ejus cupit nimis.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Aña.Sit nomen Dómini benedíctum in sæcula.

Psalmus 113.

IN éxitu Israel de Ægypto, * domus Jacob de pópulo bárbaro :

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potéstas ejus.

Mare vidit, et fugit : * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exsultavérunt ut aríetes : * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi mare quod fugísti? * et tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes exsultástis sicut aríetes, * et colles sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * a fácie Dei Jacob,

Qui convértit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis Dómine, non nobis : * sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * nequándo dicant gentes : Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cælo : * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur: * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt : ℣ pedes habent, et non ambulábunt : * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri: * et benedíxit nobis :

Benedíxit dómui Israel : * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus, qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos: * super vos, et super fílios vestros.

Benedícti vos a Dómino,* qui fecit cælum, et terram.

Cælum cæli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te Dómine : * neque omnes, qui descéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Aña. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

¶ Tempore Resurrectionis ad Vesperas Dominicis diebus super omnes Psalmos dicatur hæc sola Aña : Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

IN DOMINICIS ADVENTUS :

Capitulum. Jer. 23.

ECCE dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen justum : et regnábit rex, et sápiens erit : et fáciet judícium et justítiam in terra.

Hymnus.

CONDITOR alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Christe Redémptor ómnium,
Exáudi preces súpplicum,
QUI cóndolens intéritu
Mortis períre sæculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.
VERGENTE mundi véspere,
Uti sponsus de thálamo,
Egréssus honestíssima
Vírginis matris cláusula.
CUJUS forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia,
Cæléstia, terréstria,
Nutu faténtur súbdita.
TE deprecámur ágie,
Ventúre judex sæculi,
Consérva nos in témpore
Hostis a telo pérfidi.
LAUS, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Roráte cæli désuper, et nubes pluant justum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD QUADRAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Capitulum. 2. Thess. 3.

DOMINUS dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi.

Hymnus.

LUCIS Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans oríginem :
QUI mane junctum vésperi
Diem vocári præcipis :
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.
NE mens graváta crímine
Vitæ sit exsul múnere :
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis ílligat.
CÆLORUM pulset íntimum,
Vitále tollat præmium :
Vitémus omne nóxium,
Purgémus omne péssimum.
PRÆSTA Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

A DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Capitulum. 2. Cor. 6.

HORTAMUR vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim : Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adjúvi te.

Hymnus.

AUDI benígne Cónditor
Nostras preces cum flétibus
In hoc sacro jejúnio
Fusas quadragenário.
SCRUTATOR alme córdium,
Infírma tu scis vírium :
Ad te revérsis éxhibe
Remissiónis grátiam.
MULTUM quidem peccávimus,
Sed parce confiténtibus :
Ad laudem tui nóminis,
Confer medélam lánguidis.
SIC corpus extra cónteri
Dona per abstinéntiam,
Jejúnet ut mens sóbria
A labe prorsus críminum.
PRÆSTA beáta Trínitas,
Concéde simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Jejuniórum múnera. Amen.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

DOMINICIS IN PASSIONE ET IN RAMIS PALMARUM :

Capitulum. Jer. 11.

TU autem Dómine Sábaoth, qui júdicas juste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis : tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

Hymnus.

VEXILLA Regis pródeunt,
Fulget crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor
Suspénsus est patíbulo.
QUO vulnerátus ínsuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit unda et sánguine.
IMPLETA sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine
Dicens : In natiónibus
Regnávit a ligno Deus.
ARBOR decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.
BEATA, cujus bráchiis
Sæcli pepéndit prétium,
Statéra facta córporis,
Prædámque tulit tártari.
Hic genuflectitur usque ad Te summa.
O CRUX ave, spes única,
Hoc Passiónis témpore
Auge piis justítiam,
Reísque dona véniam.
TE summa Deus Trínitas
Colláudet omnis spíritus :
Quos per Crucis mystérium
Salvas rege per sæcula.
Amen.

℣. Eripe me Dómine ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

DOMINICA IN ALBIS ET QUATUOR DOMINICIS PROXIME SEQUENTIBUS :

Capitulum. Rom. 6.

CHRISTUS resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.

Hymnus.

AD cenam Agni próvidi
Et stolis albis cándidi,
Post tránsitum Maris rubri,
Christo canámus príncipi.

CUJUS corpus sanctíssimum,
In ara crucis tórridum :
Cruóre ejus róseo
Gustándo vívimus Deo.

PROTECTI Paschæ véspere
A devastánte Angelo,
Erépti de duríssimo
Pharaónis império.

JAM Pascha nostrum Christus est,
Qui immolátus Agnus est :
Sinceritátis ázyma
Caro ejus oblàta est.

O VERE digna hóstia,
Per quam fracta sunt tártara,
Redémpta plebs captiváta,
Réddita vitæ præmia !

CONSURGIT Christus túmulo,
Victor redit de bárathro,
Tyránnum trudens vínculo,
Et réserans Paradísum.

QUÆSUMUS, Auctor ómnium,
In hoc Paschàli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

GLORIA tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Mane nobíscum Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Canticum B. Mariæ V.
Lucæ I.

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum :
Et exsultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sæcula.

¶ Canticum Magníficat. per totum annum dicitur in Vesperis.

Antiphona ad Magnificat et Oratio prout suis locis notatum fuerit.

AD MEMORIAM DE CRUCE TEMPORE RESURRECTIONIS :

Sabbato infra Hebdomadam Paschæ et deinceps usque ad Vigiliam Ascensionis exclusive, de Cruce facienda est Memoria quotidie in Vesperis, exceptis festis Duplicibus et Totis Duplicibus :

Aña. Crucem sanctam súbiit qui inférnum confrégit : accínctus est poténtia, surréxit die tértia, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimici a nobis expélleres potestátem,

concéde nobis fámulis tuis ut resurrectiónis grátiam consequámur : Per eúmdem.

AD MEMORIAM DE B. MARIA V. IN DOMINICIS :

In omnibus Dominicis per totum annum, quando de simplici Dominica agitur, fit Memoria de beata Maria in Vesperis :

Aña. Regáli ex progénie María exórta refúlget : cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus. T. P. Allelúia.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. T. P. Allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. T. P. Allelúia.

Oratio.

PROTEGE Dómine fámulos tuos subsídiis pacis : et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes a cunctis hóstibus redde secúros. Per.

SEQUENTES Psalmi dicuntur suis Feriis ad Vesperas, quando de Feria agitur, ab Octava die Epiphaniæ usque ad Cenam Domini, et ab Octava die Paschæ usque ad Vigiliam Nativitatis Domini.

¶ Antiphonæ vero super Psalmos dicantur Feriis ab Octava die Epiphaniæ usque ad Cenam Domini, et ab Octava die Corporis Christi usque ad Vigiliam Nativitatis Domini.

¶ Tempore Resurrectionis, dicitur super Psalmos una tantum Antiphona, ut infra post ultimum Psalmum notatum est.

FERIA SECUNDA AD VESPERAS.

Psalmus 114.

DILEXI, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam : * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrimis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Aña. Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Aña. Crédidi, propter quod locútus sum.

Psalmus 116.

LAUDATE Dóminum omnes gentes : * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Aña. Laudáte Dóminum omnes gentes.

Psalmus 119.

AD Dóminum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : * habitávi cum habitántibus Cedar : multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Aña. Clamávi, et exaudívit me.

Psalmus 120.

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Aña. Auxílium meum a Dómino.

Tempore Resurrectionis. Aña. Allelúia.

℣ Hæc Antiphona, quæ est unum tantum Allelúia., dicitur sola quotidie Ferialibus diebus (excepto Sabbato) post Octavam Paschæ et deinceps usque ad Ascensionem Domini in Vesperis super Psalmos, cum de Tempore agitur.

IN ADVENTU :

Capitulum Ecce dies véniunt., Hymnus Cónditor alme., ℣. Roráte cæli., pag. 127.

Ad Magnificat Antiphona propria. Et dicuntur Preces (nisi aliter signatum fuerit) cum Oratione Dominicæ.

AB OCTAVA EPIPHANIE
AD SEPTUAGESIMAM
ET AB OCTAVA TRINITATIS
AD ADVENTUM :

Capitulum Dóminus dírigat., Hymnus Lucis Creátor., ℣. Dirigátur., pag. 127.

Ad Magnificat Ána. Magníficat ánima mea Dóminum. Et dicuntur Preces cum Oratione Dominicæ.

A SEPTUAGESIMA
AD CINERES :

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in Feriis secundis post Octavam Epiphaniæ; ad Magnificat Antiphona, quæ proprio loco per hebdomadam dicenda notatur. Et dicuntur Preces cum Oratione Dominicæ.

A FERIA SECUNDA
POST DOMINICAM I. QUADRAG.
AD DOMINICAM IN PASSIONE :

Capitulum. Joel 2.

CONVERTIMINI ad me in toto corde vestro in jejúnio, et fletu, et planctu : et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus Audi benígne Cónditor. et ℣. Angelis suis., pag. 128.

Ad Magnificat Antiphona propria. Et dicuntur Preces cum Oratione Feriæ.

A FERIA SECUNDA
POST DOMINICAM IN PASSIONE
AD CENAM DOMINI :

Capitulum Tu autem Dómine Sábaoth., Hymnus Vexílla Regis., ℣. Eripe me Dómine., pag. 128.

Ad Magnificat Antiphona propria. Et dicuntur Preces cum Oratione Feriæ.

AB OCTAVA PASCHÆ
AD ASCENSIONEM :

Capitulum Christus resúrgens., Hymnus Ad cenam Agni., ℣. Mane nobíscum., pag. 128. et pag. 129.

Ad Magnificat (exceptis Feriis Rogationum) Antiphona, quæ proprio loco per hebdomadam dicenda notatur. Omittuntur Preces et Prostrationes, et dicitur Oratio Dominicæ.

Ad Memoriam de Cruce Antiphona Crucem sanctam., ℣. Dícite., Oratio Deus, qui pro nobis., pag. 129.

Post ultimam Orationem dicto Dóminus vobíscum., sequitur : Benedicámus Dómino, allelúia. ℟. Deo grátias, allelúia.

MODUS DICENDI PRECES
IN VESPERIS.

Omni tempore (exceptis septem diebus proximis ante Vigiliam Nativitatis Domini, et excepto tempore inter Cenam Domini et Octavam Trinitatis) quando in Feriis secundis, tertiis, quartis, quintis et sextis de Feria agitur Officium, post Antiphonam ad Magnificat, dicuntur Preces hoc modo :

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos.

Responso Sed líbera nos a malo., immediate additur Dóminus vobíscum. Orémus. et Oratio pro Tempore dicenda.

Finita Oratione, seu finitis Orationibus (si plures dicendæ occurrerint), dictoque iterum

Dóminus vobíscum., ac deinde Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias., terminantur Vesperæ ut notatur pag. 147.

FERIA TERTIA
AD VESPERAS.

Psalmus 121.

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Aña. In domum Dómini lætántes íbimus.

Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ : * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri : * quia multum repléti sumus despectióne :

Quia multum repléta est ánima nostra : * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Aña. Qui hábitas in cælis, miserére nobis.

Psalmus 123.

NISI quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cum exsúrgerent hómines in nos, * forte vivos deglutíssent nos :

Cum irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra : * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium :

Láqueus contrítus est, * et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cælum et terram.

Aña. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

Psalmus 124.

QUI confídunt in Dómino, sicut mons Sion : * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus : * et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum :* ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac Dómine bonis, * et rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israel.

Aña. Bénefac Dómine bonis, et rectis corde.

Psalmus 125.

In converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Aña. Facti sumus sicut consoláti.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Magnificat Aña. Exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Cetera pro Tempore ut in Vesperis Feriæ secundæ, pag. 131. et pag. 132.

FERIA QUARTA AD VESPERAS.

Psalmus 126.

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce heréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Aña. Beátus vir, qui implévit desidérium suum.

Psalmus 127.

Beati omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Aña. Beáti omnes, qui timent Dóminum.

Psalmus 128.

SÆPE expugnavérunt me a juventúte mea, * dicat nunc Israel :

Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea : * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum : * confundántur et convertántur retrórsum omnes, qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum : * quod priúsquam evellátur exáruit :

De quo non implévit manum suam qui metit, * et sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui prætereíbant : Benedíctio Dómini super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Aña. Benedíximus vobis in nómine Dómini.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Aña. De profúndis clamávi ad te Dómine.

Psalmus 130.

DOMINE non est exaltátum cor meum : * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis : * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam : * sed exaltávi ánimam meam :

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israel in Dómino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Aña. Speret Israel in Dómino.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Magnificat Aña. Respexísti humilitátem meam Dómine Deus meus.

Cetera pro Tempore ut in Vesperis Feriæ secundæ, pag. 131. et pag. 132.

FERIA QUINTA AD VESPERAS.

Psalmus 131.

MEMENTO Dómine David, * et omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem :

Et réquiem tempóribus meis : donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge Dómine in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam : * et sancti tui exsúltent.

Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam : * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea hæc, quæ docébo eos :

Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi : * hic habitábo quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos e us índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Aña. Et omnis mansuetúdinis ejus.

Psalmus 132.

ECCE quam bonum, et quam jucúndum * habitáre fratres in unum :

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron,

Quod descéndit in oram vestiménti ejus : * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in sæculum.

Aña. Ecce quam bonum, et quam jucúndum.

Psalmus 134.

LAUDATE nomen Dómini, * laudáte servi Dóminum.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus : * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israel in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quod magnus est Dóminus, * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit in cælo, et in terra, * in mari, et in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ : * fúlgura in plúviam fecit.

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis : * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa et prodígia in médio tui Ægypte : * in Pharaónem, et in omnes servos ejus.

Qui percússit gentes multas :* et occídit reges fortes :

Sehon regem Amorrhæórum, ℣ et Og regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israel pópulo suo.

Dómine nomen tuum in ætérnum : * Dómine memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum suum : * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur : * óculos habent, et non vidébunt

Aures habent, et non áudient : * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes, qui confídunt in eis.

Domus Israel benedícite Dómino : * domus Aaron benedícite Dómino.

Domus Levi benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Aña. Omnia quæcúmque vóluit Dóminus fecit.

Psalmus 135.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit cælos in intelléctu : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Solem in potestátem diéi : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Lunam et stellas in potestátem noctis : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui edúxit Israel de médio eórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

In manu poténti, et bráchio excélso : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui divísit Mare rubrum in divisiónes : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et edúxit Israel per médium ejus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et excússit Pharaónem, et virtútem ejus in Mari rubro : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui tradúxit pópulum suum per desértum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui percússit reges magnos : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Sehon regem Amorrhæórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et Og regem Basan : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum hereditátem : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Hereditátem Israel servo suo : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis nóstris : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cæli : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Aña. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Psalmus 136.

SUPER flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus : * cum recordarémur Sion :

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum :

Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tui Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tui :

Si non proposúero Jerúsalem, * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto Dómine filiórum Edom, * in die Jerúsalem :

Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis misera : * beátus, qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus qui tenébit, * et allídet párvulos tuos ad petram.

Aña. Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Magnificat Aña. Depósuit poténtes sanctos persequéntes : et exaltávit húmiles Christum confiténtes.

Cetera pro Tempore ut in Vesperis Feriæ secundæ pag. 131. et pag. 132.

FERIA SEXTA

AD VESPERAS.

Psalmus 137.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine misericórdia tua in sæculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Aña. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus.

Psalmus 138.

DOMINE probásti me, et cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam :

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia novíssima et antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es : * si descéndero n infernum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me : * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto : * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, ℣ et in libro tuo omnes scribéntur : * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exsurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres : * viri sánguinum declináte a me :

Quia dícitis in cogitatióne : * accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te Dómine óderam : * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos : * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est : * et deduc me in via ætérna.

Aña. Dómine probásti me, et cognovísti me.

Psalmus 139.

ERIPE me Dómine ab hómine malo : * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * tota die constituébant prœlia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me Dómine de manu peccatóris : * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi láqueum mihi :

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : * exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine virtus salútis meæ : * obumbrásti super caput meum in die belli :

Ne tradas me Dómine a desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum : * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, ℣ in ignem dejícies eos : * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis : * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Aña. A viro iníquo líbera me Dómine.

Psalmus 140.

DOMINE clamávi ad te, exáudi me : * inténde voci meæ, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo : * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone Dómine custódiam ori meo : * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malitiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem : * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me : * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum : * absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt : * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus infernum : ℣ quia ad te Dómine, Dómine óculi mei : * in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi : * et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego donec tránseam.

Aña. Dómine clamávi ad te, exáudi me.

Psalmus 141.

VOCE mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Dóminum deprecátus sum :

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam : * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine, * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me : * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo : * me exspéctant justi, donec retribuas mihi.

Aña. Pórtio mea Dómine sit in terra vivéntium.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD SEPTUAGESIMAM ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Magnificat Aña. Suscépit Deus Israel púerum suum, sicut locútus est Abraham et sémini ejus : et exaltávit húmiles usque in sæculum.

Cetera pro Tempore ut in Vesperis Feriæ secundæ, pag. 131. et pag. 132.

SABBATO AD VESPERAS.

Psalmus 143.

BENEDICTUS Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, et refúgium meum : * suscéptor meus et liberátor meus :

Protéctor meus, et in ipso sperávi : * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine quid est homo, quia innotuísti ei ? * aut fílius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis factus est : * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine inclína cælos tuos, et descénde : * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, et dissipábis eos : * emítte sagíttas tuas, et conturbábis eos :

Emítte manum tuam de alto, ℣ éripe me, et líbera me de aquis multis : * de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus cánticum novum cantábo tibi : * in psaltério, decachórdo psallam tibi.

Qui das salútem régibus : ℣ qui redemísti David servum tuum * de gládio malígno : éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, ℣ quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis :

Quorum fílii, sicut novéllæ plantatiónes * in juventúte sua.

Fíliæ eórum compósitæ : * circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fetósæ, abundántes in egréssibus suis : * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus : * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum, cui hæc sunt : * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Aña. Benedíctus Dóminus Deus meus.

Psalmus 144.

EXALTABO te Deus meus rex : * et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi : * et laudábo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus et laudábilis nimis : * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua : * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur : * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent : * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt : * et justítia tua exsultábunt.

Miserátor et miséricors Dóminus : * pátiens, et multum miséricors.

Suávis Dóminus univérsis : * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua : * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent : * et poténtiam tuam loquéntur :

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam : * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium sæculórum : * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes, qui córruunt : * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant Dómine : * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam : * et imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum : * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, ℣ et deprecatiónem eórum exáudiet : * et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se : * et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum : * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Aña. In ætérnum, et in sæculum sæculi.

Psalmus 145.

LAUDA ánima mea Dóminum, ℣ laudábo Dóminum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, ℣ spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, ℣ facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, ℣ pupíllum et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula ℣ Deus tuus Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Aña. Laudábo Deum meum in vita mea.

Psalmus 146.

LAUDATE Dóminum quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum : * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus : * et sapiéntiæ ejus non est número.

Suscípiens mansuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus : * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum : * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : * nec in tibiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Aña. Deo nostro jucúnda sit laudátio.

Psalmus 147.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Aña. Lauda Jerúsalem Dóminum.

℣. Tempore Resurrectionis, in Vesperis Sabbati, super omnes Psalmos dicatur hæc tantum Aña : Allelúia, allelúia, allelúia.

IN ADVENTU :

Capitulum Ecce dies véniunt., pag. 127.; ℟. proprium; Hymnus Cónditor alme., ℣. Roráte., pag. 127.; Antiphona ad Magnificat et Oratio propriæ.

A SABBATO POST OCTAVAM EPIPHANIÆ AD SABBATUM ANTE SEPTUAGESIMAM INCLUSIVE :

Capitulum. 2. Cor. 1.

BENEDICTUS Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

(Si in prima Dominica post Octavam Epiphaniæ inchoanda fuerit Historia Dominicalis, Sabbato præcedenti ad Vesperas dicatur ℟. Deus, qui sedes., ut suo loco notatur in Officio de Tempore. Si vero Officium prædictæ Dominicæ impeditum fuerit, ℟. Deus, qui sedes. omittatur illo anno. Sabbato ante Septuagesimam dicatur ℟. Igitur., ut in Officio de Tempore.)

Hymnus.

O LUX beáta Trínitas,
Et principális Unitas,
Jam sol recédit ígneus,
Infúnde lumen córdibus.

TE mane laudum cármine,
Te deprecémur véspere,
Te nostra supplex glória
Per cuncta laudet sæcula.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnificat Aña. Peccáta mea Dómine sicut sagíttæ infíxa sunt in me : sed ántequam vúlnera génerent in me, sana me Dómine medicaménto pœniténtiæ, Deus.

Oratio propria.

SABBATIS ANTE SEXAGESIMAM ET QUINQUAGESIMAM :

Omnia ut in Sabbatis post Octavam Epiphaniæ, præter ℟. et Antiphonam ad Magnificat, quæ in Officio de Tempore suis locis sunt posita,

A SABBATO ANTE DOMINICAM I. QUADRAGES. AD SABBATUM ANTE DOMINICAM IN PASSIONE :

Capitulum Hortámur vos., pag. 128.; ℟. proprium; Hymnus Audi benígne. et ℣. Angelis suis., pag. 128.; Antiphona ad Magnificat et Oratio propriæ.

SABBATIS ANTE DOMINICAS IN PASSIONE ET IN RAMIS PALMARUM :

Capitulum Tu autem Dómine Sábaoth., pag. 128.; ℟. proprium; Hymnus Vexílla Regis. et ℣. Eripe me Dómine., pag. 128.

Antiphona ad Magnificat et Oratio propriæ.

SABBATO ANTE DOMINICAM IN ALBIS ET QUATUOR SABBATIS IMMEDIATE SUBSEQUENTIBUS :

Capitulum Christus resúrgens., pag. 128.; Hymnus Ad cenam Agni., ℣. Mane nobíscum., pag. 129.; Antiphona ad Magnificat et Oratio propriæ. (Sabbato ante Dominicam iij. post Octavam Paschæ, ante Hymnum dicitur etiam ℟. proprium). Memoria Crucis, ut pag. 129.

A SABBATO ANTE DOMINICAM I. POST OCTAVAM TRINITATIS AD ADVENTUM :

Capitulum Benedíctus., pag. 144.; ℟. proprium (si dicendum occurrerit); Hymnus O lux. et ℣. Vespertina orátio., pag. 144.; Antiphona ad Magnificat et Oratio propriæ.

IN TOTIS DUPLICIBUS AD I. VESPERAS.

¶ Sequentes Psalmi dicuntur in omni festo Toto Duplici ad primas Vesperas, nisi aliter notatum fuerit suis locis.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 116.

LAUDATE Dóminum omnes gentes: * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Psalmus 145.

LAUDA ánima mea Dóminum, ℣ laudábo Dóminum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, ℣ spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, ℣ facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, ℣ pupíllum,et víduam suscípiet:* et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula ℣ Deus tuus Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Psalmus 146.

LAUDATE Dóminum quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum : * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus : * et sapiéntiæ ejus non est número.

Suscípiens mansuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus : * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum : * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Psalmus 147.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam :* nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob :* justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Antiphona super Psalmos, Capitulum, Responsorium, Hymnus, Versiculus et Antiphona ad Magnificat dicantur ut suis locis, sive in Officio de Tempore sive in Proprio Sanctorum, sive in Communi notatum fuerit.

Canticum B. Mariæ V. Lucæ 1.

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum :

Et exsultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui

potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sæcula.

Repetita post Canticum Antiphona, dicatur Oratio quæ in Festo signata fuerit.

MODUS TERMINANDI HORAS EXCEPTO COMPLETORIO.

Dicto post Orationem seu Orationes Dóminus vobíscum. et Benedicámus Dómino., si immediate non sequitur alia Hora, aut Missa conventualis, aut Officium Defunctorum, subditur : Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen. Pater noster. secreto; deinde :

Ana. Salve Regína, mater misericórdiæ : vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus éxsules fílii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Eia ergo advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte; et Jesum benedíctum fructum ventris tui nobis post hoc exsílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María.

Ana. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo Júdice pro tuo cœtu páuperum.

℣. Post partum Virgo inviolàta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

PROTEGE Dómine fámulos tuos subsídiis pacis : et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes a cunctis hóstibus redde secúros.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur.

ECCLESIÆ tuæ, quæsumus Dómine, preces placátus admítte : ut destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte; et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. Pater noster. secreto.

Dicatur etiam Fidélium. cum Pater noster., Antiphonis, ℣℣. et Orationibus supra positis, post Missam conventualem, quando non sequitur Hora dicenda, nisi post Missam Defunctorum.

AD COMPLETORIUM.

Dicto Jube domne benedícere., subjungatur Benedictio : Noctem quiétam et finem perféctum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Lectio. 1. Petri. 5.

FRATRES : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dicto Pater noster. secreto, subdatur a Prælato :

CONFITEOR Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et vobis Fratres : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa : precor vos oráre pro me.

Chorus autem dicat :

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua : líberet te ab omni malo, salvet, et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat te ad vitam ætérnam. Respondeat Prælatus : Amen.

Postea Chorus replicet :

CONFITEOR Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et tibi Pater : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa : precor te oráre pro me.

Quo finito, Prælatus dicat Absolutionem :

MISEREATUR vestri omnípotens Deus, et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra : líberet vos ab omni malo, salvet, et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

¶ Quando autem Frater solus dicit Completorium, dicat sic :

CONFITEOR Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro et ómnibus Sanctis : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa : precor beátam Maríam semper Vírginem, et beátum Domínicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos oráre pro me.

MISEREATUR mei omnípotens Deus, et dimíttat mihi ómnia peccáta mea : líberet me ab omni malo, salvet, et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat me ad vitam ætérnam. Amen.

Deinde dicatur :

℣. Convérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

℣ A Septuagesima vero ad Cenam Domini, omisso Allelúia., dicitur : Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Psalmus 4.

Cum invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, ℣ et speráte in Dómino : * multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam :

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Psalmus 30.

In te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem : ℣ et in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum : * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Psalmus 90.

Qui hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino : Suscéptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die, ℣ a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, ℣ et decem míllia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea : * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te : * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : ℣ cum ipso sum in tribulatióne : * erípiam eum, et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Psalmus 133.

ECCE nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini :

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cælum et terram.

Aña. Miserére mihi Dómine, et exáudi oratiónem meam.

Capitulum. Jer. 14.

TU in nobis es Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos Dómine Deus noster. ℟. Deo grátias.

℟. In manus tuas Dómine * Comménd spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti me Dómine Deus veritátis. Comméndo. Glória. In manus.

Hymnus.

TE lucis ante términum
Rerum Creátor póscimus
Ut sólita cleméntia
Sis præsul ad custódiam.

PROCUL recédant sómnia
Et nóctium phantásmata :
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

PRÆSTA Pater omnípotens,
Per Jesum Christum Dóminum,
Qui tecum in perpétuum
Regnat cum sancto Spíritu.
Amen.

℣. Custódi nos Dómine ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

NUNC dimíttis servum tuum Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum :

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israel.

Aña. Salva nos Dómine vigilántes, custódi nos dormiéntes : ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Post Antiphonam ad Nunc dimittis, nisi Preces dicendæ fuerint, immediate sequitur :

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

VISITA, quæsumus Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : et Angeli tui sancti habitántes in ea nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde detur Benedictio hoc modo, si Prælatus benedicit : Benedíctio Dei omnipoténtis

Patris, et Fílii, et Spíritus sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

¶ Si sit alius, omisso super vos., dicat : super nos.

MODUS DICENDI PRECES IN COMPLETORIO :

Post Antiphonam ad Nunc dimittis, si Preces dicendæ fuerint, dicantur hoc modo : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison., et secreto Pater noster. Deinde subjungatur alte : Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. In pace in idípsum. ℟. Dórmiam et requiéscam.

Secreto dicatur : Credo in Deum..., deinde alte : Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Dignáre Dómine nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

Dóminus vobíscum. Orémus. Vísita, quæsumus..., Dóminus vobíscum. Benedicámus Dómino., ut supra.

Deinde detur Benedictio, ut supra.

Data Benedictione, nisi dicendum fuerit Completorium de beata Virgine Maria, statim dicatur Aña. Salve Regína, mater misericórdiæ : vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus éxsules fílii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Eia ergo advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte : et Jesum benedíctum fructum ventris tui nobis post hoc exsílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María. T. P. Allelúia.

℣. Dignáre me laudáre te Virgo sacráta. T. P. Allelúia. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos. T. P. Allelúia.

Orémus. Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum.

Poterit deinde addi Antiphona, ℣. et Oratio de S. P. N. Dominico, ubi, pro more Provinciæ vel Conventus, de alio Sancto non fit Memoria :

Aña. O lumen Ecclésiæ, doctor veritátis, rosa patiéntiæ, ebur castitátis, aquam sapiéntiæ propinásti gratis : prædicátor grátiæ nos junge beátis. T. P. Allelúia.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. T. P. Allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. T. P. Allelúia.

Orémus. Oratio.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur. Per Christum.

Deinde dicto Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace., et responso Amen., subjungatur secreto Pater noster. et Credo in Deum.

A SABBATO POST CINERES AD SABBATUM ANTE DOMINICAM IN PASSIONE :

Jube domne benedícere., Benedictio Noctem quiétam., Lectio Fratres sóbrii estóte., ℣. Adjutórium nostrum., Pater noster.,Confíteor.,Misereátur., ℣. Convérte nos., ℣. Deus in adjutórium., Ps. Cum invocárem. et ceteri, Aña Miserére. (nisi dicatur Completorium de beata Virgine); Capitulum Tu in nobis es., ut pag. 148. et sequentibus.

¶ Sequens ℟. In pace. dicatur tantum in Sabbatis et Dominicis diebus, in festis Duplicibus et Totis Duplicibus ad utrumque Completorium, et infra Octavas Solemnes. (Ceteris autem diebus, dicatur ℟. In manus., pag. 150.)

℟. In pace in idípsum * Dórmiam et requiéscam. Non repetatur, sed immediate dicatur ℣. Si dédero somnum óculis meis, et pálpebris meis dormitatiónem. Dórmiam. Glória. ℟. In pace.

Hymnus.

CHRISTE, qui lux es et dies,
Noctis tenébras détegis,
Lucísque lumen créderis,
Lumen beátum prædicans.

PRECAMUR sancte Dómine,
Defénde nos in hac nocte :
Sit nobis in te réquies,
Quiétam noctem tribue.

NE gravis somnus írruat,
Nec hostis nos subrípiat,
Nec caro illi conséntiens
Nos tibi reos státuat.

OCULI somnum cápiant,
Cor ad te semper vígilet :
Déxtera tua prótegat
Fámulos, qui te diligunt.

DEFENSOR noster áspice,
Insidiántes réprime,
Gubérna tuos fámulos,
Quos Sánguine mercátus es.

MEMENTO nostri Dómine,
In gravi isto córpore :
Qui es defénsor ánimæ,
Adésto nobis Dómine.

PRÆSTA Pater omnípotens,
Per Jesum Christum Dóminum,
Qui tecum in perpétuum
Regnat cum sancto Spíritu.
Amen.

℣. Custódi nos Dómine ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

¶ Sequens Antiphona dicatur ad Nunc dimittis quotidie usque ad Sabbatum ante Dominicam iij. Quadragesimæ exclusive, exceptis Festis beatæ Virginis et diebus infra Octavam Annuntiationis, si eo tempore occurrerint :

Aña. Evígila super nos ætérne Salvátor, ne nos apprehéndat cállidus tentátor : quia tu factus es nobis sempitérnus adjútor.

¶ Sequens vero Antiphona cum suo ℣. dicatur ad Nunc dimittis quotidie a Sabbato ante Dominicam iij. Quadragesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Passione exclusive, exceptis Festis beatæ Virginis et diebus infra Octavam Annuntiationis :

Aña. Média vita in morte sumus : quem quærimus adjutórem, nisi te Dómine, qui pro peccátis nostris juste irásceris? * Sancte Deus, sancte fortis, sancte et miséricors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos. ℣. Ne projícias nos in témpore senectútis : cum defécerit vir-

tus nostra, ne derelínquas nos Dómine. Sancte Deus....

Cetera non mutantur.

A SABBATO ANTE DOMINICAM IN PASSIONE AD CENAM DOMINI EXCLUSIVE :

Jube domne benedícere. Benedictio Noctem quiétam., Lectio Fratres sóbrii estóte., ℣. Adjutórium nostrum., Pater noster., Confiteor., Misereátur., ℣. Convérte nos., ℣. Deus in adjutórium., Ps. Cum invocárem. et ceteri, Aña Miserére. (nisi dicatur Completorium de beata Virgine), Capitulum Tu in nobis es., ut pag. 150. et sequentibus notatum est.

Omisso ℟. In pace., dicitur sequens :

℟. In manus tuas Dómine * Comméndo spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti me Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Et omisso Glória Patri., reincipitur ℟. In manus. (In Festis tamen Sanctorum dicitur ℟. In manus. cum Glória Patri.)

Hymnus Christe qui lux es. et ℣. Custódi nos., pag. 152.

¶ Sequens Antiphona dicatur ad Nunc dimittis quotidie, exceptis Festis beatæ Virginis et diebus infra Octavam Annuntiationis :

Aña. O Rex glorióse inter sanctos tuos, qui semper es laudábilis, et tamen ineffábilis: tu in nobis es Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos Deus noster : ut in die judícii nos collocáre dignéris inter sanctos et eléctos tuos, Rex benedícte.

Cetera fiant more consueto, hoc uno excepto, quod Feria iv. ante Cenam Domini, data Benedictione, omissa Antiphona Salve Regína. et Antiphona de S. P. Dominico aut de alio Sancto dici solita, statim dicitur Fidélium., Pater noster. et Credo in Deum.

A SABBATO POST PASCHA AD SABBATUM POST PENTECOSTEN :

Jube domne benedícere., Benedictio Noctem quiétam., Lectio Fratres sóbrii estóte., ℣. Adjutórium nostrum., Pater noster., Confiteor., Misereátur., ℣. Convérte nos., ℣. Deus in adjutórium., Ps. Cum invocárem., Ps. In te Dómine sperávi., Ps. Qui hábitat. (præterquam in Festo et infra Octavam Pentecostes), Ps. Ecce nunc., pag. 148. et sequentibus.

Super Psalmos Aña. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia., (nisi dicatur Completorium de beata Virgine.)

Capitulum. Jer. 14.

TU in nobis es Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos Dómine Deus noster.

℟. In manus tuas Dómine comméndo spíritum meum, * Allelúia, allelúia. In manus. ℣. Redemísti me Dómine, Deus veritátis. Allelúia, allelúia. Glória. In manus.

Hymnus.

JESU nostra redémptio,
Amor et desidérium,
Deus Creátor ómnium,
Homo in fine témporum :

QUÆ te vicit cleméntia,
Ut ferres nostra crímina,
Crudélem mortem pátiens,
Ut nos a morte tólleres?
INFERNI claustra pénetrans,
Tuos captívos rédimens,
Victor triúmpho nóbili
Ad dextram Patris résidens:
IPSA te cogat pietas
Ut mala nostra súperes
Parcéndo, et voti cómpotes
Nos tuo vultu sáties.

¶ Duæ ultimæ Strophæ ab Octava Paschæ ad Vigiliam Ascensionis:

QUÆSUMUS Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.
GLORIA tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

¶ Duæ ultimæ Strophæ a Vigilia Ascensionis ad Vigiliam Pentecostes:

TU esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium:
Sit nostra in te glória,
Per cuncta semper sæcula.
GLORIA tibi Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

¶ Duæ ultimæ Strophæ a Vigilia Pentecostes ad Sabbatum ante SS. Trinitatem:

DUDUM sacráta péctora
Tua replésti grátia:
Dimítte nunc peccámina,
Et da quiéta témpora.
SIT laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito:
Nobísque mittat Fílius
Charísma sancti Spíritus.
Amen.

℣. Custódi nos Dómine ut pupíllam óculi, allelúia. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos, allelúia.

¶ Sequentes Antiphonæ dicantur quotidie suis Temporibus ad Nunc dimittis, etiam in Festis Sanctorum, nisi de beata Virgine dicatur Completorium.

¶ Tempore Resurrectionis:

Ad Nunc dimittis Aña. Allelúia, Resurréxit Dóminus, allelúia: sicut dixit vobis, allelúia, allelúia.

¶ Tempore Ascensionis:

Ad Nunc dimittis Aña. Allelúia, Ascéndens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem, allelúia, allelúia.

In Festo et infra Octavam Pentecostes:

¶ Ad Nunc dimittis Aña. Allelúia, Spíritus Paráclitus, allelúia, docébit vos ómnia, allelúia, allelúia.

Cetera non mutantur.

LITANIÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Omni Sabbato per totum annum, finita Antiphona Salve Regína. cum ℣. Dignáre. et Oratióne Concéde nos., dicuntur Litaniæ beatæ Virginis

KYRIE eléison.
Christe eléison.
Kyrie eléison.
Christe audi nos.
Christe exáudi nos.
Pater de cælis Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miserére.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.

Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Mater Christi, ora.
Mater divínæ grátiæ, ora.
Mater puríssima, ora.
Mater castíssima, ora.
Mater invioláta, ora.
Mater intemeráta, ora.
Mater amábilis, ora.
Mater admirábilis, ora.
Mater boni consílii, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
Virgo prudentíssima, ora.
Virgo veneránda, ora.
Virgo prædicánda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidélis, ora.
Spéculum justítiæ, ora.
Sedes sapiéntiæ, ora.
Causa nostræ lætítiæ, ora.
Vas spirituále, ora.
Vas honorábile, ora.
Vas insígne devotiónis, ora.
Rosa mystica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris ebúrnea, ora.
Domus áurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Jánua cæli, ora.
Stella matutína, ora.
Salus infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora.
Consolátrix afflictórum, ora.
Auxílium Christianórum, ora.
Regína Angelórum, ora.
Regína Patriarchárum, ora.
Regína Prophetárum, ora.
Regína Apostolórum, ora.
Regína Mártyrum, ora.
Regína Confessórum, ora.
Regína Vírginum, ora.
Regína Sanctórum ómnium, ora.
Regína sine labe originâli concépta, ora.
Regína sacratíssimi Rosárii, ora.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. ℟. Parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. ℟. Exáudi nos Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. ℟. Miserére nobis.

Deinde dicatur Prosa :

INVIOLATA, intácta et casta es María,
Quæ es effécta fúlgida cæli porta.
O mater alma Christi caríssima,
Súscipe pia laudum præcónia.
Nostra ut pura péctora sint et córpora,
Te nunc flágitant devóta corda et ora.
Tua per precáta dulcísona,
Nobis concédas véniam per sæcula,
O benígna, quæ sola invioláta permansísti. T. P. Allelúia.

¶ Poterit etiam, Tempore Paschali, ubi usus obtinuerit, loco Prosæ Invioláta. dici sequens Antiphona :

Regína cæli lætáre, allelúia : quia quem meruísti portáre, allelúia, resurréxit sicut dixit, allelúia : ora pro nobis Deum, allelúia.

Post Prosam Invioláta. vel Añam Regina cæli. dicatur

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. T. P. Allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. T. P. Allelúia.

Orémus. Oratio.

GRATIAM tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infúnde : ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui Incarnatiónem cognóvimus, per Passiónem ejus et Crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Christum.

¶ Ubi consuetum fuerit, ℣. Ora pro nobis. et Oratio Grátiam tuam. dicantur immediate post Litanias beatæ Mariæ V. Post Prosam vero Invioláta., vel post Añam Regína cæli., dicatur ℣. Post partum Virgo. cum Oratione Prótege., ut pag. 147.

Postea dicatur Antiphona cum ℣. et Oratione de S. P. Dominico, aut de alio Sancto, et terminetur Completorium more solito.

LITANIÆ SANCTORUM.

Post Completorium, quamtumvis ea die solemne festum fuerit, si nihilominus die sequenti fiat Officium de Feria, legantur in Choro Litaniæ Sanctorum cum Psalmo Deus in adjutórium., Precibus, ℣℣. et Orationibus, exceptis diebus in Rubrica generali §. xxxviij. notatis.

Psalmus 69.
dicendus ante Litanias.

DEUS in adjutórium meum inténde : * Dómine ad adjuvándum me festína.

Confundántur et revereántur, * qui quærunt ánimam meam :

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent, et læténtur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum : * Deus ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : * Dómine ne moréris.

Glória Patri. etc.

KYRIE eléison. ℟. Kyrie eléison.
Christe eléison. ℟. Christe eléison.
Kyrie eléison. ℟. Kyrie eléison.
Christe audi nos. ℟. Christe exáudi nos.
Pater de cælis Deus, miserére nobis.

Repetatur a Choro :

Pater de cælis Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis. ℟. Fili Redémptor. etc.
Spíritus sancte Deus, miserére nobis. ℟. Spíritus sancte. etc.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
℟. Sancta Trínitas. etc.
Sancta María, ℟. Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli, et Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirituum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.

Sancte Thoma, ora pro nobis.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe. ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Cornéli, ora.
Sancte Cypriáne, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Dionysi cum Sóciis tuis, ora.
Sancte Mauríti cum Sóciis tuis, ora.
Sancte Januári cum Sóciis tuis, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Joánnes cum Sóciis tuis, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Pie, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Antoníne, ora.
Sancte Pater Domínice, ora.
Sancte Pater Domínice, ora.

Sancte Thoma, ora pro nobis.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Hyacínthe, ora.
Sancte Raymúnde, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Confessóres, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Martha, ora.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucía, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Margarita, ora.
Sancta Ursula cum Sodálibus tuis, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Rosa, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Catharína, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti, oráte.
Propítius esto. ℟. Parce nobis Dómine.
Propítius esto. ℟. Exáudi nos Dómine.
A damnatióne perpétua. ℟. Líbera nos Dómine.
A subitánea et improvísa morte, líbera.
Ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, líbera nos Dómine.
Ab infestatiónibus dæmonum, líbera.
Ab omni immundítia mentis et córporis, líbera.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.

Ab immúndis cogitatiónibus, líbera nos Dómine.
A cæcitáte cordis, líbera.
A fúlgure et tempestáte, líbera.
A peste, fame et bello, líbera.
A flagéllo terræmótus, líbera.
Ab omni malo, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Passiónem et Crucem tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam sancti Spíritus Paráclíti, líbera.
In die Judícii, líbera.
Peccatóres, ℟. Te rogámus, audi nos.
Ut pacem nobis dones, te rogámus.
Ut misericórdia et píetas tua nos custódiat, te rogámus, audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Domnum Apostólicum, et omnes gradus Ecclésiæ in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Epíscopos et Prælátos nostros et cunctas congregatiónes illis commíssas in tuo sancto servítio conserváre dignéris, te rogámus.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Régibus et Princípibus nostris pacem et veram concórdiam atque victóriam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut cunctum pópulum christiánum pretióso Sánguine tuo redémptum conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus, audi nos.
Ut ánimas nostras et paréntum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus, audi nos.
Ut fructus terræ dare, et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut óculos misericórdiæ tuæ super nos redúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut obséquium servitútis nostræ rationábile fácias, te rogámus, audi nos.
Ut mentes nostras ad cæléstia desidéria érigas, te rogámus.
Ut misérias páuperum et captivórum intuéri et releváre dignéris, te rogámus.
Ut loca nostra et omnes habitántes in eis visitáre et consolári dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut civitátem istam et omnem pópulum ejus protégere et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut omnes fidéles navigántes et itineránte ad portum salútis perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut reguláribus disciplínis nos instrúere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam dones, te rogámus, audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. ℟. Parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta

mundi. ℟. Exáudi nos Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi. ℟. Miserére nobis.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster. secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Post partum Virgo inviolàta permansísti.

℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

℣. Sapiéntiam Sanctórum narrent pópuli.

℟. Et laudem córum núntiet ecclésia.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ.

℟. Quam possedísti ab initio.

℣. Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas.

℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Esto nobis Dómine turris fortitúdinis.

℟. A fácie inimíci.

℣. Fiat pax in virtúte tua.

℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

PROTEGE Dómine fámulos tuos subsídiis pacis, et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes a cunctis hóstibus redde secúros.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut ad melióre vitam Sanctórum Ordinis nostri exémpla nos próvocent; quátenus quorum memóriam ágimus étiam actus imitémur.

INEFFABILEM misericórdiam tuam Dómine nobis cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis quas pro his merémur erípias.

PRÆTENDE Dómine fámulis et famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii : ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant assequántur.

ECCLESIÆ tuæ, quæsumus Dómine, preces placátus admítte : ut destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem : ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

¶ In tribus diebus Rogationum (si fiat de Feria) et in Vigilia Pentecostes, in sero præcedenti post Completorium dicitur Psalmus Deus in adjutórium. et statim subditur :

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison., Pater noster. secreto. Et ne nos. ℣. Post partum., cum ceteris ℣℣. et Orationibus ut supra, absque Litaniis, quæ ante Missam sunt cantandæ.

AD DISCIPLINAS.

Quando Disciplinæ recipiendæ fuerint, terminatis Orationibus post Litanias, vel, si hæ dicendæ non sint, terminatis Orationibus post Psalmum Deus in adjutórium., dicatur a Conventu :

CONFITEOR Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et tibi Pater : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor te oráre pro me.

Subjungat Hebdomadarius :

MISEREATUR vestri omnípotens Deus, et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra : líberet vos ab omni malo, salvet, et confirmet in omni ópere bono, et perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Deinde Hebdomadarius incipiat Psalmum 50. Miserére mei Deus., pag. 81., qui dicatur alternatim, ita quod Hebdomadarius solus dicat unum Versum, et Conventus alium.

Post Psalmum, dicto Glória Patri., subjungatur communiter ab omnibus : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secréto.

Quo finito, dicat Hebdomadarius :

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, cui próprium est miseréri semper et párcere, súscipe deprecatiónem nostram : ut quos delictórum caténa constríngit miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Christum.

¶ Quod si post Completorium Disciplinæ in Choro dari non possint, propter sæculares, dentur in Sacristia vel in Capitulo, aut si tunc fuerit grave impedimentum, relinquantur post Matutinas.

¶ Fratres vero qui Disciplinis non intersunt tenentur recitare Psalmum Miserére. cum Oratione.

OFFICIUM DE TEMPORE.

QUÆ in Officio Dominicali et in Officio Feriali a Trinitate ad Adventum proprio loco notata non sunt, dicenda sunt secundum quod in Psalterio, aut in Dominica j. post Octavam Trinitatis et ejus Feriis sunt signata.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. O beáta, et benedícta, et gloriósa Trínitas : Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Rom. 11.

O ALTITUDO divitiárum sapiéntiæ, et sciéntiæ Dei : quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus!

℟. Honor, virtus, et potéstas, et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte, * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. — In perénni sæculórum témpore. Glória. In perénni sæculórum témpore.

Hymnus.

ADESTO sancta Trínitas,
Par splendor, una Déitas,
Quæ exstas rerum ómnium
Sine fine princípium.

TE cælórum milítia
Laudat, adórat, prædicat,
Tripléxque mundi máchina
Benedícit per sæcula.

Ad duos priores versus sequentis Strophæ genuflectitur :

ADSUMUS et nos cérnui
Te adorántes fámuli :
Vota precésque súpplicum
Hymnis junge cæléstium.

UNUM te lumen crédimus,
Quod et ter idem cólimus :
Alpha et Oméga quem dícimus,
Te laudat omnis spíritus.

LAUS Patri sit ingénito,
Laus ejus Unigénito :
Laus sit sancto Spirítui,
Trino Deo et símplici. Amen.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Ad Magnificat Aña. Grátias tibi Deus, grátias tibi, vera et una Trínitas, una et summa Déitas, sancta et una Unitas.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere : et in poténtia majestátis adoráre Unitátem; quæsumus ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Psalterio, pagg. 148-151.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Deum verum, unum in Trinitáte, et Trinitátem in Unitáte,* Veníte adorémus.

Hymnus Adésto sancta Trínitas., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Adésto Deus unus omnípotens, Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus.

Psalmus 18.

CÆLI enárrant glóriam Dei,* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant eló-

quia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Aña. Te unum in substántia, Trinitátem in persónis confitémur.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Te semper idem esse, vívere, et intellígere profitémur.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

IN anno, quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum : et ea, quæ sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ álteri : duábus velábant fáciem ejus, et duábus velábant pedes ejus, et duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum, et dicébant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus exercítuum, plena est omnis terra glória ejus. Et commóta sunt superliminária cárdinum a voce clamántis, et domus repléta est fumo.

℟. j. Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * Et métuant eum omnes fines terræ. ℣. Deus misereátur nostri, et benedícat nos Deus. — Et métuant eum omnes fines terræ.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio ij. Cap. 4.

VIDI, et ecce óstium apértum in cælo, et ecce sedes pósita erat in cælo, et supra sedem sedens. Et qui sedébat símilis erat aspéctui lápidis jáspidis, et sárdinis : et iris erat in circúitu sedis símilis visióni smarágdinæ. Et in circúitu sedis sedília viginti quátuor : et super thronos viginti quátuor senióres sedéntes, circumamícti vestiméntis albis, et in capítibus eórum corónæ áureæ.

Et de throno procedébant fúlgura, et voces, et tonítrua : et septem lámpades ardéntes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei. Et in conspéctu sedis tamquam mare vítreum símile crystállo : et in médio sedis, et in circúitu sedis quátuor animália plena óculis ante et retro. Et réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia : Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est.

℟. ij. Benedíctus Dóminus Deus Israel, qui facit mirabília solus :* Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum. ℣. Replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat. — Et benedíctum.

De Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio iij. Cap. 5.

OMNE, quod natum est ex Deo, vincit mundum : et hæc est victória, quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? Hic est, qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus : non in aqua solum, sed in aqua et sánguine. Et spíritus est, qui testificátur, quóniam Christus est véritas. Quóniam tres sunt, qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.

℟. iij. Quis Deus magnus sicut Deus noster? * Tu es Deus, Qui facis mirabília. ℣ Notam fecísti in pópulis virtútem tuam : redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. — Tu es Deus. Glória. Qui facis mirabília.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 46.

OMNES gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti sunt.

Aña. Te invocámus, te adorámus, te laudámus, o beáta Trínitas.

Psalmus 47.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti

sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, ℣ in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Aña. Spes nostra, salus nostra, honor noster, o beáta Trínitas.

Psalmus 71.

DEUS judícium tuum regi da : * et justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, ℣ et salvos fáciet fílios páuperum : * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia et abundántia pacis : * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes : * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum, et Saba dona addúcent :

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi : * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, ℣ et adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, ℣ superextollétur super Libánum fructus ejus : * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus :

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum : ℣ et replébitur majestáte ejus omnis terra : * fiat, fiat.

Aña. Líbera nos, salva nos, justífica nos, o beáta Trínitas.

℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula.

Ex libro sancti Fulgéntii Epíscopi de Fide ad Petrum.

Lectio iv. Cap. 1.

FIDES, quam sancti Patriárchæ atque Prophétæ ante Incarnatiónem Fílii Dei divínitus accepérunt, quam étiam sancti Apóstoli ab ipso Dómino in carne pósito audiérunt, et Spíritus sancti magistério instrúcti, non solum sermóne prædicavérunt, verum étiam ad instructiónem salubérrimam posterórum scriptis suis índitam reliquérunt, unum Deum prædicat Trinitátem, id est Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum. Sed Trínitas vera non esset, si una eadémque persóna dicerétur Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus.

℟. iv. Magnus Dóminus, et magna virtus ejus : * Et sapiéntiæ ejus non est número. ℣. Magnus Dóminus et laudábilis nimis : et magnitúdinis ejus non est finis. — Et sapiéntiæ ejus non est número.

Lectio v.

SI enim, sicut est Patris, et Fílii, et Spíritus sancti una substántia, sic esset una persóna : nihil omníno esset, in quo veráciter Trínitas dicerétur. Rursus quidem Trínitas esset vera, sed unus Deus Trínitas ipsa non esset, si, quemádmodum Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus personárum sunt ab ínvicem proprietáte distícti, sic fuíssent naturárum quoque diversitáte discréti. Sed quia in illo uno vero Deo Trinitáte, non solum quod unus Deus est, sed étiam quod Trínitas est, naturáliter verum est : proptérea ipse verus Deus in persónis Trínitas est, et in una natúra unus est.

℟. v. Glória Patri, genitæque Proli, et tibi compar utriúsque semper, Spíritus alme, Deus unus, * Omni témpore sæcli. ℣. Da gaudiórum prædia, da gratiárum múnera : dissólve litis vínculo, astringe pacis fœdera. — Omni témpore sæcli.

Lectio vj.

PER hanc unitátem naturálem totus Pater in Fílio et Spíritu sancto est : totus Fílius in Patre et Spíritu sancto est : totus quoque Spíritus sanctus in Patre et Fílio. Nullus horum extra quémlibet ipsórum est : quia nemo álium aut præcédit ætérnitáte, aut excédit magnitúdine, aut súperat potestáte : quia nec Fílio, nec Spíritu sancto, quantum ad natúræ divínæ unitátem pértinet, aut antérior aut major Pater est : nec Fílii ætérnitas atque imménsitas, velut antérior aut major, Spíritus sancti immensitátem æternitatémque aut præcédere, aut excédere naturáliter potest.

℟. vj. Honor, virtus, et potéstas, et impérium, sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte,

* In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. — In perénni sæculórum témpore. Glória. In perénni sæculórum témpore.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Cáritas Pater est, grátia Christus, communicátio Spíritus sanctus : o beáta Trínitas.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Verax est Pater, véritas Fílius, véritas Spíritus sanctus : o beáta Trínitas.

Psalmus 97.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductilibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : ℣ moveátur mare, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Aña. Una ígitur Pater, Logos, Paraclitúsque substántia est : o beáta Trínitas.

℣. Verbo Dómini cæli firmáti sunt. ℟. Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 28.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Data est mihi omnis potéstas in cælo, et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes : baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Nazianzéni.

(In Orat. de Fide, post init.)

QUIS Catholicórum ignórat Patrem vere esse Patrem, Fílium vere esse Fílium, et Spíritum sanctum vere esse Spíritum sanctum? Sicut ipse Dóminus ad Apóstolos suos dicit : Eúntes baptizáte omnes gentes in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Hæc est perfécta Trínitas in unitáte consístens, quam scílicet uníus substántiæ profitémur. Non enim nos secúndum córporum conditiónem divisiónem in Deo fácimus : sed secúndum divínæ natúræ poténtiam, quæ in matéria non est, et nóminum persónas vere constáre crédimus, et unitátem divinitátis esse testámur.

℟. vij. Tibi laus, tibi glória, tibi gratiárum áctio * In sæcula sempitérna, o beáta Trínitas. ℣. Et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum, et laudábile, et superexaltátum. — In sæcula sempitérna, o beáta Trínitas.

Lectio viij.

NEC extensiónem partis alicújus ex parte, ut quidam putavérunt, Dei Fílium dici-

mus; nec verbum sine re, velut sonum vocis accípimus : sed tria nómina, et tres persónas, unius esse essèntiæ, unius majestátis atque poténtiæ crédimus. Et ideo unum Deum confitémur : quia únitas majestátis, plúrium vocábulo Deos próhibet appellári. Dénique Patrem, et Fílium cathólice nominámus : duos autem Deos dícere, nec póssumus, nec debémus.

℟. viij. Benedicámus Patrem et Filium cum sancto Spíritu : laudémus, et superexaltémus eum * In sæcula. ℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli, et laudábilis et gloriósus. — In sæcula.

Lectio ix.

NON quod Fílius Dei Deus non sit, immo verus Deus de Deo vero : sed quia non aliúnde, quam de ipso uno Patre, Dei Fílium nóvimus, perínde unum Deum dícimus. Hoc enim Prophétæ, hoc Apóstoli tradidérunt : hoc ipse Dóminus dócuit, cum dicit : Ego, et Pater unum sumus. Unum ad unitátem divinitátis, ut dixi, refert; Sumus autem persónis assígnat.

℟. ix. Summæ Trinitáti, símplici Deo, una divínitas, æquális glória, coætérna majéstas, Patri, Prolíque, sanctóque Flámini : * Qui totum subdit suis orbem légibus. ℣. Præstet nobis grátiam Déitas beáta Patris, ac Nati, paritérque Spíritus almi. — Qui totum subdit. Glória. Qui totum subdit.

Ante Laudes ℣. Magnus Dóminus et laudábilis nimis. ℟. Et magnitúdinis ejus non est finis.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Glória tibi Trínitas, æquális una Déitas, et ante ómnia sæcula, et nunc et in perpétuum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Laus et perénnis glória Deo Patri et Fílio, sancto simul Paráclito, in sæcula sæculórum.

3. Glória laudis résonet in ore ómnium Patri, genitæque Proli : Spirítui sancto páriter resúltet laude perénni.

4. Laus Deo Patri, parilíque Proli, et tibi semper stúdio perénni, Spíritus, nostro résonet ab ore omne per ævum.

5. Ex quo ómnia, per quem ómnia, in quo ómnia, ipsi glória in sæcula.

Capitulum. Rom. 11.

O ALTITUDO divitiárum sapiéntiæ, et sciéntiæ Dei : quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus!

Hymnus.

O TRINITAS laudábilis,
Et Unitas mirábilis :
In símplici substántia
Virtus manens intérmina!

TU cáritas, tu púritas,
Tu pax et immortálitas,
Patris, Nati, Paráclti
Decóre pollens pérpeti.

FIDES, coróna súpplicum
In te pie fidéntium :
Extérge sordes méntium,
Sorti misértus páuperum.

LAUS Patri sit ingénito,
Laus ejus Unigénito :
Laus sit sancto Spíritui,
Trino Deo et símplici. Amen.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Ad Benedictus Aña. Benedícta sit creátrix et gubernátrix ómnium, sancta et indivídua Trínitas, et nunc, et semper, et per infiníta sæculórum sæcula. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere : et in poténtia majestátis adoráre Unitátem; quæsumus ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per.

AD PRIMAM.

Post Psalmos consuetos dicatur Symbolum Quicúmque vult salvus esse., pag. 29.

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 11.

OALTITUDO divitiárum sapiéntiæ, et sciéntiæ Dei : quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus!

℟. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu, * Allelúia, allelúia. Benedicámus. ℣. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula. Allelúia. Glória. Benedicámus.

℣. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 13.

GRATIA Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio sancti Spíritus sit semper cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Benedíctus es Dómine in firmaménto cæli, * Allelúia, allelúia. Benedíctus es. ℣. Et laudábilis et gloriósus in sæcula. Allelúia. Glória. Benedíctus es.

℣. Verbo Dómini cæli firmáti sunt. ℟. Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Joann. 5.

TRES sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.

℟. Verbo Dómini cæli firmát sunt, * Allelúia, allelúia. Verbo Dómini. ℣. Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Allelúia. Glória. Verbo Dómini.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisita in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Psalmus 111.

Beatus vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : ℣ justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112.

Laudate púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 116.

Laudate Dóminum omnes gentes : * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Aña. Glória tibi Trínitas, æquális una Déitas, et ante ómnia sæcula, et nunc et in perpétuum.

Capitulum O altitúdo., Hymnus Adésto sancta Trínitas. et ℣. Benedicámus Patrem., ut in j. Vesperis, pag. 161.

Ad Magnificat Aña. Te Deum Patrem ingénitum, te Fílium unigénitum, te Spíritum sanctum Paráclitum, sanctam et indivíduam Trinitátem toto corde et ore confitémur, laudámus atque benedícimus : tibi glória in sæcula.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere : et in poténtia majestátis adoráre Unitátem; quæsumus ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per.

PER OCT. SS. TRINITATIS.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Benedícta sit creátrix et gubernátrix ómnium, sancta et indivídua Trínitas, et nunc, et semper, et per infiníta sæculórum sæcula.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Oratio Omnípotens sempitérne Deus, qui dedísti., ut supra.

Ad Memoriam in Vesperis Aña Te Deum Patrem., ut supra.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Oratio Omnípotens sempitérne Deus, qui dedísti., ut supra.

¶ Per Octavam Trinitatis omittitur Memoria de festo trium Lectionum et de festo habente solam Memoriam.

¶ Quando vero de Octava Trinitatis agitur dicatur Invitatorium : Deum verum, unum in Trinitáte, * Veníte adorémus.

Ad Benedictus Aña Benedícta sit creátrix ; ad Magnificat Aña Te Deum Patrem., ut in Festo.

Cetera omnia fiant secundum ordinem, qui in Rubricis generalibus de Octavis Solemnibus notatus est usque ad Vesperas sequentis Feriæ quartæ exclusive, et dicantur sequentes Lectiones.

FERIA SECUNDA.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 5.

PER manus autem Apostolórum fiébant signa, et prodigia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Ceterórum autem nemo audébat se conjúngere illis : sed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum, ac muliérum, ita ut in platéas ejícerent infírmos, et pónerent in léctulis ac grabátis, ut, veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, et liberaréntur ab infirmitátibus suis.

Lectio ij.

CONCURREBAT autem et multitúdo vicinárum civitátum Jerúsalem, afferéntes ægros, et vexátos a spirítibus immúndis : qui curabántur omnes. Exsúrgens autem princeps sacerdótum, et omnes, qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæórum), repléti sunt zelo : et injecérunt manus in Apóstolos, et posuérunt eos in custódia pública.

℣ Si in hac Feria secunda et sequentibus aliis duabus contigerit fieri Officium de aliquo Sancto non habente Lectiones proprias aut de Communi in primo Nocturno, legantur duæ Lectiones de Feria; et tertia erit prima ex illis quæ habentur in Communi Sanctorum pro primo Nocturno de Scriptura.

Sermo sancti Leónis Papæ.
(Serm. 2. de Pentecoste.)

Lectio iij.

CUM ad intelligéndam dignitátem summæ Trinitátis, dilectíssimi, áciem mentis inténdimus, nihil divérsum in illa excelléntia cogitémus : quia in nullo ab unitáte sua díscrepat Divinitátis esséntia. Sempitérnum est Patri consempitérni sibi Fílii sui esse Genitórem. Sempitérnum est Fílio intemporáliter a Patre esse progénitum. Sempitérnum quoque est Spíritui sancto Spíritum esse Patris et Fílii : ut nunquam Pater sine Fílio, nunquam Fílius sine Patre, nunquam Pater et Fílius fúerint sine Spíritu sancto : et ómnibus exsisténtiæ grádibus exclúsis, nulla ibi persóna sit antérior, nulla postérior.

FERIA TERTIA.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 5.

UT autem audiérunt hos sermónes magistrátus templi, et príncipes sacerdótum, ambigébant de illis quidnam fíeret. Advéniens autem quidam nuntiávit eis : Quia ecce viri, quos posuístis in cárcerem, sunt in templo stantes, et docéntes pópulum. Tunc ábiit magistrátus cum minístris, et addúxit illos sine vi : timébant enim pópulum ne lapidaréntur.

Lectio ij.

ET cum adduxíssent illos, statuérunt in concílio : et interrogávit eos princeps sacerdótum, dicens : Præcipiéndo præcépimus vobis ne docerétis in nómine isto : et ecce replésti Jerúsalem doctrína vestra : et vultis indúcere super nos sánguinem hóminis istíus. Respóndens autem Petrus, et Apóstoli, dixérunt : Obedíre opórtet Deo magis, quam homínibus.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(Lib. 3. de Trinitate.)

Lectio iij.

CREDIMUS sanctam Trinitátem, id est Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum unum Deum omnipoténtem, uníus substántiæ, uníus esséntiæ, uníus potestátis, Creatórem ómnium creaturárum, a quo ómnia, per quem ómnia, in quo ómnia. Crédimus Patrem a semetípso, non ab álio :

Fílium a Patre génitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lúmine vero, non tamen duo lúmina, sed unum lumen : Spíritum sanctum a Patre et Fílio æquáliter procedéntem, consubstantiálem, coætérnum Patri et Fílio.

FERIA QUARTA.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 8.

FACTA est autem in illa die persecútio magna in Eccléssia, quæ erat Jerosólymis, et omnes dispérsi sunt per regiónes Judææ, et Samáriæ præter Apóstolos. Curavérunt autem Stéphanum viri timoráti, et fecérunt planctum magnum super eum. Saulus autem devastábat Ecclésiam per domos intrans, et trahens viros, ac mulíeres, tradébat in custódiam.

Lectio ij.

IGITUR qui dispérsi erant pertransibant, evangelizántes verbum Dei. Philíppus autem descéndens in civitátem Samáriæ, prædicábat illis Christum. Intendébant autem turbæ his, quæ a Philíppo dicebántur unanímiter audiéntes, et vidéntes signa quæ faciébat. Multi enim eórum, qui habébant spíritus immúndos, clamántes voce magna, exíbant. Multi autem paralytici, et claudi curáti sunt. Factum est ergo gáudium magnum in illa civitáte.

Sermo sancti Leónis Papæ.

(Serm. 3. de Pentecoste.)

Lectio iij.

COGITATIO de deitáte Trinitátis concépta, nihil per distántiam intélligat, nihil per gradus quærat. At si quid dignum de Deo sénserit, nulli hoc ibi áudeat negáre persónæ. Hanc autem fidem terréna sapiéntia non réperit, nec opínio humána persuásit, sed ipse unigénitus Fílius dócuit, ipse Spíritus sanctus instituit : de quo nihil est áliter quam de Patre et Fílio sentiéndum : quia licet non sit Pater, non sit Fílius, non tamen est a Patre Filióque divísus.

FERIA QUINTA.

Celebratur festum Corporis Christi, cujus Officium editum est a sancto Thoma Aquinate.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech panem et vinum óbtulit. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. 1. Cor. 11.

DOMINUS Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur.

℟. Homo quidam fecit cenam magnam, et misit servum suum hora cenæ dícere invitátis ut veníret, * Quia paráta sunt ómnia. ℣. Venite, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis. — Quia paráta sunt ómnia. Glória. Quia paráta sunt ómnia.

Hymnus.

PANGE lingua gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

NOBIS datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

IN suprémæ nocte cenæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta Lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

VERBUM caro panem verum
Verbo carnem éfficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Hic genuflectitur usque ad Genitóri.

TANTUM ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui :
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui :
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.

GENITORI, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de cælo præstitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

¶ Et sic deinceps per totam Octavam addatur Allelúia ad omnes ℣℣. proprios SS. Sacramenti; ad alios autem quoscumque non addatur.

Ad Magnificat Aña. O quam suávis est Dómine spíritus tuus, qui, ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cælo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiosósque dívites dimíttis inánes!

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiamus. Qui vivis.

¶ In utrisque Vesperis et Laudibus Corporis Christi omittitur Memoria de Octava SS. Trinitatis.

AD COMPLETORIUM.

Jube domne benedícere. Benedictio Noctem quiétam., Lectio Fratres : sóbrii estóte., ℣. Adjutórium nostrum., Pater noster., Confíteor., Misereátur., ℣. Convérte nos. ℣. Deus in adjutórium.

Super Psalmos Aña Miserére mihi Dómine, et exáudi oratiónem meam. Psalmus Cum invocárem. cum ceteris tribus Psalmis consuetis, pag. 149.

Capitulum. Jer. 14.

TU in nobis es Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos Dómine Deus noster. ℟. Deo grátias.

℟ In manus tuas Dómine comméndo spíritum meum, * Allelúia, allelúia. In manus. ℣ Redemísti me Dómine Deus veritátis. Allelúia, allelúia. Glória. In manus.

Hymnus.

TE lucis ante términum
Rerum Creátor póscimus
Ut sólita cleméntia
Sis præsul ad custódiam.
PROCUL recédant sómnia
Et nóctium phantásmata :
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.
GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

¶ Prædicta Stropha Glória tibi Dómine. dicatur per totam Octavam Corporis Christi ad omnes Hymnos ejusdem metri, etiam in festis Sanctorum, excepto Hymno Verbum supérnum pródiens.

℣. Custódi nos Dómine ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ad Nunc dimittis Aña. Allelúia, Panis quem ego dédero, allelúia, caro mea est pro mundi vita, allelúia, allelúia.

Cetera non mutantur.

¶ Eodem modo dicatur Completorium per totam Octavam, etiam in festis Sanctorum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem adorémus dominántem géntibus : * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem.

Hymnus.

SACRIS solémniis juncta sint gáudia,
Et ex prækórdiis sonent præcónia :
Recédant vétera, nova sint ómnia,
Corda, voces et ópera.
NOCTIS recólitur cena novíssima,
Qua Christus créditur agnum et ázyma
Dedísse frátribus, juxta legítima
Priscis indúlta pátribus.
POST agnum typicum, expletis épulis,
Corpus Domínicum datum discípulis,

Sic totum ómnibus, quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
DEDIT fragílibus córporis férculum :
Dedit et tristibus sánguinis póculum,
Dicens : Accípite, quod trado, vásculum,
Omnes ex eo bíbite.
SIC sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis Presbyteris, quibus sic cóngruit
Ut sumant, et dent céteris.
PANIS angélicus fit panis hóminum :
Dat panis cælicus figúris términum :
O res mirábilis : mandúcat Dóminum
Pauper, servus, et húmilis!
TE trina Déitas únaque póscimus :
Sic nos tu vísita, sicut te cólimus :
Per tuas sémitas duc nos quo téndimus,
Ad lucem, quam inhábitas. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcumque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem própicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent impii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Psalmus 4.

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, ℣ et speráte in Dómino : * multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam :

Quóniam tu Dómine singulári ter in spe * constituísti me.

Aña. A fructu fruménti et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

Psalmus 15.

CONSERVA me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, ℣. adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Aña. Communióne cálicis, quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine congregávit nos Dóminus.

℣. Panem cæli dedit eis, allelúia. ℟. Panem Angelórum manducávit homo, allelúia.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 12.

DIXIT quoque Dóminus ad Móysen et Aaron in terra Ægypti : Mensis iste, vobis princípium ménsium : primus erit in ménsibus anni. Loquímini ad univérsum cœtum filiórum Israel, et dícite eis : Décima die mensis hujus tollat unusquísque agnum per familias et domos suas. Sin autem minor est número ut sufficere possit ad vescéndum agnum, assúmet vicínum suum qui junctus est dómui suæ, juxta número animárum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque mácula, másculus, annículus : juxta quem ritum tollétis et hædum. Et servábitis eum usque ad quartam décimam diem mensis hujus : immolabítque eum univérsa multitúdo filiórum Israel ad vésperam. Et sument de sánguine ejus, ac ponent super utrúmque postem, et in superliminaribus domórum, in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, et ázymos panes cum lactúcis agréstibus.

℟. j. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes, et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : itaque epulémur in ázymis sinceritátis, et veritátis. — Et edent carnes et ázymos panes.

Lectio ij. Cap. 16.

CUM loquerétur Aaron ad omnem cœtum filiórum Israel, respexérunt ad solitúdinem : et ecce glória Dómini

appáruit in nube. Locútus est autem Dóminus ad Móysen, dicens : Audívi murmuratiónes filiórum Israel, lóquere ad eos : Véspere comedétis carnes, et mane saturabímini pánibus : scietísque quod ego sum Dóminus Deus vester. Factum est ergo véspere, et ascéndens cotúrnix, coopéruit castra : mane quoque ros jácuit per circúitum castrórum. Cumque operuísset superfíciem terræ, appáruit in solitúdine minútum, et quasi pilo tusum in similitúdinem pruínæ super terram. Quod cum vidíssent fílii Israel, dixérunt ad ínvicem : Manhu? quod significat : Quid est hoc? ignorábant enim quid esset. Quibus ait Móyses : Iste est panis, quem Dóminus dedit vobis ad vescéndum.

℟. ij. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo : sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste est panis.

De libro tértio Regum.

Lectio iij. Cap. 19.

VENIT Elías in Bersabée Juda, et dimísit ibi púerum suum, et perréxit in desértum, viam uníus diéi. Cumque venísset, et sedéret subter unam juníperum, petívit ánimæ suæ ut morerétur, et ait : Súfficit mihi Dómine, tolle ánimam meam : neque enim mélior sum, quam patres mei. Projecítque se, et obdormívit in umbra juníperi : et ecce Angelus Dómini tétigit eum, et dixit illi : Surge, et cómede. Respéxit, et ecce ad caput suum subcinerícius panis, et vas aquæ. Comédit ergo, et bibit, et rursum obdormívit. Reversúsque est Angelus Dómini secúndo, et tétigit eum, dixítque illi : Surge, cómede : grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexísset, comédit et bibit, et ambulávit in fortitúdine cibi illíus quadragínta diébus, et quadragínta nóctibus, usque ad montem Dei Horeb.

℟. iij. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem : qui surgens comédit et bibit, * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus Usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Et ambulávit. Glória. Usque ad montem Dei.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 19.

EXAUDIAT te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus et erécti sumus.

Dómine salvum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Aña. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri : et holocáustum nostrum pingue fiat.

Psalmus 22.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Aña. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes, qui tríbulant nos.

Psalmus 41.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei :

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es,

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei :

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Aña. In voce exsultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.

℣. Cibávit eos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

Sermo sancti Thomæ Aquinátis.

(In Opusculo 57.)

Lectio iv.

IMMENSA divínæ largitátis benefícia, exhíbita pópulo christiáno, inæstimábilem ei cónferunt dignitátem. Neque enim est, aut fuit aliquándo tam grandis nátio, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus síquidem Dei Fílius, suæ divinitátis volens nos esse partícipes, nostram natúram assúmpsit : ut hómines Deos fáceret, factus homo. Et hoc insuper, quod de nostro assúmpsit, totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatióne in ara crucis hóstiam óbtulit Deo Patri; sánguinem suum fudit in prétium simul et lavácrum : ut redémpti a miserábili servitúte, a peccátis ómnibus mundarémur.

℟. iv. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Judæi, dicéntes :* Quómodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducándum? ℣. Locútus est pópulus contra Dóminum : Anima nostra náuseat super cibo isto levíssimo. — Quómodo potest hic.

Lectio v.

ET ut tanti benefícii jugis in nobis manéret memória, corpus suum in cibum, et sánguinem suum in potum, sub spécie panis et vini suméndum fidélibus derelíquit. O pretiósum et admirándum convívium, salutíferum, et omni suavitáte replétum! Quid enim hoc convívio pretiósius esse potest? in quo non carnes vitulórum et hircórum, ut olim in lege, sed nobis suméndus propónitur Christus, verus Deus. Quid hoc Sacraménto mirabílius? In ipso namque panis et vinum in Christi corpus et sánguinem substantiáliter convertúntur : ideóque Christus Deus, et homo perféctus, sub módici panis et vini spécie continétur.

℟. v. Cenántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait :* Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite.

Lectio vj.

MANDUCATUR ítaque a fidélibus, sed mínime lacerátur : quinímmo, divíso Sacraménto, sub quálibet divisiónis partícula ínteger persevérat. Accidéntia autem sine subjécto in eódem subsístunt; ut fides locum hábeat, dum visíbile invisibíliter súmitur, aliéna spécie occultátum : et sensus a deceptióne reddántur immúnes, qui de accidéntibus júdicant sibi notis. Nullum étiam Sacraméntum est isto salúbrius, quo purgántur peccáta, virtútes augéntur, et mens ómnium spirituálium charísmatum abundántia impinguátur. Offértur in Ecclésia pro vivis et mórtuis : ut ómnibus prosit, quod est pro salúte ómnium institútum.

℟. vj. Accépit Jesus cálicem, postquam cenávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc fácite in meam commemoratiónem. Glória. Hoc fácite in meam commemoratiónem.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 42.

JUDICA me Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara Deus Deus meus : * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Aña. Introíbo ad altáre Dei : sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Psalmus 80.

EXSULTATE Deo adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum: * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Bucináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ :

Quia præcéptum in Israel est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, et contestábor te : * Israel si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israel si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Aña. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti : et de petra, melle saturávit nos.

Psalmus 83.

QUAM dilécta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ℣ ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus: * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super millia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Aña. Ex altári tuo Dómine Christum súmimus : in quem cor et caro nostra exsúltant.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea, vere est cibus : et sanguis meus, vere est potus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Tr. 26. in Joan. sub. finem.)

CUM cibo et potu id áppetant hómines, ut neque esúriant, neque sítiant; hoc veráciter non præstat, nisi iste cibus et potus qui eos, a quibus súmitur, immortáles et incorruptíbiles facit : id est socíetas ipsa sanctórum, ubi pax erit, et únitas plena atque perfécta. Proptérea quippe (sicut étiam ante nos hoc intellexérunt hómines Dei) Dóminus noster Jesus Christus corpus et sánguinem suum in eis rebus commendávit, quæ ad unum áliquid redigúntur ex multis. Namque áliud in unum ex multis granis confícitur : áliud in unum ex multis ácinis cónfluit.

℟. vij. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In me manet.

Lectio viij.

DENIQUE jam expónit, quómodo id fiat, quod lóquitur : et quid sit manducáre corpus ejus, et sánguinem bíbere. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Hoc est ergo manducáre illam escam, et illum bíbere potum, in Christo manére, et illum manéntem in se habére.

Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdúbio nec mandúcat spiritáliter ejus carnem, nec bibit ejus sánguinem, licet carnáliter et visibíliter premat déntibus Sacraméntum córporis et sánguinis Christi : sed magis tantæ rei Sacraméntum ad judícium sibi mandúcat et bibit, quia immúndus præsúmpsit ad Christi accédere Sacraménta, quæ áliquis non digne sumit, nisi qui mundus est; de quibus dícitur : Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

℟. viij. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit eum Dóminus pane vitæ, et intellectus. — Et qui mandúcat me.

Lectio ix.

SICUT misit me, inquit, vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Ac si díceret : Ut ego vivam propter Patrem, id est ut ad illum tamquam ad majórem réferam vitam meam, exinanítio mea fecit, in qua me misit. Ut autem quisquam vivat propter me, participátio facit, qua mandúcat me. Ego ítaque humiliátus vivo propter Patrem : ille eréctus vivit propter me. Si autem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est : sine detriménto æqualitátis dictum est. Nec tamen dicéndo, Et qui mandúcat me, ipse vivet propter me : eámdem suam et nostram æqualitátem significávit, sed grátiam mediatóris osténdit.

℟. ix. Unus panis, et unum corpus multi sumus, * Omnes, qui de uno pane, et de uno cálice Participámus. ℣. Parásti in dulcédine tua páuperi Deus : qui habitáre facis unánimes in domo. — Omnes, qui. Glória Patri. Participámus.

Ante Laudes ℣. Comédi favum cum melle meo, allelúia. ℟. Bibi vinum meum cum lacte meo, allelúia.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Sapiéntia ædificávit sibi domum : míscuit vinum, et pósuit mensam, allelúia. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Angelórum esca nutrivísti pópulum tuum, et panem de cælo præstitísti eis, allelúia.

3. Pinguis est panis Christi, et præbébit delícias régibus, allelúia.

4. Sacerdótes sancti incénsum et panes ófferunt Deo, allelúia.

5. Vincénti dabo manna abscónditum, et nomen novum, allelúia.

Capitulum. 1. Cor. 11.

DOMINUS Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur.

Hymnus.

VERBUM supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

QUIBUS sub bina spécie
Carnem dedit, et sánguinem :
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

SE nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O SALUTARIS hóstia,
Quæ cæli pandis óstium :
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

UNI trinóque Dómino
Sit sempitérna glória :
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria. Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

Ad Benedictus Aña. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christi Fili Dei vivi miserére nobis, * Allelúia, allelúia. Jesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María. Allelúia. Glória. Jesu Christe.

℣. Exsúrge Dómine, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

¶ Et dicitur per totam Octavam etiam in festis Sanctorum.

AD TERTIAM.

Capitulum Dóminus Jesus., ut in Laudibus.

℟. Panem cæli dedit eis, * Allelúia, allelúia. Panem cæli dedit eis. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúia. Glória. Panem cæli dedit eis.

℣. Cibávit eos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. Cor. 11.

QUOTIESCUMQUE enim manducábitis panem hunc et cálicem bibétis : mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. Cibávit eos ex ádipe fruménti, * Allelúia, allelúia. Cibávit eos. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Allelúia. Glória. Cibávit eos.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Cor. 11.

QUICUMQUE manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne : reus erit córporis et sánguinis Dómini.

℟. Edúcas panem de terra, * Allelúia, allelúia. Edúcas panem de terra. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. Allelúia. Glória. Edúcas panem de terra.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricos et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Psalmus 127.

BEATI omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tib ℣erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Psalmus 147.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Aña. Sapiéntia ædificávit sibi domum : míscuit vinum, et pósuit mensam, allelúia.

Capitulum. 1. Cor. 11.

DOMINUS Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur.

Hymnus.

PANGE lingua gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

NOBIS datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

IN suprémæ nocte cenæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta Lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

VERBUM caro panem verum
Verbo carnem éfficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Et, si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Hic genuflectitur usque ad Genitóri.

TANTUM ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui :
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui :
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.

GENITORI, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de cælo præstitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Ad Magnificat Aña. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur : recólitur memória Passiónis ejus : mens implétur grátia : et futúræ glóriæ nobis pignus datur! Allelúia, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

¶ De Festis ac Memoriis infra Octavam Corporis Christi faciendis vel omittendis dicitur in Rubricis generalibus § xxiij. numero 1. et § xxiv. numeris 4. et 5.

PER OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Quando infra Octavam Corporis Christi de ipsa agitur, hoc modo fiat Officium, nisi Dominica fuerit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium Christum Regem adorémus. et Hymnus Sacris solémniis. ut in Festo, pag. 176.

IN NOCTURNO.

Psalmus Beátus vir, qui non ábiit. cum octo ceteris ut in Festo, pag. 177. et sequentibus.

Super novem Psalmos una tantum Antiphona juxta ordinem et numerum dierum infra Octavam hic respective notata.

¶ Prima die infra Octavam, super Psalmos sola Aña. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

¶ Secunda die infra Octavam, super Psalmos sola Aña. A fructu fruménti et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

¶ Tertia die infra Octavam, super Psalmos sola Aña. Communióne cálicis, quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

¶ Quarta die infra Octavam, super Psalmos sola Aña. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri : et holocáustum nostrum pingue fiat.

¶ Quinta die infra Octavam, super Psalmos sola Aña. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes, qui tríbulant nos.

Versiculus, tres Lectiones et tria Responsoria ut per Ferias suis locis notatum est.

Dicatur Canticum Te Deum.

Ante Laudes ℣. Comédi favum cum melle meo, allelúia. ℟. Bibi vinum meum cum lacte meo, allelúia.

AD LAUDES.

Super Psalmos sola Aña. Sapiéntia ædificávit sibi domum : míscuit vinum, et pósuit mensam, allelúia. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum. 1. Cor. 11.

DOMINUS Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur.

Hymnus.

VERBUM supérnum pródiens.
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem :
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O salutaris hóstia,
Quæ cæli pandis óstium :
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

UNI trinóque Dómino
Sit sempitérna glória :
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria. Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : qui mandúcat ex hoc pane vivet in ætérnum.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

AD PRETIOSA.

Evangelium.

Secúndum Joánnem. Cap. 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea, vere est cibus : et sanguis meus, vere est potus. Tu autem Dómine.

AD HORAS.

Omnia dicantur ut in Festo, pag. 185.

AD VESPERAS.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, super Psalmos Aña Sapiéntia.; Capitulum Dóminus Jesus. et Hymnus Pange lingua., ut in ij. Vesperis Festi, pagg. 185-187.

℣. Panem de cælo præstitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Ad Magnificat Aña. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

FERIA SEXTA
INFRA OCT. CORP. CHRISTI.

℣. Cibávit eos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

Benedictio Deus Pater omnípotens. cum duabus reliquis de secundo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 9.

IN Joppe autem fuit quædam discípula, nómine Tabítha, quæ interpretáta dícitur Dorcas. Hæc erat plena opéribus bonis, et eleemósynis, quas faciébat. Factum est autem in diébus illis, ut infirmáta morerétur. Quam cum lavíssent, posuérunt eam in cenáculo. Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discípuli audiéntes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogántes : Ne pigritéris veníre usque ad nos. Exsúrgens autem Petrus venit cum illis.

℟. j. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Judæi dicéntes : * Quómodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducándum? ℣. Locútus est pópulus contra Dóminum : Anima nostra náuseat super cibo isto levíssimo. —Quómodo potest hic.

Lectio ij.

ET cum advenísset, duxérunt illum in cenáculum : et circumstetérunt illum omnes víduæ flentes, et ostendéntes ei túnicas, et vestes, quas faciébat illis Dorcas. Ejéctis autem ómnibus foras : Petrus ponens génua orávit : et convérsus ad corpus, dixit : Tabítha, surge. At illa apéruit óculos suos : et viso Petro, resédit. Dans autem illi manum, eréxit eam. Et cum vocásset sanctos, et víduas, assignávit eam vivam. Notum autem factum est per univérsam Joppen : et credidérunt multi in Dómino.

℟. ij. Cenántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite, et comédite.

De Sermóne sancti Thomæ Aquinátis.

Lectio iij. Opusc. 57.

CONVENIT ítaque devotióni fidélium, solémniter recólere institutiónem tam salutíferi, tamque mirábilis Sacraménti : ut ineffábilem modum divínæ præséntiæ in Sacraménto visíbili venerémur; et laudétur Dei poténtia, quæ in Sacraménto eódem tot mirabília operátur : necnon et de tam salúbri, tamque suávi benefício exsolvántur Deo débitæ gratiárum actiónes. Románus autem Póntifex Urbánus Quartus, hujus Sacraménti devotióne affféctus, pie státuit, præfátæ institutiónis memóriam prima quinta Féria post Octávas Pentecóstes a cunctis fidélibus celebrári.

℟. iij. Accépit Jesus cálicem, postquam cenávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc fácite. Glória. Hoc fácite.

¶ Feria sexta infra Octavam Corporis Christi in Laudibus et Vesperis, Sabbato autem in Laudibus tantum, fiat Memoria de Octava SS. Trinitatis.

Ad Memoriam de Octava SS. Trinitatis in Laudibus Aña. Benedícta sit creátrix et gubernátrix ómnium, sancta et indivídua Trínitas, et nunc, et semper, et per infiníta sæculórum sæcula.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere : et in poténtia majestátis adoráre unitátem; quæsumus ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per.

Ad Memoriam de Octava SS. Trinitatis in Vesperis Aña. Te Deum Patrem ingénitum, te Fílium unigénitum, te Spíritum sanctum Paráclitum, sanctam et indivíduam Trinitátem toto corde et ore confitémur, laudámus atque benedícimus : tibi glória in sæcula.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Oratio Omnípotens sempitérne Deus., ut supra ad Memoriam de Octava SS. Trinitatis in Laudibus.

SABBATO
INFRA OCT. CORP. CHRISTI.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

Benedictio Ille nos benedícat. cum duabus reliquis de tertio Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 11.

ET illi quidem, qui dispérsi fúerant a tribulatióne, quæ facta fúerat sub Stéphano, perambulavérunt usque Phœnícen, et Cyprum, et Antióchiam, némini loquéntes verbum, nisi solis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, et Cyrenæi, qui cum introíssent Antióchiam, loquebántur et ad Græcos, annuntiántes Dóminum Jesum. Et erat manus Dómini cum eis : multúsque número credéntium convérsus est ad Dóminum.

℟. j. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In me manet, et ego in eo.

Lectio ij.

PERVENIT autem sermo ad aures ecclésiæ, quæ erat Jerosólymis super istis : et misérunt Bárnabam usque ad Antióchiam. Qui cum pervenísset, et vidísset grátiam Dei, gavísus est : et hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino : quia erat vir bonus, et plenus Spíritu sancto, et fide. Et appósita est multa turba Dómino. Proféctus est autem Bárnabas Tarsum, ut quæreret Saulum : quem cum invenísset, perdúxit Antióchiam.

℟. ij. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit eum Dóminus pane vitæ, et intellectus. — Et qui mandúcat me, vivet propter me.

Sermo sancti Cyrílli Epíscopi.
(Lib. 3. in Joan. cap. 6.)

Lectio iij.

SCIANT ígitur baptizáti hómines, et divínæ grátiæ partícipes facti, si rárius in ecclésiam proficiscántur, et longo témporum spátio propter simulátam religiónem mystice communicáre Christo recúsent, ab ætérna se vita procul depéllere. Quippe recusátio hujúsmodi, quamvis ex religióne proficísci videátur, et scándalum facit, et láqueos ínstruit. Quare opórtet ómnibus víribus a peccáto mundári, et recte vivéndi jactis fundaméntis, magna cum fidúcia ad suméndam vitam concúrrere. Sed váriae sunt diáboli multiplicésque ad decipiéndum insídiæ. Quare demus óperam modo, ut vínculis ejus abrúptis, et jugo servitútis peccatórum excúsco, in timóre Dómini serviámus : et ut carnis voluptáte per continéntiam superáta, ad cæléstem grátiam accedámus.

℟. iij. Unus panis, et unum corpus multi sumus, * Omnes, qui de uno pane, et de uno cálice Participámus. ℣. Parásti in dulcédine tua páuperi Deus : qui habitáre facis unánimes in domo. — Omnes, qui de uno pane. Glória. Participámus.

Fiat Memoria de Octava Trinitatis in Laudibus tantum, ut pag. 190.

In Vesperis nihil fiat de Dominica.

DOMINICA
INFRA OCT. CORP. CHRISTI.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem adorémus dominántem géntibus, * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem.

Hymnus Sacris solémniis., pag. 176.

IN I. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. ex primo Nocturno Festi. pag. 177.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 1.

MULTIFARIAM, multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis : novíssime, diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula : Qui cum sit splendor glóriæ, et figúra substántiæ ejus, portánsque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excélsis : tanto mélior Angelis efféctus, quanto differéntius præ illis nomen hereditávit.

℟. j. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes, et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et edent carnes, et ázymos panes.

Lectio ij.

CUI enim dixit aliquándo Angelórum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rursum : Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in fílium? Et cum íterum introdúcit primogénitum in orbem terræ, dicit : Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit : Qui facit Angelos suos spíritus, et minístros suos flammam ignis. Ad Fílium autem : Thronus tuus Deus in sæculum sæculi : virga æquitátis, virga regni tui.

℟. ij. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo : sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste est panis.

Lectio iij.

DILEXISTI justítiam, et odísti iniquitátem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo exsultatiónis præ partícipibus tuis. Et : Tu in princípio Dómine terram fundásti : et ópera mánuum tuárum sunt cæli. Ipsi períbunt, tu autem permanébis, et omnes ut vestiméntum veteráscent : et velut amíctum mutábis eos, et mutabúntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient. Ad quem autem

Angelórum dixit aliquándo : Sede a dextris meis, quoadúsque ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum?

℟. iij. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem : qui surgens comédit et bibit, * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus Usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. -- Et ambulávit. Glória. Usque ad montem Dei.

IN II. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. ex secundo Nocturno Festi, pag. 179.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
(Hom. 60. ad populum Antioch.)

Lectio iv.

QUOT nunc dicunt, Vellem ipsius Christi formam aspícere, figúram, vestiménta, calceaménta! Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum mandúcas. Et tu quidem vestiménta cupis vidére : ipse vero tibi concédit non tantum vidére, verum et manducáre, et tángere, et intra te súmere. Igitur accédat nemo cum náusea, nemo resolútus, omnes accénsi, omnes fervéntes et excitáti. Nam si Judæi stantes, et calceaménta in pédibus habéntes, et báculos mánibus gestántes, agnum cum festinatióne comedébant : te multo magis opórtet esse solértem.

℟. iv. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Judæi, dicéntes : * Quómodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducándum? ℣. Locútus est pópulus contra Dóminum : Anima nostra náuseat super cibo isto levíssimo. — Quómodo potest.

Lectio v.

QUAPROPTER in ómnibus opórtet te vigiláre : nec enim parva pœna propónitur indígne suméntibus. Cógita quantum advérsus proditórem indignáris, et contra eos, qui illum crucifixérunt : ítaque considera ne tu quoque sis reus córporis et sánguinis Christi. Illi sanctíssimum corpus occidérunt, tu vero pollúta súscipis ánima post tot benefícia. Neque enim illi satis fuit hóminem fíeri, cólaphis cædi, et crucifígi : verum et semetípsum nobis commíscet, et non fide tantum, verum et ipsa re nos suum éfficit corpus.

℟. v. Cenántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite, et comédite.

Lectio vj.

QUO non opórtet ígitur esse puriórem, tali fruéntem sacrifício? Quo solári rádio non splendidiórem manum, carnem hanc dividéntem? os, quod igne spirituáli replétur; linguam, quæ treméndo nimis sánguine rubéscit? Cógita quali sis insignítus honóre, quali mensa fruáris. Quod ángeli vidéntes horréscunt, neque líbere audent intuéri propter emicántem inde splendórem, hoc nos páscimur, huic nos unímur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves próprio pascit cruóre?

℟. vj. Accépit Jesus cálicem, postquam cenávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine :* Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc fácite. Glória. Hoc fácite.

IN III. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. ex tertio Nocturno Festi, pag. 182.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis parábolam hanc : Homo quidam fecit cenam magnam, et vocávit multos. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ. (Hom. 36. in Evang.)

HOC distáre, fratres carissimi, inter delícias córporis et cordis solet : quod corporáles delíciæ, cum non habéntur, grave in se desidérium accéndunt : cum vero hábitæ edúntur, comedéntem prótinus in fastídium per satietátem vertunt. At contra spiritáles delíciæ, cum non habéntur, in fastídio sunt : cum vero habéntur, in desidério : tantóque a comedénte ámplius esuriúntur, quanto et ab esuriénte ámplius comedúntur. In illis appetítus placet, experiéntia dísplicet : in istis appetítus vilis est, et experiéntia magis placet.

℟. vij. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In me manet, et ego in eo.

Lectio viij.

AUGENT enim spiritáles deliciæ desidérium in mente, dum sátiant : quia quanto magis eárum sapor percípitur, eo ámplius cognóscitur quod avídius amétur : et idcirco non hábitæ amári non possunt, quia eárum sapor ignorátur. Quis enim amáre váleat quod ignórat? Proínde Psalmísta nos ádmonet dicens : Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus. Ac si apérte dicat : Suavitátem ejus non cognóscitis, si hanc mínime gustátis : sed cibum vitæ ex paláto cordis tángite ; ut probántes ejus dulcédinem, amáre valeátis.

℟. viij. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit eum Dóminus pane vitæ, et intelléctus. — Et qui mandúcat me, vivet propter me.

Lectio ix.

HAS autem homo delícias tunc amísit, cum in paradíso peccávit : extra éxiit, cum os a cibo ætérnæ dulcédinis clausit. Unde nos quoque nati in hujus peregrinatiónis ærúmna, huc fastidiósi jam vénimus; nescímus, quid desideráre debeámus : tantóque se ámplius fastídii nostri morbus exággerat, quanto se magis ab esu illíus dulcédinis ánimus elóngat. Et eo jam intérnas delícias non áppetit, quo eas comédere, diu longéque dissuévit. Fastídio ergo nostro tabéscimus, et longa inédiæ peste fatigámur.

℟. ix. Unus panis, et unum corpus multi sumus, * Omnes, qui de uno pane et de uno cálice Participámus. ℣. Parásti in dulcédine tua páuperi Deus : qui habitáre facis unánimes in domo. — Omnes, qui de uno pane. Glória. Participámus.

Ante Laudes ℣. Comédi favum cum melle meo, allelúia. ℟. Bibi vinum meum cum lacte meo, allelúia.

AD LAUDES.

Super Psalmos Aña Sapiéntia. et reliquæ quatuor ut in Festo, pag. 184. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum Dóminus Jesus. et Hymnus Verbum supérnum pródiens. ut in Festo, pag. 184.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúia. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúia.

Ad Benedictus Aña. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : qui mandúcat ex hoc pane vivet in ætérnum.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Ad Memoriam de Dominica Aña. Homo quidam fecit cenam magnam, et vocávit multos : et misit servum suum hora cenæ dícere invitátis ut venirent, quia ómnia paráta sunt, allelúia.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

Oratio.

SANCTI nóminis tui Dómine timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum : quia nunquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Per.

AD PRETIOSA.

Evangelium.

Secúndum Lucam. Cap. 14.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis parábolam hanc : Homo quidam fecit cenam magnam, et vocávit multos. Tu autem Dómine.

AD PRIMAM.

Omnia ut in Festo, addito post Psalmos consuetos Symbolo Quicúmque vult salvus esse., pag. 29.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Antiphonæ, Capitula, ℟℟., ℣℣. et Oratio ut in Festo, pag. 184. et pag. 185.

AD VESPERAS.

Psalmi, Antiphona super Psalmos, Capitulum et Hymnus ut in ij. Vesperis Festi, pagg. 185-187.

℣. Panem de cælo præstitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Ad Magnificat Aña. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se.

Oratio Deus, qui nobis. ut supra in Laudibus.

Ad Memoriam de Dominica Aña. Exi cito in platéas, et vicos civitátis : et páuperes ac débiles, cæcos et claudos compélle intráre, ut impleátur domus mea, allelúia.

℣. Cibávit eos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

Oratio.

SANCTI nóminis tui Dómine timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum : quia nunquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Per.

FERIA SECUNDA
INFRA OCT. CORP. CHRISTI.

℣. Panem cæli dedit eis, allelúia. ℟. Panem angelórum manducávit homo, allelúia.

Benedictio Benedictióne perpétua. cum duabus reliquis de primo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 13.

ERANT autem in ecclésia, quæ erat Antióchiæ, prophétæ, et doctóres, in quibus Bárnabas, et Simon, qui vocabátur Niger, et Lúcius Cyrenénsis, et Mánahen, qui erat Heródis Tetrárchæ collactáneus, et Saulus. Ministrántibus autem illis Dómino, et jejunántibus, dixit illis Spíritus sanctus : Segregáte mihi Saulum, et Bárnabam in opus, ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes, et oránte, imponentésque eis manus, dimisérunt illos.

℟. j. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes, et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et edent carnes, et ázymos panes.

Lectio ij.

ET ipsi quidem missi a Spíritu sancto abiérunt Seleúciam; et inde navigavérunt Cyprum. Et cum veníssent Salamínam, prædicábant verbum Dei in synagógis Judæórum. Habébant autem et Joánnem in ministério. Et cum perambulássent univérsam ínsulam usque Paphum, invenérunt quemdam virum magum pseudoprophétam, Judæum, cui nomen erat Barjésu, qui erat cum procónsule Sérgio Paulo viro prudénte. Hic, accersítis Bárnaba, et Saulo, desiderábat audíre verbum Dei.

℟. ij. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo : sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste est panis.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Hom. 60. ad populum Antioch.)

Lectio iij.

UNICUIQUE fidélium Christus semetípsum per mystéria commíscet, et quos génuit, per semetípsum enútrit, nec álteri tradit : per hoc tibi rursum persuádens, quod carnem tuam assúmpsit. Ne torpeámus ígitur, tanta digni caritáte, et honóre putáti. Nonne vidétis quanta promptitúdine párvuli papíllas cápiunt, et quanto ímpetu lábia ubéribus infigunt? Accedámus cum tanta nos quoque alacritáte ad hanc mensam : quinímmo cum longe majóri trahámus, tamquam infántes lacténtes, spíritus

grátiam; et unus sit nobis dolor hac esca privári.

℟. iij. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem : qui surgens comédit et bibit, * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus Usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Et ambulávit. Glória. Usque ad montem Dei.

FERIA TERTIA
INFRA OCT. CORP. CHRISTI.

℣. Cibávit eos ex ádipe fruménti, allelúia. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúia.

Benedictio Deus Pater omnípotens. cum duabus reliquis de secundo Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 14.

ET quidam vir Lystris infirmus pédibus sedébat, claudus ex útero matris suæ, qui nunquam ambuláverat. Hic audívit Paulum loquéntem. Qui intúitus eum, et videns quia fidem habéret ut salvus fieret, dixit magna voce : Surge super pedes tuos rectus. Et exsilívit, et ambulábat. Turbæ autem cum vidíssent quod fécerat Paulus, levavérunt vocem suam, Lycaónice dicéntes : Dii símiles facti homínibus, descendérunt ad nos. Et vocábant Bárnabam Jovem, Paulum vero Mercúrium : quóniam ipse erat dux verbi.

℟. j. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Judæi, dicéntes : * Quómodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducándum? ℣. Locútus est pópulus contra Dóminum : Anima nostra náuseat super cibo isto levíssimo. — Quómodo potest hic.

Lectio ij.

SACERDOS quoque Jovis, qui erat ante civitátem, tauros, et corónas ante jánuas áfferens, cum pópulis volébat sacrificáre. Quod ubi audiérunt Apóstoli, Bárnabas et Paulus, conscíssis túnicis suis exsiliérunt in turbas clamántes, et dicéntes : Viri, quid hæc fácitis? et nos mortáles sumus, símiles vobis hómines, annuntiántes vobis ab his vanis convérti ad Deum vivum, qui fecit cælum et terram, et mare et ómnia quæ in eis sunt.

℟. ij. Cenántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : *Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite, et comédite.

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris ad Cæcílium.

(Lib. 2. Epist. 3. sub init.)

Lectio iij.

IN sacerdóte Melchísedech sacrifícii Domínici · sacraméntum præfigurátum vidémus, secúndum quod Scriptúra divína testátur, et dicit : Et Melchísedech rex Salem prótulit panem, et vinum. Fuit autem sacérdos Dei summi, et benedíxit Abraham. Quod autem Melchísedech typum Christi portáret, declárat in Psalmis Spíritus sanctus, ex persóna Patris ad Fílium dicens :

Ante lucíferum génui te : Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui ordo útique hic est de sacrifício illo véniens, et inde descéndens, quod Melchísedech sacérdos Dei summi fuit, quod panem et vinum óbtulit, quod Abraham benedíxit.

℟. iij. Accépit Jesus cálicem, postquam cenávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc fácite in meam commemoratiónem. Glória. Hoc fácite in meam commemoratiónem.

FERIA QUARTA
INFRA OCT. CORP. CHRISTI.

℣. Edúcas panem de terra, allelúia. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúia.

Benedictio Ille nos benedícat. cum duabus reliquis de tertio Nocturno.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 15.

SURREXERUNT autem quidam de hæresi Pharisæórum, qui credidérunt, dicéntes : Quia opórtet circumcídi eos, præcípere quoque serváre legem Móysi. Convenerúntque Apóstoli, et senióres vidére de verbo hoc. Cum autem magna conquisítio fíeret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis quóniam ab antíquis diébus Deus in nobis elégit, per os meum audíre gentes verbum Evangélii, et crédere. Et qui novit corda Deus, testimónium perhíbuit, dans illis Spíritum sanctum, sicut et nobis, et nihil discrévit inter nos et illos, fide purificans corda eórum.

℟. j. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non estália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In me manet, et ego in eo.

Lectio ij.

NUNC ergo quid tentátis Deum, impónere jugum super cervíces discipulórum, quod neque patres nostri, neque nos portáre potúimus? Sed per grátiam Dómini Jesu Christi crédimus salvári, quemádmodum et illi. Tácuit autem omnis multitúdo : et audiébant Bárnabam, et Paulum narrántes quanta Deus fecísset signa, et prodígia in géntibus per eos. Et postquam tacuérunt, respóndit Jacóbus, dicens : Viri fratres, audíte me. Simon narrávit quemádmodum primum Deus visitávit súmere ex géntibus pópulum nómini suo.

℟. ij. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit eum Dóminus pane vitæ, et intellectus. — Et qui mandúcat me, vivet propter me.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Sacraméntis.

Lectio iij. (Lib. 4. cap. 4.)

AUCTOR Sacramentórum quis est, nisi Dóminus Jesus? De cælo ista Sacraménta venérunt: consílium enim omne de cælo est. Vere autem magnum est, et divínum miráculum, quod pópulo pluit Deus

manna de cælo : et non laborábat pópulus, et manducábat. Tu forte dicis : Meus panis est usitátus. Sed panis iste, panis est ante verba sacramentórum : ubi accésserit consecrátio, de pane fit caro Christi. Hoc ígitur astruámus. Quómodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratióne. Consecrátio ígitur quibus verbis est, et cujus sermónibus? Dómini Jesu.

℟. iij. Unus panis, et unum corpus multi sumus, * Omnes, qui de uno pane et de uno cálice Participámus. ℣. Parásti in dulcédine tua páuperi Deus : qui habitáre facis unánimes in domo. — Omnes, qui de uno pane. Glória. Participámus.

IN OCTAVA CORPORIS CHRISTI.

SOLEMNISSIMUM.

AD I. VESPERAS.

Psalmi, Antiphona super Psalmos, Capitulum et Hymnus ut in secundis Vesperis Festi, pagg. 185-187.

℣. Panem de cælo præstitísti eis, allelúia. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúia.

Ad Magnificat Aña. O quam suávis est Dómine spíritus tuus, qui, ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cælo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiosósque dívites dimíttis inánes!

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem adorémus dominántem géntibus, * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem.

Hymnus Sacris solémniis., pag. 176.

IN I. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. ex primo Nocturno Festi, pag. 177.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 15.

POST hæc revértar, et reædificábo tabernáculum David, quod décidit : et díruta ejus reædificábo, et érigam illud : ut requírant céteri hóminum Dóminum, et omnes gentes, super quas invocátum est nomen meum, dicit Dóminus fáciens hæc. Notum a sæculo est Dómino opus suum. Propter quod ego júdico non inquietáre eos, qui ex géntibus convertúntur ad Deum, sed scríbere ad eos ut abstíneant se a contaminatiónibus simulacrórum, et fornicatióne, et suffocátis, et sánguine.

℟. j. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israel ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes, et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et edent carnes, et ázymos panes.

Lectio ij.

MOYSES enim a tempóribus antíquis habet in síngulis civitátibus qui eum prædicent in synagógis, ubi per omne sábbatum légitur. Tunc plácuit Apóstolis, et senióribus cum omni Ecclésia, elígere viros ex eis, et míttere Antióchiam cum Paulo, et Bárnaba, Judam, qui cognominabátur Bársabas, et Silam viros primos in frátribus, scribéntes per manus eórum : Apóstoli et senióres fratres, his, qui sunt Antióchiæ, et Syriæ, et Cilíciæ frátribus ex Géntibus, salútem. Quóniam audívimus quia quidam ex nobis exeúntes, turbavérunt vos verbis, everténtes ánimas vestras, quibus non mandávimus : plácuit nobis colléctis in unum, elígere viros, et míttere ad vos cum caríssimis nostris Bárnaba, et Paulo, homínibus, qui tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi.

℟. ij. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo : sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste est panis.

Lectio iij.

MISIMUS ergo Judam, et Silam, qui et ipsi vobis verbis réferent éadem. Visum est enim Spíritui sancto, et nobis nihil ultra impónere vobis óneris quam hæc necessária : ut abstineátis vos ab immolátis simulacrórum, et sánguine, et suffocáto, et fornicatióne, a quibus custodiéntes vos, bene agétis. Valéte. Illi ergo dimíssi, descendérunt Antióchiam : et congregáta multitúdine tradidérunt epístolam.

℟. iij. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem: qui surgens comédit et bibit, * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus Usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Et ambulávit. Glória. Usque ad montem Dei.

IN II. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. ex secundo Nocturno Festi, pag. 179.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 26. in Joan. post med.)

Lectio iv.

EXPONENS nobis Apóstolus Paulus hunc panem, Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacraméntum pietátis, o signum unitátis, o vínculum caritátis! Qui vult vívere, habet ubi vivat, habet unde vivat : accédat, credat, incorporétur, ut vivificétur. Non abhórreat a compáge membrórum, non sit putre membrum, quod resecári mereátur : non sit distórtum, de quo erubescátur : sit pulchrum, sit aptum, sit sanum : hæreat córpori, vivat Deo de Deo. Nunc labóret in terra, ut póstea regnet in cælo.

℟. iv. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Judæi, dicéntes : * Quómodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducándum? ℣. Locútus est pópulus contra Dóminum : Anima nostra náuseat super cibo isto levíssimo. — Quómodo potest hic.

Lectio v.

HUNC ítaque cibum, et potum, societátem vult intélligi córporis, et membrórum suórum, quod est sancta Eccléesia in prædestinátis, et vocátis, et justificátis, et glorificátis sanctis, et fidélibus ejus : quorum primum jam factum est, id est, prædestinátio : secúndum, et tértium, et factum est, et fit, et fiet, id est, vocátio, et justificátio : quartum vero nunc in spe est, in re autem futúrum est, id est, glorificátio.

℟. v. Cenántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite, et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite, et comédite.

Lectio vj.

HUJUS rei Sacraméntum, id est, unitátis córporis et sánguinis Christi, alícubi quotídie, alícubi certis intervállis diérum, in Domínica mensa præparátur, et de mensa Dominica súmitur; quibúsdam ad vitam, quibúsdam ad exítium. Res vero ipsa, cujus et Sacraméntum est, omni hómini ad vitam, nulli ad exítium, quicúmque ejus párticeps fúerit.

℟. vj. Accépit Jesus cálicem, postquam cenávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc fácite in meam commemoratiónem. Glória. Hoc fácite in meam commemoratiónem.

IN III. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. ex tertio Nocturno Festi, pag. 182.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea, vere est cibus : et sanguis meus, vere est potus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

(Tr. 26. in Joan. circa med.)

NON sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Quare manducavérunt, et mórtui sunt? Quia quod vidébant, credébant : quod non vidébant, non intelligébant. Ideo patres vestri, quia símiles estis illórum. Nam quantum pértinet, fratres mei, ad mortem istam visíbilem et corporálem, numquid nos non mórimur, qui manducámus panem de cælo descendéntem? Sic sunt mórtui et illi, quemádmodum et nos sumus moritúri, quantum áttinet, ut dixi, ad mortem hujus córporis visíbilem atque carnálem.

℟. vij. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem,* In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In me manet, et ego in eo.

Lectio viij.

QUANTUM autem pértinet ad illam mortem, de qua terret Dóminus, quia mórtui sunt patres istórum : manducávit manna et Móyses, manducávit manna et Aaron,

manducávit manna et Phínees, manducavérunt ibi multi, qui Dómino placuérunt, et mórtui non sunt. Quare? Quia visíbilem cibum spiritáliter intellexérunt, spiritáliter esuriérunt, spiritáliter gustavérunt, ut spiritáliter satiaréntur. Nam et nos hódie accípimus visíbilem cibum : sed áliud est Sacraméntum, áliud est virtus Sacraménti.

℟. viij. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit eum Dóminus pane vitæ, et intellectus. — Et qui mandúcat me, vivet propter me.

Lectio ix.

QUAM multi de altári accípiunt, et moriúntur, et accipiéndo moriúntur! Unde dicit Apóstolus : Judícium sibi mandúcat, et bibit. Nonne buccélla Domínica venénum fuit Judæ? Et tamen accépit. Et cum accépit, in eum inimícus intrávit : non quia malum accépit, sed quia bonum male malus accépit. Vidéte ergo fratres : panem cæléstem spiritáliter manducáte, innocéntiam ad altáre apportáte. Peccáta, etsi sunt quotidiána, vel non sint mortífera; ántequam ad altáre accedátis, atténdite quod dicátis : Dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Si dimíttis, dimittétur tibi : secúrus accéde, panis est, non venénum.

℟. ix. Unus panis, et unum corpus multi sumus, * Omnes, qui de uno pane, et de uno cálice Participámus. ℣. Parásti in dulcédine tua páuperi Deus : qui habitáre facis unánimes in domo. — Omnes, qui de uno pane. Glória. Participámus.

Ante Laudes ℣. Comédi favum cum melle meo, alleluia. ℟. Bibi vinum meum cum lacte meo, allelúia.

AD LAUDES
HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia ut in Festo, servato modo Octavæ diei Solemnissimæ.

FERIA SEXTA
POST OCT. CORP. CHRISTI.

De Actibus Apostolórum.
Lectio j. Cap. 19.

FACTUM est autem cum Apóllo esset Corínthi, ut Paulus peragrátis superióribus pártibus veníret Ephesum, et invéniret quosdam discípulos, dixítque ad eos : Si Spíritum sanctum accepístis credéntes? At illi dixérunt ad eum : Sed neque si Spíritus sanctus est, audívimus. Ille vero ait : In quo ergo baptizáti estis? Qui dixérunt : In Joánnis baptísmate. Dixit autem Paulus : Joánnes baptizávit baptísmo pœniténtiæ pópulum, dicens : In eum, qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent : hoc est, in Jesum.

Lectio ij.

HIS audítis, baptizáti sunt in nómine Dómini Jesu. Et cum imposuísset illis manus Paulus, venit Spíritus sanctus super eos, et loquebántur linguis, et prophetábant. Erant autem omnes viri fere duódecim. Introgréssus autem synagógam, cum fidúcia loquebátur per tres menses, dísputans,

et suádens de regno Dei. Cum autem quidam indurarétur, et non créderent, maledicéntes viam Dómini coram multitúdine, discédens ab eis, segregávit discípulos, quotídie dísputans in schola tyránni cujúsdam.

Lectio iij.

HOC autem factum est per biénnium, ita ut omnes qui habitábant in Asia audírent verbum Dómini, Judæi atque Gentíles. Virtutésque non quáslibet faciébat Deus per manum Pauli : ita ut étiam super lánguidos deferréntur a córpore ejus sudária et semicinctia, et recedébant ab eis languóres, et spíritus nequam egrediebántur.

SABBATO
POST OCT. CORP. CHRISTI.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 19.

TENTAVERUNT autem quidam et de circumeúntibus Judæis exorcístis, invocáre super eos, qui habébant spíritus malos, nomen Dómini Jesu, dicéntes : Adjúro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevæ príncipis sacerdótum septem fílii, qui hoc faciébant. Respóndens autem spíritus nequam dixit eis : Jesum novi, et Paulum scio : vos autem qui estis?

Lectio ij.

ET insíliens in eos homo, in quo erat dæmónium péssimum, et dominátus ambórum, inváluit contra eos, ita ut nudi, et vulnerati effúgerent de domo illa. Hoc autem notum factum est ómnibus Judæis, atque gentílibus, qui habitábant Ephesi : et cécidit timor super omnes illos, et magnificabátur nomen Dómini Jesu. Multíque credéntium veniébant confiténtes, et annuntiántes actus suos.

Lectio iij.

MULTI autem ex eis, qui fúerant curiósa sectáti, contulérunt libros, et combussérunt coram ómnibus : et computátis prétiis illórum, invenérunt pecúniam denariórum quinquagínta míllium. Ita fórtiter crescébat verbum Dei, et confirmabátur. His autem explétis, propósuit Paulus in Spíritu, tránsita Macedónia et Acháia ire Jerosólymam, dicens : quóniam postquam fúero ibi, opórtet me et Romam vidére.

℟℟. Fer. Misericórdiam etc. quæ habentur infra Hebdomadam primam post Octavam Trinitatis, pag. 220. dicantur hodie, nisi festum occurrat.

IN Officio sequentis Dominicæ et ejus Hebdomadæ datur Ritus et Ordo dicendi divinum Officium a Dominica prima post Octavam Trinitatis usque ad Adventum.

DOMINICA I.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

AD I. VESPERAS.

SABBATO ante Dominicam primam post Octavam Trinitatis sic inchoentur Vesperæ. Secreto dicatur Pater noster. Quo dicto, clare dicatur ℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Et tunc muniant se fratres signo crucis, quod etiam facient ad omnes alias Horas.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. ℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

¶ Sicque per ℣. Deus in adjutórium. inchoentur omnes Horæ, et Laudes, nisi aliter suis locis sit signatum.

Deinde dicantur quinque Psalmi, et totidem Añæ, prout positæ sunt in Psalterio, pag. 141. quæ etiam dici debent in omnibus Sabbatis per annum, cum de Dominica agitur.

Capitulum. 2. Cor. 1.

BENEDICTUS Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra. ℟. Deo grátias.

¶ Sicque ad omnia Capitula respondeatur semper : Deo grátias.

Deinde dicatur ℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. Postea ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. Deinde repetatur ultima pars Responsorii : Ipse me. Postea dicatur ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. Ultimo repetatur : Ipse me erípiet.

¶ Et hoc modo dicatur ℟. in j. Vesperis, nisi aliter signetur.

Hymnus O lux beáta Trínitas., pag. 144.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

¶ Capitulum præcedens, Hymnus, et ℣. dicantur omnibus Sabbatis ad Vesperas, quando de Dominica agitur : ℟. autem Dóminus, qui erípuit. hac die tantum dicatur.

¶ Omni vero tempore, quando Historia dominicalis in sua prima Dominica inchoatur, ℟. quod suo loco notatum erit, dicetur in primis Vesperis post Capitulum. Quando vero propter aliquod impedimentum Dominica non habet primas Vesperas, vel Historia dominicalis non legitur in Dominica, in qua primo debuit inchoari; ℟. in primis Vesp. alterius Dominicæ non dicatur.

¶ Post ℣. statim sequitur Canticum Magníficat. pag. 129., quod per totum annum quotidie in Vesperis dicitur, moxque subjungitur.

Ad Magnificat Aña. Lóquere Dómine, quia audit servus tuus.

Finita Aña post Canticum Magníficat. sequitur

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

PROTECTOR in te sperántium Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum; multíplica super nos misericórdiam tuam : ut te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum nostrum.

Dicta Oratione, et responso Amen. quando nulla sequitur alia Memoria facienda, statim

subjungitur ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

¶ Si is, qui loquitur, non fuerit Sacerdos, vel Diaconus, loco ℣. Dóminus vobíscum. debet dicere ℣. Dómine exáudi oratiónem meam. et ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dicatur ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

¶ At si Memoria occurrerit facienda, dicta hac prima Oratione, et ℟. Amen. statim inchoetur Memoria illa per Añam. Versiculum et Orationem, quæ sicut et prima Oratio terminabitur, si nulla alia adhuc succedat Memoria facienda : si vero altera sequatur, per hæc verba respective terminetur : Per Christum Dóminum nostrum., vel Per eúmdem Christum Dóminum nostrum., vel Qui tecum vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum., vel etiam Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum., pro varia occurrentium Orationum dispositione : ac responso Amen., mox altera inchoetur, et sic deinceps, donec ad ultimam Memoriam perveniatur.

Cum autem ad ultimam Memoriam perventum fuerit, ejus Oratio semper, sicut illa prima Protéctor in te. respective terminetur.

Subjunctis ℣℣. Dóminus vobíscum. et Benedicámus Dómino. responsoque Deo grátias. dicatur ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

¶ Quod semper dicendum est post quamlibet Horam, nisi in die Animarum, et post Offic. Defunctorum, in cujus fine dicendum est Requiéscant in pace. ℟. Amen.

¶ Quando vero plures Horæ simul sunt dicendæ, tunc solum in fine ultimæ Horæ dicatur Fidélium. nisi aliter notetur.

Dicto Fidélium. subjungatur secreto Pater noster. et deinde Añna Salve Regína., Añna Pie Pater .Dominice., ℣. Post partum., ℣. Ora pro nobis., ℣. Fiat pax., Dóminus vobíscum., Oratio Prótege., Oratio Concéde, quæsumus., Oratio Ecclésiæ tuæ., ut pag. 147. notatum est.

Dictoque secreto Pater noster., terminetur illa Hora; qua finita, Conventus recedit a choro.

¶ Hoc modo semper terminentur omnes Horæ, quando Conventus recedit a choro, tam de die, quam de nocte, excepto Completorio.

AD COMPLETORIUM.

Dicto ℣. Jube domne benedícere. subjungatur Benedictio. Noctem quiétam, et finem perféctum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Postea sequatur

Lectio. 1. Pet. 5.

FRATRES : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret : cui resistite fortes in fide. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

Postea dicat, qui præest ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde dicto Pater noster. secreto, dicatur a Prælato :

CONFITEOR Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et vobis Fratres : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere, et omissióne, mea culpa : precor vos oráre pro me.

Chorus autem dicat :

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua : líberet te ab omni malo, salvet, et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat te ad vitam ætérnam. Respondeat Prælatus : Amen.

Postea Chorus replicet : Confiteor.etc. et loco vobis Fratres. dicat tibi Pater. et loco precor vos. dicat precor te. Quo finito Prælatus dicat Absolutionem Misereátur. et loco tui, dicat vestri, et loco tibi, dicat vobis, et loco te, dicat vos.

¶ Quando autem frater solus dicit Completorium, vel Primam, dicat :

CONFITEOR Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis : quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere, et omissióne, mea culpa : precor beátam Maríam semper Vírginem, et beátum Domínicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos oráre pro me.

Postea subjungat :

MISEREATUR mei omnípotens Deus, et dimíttat mihi ómnia peccáta mea : líberet me ab omni malo, salvet, et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat me ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Deinde dicatur ℣. Convérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis. ℣. Deus in adjutórium. etc.

¶ Et ita semper inchoetur Completorium.

Postea dicantur Ps. 4. Cum invocárem., Ps. 30. In te Dómine sperávi.,Ps. 90. Qui hábitat., Ps. 133. Ecce nunc benedícite. ut in Psalterio, pag. 149. et pag. 150.

Et post Psalmos Aña. Miserére mihi Dómine, et exáudi oratiónem meam.

¶ Prædicta Aña Miserére. et prædicti Psalmi dicantur ad Completorium per totum annum, nisi aliter signetur.

Deinde dicatur

Capitulum. Jer. 14.

TU in nobis es Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos, Dómine Deus noster.

℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus tuas. ℣. Redemísti me Dómine Deus veritátis. Comméndo spíritum meum. Glória. In manus tuas.

¶ Capitulum Tu in nobis es. et ℟. In manus tuas. per totum annum dicantur ad Completorium, nisi aliter signetur.

Postea subjungatur Hymnus Te lucis ante términum. cum ℣. Custódi nos Dómine., pag. 150.

¶ Hymnus Te lucis. et ℣. Custódi nos. dicantur semper, nisi ubi aliter est signatum.

Deinde dicatur Canticum Nunc dimíttis. pag. 150.

Quo dicto subjungatur Aña. Salva nos Dómine vigilántes, custódi nos dormiéntes : ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

℣ Canticum Nunc dimíttis. semper dicatur. Aña Salva nos. per totum annum dicatur, nisi alia Antiphona propria sit notata.

Postea dicantur Preces hoc modo : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. et secreto Pater noster. Deinde subjungatur alte Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. In pace in idípsum. ℟. Dórmiam, et requiéscam.

Deinde dicatur Credo. secreto. Deinde dicatur alte : Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Dignáre Dómine nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣ Et ita Preces quotidie in Completorio dicantur : nisi diebus notatis in Rubr. generalibus §. xxxix.

Post Preces, vel si hæ non sunt dicendæ, post Añam Salva nos. immediate dicatur : Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio.

VISITA, quæsumus Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : et Angeli tui sancti habitántes in ea nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.

Dóminus vobíscum.

Benedicámus Dómino.

Deinde detur Benedictio hoc modo : Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, et Spíritus sancti descéndat super (Si Prælatus benedicit, dicat vos.; et si alius, dicat nos,) et máneat semper. ℟. Amen.

Postea dicatur Aña. Salve Regína. pag. 151.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum. ℟. Amen.

Poterit deinde addi Antiphona, ℣. et Oratio de Sancto aliquo Ordinis nostri, vel alio, secundum morem Provinciæ, vel Conventus. Deinde dicto Fidélium ánimæ. etc. et responso Amen., dicatur secreto Pater noster. et Credo.

℣ Et sic finitur Completorium, nisi suo loco aliter notetur.

AD MATUTINUM.

Dicto Pater noster. et Credo., ℣. Dómine lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. et ℣. Deus in adjutórium. etc. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia. immediate dicatur

Invitatorium. Veníte, exsultémus Dómino : * Jubilémus Deo salutári nostro.

Quo dicto sequitur ℣. Præoccupémus fáciem ejus. ut in Psalterio, pag. 1.

¶ Hoc Invitatorium, et Psalmus Veníte. dicantur Dominicis diebus, usque ad Dom. j. Adventus exclusive, quando de Dominica agitur.

¶ In aliis etiam diebus, quando dicitur quodcumque Invitatorium, dicitur etiam Psalmus Veníte, exsultémus. modo quo supra.

Postea dicatur Hymnus Nocte surgéntes., pag. 2.

¶ Isti duo Hymni, Nocte surgéntes. ad Matutinum, et subsequens Ecce jam noctis. ad Laudes, dicantur omnibus Dominicis et Feriis, quando de Tempore agitur.

IN I. NOCTURNO.

Psalmi in Matutinis dicendi ponuntur per extensum in Psalterio, pagg. 4-15. in tria Nocturna divisi : quibus statim annectuntur Antiphonæ diversæ, pro qualitate Temporis super Psalmos in Dominicis dicendæ, et Versiculi.

Post ℣., dicto Pater noster. secreto. subjungatur alte : Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

¶ Et hoc semper observetur ante primam Lectionem, et quartam, et septimam. Quo dicto sequitur :

Jube domne benedícere.

Benedictio. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnus. ℟. Amen.

¶ Jube domne benedícere. omnibus semper præmittitur Benedictionibus.

¶ Hæc Benedictio et octo sequentes erunt dicendæ ante Lectiones Matutinarum eo ordine, quo positæ sunt, quandocumque novem dicuntur Lectiones; nisi quando Officium est de beata Virgine, cujus propriæ Benedictiones supra positæ sunt ante Psalterium, et nisi in Matut. pro Defunctis, in quibus nullæ dicuntur Benedictiones. Quando autem dicuntur tantum tres Lectiones, tunc etiam dicendæ sunt tantum tres Benedictiones, juxta ordinem Nocturnorum. Tres namque primæ dicentur Feria ij. et v., tres secundæ Feria iij. et vj., ultimæ vero tres Feria iv. et Sabbato. Idem servetur in Benedictionibus propriis de B. Maria Virgine.

¶ Quotiescumque autem in aliqua Feria legitur Homilia, totiesdicendæ sunt Benedictiones iij. Nocturni, scilicet, Evangélica léctio. cum duabus sequentibus, sive communibus, sive propriis, si fiat de beata Maria Virgine. Deinde dicatur :

Incipit liber primus Regum.

¶ Titulus cuilibet Lectioni præfixus, legi semper debet, nisi cum notatur litteris rubeis.

Lectio j. Cap. 1.

FUIT vir unus de Ramathaímsophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, fílius Jéroham, fílii Eliu, fílii Thohu, fílii Suph, Ephrathæus : et hábuit duas uxóres, nomen uni Anna, et nomen secúndæ Phenénna. Fuerúntque Phenénnæ fílii : Annæ autem non erant líberi. Et ascendébat vir ille de civitáte sua statútis diébus, ut adoráret et sacrificáret Dómino exercítuum in Silo. Erant autem ibi duo fílii Heli, Ophni et Phínees, sacerdótes Dómini. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

℣ Per hanc clausulam Tu autem. terminantur semper omnes Lectiones, nisi in die Animarum, et Officio Defunctorum, et nisi ubi loco Tu autem. erit signatum ut dicatur : Hæc dicit Dóminus. etc.

℟. j. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et unxit me.

℣ Hæc Historia, ℟℟. scilicet Deus ómnium. etc. legi debet in hac Dominica, et in sequentibus usque ad Dominicam primam Augusti exclusive, quando de Dom. agitur. Si autem omnes Dominicæ impeditæ fuerint, distribuenda erit per Ferias, ut notatur in Rubricis generalibus § VII.

Jube domne benedícere.

Benedictio. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Lectio ij.

VENIT ergo dies, et immolávit Elcana, deditque Phenénnæ uxóri suæ, et cunctis fíliis ejus, et filiábus partes : Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligébat. Dóminus autem conclúserat vulvam ejus. Affligébat quoque eam æmula ejus, et veheménter angébat, in tantum, ut exprobráret quod Dóminus conclusísset vulvam ejus: sicque faciébat per síngulos annos, cum redeúnte témpore ascénderent ad templum Dómini : et sic provocábat eam. Porro illa flebat, et non capiébat cibum.

℟. ij. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse me.

Jube domne benedícere.

Benedictio. Spíritus sancti grátia illumináre dignétur sensus et corda nostra. ℟. Amen.

Lectio iij.

DIXIT ergo ei Elcana vir suus : Anna, cur fles? et quare non cómedis? et quam ob rem afflígitur cor tuum? numquid non ego mélior tibi sum, quam decem fílii? Surréxit autem Anna postquam coméderat, et bíberat in Silo. Et Heli sacerdóte sedénte super sellam ante postes templi Dómini, cum esset Anna amáro ánimo, orávit ad Dóminum, flens lárgiter, et votum vovit, dicens : Dómine exercítuum, si respíciens víderis afflictiónem fámulæ tuæ, et recordátus mei fúeris, nec oblítus ancíllæ tuæ, dederísque servæ tuæ sexum virilem : dabo eum Dómino ómnibus diébus vitæ ejus, et novácula non ascéndet super caput ejus.

℟. iij. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti : * Firmans regnum tuum In ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Firmans regnum tuum. Glória. In ætérnum.

IN II. NOCTURNO.

Jube domne benedícere.

Benedictio. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 3.

FRATRES sancti, vocatiónis cæléstis partícipes, consideráte Apóstolum, et Pontíficem confessiónis nostræ Jesum : qui fidélis est ei, qui fecit illum sicut et Móyses in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus, quanto ampliórem honórem habet domus, qui fabricávit illam.

℟. iv. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Auférte deos aliénos de médio vestri. — Et liberábit.

Jube domne benedícere.

Benedictio. Ad gáudia Paradísi perdúcat nos misericórdia Christi. ℟. Amen.

Lectio v.

OMNIS namque domus fabricátur ab áliquo : qui autem ómnia creávit, Deus est. Et Móyses quidem fidélis erat in tota domo ejus tamquam fámulus, in testimónium eórum, quæ dicénda erant : Christus vero tamquam fílius in domo sua : quæ domus sumus nos, si fidúciam, et glóriam spei usque ad finem, firmam retineámus.

℟. v. Percússit Saul mille, et David decem míllia, quia manus Dómini erat cum illo : percússit Philisthæum, * Et ábstulit oppróbrium ex Israel. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia in míllibus suis? — Et ábstulit.

Jube domne benedícere.

Benedictio. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. ℟. Amen.

Lectio vj.

QUAPROPTER sicut dicit Spíritus sanctus : Hódie si vocem ejus audiéritis, nolite obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto. Vidéte fratres, ne forte sit in áliquo vestrum cor malum incredulitátis, discedéndi a Deo vivo : sed adhortámini vosmetípsos per síngulos dies, donec Hódie cognomináture, ut non obdurétur quis ex vobis fallácia peccáti.

℟. vj. Montes Gélboe, nec ros, nec plúvia véniant super vos : * Ubi cecidérunt Fortes Israel. ℣. Omnes montes in circúitu ejus vísitet Dóminus : a Gélboe autem tránseat. — Ubi cecidérunt. Glória. Fortes Israel.

IN III. NOCTURNO.

Jube domne benedícere.

℣ Si non sequitur Homilia, Benedictio. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen.

℣ Si autem sequatur Homilia sicut modo, Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Postea dicatur

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo témpore : Erant appropinquántes ad Jesum publicáni, et peccatóres ut audírent illum. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ. (Homilia 34. in Evang. post initium.)

AUDISTIS in lectióne evangélica, fratres mei, quia peccatóres, et publicáni accessérunt ad Redemptórem nostrum : et non solum ad colloquéndum, sed étiam ad convescéndum recépti sunt. Quod vidéntes Pharisæi, dedignáti sunt. Ex qua re collígite, quia vera justítia compassiónem habet, falsa justítia dedignatiónem : quamvis et justi sóleant recte peccatóribus dedignári. Sed áliud est quod ágitur typo supérbiæ, áliud quod zelo disciplínæ.

℟. vij. Audi Dómine hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice Dómine de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super domum istam.

Jube domne benedícere.

Benedictio. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Lectio viij.

DEDIGNANTUR étenim, sed non dedignántes : desperant, sed non desperántes : persecutiónem cómmovent, sed amántes : quia etsi foris increpatiónes per disciplínam exággerant, intus tamen dulcédinem per caritátem servant. Præpónunt sibi in ánimo ipsos plerúmque, quos córrigunt; melióres exístimant eos quoque, quos júdicant. Quod vidélicet agéntes, et per disciplínam súbditos, et per humilitátem custódiunt semetípsos.

℟. viij. Peccávi super número arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea, et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego agnósco, et delíctum meum contra me est semper : tibi soli peccávi. — Et malum.

Jube domne benedícere.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix.

AT contra hi, qui de falsa justítia superbíre solent, céteros quosque despíciunt, nulla infirmántibus misericórdia condescéndunt : et quo se peccatóres esse non credunt, eo detérius peccatóres fiunt. De quorum profécto número Pharisæi exstitérunt, qui dijudicántes Dóminum, quod peccatóres suscíperet, arénti corde ipsum fontem misericórdiæ reprehendébant. Sed quia ægri erant, ita ut ægros se esse nescírent, quátenus, quod erant, agnóscerent, cæléstis eos médicus blandis foméntis curat, benígnum paradígma óbjicit, et in eórum corde vúlneris tumórem premit.

℟. ix. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, Elisæus clamábat, dicens : * Pater mi, pater mi, currus Israel, et auríga ejus. ℣. Oro, Dómine, ut fiat spíritus tuus duplex in me. At ille inquit : Si víderis, quando tollar a te, erit quod petísti. — Pater mi, pater mi. Glória. Pater mi, pater mi.

¶ In sequentibus omnibus aliis Dominicis, quando de Dominica agitur, postquam Historia dominicalis fuerit semel lecta, loco ix. Responsorii dicatur sequens

℟. Honor, virtus, et potéstas, et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte. * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. — In perénni. Glória. In perénni.

Deinde dicatur Canticum Te Deum., pag. 16.

Ante Laudes ℣. Excélsus super omnes gentes Dóminus. ℟. Et super cælos glória ejus.

¶ Canticum Te Deum. et ℣. ante Laudes Excélsus. dicantur, omnibus Dominicis a Dominica prima post Octavam Trinitatis usque ad Adventum exclusive, quando de Dominica agitur.

AD LAUDES.

Super Psalmos sola Aña. Regnávit Dóminus præcínctus fortitúdine cum decóre virtútum : cujus sedes paráta est in ætérnum.

¶ Hæc Aña Regnávit Dóminus. sola dicatur in Laudibus super Psalmos in Dominica j. post Octavam Trinitatis ac deinceps usque ad Adventum exclusive, quando de Dominica agitur.

¶ In Festis autem Simplicibus ac supra, in Dominicis infra Octavas Solemnes et in diebus Octavis Simplicibus ac supra dicantur in Laudibus quinque Antiphonæ super Psalmos; dicantur eædem Antiphonæ etiam ad Horas diei, scilicet ad Primam Antiphona prima Laudum, ad Tertiam secunda, ad Sextam tertia, ad Nonam quinta (quarta prætermissa).

Psalmus Dóminus regnávit, cum ceteris, ut in Psalterio, pag. 17.

¶ Psalmus Dóminus regnávit., Psalmus Jubiláte., Psalmus Deus misereátur nostri. et Psalmus Laudáte Dóminum in sanctis ejus. terminentur cum ℣. Glória Patri. Post reliquos vero Psalmos Laudum et post Canticum Benedícite. ℣. Glória Patri. non dicatur.

¶ Quando prædicti Psalmi, quando vero alii in Laudibus, dicendi sint, in Psalterio, pag. 17. et alibi passim suis locis notatum est.

Capitulum. Apoc. 7.

BENEDICTIO, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, virtus, et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum, amen. ℟. Deo grátias.

¶ Hoc Capitulum Benedíctio. dicatur omnibus Dominicis a Dominica j. post Octavam Trinitatis usque ad Adventum exclusive, quando de Dominica agitur.

Hymnus Ecce jam noctis., pag. 21.

℣. Dóminus regnávit. ℟. Decórem índuit.

¶ Hic ℣. in Dominicis dicatur ad Laudes in Dominica j. post Octavam Trinitatis ac deinceps in Dominicis usque ad Adventum exclusive, quando de Dominica agitur.

Post ℣. statim sequitur Canticum Benedíctus., pag. 23. quod per totum annum quotidie dicitur in Laudibus, moxque subjungitur

Ad Benedictus Aña. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves : et si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagínta novem in desérto, et vadit ad illam quæ perierat,donec invéniat illam? Allelúia.

Oratio.

PROTECTOR in te sperántium Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum; multíplica super nos misericórdiam tuam : ut te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per.

¶ In omnibus Dominicis per totum annum, quando de simplici Dominica agitur, fiat Memoria de B. Maria Virgine in Laudibus, ut in Psalterio, pag. 23. notatum est; exceptis Dominicis infra Octavas Simplices ejusdem beatæ Virginis, in quibus Antiphona, ℣. et Oratio sunt de Octava.

AD PRETIOSA.

Postea legatur Lectio de Martyrologio; qua finita, et responso Deo grátias., dicatur Pretiósa., ut pag. 25. notatum est, præter hic posita.

Evangelium.

Secúndum Lucam. Cap. 15.

IN illo témpore : Erant appropinquántes ad Jesum publicáni, et peccatóres, ut audírent illum. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

¶ De Evangelio occurrente legendum est omnibus diebus Dominicis, et festis Simplicibus et supra, et in die Octava Octavæ Simplicis, non vero infra Octavam Simplicem. Item quotidie infra Octavas Solemnes et Solemnissimas. Item in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. Et in omni prædicto tempore semper legatur de Evangelio festi, nisi aliquando occurrat legi Hom. alterius Evangelii quam festi, de quo agitur : tunc enim in Pretiósa legetur illud Evangelium quod lectum est in Matutinis. Ceteris vero diebus legendum est de Constitutionibus.

¶ Si in Lectione Martyrologii, post Lectionem Evangelii vel Constitutionum recitatus fuerit Obitus alicujus Magistri Generalis, immediate post Fidélium ánimæ. (vel post ℟. Qui fecit cælum et terram., si Fidélium ánimæ. omittendum fuerit), dicatur pro ejus anima Psalmus 129. De profúndis., pag. 135. cum ℣. Réquiem ætérnam. et in fine ℣. A porta ínferi., Dóminus vobíscum., Oratio Deus qui inter apostólicos., Requiéscant in pace., ut pag. 27. notatum est.

¶ Quando Matutinæ cum Laudibus in sero dicuntur, tunc Pretiósa. reservetur in crastinum, et dicatur immediate post Primam.

AD PRIMAM.

Dicto secreto Pater noster. et Credo in Deum., inchoatur ℣. Deus in adjutórium. etc.

¶ Et sic ad alias Horas diei, nisi quod Credo in Deum. aliis Horis non præmittitur.

Hymnus Jam lucis orto sídere., pag. 27.

¶ Prædictus Hymnus dicatur quotidie ad Primam, præterquam in die Animarum, in quo nec Hymni, nec Capitula, nec ℟℟. nec ℣℣. ad Horas dicuntur.

Psalmus 53. Deus in nómine tuo., pag. 28., Psalmus 118. Beáti immaculáti., Retríbue servo tuo. ibidem, Symbolum Quicúmque vult salvus esse., pag. 29.

¶ Psalmi isti et sequentium Horarum quotidie dicantur, terminando quemlibet (præterquam in die Animarum) per ℣. Glória Patri. Similiter Symbolum Quicúmque vult salvus esse. cum ℣. Glória Patri. dicatur in festo Trinitatis, et in omni Dominica, nisi festum Totum Duplex in ea evenerit.

Aña Glória tibi Trínitas., pag. 30.

Capitulum. 1. Tim. 1.

REGI sæculórum immortáli, et invisíbili, soli Deo honor, et glória in sæcula sæculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

℟. Jesu Christe Fili Dei vivi * Miserére nobis. Jesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Miserére nobis. Glória Patri. Jesu Christe.

℣. Exsúrge Dómine, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

¶ Capitulum Regi sæculórum. dicatur ad Primam omnibus Dominicis et festis, etiam trium Lectionum, et per omnes Octavas, et in Officiis votivis, nisi in die Animarum.

¶ ℟. Jesu Christe. et ℣. Exsúrge. quotidie dicantur, nisi in die Animarum.

¶ ℣. Qui sedes. semper dicatur, nisi alius ℣. sit notatus.

Deinde dicatur Confíteor, et Misereátur., sicut supra, pag. 206. de Completorio dictum est.

¶ Confíteor. in Prima semper dicatur.

Deinde dicatur :

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

IN hac hora hujus diéi tua nos Dómine reple misericórdia : ut per totum diem exsultántes, in tuis láudibus júgiter delectémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

¶ Oratio In hac hora. semper dicatur quando dicitur Capitulum Regi sæculórum immortáli.

¶ Ad Tertiam autem, Sextam et Nonam, dicatur Oratio Dominicæ, vel festi, de quo agitur.

AD TERTIAM.

Hymnus Nunc sancte nobis Spíritus., Ps. Legem pone., Memor esto., Bonitátem., Aña. Laus., Capitulum Deus cáritas est., ℟. Inclína. et ℣. Adjútor meus esto., pagg. 37-39.

AD SEXTAM.

Hymnus Rector potens, verax Deus., Ps. Defécit., Quómodo., Iníquos., Aña Glória laudis., Capitulum Grátia Dómini nostri., ℟. In ætérnum Dómine. et ℣. Dóminus regit me., pagg. 40-42.

AD NONAM.

Hymnus Rerum Deus tenax vigor., Ps. Mirabília., Clamávi., Príncipes., Aña Ex quo ómnia., Capitulum Tres sunt., ℟. Clamávi., et ℣. Ab occúltis., pagg. 43-46.

¶ Prædicti tres Hymni ad Tertiam, Sextam et Nonam semper dicantur, nisi in die Animarum : Psalmi vero quotidie dicantur. Capitula quoque, ℟℟. et ℣℣. Horarum dicenda sunt omnibus Dominicis usque ad Adventum, quando de Dominica agitur.

AD VESPERAS.

¶ Psalmi et Antiphonæ in hac Dominica et in aliis ad Vesperas dicendi quando de simplici Dominica agitur, ponuntur per extensum in Psalterio, pagg. 124-127.

¶ In reliquis vero festis, tam de Tempore quam de Sanctis, semper in secundis Vesperis dicenda est super Psalmos Antiphona prima Laudum.

Capitulum Dóminus dírigat., Hymnus Lucis Creátor óptime. cum ℣. Dirigátur., pag. 127.

¶ Et dicantur omnibus Dominicis in secundis Vesperis, et per Ferias, quando de Tempore agitur.

Ad Magnificat Aña. Quæ múlier habens drachmas decem, et si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam, et evérrit domum, et quærit diligénter donec invéniat?

Oratio.

PROTECTOR in te sperántium Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum; multíplica super nos misericórdiam tuam : ut te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per.

Mem. B. Mariæ V. pag. 130.

AD COMPLETORIUM.

Omnia fiant ut in Psalterio pag. 148. ac sequentibus; et post Añam Salva nos. in Dominicis non dicantur Preces.

AD LITANIAS SANCTORUM.

De tempore et modo quo in Choro post Completorium dicendæ sunt Litaniæ Sanctorum dictum est in Rubricis generalibus § xxxviij.

Litaniæ vero, cum Psalmo Deus in adjutórium. ante ipsas dicendo, ponuntur pag. 156.

¶ Circa Prostrationes super formas, quando sunt faciendæ, et quibus diebus intermittendæ, dicitur pariter in iisdem Rubricis generalibus.

FERIA SECUNDA.

AD MATUTINUM.

Invitatorium, Psalmi, Antiphonæ et ℣. ut in Psalterio, pag. 47.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est post círculum diérum, concépit Anna, et péperit fílium, vocavítque nomen ejus Sámuel : eo quod a Dómino postulásset eum. Ascéndit autem vir ejus Elcana, et omnis domus ejus, ut immoláret Dómino hóstiam solémnem, et votum suum, et Anna non ascéndit : dixit enim viro suo : Non vadam, donec ablactétur infans, et ducam eum, ut appáreat ante conspéctum Dómini, et máneat ibi júgiter.

℟. j. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine, * Quam abscondísti timéntibus te. ℣. Et perfecísti eis, qui sperant in te Dómine, in conspéctu filiórum hóminum. — Quam abscondísti.

Lectio ij.

ET ait ei Elcana vir suus : Fac quod bonum tibi vidétur, et mane donec ablactes eum : precórque ut ímpleat Dóminus verbum suum. Mansit ergo múlier, et lactávit fílium suum, donec amovéret eum a lacte. Et addúxit eum secum, postquam ablactáverat, in vítulis tribus, et tribus módiis farínæ, et ámphora vini, et addúxit eum ad domum Dómini in Silo.

℟. ij. Benedícam Dóminum in omni témpore : * Semper laus ejus in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea : áudiant mansuéti, et læténtur. — Semper.

Lectio iij.

PUER autem erat adhuc infántulus : et immolavérunt vítulum, et obtulérunt púerum Heli. Et ait Anna : Obsecro mi dómine, vivit ánima tua dómine : ego sum illa múlier, quæ steti coram te hic orans Dóminum. Pro púero isto orávi, et dedit mihi Dóminus petitiónem meam, quam postulávi eum. Idcirco et ego commodávi eum Dómino cunctis diébus, quibus fúerit commodátus Dómino.

℟. iij. Delectáre in Dómino : * Et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℣. Spera in Dómino, et fac bonitátem : et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus. — Et dabit. Glória. Et dabit.

Ante Laudes ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum speravímus in te.

¶ Iste ℣. ante Laudes dicatur usque ad Adventum, quoties de Feria agitur.

AD LAUDES.

Psalmi et Antiphonæ ut in Psalterio, pag. 57.

Capitulum. Rom. 13.

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

℣. In matutínis Dómine meditábor in te. ℟. Quia fuísti adjútor meus.

Capitulum Nox præcéssit. et ℣. In matutínis. in Laudibus dicantur usque ad Adventum, quoties de Feria agitur.

Ad Benedictus Ańa. Benedictus Dóminus Deus Israel.

Dicta hac Antiphona, subjungatur : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos. Dóminus vobíscum. Deinde Oratio.

¶ Hoc modo dicantur Preces ad Laudes, Tertiam, Sextam, et Nonam, et ad Vesperas cum de Feria agitur. Fiuntque prostrationes. Quando autem ad Nonam Preces et Prostrationes intermitti debeant, dicitur in Rubricis generalibus §. xxxix. num. 3.

AD PRETIOSA.

Dicatur postea Pretiósa. prout in Dominica dictum est : excepto quod dicto Jube domne. datur Benedictio : Reguláribus disciplínis ínstruat nos Magister cæléstis. ℟. Amen.

Et loco Lectionis de Evangelio legendum est de Constitutionibus hoc modo :

Lectio. Prolog.

QUONIAM ex præcépto Régulæ jubémur habére cor unum, et ánimam unam in Dómino : justum est ut qui sub una Régula, et uníus professiónis voto vívimus, unifórmes in observántiis canónicæ Religiónis inveniámur. Tu autem.

AD HORAS

Hymni, Psalmi, Antiphonæ, Capitula, ℟℟. et ℣℣. ut in Psalterio.

AD VESPERAS.

Psalmi, Antiphonæ etc. ut in Psalterio, pag. 130.

AD DISCIPLINAS.

Absoluto Completorio et terminatis Orationibus post Litanias Sanctorum, si illa die fiat de Feria, fratres, prostrati dicant, Confíteor Deo. etc. et Hebdomadarius subjungat : Misereátur vestri. etc. responsoque Amen. dicatur Psalm. 50. Miserére mei Deus. pag. 57. Qui cum dicitur, detur fratribus ab Hebdomadario disciplina, quam etiam a Prælato ipse postea recipiat.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos indúcas. etc.

℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperántes in te.
Dóminus vobíscum.

Oratio.

DEUS, cui próprium est miseréri semper, et párcere, súscipe deprecatiónem nostram : ut quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Christum.

FERIA TERTIA.

Ad Matutinum, Invitatorium, Psalmi, Añæ et ℣. ut in Psalterio, pag. 61.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 2.

PORRO fílii Heli, fílii Bélial, nesciéntes Dóminum, neque officium sacerdótum ad pópulum : sed quicúmque immolásset víctimam, veniébat puer sacerdótis, dum coqueréntur carnes, et habébat fuscínulam tridéntem in manu sua, et mittébat eam in lebétem, vel in caldáriam, aut in ollam, sive in cácabum : et omne, quod levábat fuscínula, tollébat sacérdos sibi.

℟. j. Auribus pércipe Dómine lácrimas meas : ne síleas a me, remítte mihi : * Quóniam incola ego sum apud te, et peregrínus. ℣. Dixi : Custódiam vias meas : ut non delínquam in lingua mea. — Quóniam.

Lectio ij.

SIC faciébant univérso Israéli veniéntium in Silo. Etiam ántequam adolérent ádipem, veniébat puer sacerdótis, et dicébat immolánti : Da mihi carnem, ut coquam sacerdóti : non enim accípiam a te carnem coctam, sed crudam. Dicebátque illi ímmolans : Incendátur primum juxta morem hódie adeps, et tolle tibi quantumcúmque desíderat ánima tua.

℟. ij. Státuit Dóminus super petram pedes meos : et diréxit gressus meos Deus meus : * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me. — Et immísit.

Lectio iij.

QUI respóndens aiébat ei : Nequáquam : nunc enim dabis, alióquin tollam vi. Erat ergo peccátum puerórum grande nimis coram Dómino : quia retrahébant hómines a sacrifício Dómini. Sámuel autem ministrábat ante fáciem Dómini, puer, accinctus ephod líneo. Et túnicam parvam faciébat ei mater sua, quam afferébat statútis diébus, ascéndens cum viro suo, ut immoláret hóstiam solémnem.

℟. iij. Ego dixi : Dómine miserére mei : * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Dómine ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corripias me. — Sana. Glória. Sana ánimam.

In Laudibus, Psalmi et Añæ sicut in Psalterio, pag. 69.

Ad Vesperas, Psalmi et Añæ ut in Psalterio, pag. 133.

FERIA QUARTA.

Ad Matutinum, Invitatorium, Psalmi, Añæ et ℣. ut in Psalterio, pag. 73.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 3.

PUER autem Sámuel ministrábat Dómino coram Heli, et sermo Dómini erat pretiósus in diébus illis, non erat vísio manifésta. Factum est ergo in die quadam, Heli jacébat in loco suo, et óculi ejus caligáverant, nec póterat vidére : lucérna Dei ántequam exstinguerétur, Sámuel dormiébat in templo Dómini, ubi erat arca Dei. Et vocávit Dóminus Sámuel. Qui respóndens, ait : Ecce ego.

℟. j. Ne perdíderis me, Dómine, cum iniquitátibus meis : * Neque in finem irátus reserves mala mea. ℣. Miserére mei Deus, miserére mei : quóniam in te confídit ánima mea. — Neque.

Lectio ij.

ET cucúrrit ad Heli, et dixit : Ecce ego : vocásti enim me. Qui dixit : Non vocávi : revértere, et dormi. Et ábiit, et dormívit. Et adjécit Dóminus rursum vocáre Samuélem. Consurgénsque Sámuel, ábiit ad Heli, et dixit : Ecce ego : quia vocásti me. Qui respóndit : Non vocávi te fili mi : revértere et dormi. Porro Sámuel necdum sciébat Dóminum, neque revelátus fúerat ei sermo Dómini.

℟. ij. Parátum cor meum Deus, parátum cor meum : * Cantábo, et psalmum dicam Dómino. ℣. Exsúrge glória mea, exsúrge psaltérium et cíthara : exsúrgam dilúculo. — Cantábo.

Lectio iij.

ET adjécit Dóminus, et vocávit adhuc Samuélem tértio. Qui consúrgens ábiit ad Heli, et ait : Ecce ego : quia vocásti me. Intelléxit ergo Heli quia Dóminus vocáret púerum : et ait ad Samuélem : Vade, et dormi : et si deínceps vocáverit te, dices : Lóquere Dómine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Sámuel, et dormívit in loco suo. Et venit Dóminus, et stetit : et vocávit, sicut vocáverat secúndo, Sámuel, Sámuel.

℟. iij. Adjútor meus tibi psal-

lam, quia Deus suscéptor meus es : * Deus meus misericórdia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis Deus meus : et ab insurgéntibus in me líbera me. — Deus meus. Glória Patri. Deus meus.

In Laudibus, Psalmi et Añæ ut in Psalterio, pag. 81.

Ad Vesperas, Psalmi et Añæ ut in Psalterio, pag. 134.

FERIA QUINTA.

Ad Matutinum, Invitatorium, Psalmi, Añæ et ℣. ut in Psalterio, pag. 85.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 3.

ET dixit Dóminus ad Samuélem : Ecce ego fácio verbum in Israel : quod quicúmque audíerit, tínnient ambæ aures ejus. In die illa suscitábo advérsum Heli ómnia quæ locútus sum super domum ejus : incípiam, et complébo. Prædixi enim ei quod judicatúrus essem domum ejus in ætérnum, propter iniquitátem, eo quod nóverat indígne ágere filios suos, et non corripúerit eos.

℟. j. Deus in te sperávi, Dómine non confúndar in ætérnum : in tua justítia * Líbera me, et éripe me. ℣. Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum : ut salvum me fácias. — Líbera.

Lectio ij.

IDCIRCO jurávi dómui Heli quod non expiétur iníquitas domus ejus víctimis et munéribus usque in ætérnum. Dormívit autem Sámuel usque mane, aperuítque óstia domus Dómini. Et Sámuel timébat indicáre visiónem Heli. Vocávit ergo Heli Samuélem, et dixit : Sámuel fili mi? Qui respóndens ait : Præsto sum.

℟. ij. Repleátur os meum laude, ut hymnum dicam glóriæ tuæ, tota die magnificéntiæ tuæ. Noli me projícere in témpore senectútis : cum defécerit virtus mea, * Deus ne derelínquas me. ℣. Deus ne elongéris a me : Deus meus in auxílium meum réspice. — Deus ne derelínquas me.

Lectio iij.

ET interrogávit eum : Quis est sermo, quem locútus est Dóminus ad te? oro te ne celáveris me. Hæc fáciat tibi Deus, et hæc addat, si abscónderis a me sermónem ex ómnibus verbis, quæ dicta sunt tibi. Indicávit ítaque ei Sámuel univérsos sermónes, et non abscóndit ab eo. Et ille respóndit : Dóminus est : quod bonum est in óculis suis fáciat.

℟. iij. Gaudébunt lábia mea dum cantávero tibi : * Et ánima mea, quam redemísti Dómine. ℣. Sed et lingua mea meditábitur justítiam tuam, tota die laudem tuam. — Et. Glória Patri. Et.

In Laudibus, Psalmi et Añæ ut in Psalterio, pag. 96.

Ad Vesperas, Psalmi et Añæ ut in Psalterio, pag. 135.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum, Invitatorium, Psalmi, Añæ et ℣. prout in Psalterio, pag. 98.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 4.

ET factum est in diébus illis, convenérunt Philísthiim in pugnam : et egréssus est Israel óbviam Philisthiim in prœlium, et castrametátus est juxta Lápidem adjutórii. Porro Philísthiim venérunt in Aphec, et instruxérunt áciem contra Israel. Inito autem certámine, terga vertit Israel Philisthæis : et cæsa sunt in illo certámine passim per agros, quasi quátuor millia virórum.

℟. j. Confitébor tibi Dómine Deus in toto corde meo, et honorificábo nomen tuum in ætérnum : * Quia misericórdia tua, Dómine, magna est super me. ℣. Et eripuísti ánimam meam ex inférno inferióri. — Quia.

Lectio ij.

ET revérsus est pópulus ad castra : dixerúntque majóres natu de Israel : Quare percússit nos Dóminus hódie coram Philísthiim? Afferámus ad nos de Silo arcam fœderis Dómini, et véniat in médium nostri, ut salvet nos de manu inimicórum nostrórum. Misit ergo pópulus in Silo, et tulérunt inde arcam fœderis Dómini exercítuum sedéntis super Chérubim.

℟. ij. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me : * Et liberásti ánimam meam ex inférno inferióri. ℣. Deus, iníqui insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. — Et liberásti.

Lectio iij.

ERANTQUE duo fílii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni et Phínees. Cumque venísset arca fœderis Dómini in castra, vociferátus est omnis Israel clamóre grandi, et persónuit terra. Et audiérunt Philísthiim vocem clamóris, dixerúntque : Quænam est hæc vox clamóris magni in castris Hebræórum? Et cognovérunt quod arca Dómini venísset in castra.

℟. iij. Factus est mihi Dóminus in refúgium : et Deus meus * In auxílium spei meæ. ℣. Deus ultiónum Dóminus : Deus ultiónum líbere egit. — In auxílium. Glória Patri. In.

In Laudibus, Psalmi et Añæ ut in Psalterio, pag. 107.

Ad Vesperas, Psalmi et Añæ prout in Psalterio, pag. 138.

SABBATO.

Ad Matutinum, Invitatorium, Psalmi, Añæ et ℣. ut in Psalterio, pag. 110.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 4.

CURRENS autem vir de Bénjamin ex ácie, venit in Silo in die illa, scissa veste, et conspérsus púlvere caput. Cumque ille venísset, Heli sedébat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingréssus est, nuntiávit urbi : et ululávit omnis cívitas. Et audívit Heli sónitum clamóris, dixítque : Quis est hic sónitus tumúltus hujus? At ille festinávit, et venit, et nuntiávit Heli.

℟. j. Misericórdiam et judícium cantábo tibi Dómine : * Psallam, et intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. ℣. Perambulábam in in-

nocéntia cordis mei, in médio domus meæ. — Psallam.

Lectio ij.

HELI autem erat nonagínta et octo annórum, et óculi ejus caligáverant, et vidére non póterat. Et dixit ad Heli : Ego sum qui veni de prœlio, et ego qui de ácie fugi hódie. Cui ille ait : Quid actum est fili mi? Respóndens autem ille, qui nuntiábat, Fugit, inquit, Israel coram Philísthiim, et ruína magna facta est in pópulo : ínsuper et duo fílii tui mórtui sunt, Ophni et Phínees : et arca Dei capta est.

℟. ij. Dómine exáudi oratiónem meam : et clamor meus ad te pervéniat : * Quia non spernis Deus preces páuperum. ℣. De profúndis clamávi ad te Dómine : Dómine exáudi vocem meam. — Quia non.

Lectio iij.

CUMQUE ille nominásset arcam Dei, cécidit de sella retrórsum juxta óstium, et fractis cervícibus mórtuus est. Senex enim erat vir et grandævus : et ipse judicávit Israel quadragínta annis. Nurus autem ejus, uxor Phínees, prægnans erat, vicínaque pártui : et audito núntio quod capta esset arca Dei, et mórtuus esset socer suus, et vir suus, incurvávit se et péperit.

℟. iij. Velóciter exáudi me, Dómine : * Quia defecérunt sicut fumus dies mei. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt : et ego sicut fœnum árui. — Quia. Glória. Quia.

In Laudibus, Psalmi et Antiphonæ ut in Psalterio, pag. 121. ¶ Ordo præcedentis Hebdomadæ in Invitatoriis, Hymnis, Psalmis, Antiphonis, ℣℣., ℟℟. et Capitulis servandus est usque ad Adventum, quando de Feria agitur.

AD VESPERAS.

Psalmi et Antiphonæ ut in Psalterio, pag. 141.

Ad Magnificat Aña. Cognovérunt omnes a Dan usque Bersabée, quod fidélis Sámuel prophéta esset Dómini.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine : ut et mundi cursus pacífice nobis tuo órdine dirigátur, et Ecclésia tua tranquilla devotióne lætétur. Per.

DOMINICA II.
POST OCT. TRINITATIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 7.

VENERUNT ergo viri Cariathíarim, et reduxérunt arcam Dómini, et intulérunt eam in domum Abínadab in Gábaa : Eleázarum autem fílium ejus sanctificavérunt, ut custodiret arcam Dómini. Et factum est, ex qua die mansit arca Dómini in Cariathíarim, multiplicáti sunt dies (erat quippe jam annus vigésimus) et requiévit omnis domus Israel post Dóminum.

Lectio ij.

AIT autem Sámuel ad univérsam domum Israel, dicens : Si in toto corde vestro revertímini ad Dóminum, auférte deos aliénos de médio vestri, Báalim et Astaroth : et præparáte corda vestra Dómino,

et servíte ei soli, et éruet vos de manu Philísthiim. Abstulérunt ergo fílii Israel Báalim et Astaroth, et serviérunt Dómino soli.

Lectio iij.

DIXIT autem Sámuel : Congregáte univérsum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dóminum. Et convenérunt in Masphath : hauseruntque aquam, et effudérunt in conspéctu Dómini, et jejunavérunt in die illa, atque dixérunt ibi : Peccávimus Dómino. Judicavítque Sámuel fílios Israel in Masphath. Et audiérunt Philísthiim quod congregáti essent fílii Israel in Masphath, et ascendérunt sátrapæ Philisthinórum ad Israel.

℣ Lectiones de Apostolo pro secundo Nocturno, Homiliæ pro tertio Nocturno, Antiphonæ ad Benedictus, Orationes, Antiphonæ ad Magnificat dicendæ, tam in hac Dominica quam successive in omnibus aliis Dominicis post Octavam Trinitatis, ponuntur inferius ad calcem Hebdomadæ quintæ Novembris.

rael, venérunt ad Samuélem in Rámatha. Dixerúntque ei : Ecce tu senuísti, et fílii tui non ámbulant in viis tuis : constítue nobis regem, ut júdicet nos, sicut et univérsæ habent natiónes.

Lectio ij.

DISPLICUIT sermo in óculis Samuélis, eo quod dixíssent : Da nobis regem, ut júdicet nos. Et orávit Sámuel ad Dóminum. Dixit autem Dóminus ad Samuélem : Audi vocem pópuli in ómnibus quæ loquúntur tibi : non enim te abjecérunt, sed me, ne regnem super eos.

Lectio iij.

JUXTA ómnia ópera sua, quæ fecérunt a die qua edúxi eos de Ægypto usque ad diem hanc : sicut dereliquérunt me, et serviérunt diis aliénis, sic fáciunt étiam tibi. Nunc ergo vocem eórum audi : verúmtamen contestáre eos, et prædic eis jus regis, qui regnatúrus est super eos. Dixit ítaque Sámuel ómnia verba Dómini ad pópulum, qui petíerat a se regem.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 8.

CUM senuísset Sámuel, pósuit fílios suos júdices Israel. Fuítque nomen fílii ejus primogéniti Joel : et nomen secúndi Abía, júdicum in Bersabée. Et non ambulavérunt fílii illius in viis ejus : sed declinavérunt post avarítiam, acceperúntque múnera, et pervertérunt judícium. Congregáti ergo univérsi majóres natu Is-

FERIA TERTIA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 8.

NOLUIT autem pópulus audíre vocem Samuélis, sed dixérunt : Nequáquam : rex enim erit super nos, et érimus nos quoque sicut omnes gentes : et judicábit nos rex noster, et egrediétur ante nos, et pugnábit bella nostra pro nobis. Et audívit Sámuel ómnia verba pópuli, et locútus est ea in áuribus Dómini.

Lectio ij. Cap. 8. et cap. 9.

DIXIT autem Dóminus ad Samuélem : Audi vocem eórum, et constítue super eos regem. Et ait Sámuel ad viros Israel : Vadat unusquísque in civitátem suam. Et erat vir de Bénjamin nómine Cis, fílius Abiel, fílii Seror, fílii Béchorath, fílii Aphía, fílii viri Jémini, fortis róbore. Et erat ei fílius vocábulo Saul, eléctus et bonus : et non erat vir de fíliis Israel mélior illo. Ab húmero et sursum eminébat super omnem pópulum.

Lectio iij.

PERIERANT autem ásinæ Cis patris Saul : et dixit Cis ad Saul fílium suum : Tolle tecum unum de púeris, et consúrgens vade, et quære ásinas. Qui cum transíssent per montem Ephraim, et per terram Salísa, et non inveníssent, transiérunt étiam per terram Salim, et non erant : sed et per terram Jémini, et mínime reperérunt.

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 9.

ACCESSIT autem Saul ad Samuélem in médio portæ, et ait : Indica, oro, mihi, ubi est domus Vidéntis. Et respóndit Sámuel Saúli dicens : Ego sum Videns : ascénde ante me in excélsum, ut comedátis mecum hódie, et dimíttam te mane : et ómnia, quæ sunt in corde tuo, indicábo tibi. Et de ásinis, quas nudiustértius perdidísti, ne sollícitus sis, quia invéntæ sunt. Et cujus erunt óptima quæque Israel? nonne tibi et omni dómui patris tui?

Lectio ij.

RESPONDENS autem Saul, ait : Numquid non fílius Jémini ego sum de mínima tribu Israel, et cognátio mea novíssima inter omnes famílias de tribu Bénjamin? quare ergo locútus es mihi sermónem istum? Assúmens ítaque Sámuel Saúlem, et púerum ejus, introdúxit eos in triclínium, et dedit eis locum in cápite eórum, qui fúerant invitáti : erant enim quasi trigínta viri.

Lectio iij.

DIXITQUE Sámuel coco : Da partem, quam dedi tibi, et præcépi ut repóneres seórsum apud te. Levávit autem cocus armum, et pósuit ante Saul. Dixítque Sámuel : Ecce quod remánsit, pone ante te, et cómede : quia de indústria servátum est tibi, quando pópulum vocávi. Et comédit Saul cum Samuéle in die illa.

FERIA QUINTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 10.

TULIT autem Sámuel lentículam ólei, et effúdit super caput Saul, et deosculátus est eum, et ait : Ecce, unxit te Dóminus super hereditátem suam in príncipem, et liberábis pópulum suum de mánibus inimicórum ejus, qui in circúitu ejus sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in príncipem. Cum abíeris hódie a me, invénies duos viros juxta sepúlcrum Rachel in finibus Bénjamin, in merídie, dicéntque tibi : Invéntæ sunt ásinæ,

ad quas ferás perquiréndas : et intermíssis pater tuus ásinis, sollícitus est pro vobis, et dicit : Quid fáciam de fílio meo?

Lectio ij.

CUMQUE abíeris inde, et ultra transíeris, et véneris ad quercum Thabor, invénient te ibi tres viri ascendéntes ad Deum in Bethel, unus portans tres hædos, et álius tres tortas panis, et álius portans lagénam vini. Cumque te salutáverint, dabunt tibi duos panes, et accípies de manu eórum.

Lectio iij.

POST hæc vénies in collem Dei, ubi est státio Philisthinórum : et cum ingréssus fúeris ibi urbem, óbvium habébis gregem prophetárum descendéntium de excélso, et ante eos psaltérium et tympanum, et tíbiam, et cítharam, ipsósque prophetántes. Et insíliet in te Spíritus Dómini, et prophetábis cum eis, et mutáberis in virum álium.

FERIA SEXTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 11.

ASCENDIT Naas Ammonítes, et pugnáre cœpit advérsum Jabes Gálaad. Dixerúntque omnes viri Jabes ad Naas : Habéto nos fœderátos, et serviémus tibi. Et respóndit ad eos Naas Ammonítes : In hoc fériam vobíscum fœdus, ut éruam ómnium vestrum óculos dextros, ponámque vos oppróbrium in univérso Israel.

Lectio ij.

ET dixérunt ad eum senióres Jabes : Concéde nobis septem dies, ut mittámus núntios ad univérsos términos Israel : et si non fúerit qui defréndat nos, egrediémur ad te. Venérunt ergo núntii in Gábaa Saúlis : et locúti sunt verba hæc, audiénte pópulo : et levávit omnis pópulus vocem suam, et flevit.

Lectio iij.

ET ecce Saul veniébat, sequens boves de agro, et ait : Quid habet pópulus quod plorat? Et narravérunt ei verba virórum Jabes. Et insilívit Spíritus Dómini in Saul, cum audísset verba hæc, et irátus est furor ejus nimis. Et assúmens utrúmque bovem, concidit in frusta, misítque in omnes términos Israel per manum nuntiórum, dicens : Quicúmque non exíerit, et secútus fúerit Saul et Sámuel, sic fiet bobus ejus.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

AIT autem Sámuel ad Saul : Sine me, et indicábo tibi quæ locútus sit Dóminus ad me nocte. Dixítque ei : Lóquere. Et ait Sámuel : Nonne cum párvulus esses in óculis tuis, caput in tríbubus Israel factus es? unxítque te Dóminus in regem super Israel, et misit te Dóminus in viam, et ait : Vade, et intérfice peccatóres Amalec, et pugnábis contra eos usque ad interneciónem eórum.

Lectio ij.

QUARE ergo non audísti vocem Dómini : sed versus ad prædam es, et fecísti malum in óculis Dómini? Et

ait Saul ad Samuélem : Immo audívi vocem Dómini, et ambulávi in via per quam misit me Dóminus, et addúxi Agag regem Amalec, et Amalec interféci. Tulit autem de præda pópulus oves et boves, primítias eórum quæ cæsa sunt, ut immolet Dómino Deo suo in Gálgalis.

Lectio iij.

ET ait Sámuel : Numquid vult Dóminus holocáusta et víctimas, et non pótius ut obediátur voci Dómini? Mélior est enim obediéntia quam víctimæ : et auscultáre magis quam offérre ádipem aríetum. Quóniam quasi peccátum ariolándi est, repugnáre : et quasi scelus idololatríæ, nolle acquiéscere.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Præváluit David in Philisthæum in funda et lápide, in nómine Dómini. Oratio.

DEUS, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti; infúnde córdibus nostris tui amóris afféctum : ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur. Per.

DOMINICA III.
POST OCT. TRINITATIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 16.

DIXITQUE Dóminus ad Samuélem : Usquequo tu luges Saul, cum ego projécerim eum ne regnet super Israel? imple cornu tuum óleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemítem : provídi enim in fíliis ejus mihi regem. Et ait Sámuel : Quómodo vadam? áudiet enim Saul, et interfíciet me. Et ait Dóminus : Vítulum de arménto tolles in manu tua, et dices : Ad immolándum Dómino veni. Et vocábis Isai ad víctimam, et ego osténdam tibi quid fácias, et unges quemcúmque monstrávero tibi.

Lectio ij.

FECIT ergo Sámuel, sicut locútus est ei Dóminus. Venítque in Béthlehem, et admiráti sunt senióres civitátis, occurréntes ei, dixerúntque : Pacifícusne est ingréssus tuus? Et ait : Pacíficus : ad immolándum Dómino veni, sanctificámini, et veníte mecum ut immolem. Sanctificávit ergo Isai et fílios ejus, et vocávit eos ad sacrifícium. Cumque ingréssi essent, vidit Eliab, et ait : Num coram Dómino est Christus ejus?

Lectio iij.

ET dixit Dóminus ad Samuélem : Ne respícias vultum ejus, neque altitúdinem statúræ ejus : quóniam abjéci eum, nec juxta intúitum hóminis ego júdico : homo enim videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor. Et vocávit Isai Abínadab, et addúxit eum coram Samuéle. Qui dixit : Nec hunc elégit Dóminus. Addúxit autem Isai Samma, de quo ait : Etiam hunc non elégit Dóminus. Addúxit ítaque Isai septem fílios suos coram Samuéle : et ait Sámuel ad Isai : Non elégit Dóminus ex istis.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 16.

SPIRITUS autem Dómini recéssit a Saul, et exagitábat eum spíritus nequam, a Dómino. Dixerúntque servi Saul ad eum : Ecce spíritus Dei malus exágitat te. Júbeat Dóminus noster, et servi tui, qui coram te sunt, quærent hóminem sciéntem psállere cíthara, ut quando arripúerit te spíritus Dómini malus, psallat manu sua, et lévius feras.

Lectio ij.

ET ait Saul ad servos suos : Providéte ergo mihi áliquem bene psalléntem, et addúcite eum ad me. Et respóndens unus de púeris, ait : Ecce vidi fílium Isai Bethlehemítem sciéntem psállere, et fortíssimum róbore, et virum bellicósum, et prudéntem in verbis, et virum pulchrum : et Dóminus est cum eo. Misit ergo Saul núntios ad Isai, dicens : Mitte ad me David fílium tuum, qui est in páscuis.

Lectio iij.

TULIT ítaque Isai ásinum plenum pánibus, et lagénam vini, et hædum de capris unum, et misit per manum David fílii sui Saúli. Et venit David ad Saul, et stetit coram eo : at ille diléxit eum nimis, et factus est ejus ármiger. Misítque Saul ad Isai, dicens : Stet David in conspéctu meo : invénit enim grátiam in óculis meis.

FERIA TERTIA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17.

DIXIT autem Isai ad David fílium suum : Accipe frátribus tuis ephi poléntæ, et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos, et decem formélas cásei has déferes ad tribúnum : et fratres tuos visitábis, si recte agant : et cum quibus ordináti sunt, disce. Saul autem, et illi, et omnes fílii Israel, in Valle terebínthi pugnábant advérsum Philisthiim.

Lectio ij.

SURREXIT ítaque David mane, et commendávit gregem custódi : et onústus ábiit, sicut præcéperat ei Isai. Et venit ad locum Mágala, et ad exércitum, qui egréssus ad pugnam vociferátus erat in certámine. Diréxerat enim áciem Israel, sed et Philísthiim ex advérso fúerant præparáti.

Lectio iij.

DERELINQUENS ergo David vasa, quæ attúlerat, sub manu custódis ad sárcinas, cucúrrit ad locum certáminis, et interrogábat si ómnia recte ageréntur erga fratres suos. Cumque adhuc ille loquerétur eis, appáruit vir ille spúrius ascéndens, Góliath nómine, Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinórum : et loquénte eo hæc éadem verba audívit David.

FERIA QUARTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17.

AUDITA sunt autem verba, quæ locútus est David, et annuntiáta in conspéctu Saul. Ad quem cum fuísset addúctus, locútus est ei : Non cóncidat cor cujúsquam in eo : ego servus tuus vadam, et pugnábo advérsus Philisthæum.

Et ait Saul ad David : Non vales resístere Philisthæo isti, nec pugnáre advérsus eum : quia puer es, hic autem vir bellátor est ab adolescéntia sua.

Lectio ij.

DIXITQUE David ad Saul : Pascébat servus tuus patris sui gregem, et veniébat leo, vel ursus, et tollébat aríetem de médio gregis : et persequébar eos, et percutiébam, eruebámque de ore eórum : et illi consurgébant advérsum me, et apprehendébam mentum eórum, et suffocábam, interficiebámque eos. Nam et leónem, et ursum interféci ego servus tuus.

Lectio iij.

ERIT ígitur et Philisthæus hic incircumcísus, quasi unus ex eis. Nunc vadam, et áuferam oppróbrium pópuli : quóniam quis est iste Philisthæus incircumcísus, qui ausus est maledícere exercítui Dei vivéntis? Et ait David : Dóminus qui erípuit me de manu leónis, et de manu ursi, ipse me liberábit de manu Philisthæi hujus.

FERIA QUINTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 17.

ET tulit (David) báculum suum, quem semper habébat in mánibus : et elégit sibi quinque limpidíssimos lápides de torrénte, et misit eos in peram pastorálem, quam habébat secum, et fundam manu tulit : et procéssit advérsum Philisthæum. Ibat autem Philisthæus incédens, et appropínquans advérsum David, et árminger ejus ante eum.

Lectio ij.

CUMQUE inspexísset Philisthæus, et vidísset David, despéxit eum. Erat enim adoléscens : rufus, et pulcher aspéctu. Et dixit Philisthæus ad David : Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum báculo? Et maledíxit Philisthæus David in diis suis. Dixítque ad David : Veni ad me, et dabo carnes tuas volatílibus cæli et béstiis terræ.

Lectio iij.

DIXIT autem David ad Philisthæum : Tu venis ad me cum gládio, et hasta, et clypeo : ego autem vénio ad te in nómine Dómini exercítuum, Dei ágminum Israel, quibus exprobrásti hódie, et dabit te Dóminus in manu mea, et percútiam te, et áuferam caput tuum a te : et dabo cadávera castrórum Philísthiim hódie volatílibus cæli, et béstiis terræ : ut sciat omnis terra quia est Deus in Israel.

FERIA SEXTA.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 18.

PORRO cum reverterétur percússo Philisthæo David, egréssæ sunt mulíeres de univérsis úrbibus Israel, cantántes, chorósque ducéntes in occúrsum Saul regis, in tympanis lætítiæ, et in sistris. Et præcinébant mulíeres ludéntes, atque dicéntes : Percússit Saul mille, et David decem míllia. Irátus est autem Saul nimis, et displícuit in óculis ejus sermo iste : dixítque : Dedérunt David decem míllia, et mihi mille dedérunt : quid ei súperest, nisi solum regnum?

Lectio ij.

NON rectis ergo óculis Saul aspiciébat David a die illa, et deínceps. Post diem autem álteram, invásit spíritus Dei malus Saul, et prophetábat in médio domus suæ : David autem psallébat manu sua, sicut per síngulos dies. Tenebátque Saul lánceam, et misit eam, putans quod confígere posset David cum paríete : et declinávit David a fácie ejus secúndo.

Lectio iij.

ET tímuit Saul David, eo quod Dóminus esset cum eo, et a se recessísset. Amóvit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribúnum super mille viros : et egrediebátur, et intrábat in conspéctu pópuli. In ómnibus quoque viis suis David prudénter agébat, et Dóminus erat cum eo. Vidit ítaque Saul quod prudens esset nimis, et cœpit cavére eum. Omnis autem Israel et Juda diligébat David : ipse enim ingrediebátur et egrediebátur ante eos.

SABBATO.

De libro primo Regum.

Lectio j. Cap. 20.

ET intelléxit Jónathas quod definítum esset a patre suo, ut interfíceret David. Surréxit ergo Jónathas a mensa in ira furóris, et non comédit in die calendárum secúnda panem. Contristátus est enim super David, eo quod confudísset eum pater suus. Cumque illuxísset mane, venit Jónathas in agrum juxta plácitum David, et puer párvulus cum eo.

Lectio ij.

ET ait ad púerum suum : Vade, et affer mihi sagíttas, quas ego jácio. Cumque puer cucurrísset, jecit áliam sagíttam trans púerum. Venit ítaque puer ad locum jáculi, quod míserat Jónathas : et clamávit Jónathas post tergum púeri, et ait : Ecce ibi est sagítta porro ultra te. Clamavítque íterum Jónathas post tergum púeri, dicens : Festína velóciter, ne stéteris.

Lectio iij.

COLLEGIT autem puer Jónathæ sagíttas, et áttulit ad dóminum suum : et quid agerétur, pénitus ignorábat : tantúmmodo enim Jónathas et David rem nóverant. Dedit ergo Jónathas arma sua púero, et dixit ei : Vade, et defer in civitátem. Cumque abiísset puer, surréxit David de loco, qui vergébat ad austrum, et cadens pronus in terram, adorávit tértio : et osculántes se altérutrum, flevérunt páriter.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia in míllibus suis?

Oratio.

DEUS virtútum, cujus est totum quod est óptimum : ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis; et præsta in nobis religiónis augméntum : ut quæ sunt bona nútrias, ac pietátis stúdio, quæ sunt nutríta, custódias. Per.

DOMINICA IV.
POST OCT. TRINITATIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber secúndus Regum.

Lectio j. Cap. 1.

FACTUM est autem, postquam mórtuus est Saul, ut David reverterétur a cæde Amalec, et manéret in Síceleg duos dies. In die autem tértia appáruit homo véniens de castris Saul veste conscíssa, et púlvere conspérsus caput. Et ut venit ad David, cécidit super fáciem suam, et adorávit. Dixítque ad eum David : Unde venis? Qui ait ad eum : De castris Israel fugi.

Lectio ij.

ET dixit ad eum David : Quod est verbum quod factum est? índica mihi. Qui ait : Fugit pópulus ex prœlio, et multi corruéntes e pópulo mórtui sunt : sed et Saul, et Jónathas fílius ejus interiérunt. Dixítque David ad adolescéntem, qui nuntiábat ei : Unde scis quia mórtuus est Saul, et Jónathas fílius ejus? Et ait adoléscens, qui nuntiábat ei : Casu veni in montem Gélboe, et Saul incumbébat super hastam suam : porro currus et équites appropinquábant ei, et convérsus post tergum suum, vidénsque me vocávit.

Lectio iij.

CUI cum respondíssem : Adsum : dixit mihi : Quisnam es tu? Et aio ad eum : Amalecítes ego sum. Et locútus est mihi : Sta super me, et intérfice me : quóniam tenent me angústiæ, et adhuc tota ánima mea in me est. Stansque super eum, occídi illum : sciébam enim quod vívere non póterat post ruínam : et tuli diadéma quod erat in cápite ejus, et armíllam de bráchio illíus, et áttuli ad te dóminum meum huc.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 2.

IGITUR post hæc consúluit David Dóminum, dicens : Num ascéndam in unam de civitátibus Juda? Et ait Dóminus ad eum : Ascénde. Dixítque David : Quo ascéndam? Et respóndit ei : In Hebron. Ascéndit ergo David, et duæ uxóres ejus, Achínoam Jezrahelítes, et Abígail uxor Nabal Carméli : sed et viros, qui erant cum eo, duxit David síngulos cum domo sua : et mansérunt in óppidis Hebron.

Lectio ij.

VENERUNTQUE viri Juda, et unxérunt ibi David, ut regnáret super domum Juda. Et nuntiátum est David, quod viri Jabes Gálaad sepelíssent Saul. Misit ergo David núntios ad viros Jabes Gálaad, dixítque ad eos : Benedícti vos a Dómino, qui fecístis misericórdiam hanc cum dómino vestro Saul, et sepelístis eum.

Lectio iij.

ET nunc retríbuet vobis quidem Dóminus misericórdiam et veritátem : sed et ego reddam grátiam, eo quod fecístis verbum istud. Conforténtur manus vestræ, et estóte fílii fortitúdinis. Licet enim mórtuus sit dóminus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 5.

ET venérunt univérsæ tribus Israel ad David in Hebron, dicéntes : Ecce nos, os tuum, et caro tua sumus. Sed et heri et nudiustértius cum esset Saul rex super nos, tu eras edúcens et redúcens Israel. Dixit autem Dóminus ad te : Tu pasces pópulum meum Israel, et tu eris dux super Israel. Venérunt quoque et senióres Israel ad regem in Hebron, et percússit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Dómino.

Lectio ij.

UNXERUNTQUE David in regem super Israel. Fílius trigínta annórum erat David, cum regnáre cœpísset, et quadragínta annis regnávit. In Hebron regnávit super Judam septem annis et sex ménsibus : in Jerúsalem autem regnávit trigínta tribus annis super omnem Israel et Judam. Et ábiit rex, et omnes viri qui erant cum eo, in Jerúsalem, ad Jebusæum habitatórem terræ.

Lectio iij.

DICTUMQUE est David ab eis : Non ingrediéris huc, nisi abstúleris cæcos et claudos dicéntes : Non ingrediétur David huc. Cepit autem David arcem Sion, hæc est cívitas David. Proposúerat enim David in die illa præmium, qui percussísset Jebusæum, et tetigísset dómatum fístulas, et abstulísset cæcos et claudos odiéntes ánimam David. Idcírco dícitur in provérbio : Cæcus et claudus non intrábunt in templum.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 6.

CONGREGAVIT autem rursum David omnes eléctos ex Israel trigínta míllia. Surrexítque David, et ábiit, et univérsus pópulus, qui erat cum eo de viris Juda, ut addúcerent arcam Dei, super quam invocátum est nomen Dómini exercítuum, sedéntis in Chérubim super eam. Et imposuérunt arcam Dei super plaustrum novum : tuleruntque eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa.

Lectio ij.

OZA autem, et Ahio fílii Abínadab, minábant plaustrum novum. Cumque tulíssent eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa, custódiens arcam Dei, Ahio præcedébat arcam. David autem, et omnis Israel ludébant coram Dómino in ómnibus lignis fabrefáctis, et cítharis et lyris et tympanis et sistris et cymbalis.

Lectio iij.

POSTQUAM autem venérunt ad áream Nachon, exténdit Oza manum ad arcam Dei, et ténuit eam : quóniam calcitrábant boves, et declinavérunt eam. Iratúsque est indignatióne Dóminus contra Ozam, et percússit eum super temeritáte : qui mórtuus est ibi juxta arcam Dei. Contristátus est autem David, eo quod percussísset Dóminus Ozam.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 6.

NUNTIATUMQUE est regi David quod benedixísset

Dóminus Obédedom, et ómnia ejus propter árcam Dei. Abiit ergo David, et addúxit arcam Dei de domo Obédedom in civitátem David cum gáudio : et erant cum David septem chori, et víctima vítuli. Cumque transcendíssent qui portábant arcam Dómini sex passus, immolábat bovem et arietem.

Lectio ij.

ET David saltábat totis víribus ante Dóminum. Porro David erat accínctus ephod líneo. Et David, et omnis domus Israel ducébant arcam testaménti Dómini, in júbilo, et in clangóre búcinæ. Cumque intrásset arca Dómini in civitátem David, Michol fília Saul prospíciens per fenéstram, vidit regem David subsiliéntem, atque saltántem coram Dómino : et despéxit eum in corde suo.

Lectio iij.

ET introduxérunt arcam Dómini, et imposuérunt eam in loco suo in médio tabernáculi, quod teténderat ei David : et óbtulit David holocáusta, et pacífica coram Dómino. Cumque complésset ófferens holocáusta et pacífica, benedíxit pópulo in nómine Dómini exercítuum. Et partítus est univérsæ multitúdini Israel tam viro quam mulíeri síngulis collyridam panis unam, et assatúram búbulæ carnis unam, et símilam frixam óleo.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 7.

FACTUM est autem cum sedísset rex (David) in domo sua, et Dóminus dedísset ei réquiem úndique ab univérsis inimícis suis, dixit ad Nathan prophétam : Vidésne quod ego hábitem in domo cédrina, et arca Dei pósita sit in médio péllium? Dixítque Nathan ad regem : Omne quod est in corde tuo, vade fac : quia Dóminus tecum est.

Lectio ij.

FACTUM est autem in illa nocte : et ecce sermo Dómini ad Nathan, dicens : Vade, et lóquere ad servum meum David : Hæc dicit Dóminus : numquid tu ædificábis mihi domum ad habitándum? Neque enim habitávi in domo ex die illa, qua edúxi fílios Israel de terra Ægypti, usque in diem hanc : sed ambulábam in tabernáculo, et in tentório, per cuncta loca, quæ transívi cum ómnibus fíliis Israel.

Lectio iij.

NUMQUID loquens locútus sum ad unam de tríbubus Israel, cui præcépi, ut pásceret pópulum meum Israel, dicens : Quare non ædificástis mihi domum cédrinam? Et nunc hæc dices servo meo David : Hæc dicit Dóminus exercítuum : Ego tuli te de páscuis sequéntem greges, ut esses dux super pópulum meum Israel : et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti.

SABBATO.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 8.

FACTUM est autem post hæc percússit David Philísthiim, et humiliávit eos, et tulit David frenum tribúti de manu Philísthiim. Et percússit Moab,

et mensus est eos funículo, coæquans terræ : mensus est autem duos funículos, unum ad occidéndum, et unum ad vivificándum : factúsque est Moab David sérviens sub tribúto.

Lectio ij.

ET percússit David Adárezer fílium Rohob regem Soba, quando proféctus est ut dominarétur super flumen Euphráten. Et captis David ex parte ejus mille septingéntis equítibus, et vigínti míllibus péditum, subnervávit omnes jugáles cúrruum. Derelíquit autem ex eis centum currus.

Lectio iij.

VENIT quoque Syria Damásci, ut præsídium ferret Adárezer regi Soba : et percússit David de Syria vigínti duo míllia virórum. Et pósuit David præsídium in Syria Damásci : fáctaque est Syria David sérviens sub tribúto : servavítque Dóminus David in ómnibus ad quæcúmque proféctus est. Et tulit David arma áurea, quæ habébant servi Adárezer, et détulit ea in Jerúsalem.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Irátus rex Saul dixit : Mihi mille dedérunt, et fílio Isai dedérunt decem míllia.

Oratio.

DEUS, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur, te súpplices exorámus : ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per.

DOMINICA V.

POST OCT. TRINITATIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 11.

FACTUM est autem, verténte anno, eo témpore quo solent reges ad bella procédere, misit David Joab, et servos suos cum eo, et univérsum Israel, et vastavérunt fílios Ammon, et obsedérunt Rabba: David autem remánsit in Jerúsalem. Dum hæc ageréntur, áccidit ut súrgeret David de strato suo post merídiem, et deambuláret in solário domus régiæ : vidítque mulíerem se lavántem, ex advérso super solárium suum : erat autem múlier pulchra valde.

Lectio ij.

MISIT ergo rex, et requisívit quæ esset múlier. Nuntiatúmque est ei quod ipsa esset Bethsabée fília Eliam, uxor Uríæ Hethæi. Missis ítaque David núntiis, tulit eam. Quæ cum ingréssa esset ad illum, dormívit cum ea : statímque sanctificáta est ab immundítia sua : et revérsa est in domum suam concépto fetu. Mitténsque nuntiávit David, et ait : Concépi. Misit autem David ad Joab, dicens : Mitte ad me Uríam Hethæum.

Lectio iij.

MISITQUE Joab Uríam ad David. Et venit Urías ad David. Quæsivítque David quam recte ágeret Joab, et pópulus, et quómodo administrarétur bellum. Et dixit David ad Uríam : Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et

egréssus est Urías de domo regis, secutúsque est eum cibus régius. Dormívit autem Urías ante portam domus régiæ cum áliis servis dómini sui, et non descéndit ad domum suam.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 11.

ET ait Urías ad David : Arca Dei et Israel et Juda hábitant in papiliónibus, et dóminus meus Joab, et servi dómini mei super fáciem terræ manent : et ego ingrédiar domum meam, ut cómedam et bibam, et dórmiam cum uxóre mea? per salútem tuam, et per salútem ánimae tuæ non fáciam rem hanc. Ait ergo David ad Uríam : Mane hic étiam hódie, et cras dimíttam te.

Lectio ij.

MANSIT Urías in Jerúsalem in die illa et áltera : et vocávit eum David ut coméderet coram se et bíberet, et inebriávit eum : qui egréssus véspere, dormívit in strato suo cum servis dómini sui, et in domum suam non descéndit. Factum est ergo mane, et scripsit David epístolam ad Joab : misítque per manum Uríæ, scribens in epístola : Pónite Uríam ex advérso belli, ubi fortíssimum est prœlium : et derelínquite eum, ut percússus intéreat.

Lectio iij.

IGITUR cum Joab obsidéret urbem, pósuit Uríam in loco ubi sciébat viros esse fortíssimos. Egressíque viri de civitáte, bellábant advérsum Joab, et cecidérunt de pópulo servórum David, et mórtuus est étiam Urías Hethæus. Misit ítaque Joab, et nuntiávit David ómnia verba prœlii.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 12.

MISIT ergo Dóminus Nathan ad David : qui cum venísset ad eum, dixit ei : Duo viri erant in civitáte una, unus dives, et alter pauper. Dives habébat oves, et boves plúrimos valde. Pauper autem nihil habébat omníno, præter ovem unam párvulam, quam émerat et nutrierat, et quæ créverat apud eum cum fíliis ejus simul, de pane illíus cómedens, et de cálice ejus bibens, et in sinu illíus dórmiens : erátque illi sicut fília.

Lectio ij.

CUM autem peregrínus quidam venísset ad dívitem, parcens ille súmere de óvibus et de bobus suis, ut exhibéret convívium peregrino illi, qui vénerat ad se, tulit ovem viri páuperis, et præparávit cibos hómini qui vénerat ad se. Irátus autem indignatióne David advérsus hóminem illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dóminus, quóniam fílius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quádruplum, eo quod fécerit verbum istud, et non pepércerit.

Lectio iij.

DIXIT autem Nathan ad David : Tu es ille vir. Hæc dicit Dóminus Deus Israel : Ego unxi te in regem super Israel, et ego érui te de manu Saul, et dedi tibi domum dómini tui,

et uxóres dómini tui in sinu tuo, dedíque tibi domum Israel et Juda : et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majóra. Quare ergo contempsísti verbum Dómini ut fáceres malum in conspéctu meo? Uríam Hethæum percussísti gládio, et uxórem illius accepísti in uxórem tibi, et interfecísti eum gládio filiórum Ammon.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

IGITUR post hæc fecit sibi Absalom currus, et équites, et quinquagínta viros, qui præcéderent eum. Et mane consúrgens Absalom, stabat juxta introítum portæ, et omnem virum, qui habébat negótium ut veníret ad regis judícium, vocábat Absalom ad se, et dicébat : De qua civitáte es tu? Qui respóndens aiébat : Ex una tribu Israel ego sum servus tuus.

Lectio ij.

RESPONDEBATQUE ei Absalom : Vidéntur mihi sermónes tui boni et justi. Sed non est qui te áudiat constitútus a rege. Dicebátque Absalom : Quis me constituat júdicem super terram, ut ad me véniant omnes, qui habent negótium, et juste júdicem? Sed et cum accéderet ad eum homo ut salutáret illum, extendébat manum suam, et apprehéndens, osculabátur eum.

Lectio iij.

FACIEBATQUE hoc omni Israel veniénti ad judícium, ut audirétur a rege, et sollicitábat corda virórum Israel. Post quadragínta autem annos, dixit Absalom ad regem David : Vadam, et reddam vota mea quæ vovi Dómino in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens : Si redúxerit me Dóminus in Jerúsalem, sacrificábo Dómino.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 15.

ACCERSIVIT quoque Absalom Achítophel Gilonítem consiliárium David, de civitáte sua Gilo. Cumque immoláret víctimas, facta est conjurátio válida, populúsque concúrrens augebátur cum Absalom. Venit ígitur núntius ad David, dicens: Toto corde univérsus Israel séquitur Absalom. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerúsalem : Súrgite, fugiámus : neque enim erit nobis effúgium a fácie Absalom.

Lectio ij.

FESTINATE égredi, ne forte véniens óccupet nos, et impéllat super nos ruínam, et percútiat civitátem in ore gládii. Dixerúntque servi regis ad eum : Omnia quæcúmque præcéperit dóminus noster rex, libénter exsequémur servi tui. Egréssus est ergo rex, et univérsa domus ejus pédibus suis: et derelíquit rex decem mulíeres concubínas ad custodiéndam domum.

Lectio iij.

EGRESSUSQUE rex et omnis Israel pédibus suis, stetit procul a domo : et univérsi servi ejus ambulábant juxta eum, et legiónes Cérethi et Phélethi, et omnes Gethæi, pu-

gnatóres válidi, sexcénti viri qui secúti eum fúerant de Geth pédites, præcedébant regem. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum : Cur venis nobíscum?

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 18.

IGITUR consideráto David pópulo suo, constítuit super eos tribúnos et centuriónes, et dedit pópuli tértiam partem sub manu Joab, et tértiam partem sub manu Abísai fílii Sarvíæ fratris Joab, et tértiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth. Dixítque rex ad pópulum : Egrédiar et ego vobíscum.

Lectio ij.

ET respóndit pópulus : Non exíbis : sive enim fugérimus, non magnópere ad eos de nobis pertinébit : sive média pars cecíderit e nobis, non satis curábunt : quia tu unus pro decem millibus computáris : mélius est ígitur ut sis nobis in urbe præsídio. Ad quos rex ait: Quod vobis vidétur rectum, hoc fáciam. Stetit ergo rex juxta portam.

Lectio iij.

EGREDIEBATURQUE pópulus per turmas suas centéni, et milléni. Et præcépit rex Joab, et Abísai, et Ethai dicens : Serváte mihi púerum Absalom. Et omnis pópulus audiébat præcipiéntem regem cunctis princípibus pro Absalom. Itaque egréssus est pópulus in campum contra Israel, et factum est prœlium in saltu Ephraim.

SABBATO.

De libro secúndo Regum.

Lectio j. Cap. 18.

ACCIDIT autem ut occúrreret Absalom servis David, sedens mulo : cumque ingréssus fuísset mulus subter condénsam quercum et magnam, adhæsit caput ejus quércui : et illo suspénso inter cælum et terram, mulus, cui inséderat, pertransívit. Vidit autem hoc quíspiam, et nuntiávit Joab, dicens : Vidi Absalom pendére de quercu.

Lectio ij.

ET ait Joab viro, qui nuntiáverat ei : Si vidísti, quare non confodísti eum cum terra, et ego dedíssem tibi decem argénti siclos, et unum bálteum? Qui dixit ad Joab : Si appénderes in mánibus meis mille argénteos, nequáquam mítterem manum meam in fílium regis : audiéntibus enim nobis præcépit rex tibi, et Abísai, et Ethai, dicens : Custodíte mihi púerum Absalom.

Lectio iij.

SED et si fecíssem contra ánimam meam audácter, nequáquam hoc regem latére potuísset, et tu stares ex advérso? Et ait Joab : Non sicut tu vis, sed aggrédiar eum coram te. Tulit ergo tres lánceas in manu sua, et infíxit eas in corde Absalom : cumque adhuc palpitáret hærens in quercu, cucurrérunt decem júvenes armígeri Joab, et percutiéntes interfecérunt eum.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Ańa. Quis enim in ómnibus sicut David fidélis invéntus est in regno tuo, egrédiens, et regrédiens, et pergens ad impérium regis?

Oratio.

LARGIRE nobis, quæsumus Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius, et agéndi : ut qui sine te esse non póssumus, secúndum te vívere valeámus. Per.

DOMINICA VI.
POST OCT. TRINITATIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber tértius Regum.

Lectio j. Cap. 1.

ET rex David senúerat, habebátque ætátis plúrimos dies : cumque operirétur véstibus, non calefiébat. Dixérunt ergo ei servi sui : Quærámus dómino nostro regi adolescéntulam vírginem, et stet coram rege, et fóveat eum, dormiátque in sinu suo, et calefáciat dóminum nostrum regem. Quæsiérunt ígitur adolescéntulam speciósam in ómnibus fínibus Israel, et invenérunt Abisag Sunamítidem, et adduxérunt eam ad regem.

Lectio ij.

ERAT autem puélla pulchra nimis, dormiebátque cum rege, et ministrábat ei, rex vero non cognóvit eam. Adonías autem fílius Haggith elevabátur, dicens : Ego regnábo. Fecítque sibi currus et équites, et quinquagínta viros, qui cúrrerent ante eum. Nec corrípuit eum pater suus aliquándo, dicens : Quare hoc fecísti? Erat autem et ipse pulcher valde, secúndus natu post Absalom. Et sermo ei cum Joab fílio Sarvíæ, et cum Abíathar sacerdóte, qui adjuvábant partes Adoníæ.

Lectio iij.

SADOC vero sacérdos, et Banaías fílius Joíadæ, et Nathan prophéta, et Sémei et Rei, et robur exércitus David non erat cum Adonía. Immolátis ergo Adonías ariétibus et vítulis, et univérsis pínguibus juxta lápidem Zóheleth, qui erat vicínus fonti Rogel, vocávit univérsos fratres suos fílios regis, et omnes viros Juda servos regis. Nathan autem prophétam, et Banaíam, et robústos quosque, et Salomónem fratrem suum non vocávit.

FERIA SECUNDA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 1.

DIXIT Nathan : Dómine mi rex, tu dixísti : Adonias regnet post me, et ipse sédeat super thronum meum? Quia descéndit hódie, et immolávit boves, et pínguia, et aríetes plúrimos, et vocávit univérsos fílios regis et príncipes exércitus, Abíathar quoque sacerdótem : illísque vescéntibus, et bibéntibus coram eo, et dicéntibus : Vivat rex Adonías : me servum tuum, et Sadoc sacerdótem, et Banaíam fílium Joíadæ, et Salomónem fámulum tuum non vocávit.

Lectio ij.

NUMQUID a dómino meo rege exívit hoc verbum, et mihi non indicásti servo tuo quis sessúrus esset super thronum dómini mei regis post eum? Et respóndit rex David, dicens : Vocáte ad me Bethsabée. Quæ cum fuísset ingréssa coram rege, et stetísset ante eum, jurávit rex, et ait : Vivit Dóminus, qui éruit ánimam

meam de omni angústia, quia sicut jurávi tibi per Dóminum Deum Israel, dicens : Sálomon fílius tuus regnábit post me, et ipse sedébit super sólium meum pro me : sic fáciam hódie.

Lectio iij.

DIXIT quoque rex David : Vocáte mihi Sadoc sacerdótem, et Nathan prophétam, et Banaíam fílium Joíadæ. Qui cum ingréssi fuíssent coram rege, dixit ad eos : Tóllite vobíscum servos dómini vestri, et impónite Salomónem fílium meum super mulam meam : et dúcite eum in Gihon. Et ungat eum ibi Sadoc sacérdos, et Nathan prophéta in regem super Israel : et canétis búcina, atque dicétis : Vivat rex Sálomon.

clamor civitátis tumultuántis? Adhuc illo loquénte, Jónathas fílius Abíathar sacerdótis venit : cui dixit Adonías : Ingrédere, quia vir fortis es, et bona núntians.

Lectio iij.

RESPONDITQUE Jónathas Adoníæ : Nequáquam. Dóminus enim noster rex David regem constituit Salomónem ; misítque cum eo Sadoc sacerdótem, et Nathan prophétam, et Banaíam fílium Joíadæ, et Cérethi, et Phélethi, et imposuérunt eum super mulam regis. Unxerúntque eum Sadoc sacérdos, et Nathan prophéta regem in Gihon : et ascendérunt inde lætántes, et insónuit cívitas : hæc est vox, quam audístis.

FERIA TERTIA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 1.

DESCENDIT ergo Sadoc sacérdos, et Nathan prophéta, et Banaías fílius Joíadæ, et Cérethi et Phélethi : et imposuérunt Salomónem super mulam regis David, et adduxérunt eum in Gihon. Sumpsítque Sadoc sacérdos cornu ólei de tabernáculo, et unxit Salomónem : et cecinérunt búcina, et dixit omnis pópulus : Vivat rex Sálomon. Et ascéndit univérsa multitúdo post eum, et pópulus canéntium tíbiis, et lætántium gáudio magno, et insónuit terra a clamóre eórum.

Lectio ij.

AUDIVIT autem Adonías, et omnes, qui invitáti fúerant ab eo, jamque convívium finítum erat : sed et Joab, audíta voce tubæ, ait : Quid sibi vult

FERIA QUARTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 2.

APPROPINQUAVERUNT autem dies David ut morerétur, præcepítque Salomóni fílio suo, dicens : Ego ingrédior viam univérsæ terræ : confortáre, et esto vir. Et obsérva custódias Dómini Dei tui, ut ámbules in viis ejus, ut custódias cæremónias ejus, et præcépta ejus, et judícia, et testimónia, sicut scriptum est in lege Móysi : ut intélligas univérsa quæ facis, et quocúmque te vérteris : ut confírmet Dóminus sermónes suos, quos locútus est de me, dicens : Si custodíerint fílii tui vias suas, et ambuláverint coram me in veritáte, in omni corde suo, et in omni ánima sua, non auferétur tibi vir de sólio Israel.

Lectio ij.

TU quoque nosti quæ fécerit mihi Joab fílius Sarviæ, quæ fécerit duóbus princípibus exércitus Israel, Abner fílio Ner, et Amásæ fílio Jether : quos occídit, et effúdit sánguinem belli in pace, et pósuit cruórem prœlii in bálteo suo, qui erat circa lumbos ejus, et in calceaménto suo, quod erat in pédibus ejus.

Lectio iij.

FACIES ergo juxta sapiéntiam tuam, et non dedúces canítiem ejus pacífice ad inferos. Sed et fíliis Berzellái Galaadítis reddes grátiam, erúntque comedéntes in mensa tua : occurrérunt enim mihi quando fugiébam a fácie Absalom fratris tui.

FERIA QUINTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 2.

SALOMON autem sedit super thronum David patris sui, et firmátum est regnum ejus nimis. Et ingréssus est Adonías fílius Haggith ad Bethsabée matrem Salomónis. Quæ dixit ei : Pacifícusne est ingréssus tuus? Qui respóndit : Pacíficus. Addidítque : Sermo mihi est ad te. Cui ait : Lóquere. Et ille : Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, et me præposúerat omnis Israel sibi in regem : sed translátum est regnum, et factum est fratris mei : a Dómino enim constitútum est ei.

Lectio ij.

NUNC ergo petitiónem unam precor a te; ne confúndas fáciem meam. Quæ dixit ad eum : Lóquere. Et ille ait : Precor ut dicas Salomóni regi (neque enim negáre tibi quidquam potest) ut det mihi Abisag Sunamítidem uxórem. Et ait Bethsabée : Bene, ego loquar pro te regi.

Lectio iij.

VENIT ergo Bethsabée ad regem Salomónem, ut loquerétur ei pro Adonía : et surréxit rex in occúrsum ejus, adoravítque eam, et sedit super thronum suum : positúsque est thronus matri regis, quæ sedit ad déxteram ejus. Dixítque ei : Petitiónem unam párvulam ego déprecor a te, ne confúndas fáciem meam. Et dixit ei rex : Pete mater mea : neque enim fas est ut avértam fáciem tuam. Quæ ait : Detur Abisag Sunamítis Adoníæ fratri tuo uxor.

FERIA SEXTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 3.

CONFIRMATUM est ígitur regnum in manu Salomónis, et affinitáte conjúnctus est Pharaóni regi Ægypti : accépit namque fíliam ejus, et addúxit in civitátem David, donec compléret ædíficans domum suam, et domum Dómini, et murum Jerúsalem per circúitum. Attamen pópulus immolábat in excélsis : non enim ædificátum erat templum nómini Dómini usque in diem illum.

Lectio ij.

DILEXIT autem Sálomon Dóminum, ámbulans in præcéptis David patris sui, excépto quod in excélsis immolábat, et accendébat thymiáma. Abiitítaque in Gábaon,

ut immoláret ibi : illud quippe erat excélsum máximum : mille hóstias in holocáustum óbtulit Sálomon super altáre illud in Gábaon.

Lectio iij.

APPARUIT autem Dóminus Salomóni per sómnium nocte, dicens : Póstula quod vis ut dem tibi. Et ait Sálomon: Tu fecísti cum servo tuo David patre meo misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspéctu tuo in veritáte, et justítia, et recto corde tecum : custodísti ei misericórdiam tuam grandem, et dedísti ei fílium sedéntem super thronum ejus, sicut est hódie.

SABBATO.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 9.

FACTUM est autem cum perfecísset Sálomon ædifícium domus Dómini, et ædifícium regis, et omne quod optáverat et volúerat fácere, appáruit ei Dóminus secúndo sicut apparúerat ei in Gábaon. Dixítque Dóminus ad eum : Exaudívi oratiónem tuam, et deprecatiónem tuam, quam deprecátus es coram me : sanctificávi domum hanc, quam ædificásti, ut pónerem nomen meum ibi in sempitérnum, et erunt óculi mei et cor meum ibi cunctis diébus.

Lectio ij.

TU quoque si ambuláveris coram me, sicut ambulávit pater tuus, in simplicitáte cordis, et in æquitáte : et féceris ómnia, quæ præcépi tibi, et legítima mea et judícia mea serváveris, ponam thronum regni tui super Israel in sempitérnum, sicut locútus sum David patri tuo, dicens : Non auferétur vir de génere tuo de sólio Israel.

Lectio iij.

SI autem aversióne avérsi fuéritis vos et fílii vestri, non sequéntes me, nec custodiéntes mandáta mea, et cæremónias meas, quas propósui vobis, sed abiéritis, et coluéritis deos aliénos, et adoravéritis eos : áuferam Israel de superfície terræ quam dedi eis : et templum, quod sanctificávi nómini meo, projíciam a conspéctu meo, erítque Israel in provérbium, et in fábulam cunctis pópulis.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Dóleo super te frater mi Jónatha, amábilis valde super amórem mulíerum : sicut mater únicum amat fílium, ita te diligébam : sagítta Jónathæ nunquam ábiit retrórsum, nec declinávit clypeus ejus in bello, et hasta ejus non est avérsa.

Oratio.

PATEANT aures misericórdiæ tuæ Dómine précibus supplicántium : et ut peténtibus desideráta concédas, fac eos quæ tibi sunt plácita postuláre. Per.

DOMINICA VII.
POST OCT. TRINITATIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 10.

SED et regína Saba, audita fama Salomónis in nómine Dómini, venit tentáre eum in ænigmátibus. Et ingréssa Jerúsalem multo cum comitátu,

et divítiis, camélis portántibus arómata, et aurum infinítum nimis, et gemmas pretiósas, venit ad regem Salomónem, et locúta est ei univérsa quæ habébat in corde suo. Et dócuit eam Sálomon ómnia verba, quæ proposúerat : non fuit sermo, qui regem posset latére, et non respondéret ei.

Lectio ij.

VIDENS autem regína Saba omnem sapiéntiam Salomónis, et domum, quam ædificáverat, et cibos mensæ ejus, et habitácula servórum, et órdines ministrántium, vestésque eórum, et pincérnas, et holocáusta, quæ offerébat in domo Dómini : non habébat ultra spíritum. Dixítque ad regem : Verus est sermo, quem audívi in terra mea super sermónibus tuis, et super sapiéntia tua : et non credébam narrántibus mihi, donec ipsa veni, et vidi óculis meis, et probávi quod média pars mihi nuntiáta non fúerit : major est sapiéntia et ópera tua, quam rumor, quem audívi.

Lectio iij.

BEATI viri tui, et beáti servi tui, qui stant coram te semper, et áudiunt sapiéntiam tuam. Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuísti, et pósuit te super thronum Israel, eo quod diléxerit Dóminus Israel in sempitérnum, et constítuit te regem, ut fáceres judícium et justítiam. Dedit ergo regi centum vigínti talénta auri, et arómata multa nimis, et gemmas pretiósas.

FERIA SECUNDA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 10.

ERAT autem pondus auri, quod afferebátur Salomóni per annos síngulos, sexcentórum sexagínta sex talentórum auri : excépto eo, quod afferébant viri, qui super vectigália erant, et negotiatóres, universíque scruta vendéntes, et omnes reges Arábiæ, ducésque terræ.

Lectio ij.

FECIT quoque rex Sálomon ducénta scuta de auro puríssimo, sexcéntos auri siclos dedit in láminas scuti uníus. Et trecéntas peltas ex auro probáto : trecéntæ minæ auri unam peltam vestiébant : posuítque eas rex in domo saltus Líbani. Fecit étiam rex Sálomon thronum de ébore grandem : et vestívit eum auro fulvo nimis, qui habébat sex gradus.

Lectio iij.

ET súmmitas throni rotúnda erat in parte posterióri : et duæ manus hinc atque inde tenéntes sedíle : et duo leónes stabant juxta manus síngulas. Et duódecim leúnculi stantes super sex gradus hinc atque inde : non est factum tale opus in univérsis regnis.

FERIA TERTIA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 10.

MAGNIFICATUS est ergo rex Sálomon super omnes reges terræ divítiis, et sapiéntia. Et univérsa terra desiderábat vultum Salomónis, ut audíret sapiéntiam ejus, quam déderat Deus in corde ejus. Et sínguli

deferébant ei múnera, vasa argéntea et áurea, vestes et arma béllica, arómata quoque, et equos et mulos per annos síngulos.

Lectio ij.

CONGREGAVITQUE Sálomon currus et équites, et facti sunt ei mille quadringénti currus, et duódecim míllia équitum : et dispósuit eos per civitátes munítas, et cum rege in Jerúsalem. Fecítque ut tanta esset abundántia argénti in Jerúsalem, quanta et lápidum : et cedrórum præbuit multitúdinem quasi sycómoros, quæ nascúntur in campéstribus.

Lectio iij.

ET educebántur equi Salomóni de Ægypto, et de Coa. Negotiatóres enim regis emébant de Coa, et statúto prétio perducébant. Egrediebátur autem quadríga ex Ægypto sexcéntis siclis argénti, et equus centum quinquagínta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæórum et Syriæ equos venúmdabant.

FERIA QUARTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 11.

REX autem Sálomon adamávit mulíeres alienígenas multas, fíliam quoque Pharaónis, et Moabítidas, et Ammonítidas, Idumæas, et Sidónias, et Hethæas : de géntibus, super quibus dixit Dóminus fíliis Israel : Non ingrediémini ad eas, neque de illis ingrediéntur ad vestras : certíssime enim avértent corda vestra ut sequámini deos eárum.

Lectio ij.

HIS ítaque copulátus est Sálomon ardentíssimo amóre. Fuerúntque ei uxóres quasi regínæ septingéntæ, et concubínæ trecéntæ : et avertérunt mulíeres cor ejus. Cumque jam esset senex, depravátum est cor ejus per mulíeres, ut sequerétur deos aliénos : nec erat cor ejus perféctum cum Dómino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

Lectio iij.

SED colébat Sálomon Astárthen deam Sidoniórum, et Moloch idólum Ammonitárum. Fecítque Sálomon quod non placúerat coram Dómino, et non adimplévit ut sequerétur Dóminum, sicut David pater ejus. Tunc ædificávit Sálomon fanum Chamos, idólo Moab, in monte qui est contra Jerúsalem, et Moloch idólo filiórum Ammon.

FERIA QUINTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 11.

FACTUM est ígitur in témpore illo, ut Jeróboam egrederétur de Jerúsalem, et invenírет eum Ahías Silonítes prophéta in via, opértus pállio novo : erant autem duo tantum in agro. Apprehendénsque Ahías pállium suum novum, quo coopértus erat, scidit in duódecim partes. Et ait ad Jeróboam : Tolle tibi decem scissúras : hæc enim dicit Dóminus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomónis, et dabo tibi decem tribus.

Lectio ij.

PORRO una tribus remanébit ei propter servum meum David, et Jerúsalem civitátem, quam elégi ex ómnibus tríbubus Israel : eo quod derelíquerit me, et adoráverit Astárthen deam Sidoniórum, et Chamos deum Moab, et Moloch deum filiórum Ammon : et non ambuláverit in viis meis, ut fáceret justítiam coram me, et præcépta mea, et judícia sicut David pater ejus.

Lectio iij.

NEC áuferam omne regnum de manu ejus, sed ducem ponam eum cunctis diébus vitæ suæ, propter David servum meum, quem elégi, qui custodívit mandáta mea et præcépta mea. Auferam autem regnum de manu fílii ejus, et dabo tibi decem tribus : fílio autem ejus dabo tribum unam.

FERIA SEXTA.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 11. et cap. 12.

DORMIVITQUE Sálomon cum pátribus suis, et sepúltus est in civitáte David patris sui, regnavítque Róboam fílius ejus pro eo. Venit autem Róboam in Sichem : illuc enim congregátus erat omnis Israel ad constituéndum eum regem. At vero Jeróboam fílius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto prófugus a fácie regis Salomónis, audíta morte ejus, revérsus est de Ægypto. Miserúntque, et vocavérunt eum.

Lectio ij.

VENIT ergo Jeróboam, et omnis multitúdo Israel, et locúti sunt ad Róboam, dicéntes : Pater tuus duríssimum jugum impósuit nobis : tu ítaque nunc immínue páululum de império patris tui duríssimo, et de jugo graviíssimo, quod impósuit nobis, et serviémus tibi. Qui ait eis : Ite usque ad tértium diem, et revertímini ad me.

Lectio iij.

CUMQUE abiísset pópulus, íniit consílium rex Róboam cum senióribus, qui assistébant coram Salomóne patre ejus, cum adhuc víveret, et ait : Quod datis mihi consílium, ut respóndeam pópulo huic? Qui dixérunt ei : Si hódie obedíeris pópulo huic, et servíeris, et petitióni eórum césseris, locutúsque fúeris ad eos verba lénia, erunt tibi servi cunctis diébus.

SABBATO.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 12.

VENIT ergo Jeróboam, et omnis pópulus ad Róboam die tértia, sicut locútus fúerat rex, dicens : Revertímini ad me die tértia. Respondítque rex pópulo dura, derelícto consílio seniórum, quod ei déderant, et locútus est eis secúndum consílium júvenum, dicens : Pater meus aggravávit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro : pater meus cecídit vos flagéllis, ego autem cædam vos scorpiónibus.

Lectio ij.

ET non acquiévit rex pópulo : quóniam aversátus fúerat eum Dóminus, ut suscitáret verbum suum, quod locútus

fúerat in manu Ahíæ Silonítæ, ad Jeróboam fílium Nabat. Videns ítaque pópulus quod noluísset eos audíre rex, respóndit ei dicens : Quæ nobis pars in David? vel quæ heréditas in fílio Isai? Vade in tabernácula tua Israel, nunc vide domum tuam David.

Lectio iij.

ET ábiit Israel in tabernácula sua. Super fílios autem Israel, quicúmque habitábant in civitátibus Juda, regnávit Róboam. Misit ergo rex Róboam Adúram, qui erat super tribúta : et lapidávit eum omnis Israel, et mórtuus est. Porro rex Róboam festinus ascendit currum, et fugit in Jerúsalem.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Dixítque David ad Dóminum, cum vidísset Angelum cædéntem pópulum : Ego sum qui peccávi, ego iníque egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt?

Oratio.

DEUS, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstas; multíplica super nos misericórdiam tuam : ut ad tua promíssa curréntes cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per.

DOMINICA VIII.
POST OCT. TRINITATIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber quartus Regum.

Lectio j. Cap. 1.

PRÆVARICATUS est autem Moab in Israel, postquam mórtuus est Achab. Cecidítque Ochozías per cancéllos cenáculi sui, quod habébat in Samária, et ægrotávit : misítque núntios, dicens ad eos : Ite, consúlite Beélzebub Deum Accaron, utrum vívere queam de infirmitáte mea hac. Angelus autem Dómini locútus est ad Elíam Thesbiten, dicens : Surge, et ascénde in occúrsum nuntiórum regis Samáriæ, et dices ad eos : Numquid non est Deus in Israel, ut eátis ad consuléndum Beélzebub deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dóminus : De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris.

Lectio ij.

ET ábiit Elías. Reversíque sunt núntii ad Ochozíam. Qui dixit eis : Quare revérsi estis? At illi respondérunt ei : Vir occúrrit nobis, et dixit ad nos : Ite, et revertímini ad regem, qui misit vos, et dicétis ei : Hæc dicit Dóminus : Numquid, quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulátur Beélzebub deus Accaron? Idcírco de léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris.

Lectio iij.

QUI dixit eis : Cujus figúræ et hábitus est vir ille, qui occúrrit vobis, et locútus est verba hæc? At illi dixérunt : Vir pilósus, et zona pellícea accinctus rénibus. Qui ait : Elías Thesbítes est. Misítque ad eum quinquagenárium princípem, et quinquagínta qui erant sub eo. Qui ascéndit ad eum : sedentíque in vértice montis, ait : Homo Dei, rex

præcépit ut descéndas. Respondensque Elías, dixit quinquagenário : Si homo Dei sum, descéndat ignis de cælo, et dévoret te, et quinquagínta tuos. Descéndit ítaque ignis de cælo, et devorávit eum, et quinquagínta qui erant cum eo.

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 1.

ITERUM misit príncipem quinquagenárium tértium, et quinquagínta qui erant cum eo. Qui cum venísset, curvávit génua contra Elíam, et precátus est eum, et ait : Homo Dei, noli despícere ánimam meam, et ánimas servórum tuórum qui mecum sunt. Ecce descéndit ignis de cælo, et devorávit duos príncipes quinquagenários primos, et quinquagénos, qui cum eis erant : sed nunc óbsecro ut misereáris ánimæ meæ.

Lectio ij.

LOCUTUS est autem Angelus Dómini ad Elíam, dicens : Descénde cum eo, ne tímeas. Surréxit ígitur, et descéndit cum eo ad regem, et locútus est ei : Hæc dicit Dóminus : Quia misísti núntios ad consuléndum Beélzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogáre sermónem, ideo de léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris.

Lectio iij.

MORTUUS est ergo juxta sermónem Dómini, quem locútus est Elías, et regnávit Joram frater ejus pro eo, anno secúndo Joram fílii Jósaphat regis Judæ : non enim habébat fílium. Réliqua autem verbórum Ochozíæ, quæ operátus est, nonne hæc scripta sunt in Libro sermónum diérum regum Israel?

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 2.

FACTUM est autem, cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, ibant Elías et Eliséus de Gálgalis. Dixítque Elías ad Eliséum : Sede hic, quia Dóminus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliséus : Vivit Dóminus, et vivit ánima tua, quia non derelínquam te. Cumque descendíssent Bethel, egréssi sunt fílii prophetárum, qui erant in Bethel, ad Eliséum, et dixérunt ei : Numquid nosti, quia hódie Dóminus tollet dóminum tuum a te? Qui respóndit : Et ego novi : siléte.

Lectio ij.

DIXIT autem Elías ad Eliséum : Sede hic, quia Dóminus misit me in Jéricho. Et ille ait : Vivit Dóminus, et vivit ánima tua, quia non derelínquam te. Cumque veníssent Jéricho, accessérunt fílii prophetárum, qui erant in Jéricho, ad Eliséum, et dixérunt ei : Numquid nosti, quia Dóminus hódie tollet dóminum tuum a te? Et ait : Et ego novi : siléte.

Lectio iij.

DIXIT autem ei Elías : Sede hic, quia Dóminus misit me usque ad Jordánem. Qui ait : Vivit Dóminus, et vivit

ánima tua, quia non derelínquam te. Iérunt ígitur ambo páriter, et quinquagínta viri de fíliis prophetárum secúti sunt eos, qui et stetérunt e contra, longe : illi autem ambo stabant super Jordánem.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 2.

TULITQUE Elías pállium suum, et invólvit illud, et percússit aquas, quæ divisæ sunt in utrámque partem, et transiérunt ambo per siccum. Cumque transíssent, Elías dixit ad Eliséum : Póstula quod vis ut fáciam tibi, ántequam tollar a te. Dixítque Eliséus : Obsecro ut fiat in me duplex spíritus tuus.

Lectio ij.

QUI respóndit : Rem difficilem postulásti : áttamen si víderis me, quando tollar a te, erit tibi quod petísti : si autem non víderis, non erit. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque : et ascéndit Elías per túrbinem in cælum, Eliséus autem vidébat, et clamábat : Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus.

Lectio iij.

ET non vidit eum ámplius : apprehendítque vestiménta sua, et scidit illa in duas partes. Et levávit pállium Elíæ, quod cecíderat ei : reversúsque stetit super ripam Jordánis, et pállio Elíæ, quod cecíderat ei, percússit aquas, et non sunt divísæ. Et dixit : Ubi est Deus Elíæ étiam nunc? Percussítque aquas, et divísæ sunt huc, atque illuc, et tránsiit Eliséus.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 6.

DIXERUNT autem fílii prophetárum ad Eliséum : Ecce locus, in quo habitámus coram te, angústus est nobis. Eámus usque ad Jordánem, et tollant sínguli de silva matérias síngulas, ut ædificémus nobis ibi locum ad habitándum. Qui dixit : Ite. Et ait unus ex illis : Veni ergo et tu cum servis tuis. Respóndit : Ego véniam. Et ábiit cum eis.

Lectio ij.

CUMQUE veníssent ad Jordánem, cædébant ligna. Accidit autem, ut cum unus matériam succidísset, cáderet ferrum secúris in aquam : exclamavítque ille, et ait : Heu heu heu dómine mi, et hoc ipsum mútuo accéperam. Dixit autem homo Dei : Ubi cécidit? At ille monstrávit ei locum. Præcídit ergo lignum, et misit illuc: natavítque ferrum, et ait : Tolle. Qui exténdit manum, et tulit illud.

Lectio iij.

REX autem Syriæ pugnábat contra Israel, consiliúmque íniit cum servis suis, dicens : In loco illo, et illo ponámus insídias. Misit ítaque vir Dei ad regem Israel, dicens : Cave ne tránseas in locum illum : quia ibi Syri in insídiis sunt. Misit ítaque rex Israel ad locum, quem díxerat ei vir Dei, et præoccupávit eum, et observávit se ibi non semel neque bis.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 6.

CONSURGENS autem dilúculo minister viri Dei, egréssus, vidit exércitum in circúitu civitátis, et equos et currus: nuntiavítque ei, dicens: Heu heu heu dómine mi, quid faciémus? At ille respóndit: Noli timére: plures enim nobíscum sunt, quam cum illis. Cumque orásset Eliséus, ait: Dómine, áperi óculos hujus, ut vídeat.

Lectio ij.

ET apéruit Dóminus óculos púeri, et vidit: et ecce mons plenus equórum, et cúrruum igneórum, in circúitu Eliséi. Hostes vero descendérunt ad eum. Porro Eliséus orávit ad Dóminum, dicens: Pércute, óbsecro, gentem hanc cæcitáte. Percussítque eos Dóminus, ne vidérent, juxta verbum Eliséi. Dixit autem ad eos Eliséus: Non est hæc via, neque ista est cívitas: sequímini me, et osténdam vobis virum, quem quæritis.

Lectio iij.

DUXIT ergo eos in Samáriam. Cumque ingréssi fuíssent in Samáriam, dixit Eliséus: Dómine áperi óculos istórum, ut vídeant. Aperuítque Dóminus óculos eórum, et vidérunt se esse in médio Samáriæ. Dixítque rex Israel ad Eliséum, cum vidísset eos: Numquid percútiam eos, pater mi? At ille ait: Non percúties: neque enim cepísti eos gládio, et arcu tuo.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 8.

ELISEUS autem locútus est ad mulíerem, cujus vívere fécerat fílium, dicens: Surge, vade tu et domus tua, et peregrináre ubicúmque repéreris: vocávit enim Dóminus famem, et véniet super terram septem annis. Quæ surréxit, et fecit juxta verbum hóminis Dei: et vadens cum domo sua, peregrináta est in terra Philísthiim diébus multis.

Lectio ij.

CUMQUE finíti essent anni septem, revérsa est múlier de terra Philísthiim: et egréssa est ut interpelláret regem pro domo sua, et pro agris suis. Rex autem loquebátur cum Giezi púero viri Dei, dicens: Narra mihi ómnia magnália quæ fecit Eliséus. Cumque ille narráret regi quo modo mórtuum suscitásset, appáruit múlier, cujus vivificáverat fílium, clamans ad regem pro domo sua, et pro agris suis.

Lectio iij.

DIXITQUE Giezi: Dómine mi rex, hæc est múlier, et hic est fílius ejus, quem suscitávit Eliséus. Et interrogávit rex mulíerem: quæ narrávit ei. Dedítque ei rex eunúchum unum, dicens: Restítue ei ómnia quæ sua sunt, et univérsos réditus agrórum a die, qua relíquit terram usque ad præsens.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Montes Gélboe, nec ros, nec plúvia vé-

niant super vos : quia ibi abjéctus est clypeus fórtium, clypeus Saul, quasi non esset unctus óleo. Quómodo cecidérunt fortes in prœlio? Jónathas in excélsis tuis interféctus est. Saul et Jónathas amábiles, et decóri valde in vita sua, in morte quoque non sunt separáti. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ et mérita súpplicum excédis et vota; effúnde super nos misericórdiam tuam : ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit. Per.

DOMINICA IX.
POST OCT. TRINITATIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 8.

VENIT quoque Eliséus Damáscum, et Bénadad rex Syriæ ægrotábat : nuntiavertúntque ei, dicéntes : Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Házael: Tolle tecum múnera, et vade in occúrsum viri Dei, et cónsule Dóminum per eum, dicens: Si evádere pótero de infirmitáte mea hac? Ivit ígitur Házael in occúrsum ejus, habens secum múnera, et ómnia bona Damásci, ónera quadragínta camelórum. Cumque stetísset coram eo, ait : Fílius tuus Bénadad rex Syriæ misit me ad te, dicens : Si sanári pótero de infirmitáte mea hac?

Lectio ij.

DIXITQUE ei Eliséus : Vade, dic ei : Sanáberis : porro osténdit mihi Dóminus quia morte moriétur. Stetítque cum eo, et conturbátus est usque ad suffusiónem vultus : flevítque vir Dei. Cui Házael ait : Quare dóminus meus flet? At ille dixit: Quia scio quæ factúrus sis fíliis Israel mala. Civitátes eórum munítas igne succéndes, et júvenes eórum interfícies gládio, et párvulos eórum elídes, et prægnántes dívides.

Lectio iij.

DIXITQUE Házael : Quid enim sum servus tuus canis, ut fáciam rem istam magnam? Et ait Eliséus : Osténdit mihi Dóminus te regem Syriæ fore. Qui cum recessísset ab Eliséo, venit ad dóminum suum. Qui ait ei : Quid dixit tibi Eliséus? At ille respóndit : Dixit mihi : Recípies sanitátem. Cumque venísset dies áltera, tulit strágulum, et infúdit aquam, et expándit super fáciem ejus : quo mórtuo, regnávit Házael pro eo.

FERIA SECUNDA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 13.

ELISEUS autem ægrotábat infirmitáte, qua et mórtuus est : descendítque ad eum Joas rex Israel, et flebat coram eo, dicebátque : Pater mi, pater mi, currus Israel, et auríga ejus. At ait illi Eliséus : Affer arcum, et sagíttas. Cumque attulísset ad eum arcum, et sagíttas, dixit ad regem Israel : Pone manum tuam super arcum. Et cum posuísset ille manum suam, superpósuit Eliséus manus suas mánibus regis, et ait : Aperi fenéstram oriéntálem.

Lectio ij.

CUMQUE aperuísset, dixit Eliséus : Jace sagíttam. Et jecit. Et ait Eliséus : Sagítta salútis Dómini, et sagítta salútis contra Syriam : percutiésque Syriam in Aphec, donec consúmas eam. Et ait : Tolle sagíttas. Qui cum tulísset, rursum dixit ei : Pércute jáculo terram. Et cum percussísset tribus vícibus, et stetísset, irátus est vir Dei contra eum, et ait : Si percussísses quínquies, aut séxies, sive sépties, percussísses Syriam usque ad consumptiónem : nunc autem tribus vícibus percúties eam.

Lectio iij.

MORTUUS est ergo Eliséus, et sepeliérunt eum. Latrúnculi autem de Moab venérunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepeliéntes hóminem, vidérunt latrúnculos, et projecérunt cadáver in sepúlcro Eliséi. Quod cum tetigísset ossa Eliséi, revíxit homo, et stetit super pedes suos.

FERIA TERTIA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 18.

ANNO tértio Osée fílii Ela regis Israel, regnávit Ezechías fílius Achaz regis Juda. Vigínti quinque annórum erat, cum regnáre cœpísset : et vigínti novem annis regnávit in Jerúsalem : nomen matris ejus Abi filia Zacharíæ. Fecítque quod erat bonum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat David pater ejus. Ipse dissipávit excélsa, et contrivit státuas, et succídit lucos.

Lectio ij.

CONFREGITQUE serpéntem æneum, quem fécerat Móyses : síquidem usque ad illud tempus fílii Israel adolébant ei incénsum : vocavítque nomen ejus Nohéstan. In Dómino Deo Israel sperávit : ítaque post eum non fuit símilis ei de cunctis régibus Juda, sed neque in his, qui ante eum fuérunt : et adhæsit Dómino, et non recéssit a vestígiis ejus, fecítque mandáta ejus, quæ præcéperat Dóminus Móysi.

Lectio ij.

UNDE et erat Dóminus cum eo, et in cunctis, ad quæ procedébat, sapiénter se agébat. Rebellávit quoque contra regem Assyriórum, et non servívit ei. Ipse percússit Philisthæos usque ad Gazam, et omnes términos eórum, a Turre custódum usque ad Civitátem munítam. Anno quarto regis Ezechíæ, qui erat annus séptimus Osée fílii Ela regis Israel, ascéndit Salmánasar rex Assyriórum in Samáriam, et oppugnávit eam, et cepit.

FERIA QUARTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 20.

RELIQUA autem sermónum Ezechíæ, et omnis fortitúdo ejus, et quómodo fécerit piscínam, et aquædúctum, et introdúxerit aquas in civitátem, nonne hæc scripta sunt in Libro sermónum diérum regum Juda? Dormivítque Ezechías cum pátribus suis, et regnávit Manásses fílius ejus pro eo.

Lectio ij. Cap. 21.

DUODECIM annórum erat Manásses cum regnáre cœpísset, et quinquagínta quinque annis regnávit in Jerúsalem : nomen matris ejus Haphsíba. Fecítque malum in conspéctu Dómini, juxta idóla géntium, quas delévit Dóminus a fácie filiórum Israel. Conversúsque est, et ædificávit excélsa, quæ dissipáverat Ezechias pater ejus.

Lectio iij.

ET eréxit aras Baal, et fecit lucos sicut fécerat Achab rex Israel, et adorávit omnem milítiam cæli, et cóluit eam. Exstruxítque aras in domo Dómini, de qua dixit Dóminus : In Jerúsalem ponam nomen meum. Et exstrúxit altária univérsæ milítiæ cæli in duóbus átriis templi Dómini. Et tradúxit fílium suum per ignem : et ariolátus est, et observávit augúria, et fecit pythónes.

FERIA QUINTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 23.

ASCENDITQUE rex (Josías) templum Dómini, et omnes viri Juda, universíque qui habitábant in Jerúsalem cum eo sacerdótes et prophétæ, et omnis pópulus a parvo usque ad magnum : legítque cunctis audiéntibus ómnia verba libri fœderis, qui invéntus est in domo Dómini. Stetítque rex super gradum : et fœdus percússit coram Dómino, ut ambulárent post Dóminum, et custodírent præcépta ejus, et testimónia, et cæremónias in omni corde, et in tota ánima, et suscitárent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo : acquievítque pópulus pacto.

Lectio ij.

ET præcépit rex Helcíæ pontífici, et sacerdótibus secúndi órdinis, et janitóribus, ut projícerent de templo Dómini ómnia vasa, quæ facta fúerant Baal, et in luco, et univérsæ milítiæ cæli : et combússit ea foris Jerúsalem in Conválle cedron, et tulit púlverem eórum in Bethel.

Lectio iij.

ET delévit arúspices, quos posúerant reges Juda ad sacrificándum in excélsis per civitátes Juda, et in circúitu Jerúsalem : et eos, qui adolébant incénsum Baal, et Soli, et Lunæ, et duódecim signis, et omni milítiæ cæli. Et efférri fecit lucum de domo Dómini foras Jerúsalem in Conválle cedron, et combússit eum ibi, et redégit in púlverem, et projécit super sepúlcra vulgi.

FERIA SEXTA.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 23.

INSUPER et altáre, quod erat in Bethel, et excélsum, quod fécerat Jeróboam fílius Nabat, qui peccáre fecit Israel : et altáre illud, et excélsum destrúxit, atque combússit, et comminuit in púlverem, succenditque étiam lucum. Et convérsus Josías, vidit ibi sepúlcra, quæ erant in monte : misítque et tulit ossa de sepúlcris, et combússit ea super altáre, et pólluit illud juxta verbum Dómini, quod locútus est vir Dei, qui prædíxerat verba hæc.

Lectio ij.

ET ait : Quis est títulus ille, quem vídeo? Responderúntque ei cives urbis illíus : Sepúlcrum est hóminis Dei, qui venit de Juda, et prædíxit verba hæc, quæ fecísti super altáre Bethel. Et ait : Dimíttite eum, nemo commóveat ossa ejus. Et intácta mansérunt ossa illíus cum óssibus prophétæ, qui vénerat de Samária.

Lectio iij.

SED et pythónes, et aríolos, et figúras idolórum, et immundítias, et abominatiónes, quæ fúerant in terra Juda et Jerúsalem, ábstulit Josías : ut statúeret verba legis, quæ scripta sunt in Libro, quem invénit Helcías sacérdos in templo Dómini. Símilis illi non fuit ante eum rex, qui reverterétur ad Dóminum in omni corde suo, et in tota ánima sua, et in univérsa virtúte sua.

SABBATO.

De libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 24. et cap. 25.

RECESSITQUE Sedecías a rege Babylónis. Factum est autem anno nono regni ejus, mense décimo, décima die mensis, venit Nabuchodónosor rex Babylónis, ipse et omnis exércitus ejus in Jerúsalem, et circumdedérunt eam : et exstruxérunt in circúitu ejus munitiónes. Et clausa est cívitas atque valláta usque ad undécimum annum regis Sedecíæ, nona die mensis : prævaluítque fames in civitáte, nec erat panis pópulo terræ.

Lectio ij.

ET interrúpta est cívitas : et omnes viri bellatóres nocte fugérunt per viam portæ, quæ est inter dúplicem murum ad hortum regis (porro Chaldæi obsidébant in circúitu civitátem) : fugit ítaque Sedecías per viam, quæ ducit ad campéstria solitúdinis. Et persecútus est exércitus Chaldæórum regem, comprehendítque eum in planítie Jéricho.

Lectio iij.

ET omnes bellatóres, qui erant cum eo, dispérsi sunt, et reliquérunt eum. Apprehénsum ergo regem duxérunt ad regem Babylónis in Réblatha : qui locútus est cum eo judícium. Fílios autem Sedecíæ occídit coram eo, et óculos ejus effódit, vinxítque eum caténis, et addúxit in Babylónem.

SABBATO
ANTE DOMINICAM I. AUGUSTI.

AD VESPERAS.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi : in omni gente, et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum. Glória. Superbórum.

Ad Magnificat Aña. Omnis sapiéntia a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper et est ante ævum.

¶ In hoc Sabbato et deinceps in Sabbatis usque ad Adventum dicatur in Vesperis Oratio

Dominicæ post Octavam Trinitatis quæ in crastinum occurrerit, ut ad calcem Hebdomadæ quintæ Novembris respective notatum est.

DOMINICA I. AUGUSTI.

IN I. NOCTURNO.

Incípiunt
Parábolæ Salomónis.

Lectio j. Cap. 1.

PARABOLÆ Salomónis, fílii David, regis Israel. Ad sciéndam sapiéntiam, et disciplínam : ad intelligénda verba prudéntiæ : et suscipiéndam eruditiónem doctrínæ, justítiam, et judícium, et æquitátem : ut detur párvulis astútia, adolescénti sciéntia, et intellectus. Audiens sápiens, sapiéntior erit : et intélligens, gubernácula possidébit. Animadvértet parábolam, et interpretatiónem, verba sapiéntum, et ænigmata eórum.

℟. j. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abyssos constitúeret, priúsquam produ̇ceret fontes aquárum, ántequam montes collocaréntur, * Ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Ante omnes colles.

℣ Hæc Historia In princípio. legatur hodie, et in aliis sequentibus Dominicis, quando de eis agitur, usque ad j. Dominicam Septembris.

Lectio ij.

TIMOR Dómini princípium sapiéntiæ. Sapiéntiam, atque doctrínam stulti despíciunt. Audi, fili mi, disciplínam patris tui, et ne dimíttas legem matris tuæ : ut addátur grátia cápiti tuo, et torques collo tuo. Fili mi, si te lactáverint peccatóres, ne acquiéscas eis. Si díxerint : Veni nobíscum, insidiémur sánguini, abscondámus tendículas contra insóntem frustra : deglutiámus eum sicut inférnus vivéntem, et íntegrum quasi descendéntem in lacum.

℟. ij. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi : in omni gente, et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

Lectio iij.

OMNEM pretiósam substántiam reperiémus, implébimus domos nostras spóliis. Sortem mitte nobíscum, marsúpium unum sit ómnium nostrum. Fili mi, ne ámbules cum eis, próhibe pedem tuum a sémitis eórum. Pedes enim illórum ad malum currunt, et festínant ut effúndant sánguinem. Frustra autem jácitur rete ante óculos pennatórum. Ipsi quoque contra sánguinem suum insidiántur, et moliúntur fraudes contra ánimas suas.

℟. iij. Emítte Dómine sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret, * Ut sciam quid accéptum sit coram te Omni témpore. ℣. Da mihi Dómine sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut sciam. Glória. Omni témpore.

IN II. NOCTURNO.

℟. iv. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

℟. v. Dómine pater, et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extollántiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malignum avérte a me, Dómine : aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, et multiplicéntur delícta mea. — Et ánimo.

℟. vj. Super salútem et omnem pulchritúdinem diléxi sapiéntiam, et propósui pro luce habére illam : * Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Dixi sapiéntiæ, soror mea es : et prudéntiam vocávi amícam meam. — Venérunt. Glória Patri. Venérunt.

IN III. NOCTURNO.

℟. vij. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * Laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Laudátio.

℟. viij. Magna enim sunt judícia tua Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum, et honorásti. ℣. Deduxísti sicut oves pópulum tuum, in manu Móysi et Aaron. — Magnificásti.

℟. ix. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias, et paupertátem ne déderis mihi : Sed tantum victui meo tribue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi ántequam móriar. — Divítias. Glória. Sed tantum víctui meo.

¶ Hoc ℟. ix. Verbum iníquum. semel lecto, loco illius in sequentibus Dominicis hujus mensis dicitur

℟. ix. Honor, virtus, et potéstas, et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. — In perénni. Glória. In perénni.

FERIA SECUNDA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 6.

SEX sunt, quæ odit Dóminus, et séptimum detestátur ánima ejus : Oculos sublímes, linguam mendácem, manus effundéntes innóxium sánguinem, cor máchinans cogitatiónes péssimas, pedes velóces ad curréndum in malum, proferéntem mendácia testem fallácem, et eum, qui séminat inter fratres discórdias. Consérva fili mi præcépta patris tui, et ne dimíttas legem matris tuæ.

Lectio ij.

LIGA ea in corde tuo júgiter, et circumda gútturi tuo. Cum ambulávéris, gradiántur tecum : cum dormíeris, custódiant te, et evígilans lóquere

cum eis. Quia mandátum lucérna est, et lex lux, et via vitæ increpátio disciplinæ : ut custódiant te a mulíere mala, et a blanda lingua extráneæ. Non concupíscat pulchritúdinem ejus cor tuum, nec capiáris nútibus illíus.

Lectio iij.

NON grandis est culpa, cum quis furátus fúerit : furátur enim ut esuriéntem ímpleat ánimam : deprehénsus quoque reddet séptuplum, et omnem substántiam domus suæ tradet. Qui autem adúlter est, propter cordis inópiam perdet ánimam suam : turpitúdinem et ignomíniam cóngregat sibi, et oppróbrium illíus non delébitur.

FERIA TERTIA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 9.

SAPIENTIA ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Venite, comédite panem meum, et bibite vinum quod míscui vobis.

Lectio ij.

RELINQUITE infántiam, et vívite, et ambuláte per vias prudéntiæ. Qui érudit derisórem, ipse injúriam sibi facit : et qui árguit ímpium, sibi máculam génerat. Noli argúere derisórem, ne óderit te. Argue sapiéntem, et díliget te. Da sapiénti occasiónem, et addétur ei sapiéntia.

Lectio iij.

DOCE justum, et festinábit accípere. Princípium sapiéntiæ timor Dómini : et sciéntia sanctórum, prudéntia. Per me enim multiplicabúntur dies tui, et addéntur tibi anni vitæ. Si sápiens fúeris, tibimetípsi eris : si autem illúsor, solus portábis malum.

FERIA QUARTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 16.

HOMINIS est ánimam præparáre : et Dómini gubernáre linguam. Omnes viæ hóminis patent óculis ejus : spirituum ponderátor est Dóminus. Revéla Dómino ópera tua, et dirigéntur cogitatiónes tuæ. Univérsa propter semetípsum operátus est Dóminus : ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Dómini est omnis árrogans : étiam si manus ad manum fúerit, non est ínnocens.

Lectio ij.

INITIUM viæ bonæ, fácere justítiam : accépta est autem apud Deum magis, quam immoláre hóstias. Misericórdia et veritáte redímitur iníquitas : et in timóre Dómini declinátur a malo. Cum placúerint Dómino viæ hóminis, inimícos quoque ejus convértet ad pacem. Mélius est parum cum justítia, quam multi fructus cum iniquitáte.

Lectio iij.

COR hóminis dispónit viam suam : sed Dómini est dirígere gressus ejus. Divinátio in lábiis regis, in judício non errábit os ejus. Pondus et statéra judícia Dómini sunt :

et ópera ejus omnes lápides sácculi. Abominábiles regi qui agunt ímpie : quóniam justítia firmátur sólium. Volúntas regum lábia justa : qui recta lóquitur, diligétur.

FERIA QUINTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 18.

OCCASIONES quærit qui vult recédere ab amíco : omni témpore erit exprobrábilis. Non récipit stultus verba prudéntiæ : nisi ea díxeris quæ versántur in corde ejus. Impius, cum in profúndum vénerit peccatórum, contémnit : sed séquitur eum ignomínia et oppróbrium. Aqua profúnda verba ex ore viri : et torrens redúndans fons sapiéntiæ.

Lectio ij.

ACCIPERE persónam ímpii non est bonum, ut declínes a veritáte judícii. Lábia stulti miscent se rixis : et os ejus júrgia próvocat. Os stulti contrítio ejus : et lábia ipsíus, ruína ánimæ ejus. Verba bilínguis, quasi simplícia : et ipsa pervéniunt usque ad interióra ventris. Pigrum déjicit timor : ánimæ autem effeminatórum esúrient.

Lectio iij.

QUI mollis et dissolútus est in ópere suo, frater est sua ópera dissipántis. Turris fortíssima, nomen Dómini : ad ipsum currit justus, et exaltábitur. Substántia dívitis urbs róboris ejus, et quasi murus válidus circumdans eum. Antequam conterátur, exaltátur cor hóminis : et ántequam glorificétur, humiliátur. Qui prius respóndet quam áudiat, stultum se esse demónstrat, et confusióne dignum.

FERIA SEXTA.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 22.

MELIUS est nomen bonum, quam divítiæ multæ : super argéntum et aurum, grátia bona. Dives, et pauper obviavérunt sibi : utriúsque operátor est Dóminus. Cállidus vidit malum, et abscóndit se : ínnocens pertránsiit, et afflíctus est damno. Finis modéstiæ timor Dómini, divítiæ et glória et vita.

Lectio ij.

ARMA et gládii in via pervérsi : custos autem ánimæ suæ longe recédit ab eis. Provérbium est : Adoléscens juxta viam suam, étiam cum senúerit, non recédet ab ea. Dives paupéribus ímperat : et qui áccipit mútuum, servus est fenerántis. Qui séminat iniquitátem, metet mala, et virga iræ suæ consummábitur.

Lectio iij.

QUI pronus est ad misericórdiam, benedicétur : de pánibus enim suis dedit páuperi. Victóriam et honórem acquíret qui dat múnera : ánimam autem aufert accipiéntium. Ejice derisórem, et exíbit cum eo júrgium, cessabúntque causæ et contuméliæ. Qui díligit cordis mundítiam, propter grátiam labiórum suórum habébit amícum regem.

SABBATO.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 23.

AUDI fili mi, et esto sápiens : et dírige in via ánimum tuum. Noli esse in convíviis potatórum, nec in comessatiónibus eórum, qui carnes ad vescéndum cónferunt : quia vacántes pótibus, et dantes symbola consuméntur, et vestiétur pannis dormitátio. Audi patrem tuum, qui génuit te : et ne contémnas cum senúerit mater tua.

Lectio ij.

VERITATEM eme, et noli véndere sapiéntiam, et doctrínam, et intelligéntiam. Exsúltat gáudio pater justi : qui sapiéntem génuit, lætábitur in eo. Gáudeat pater tuus, et mater tua, et exsúltet quæ génuit te. Præbe fili mi cor tuum mihi : et óculi tui vias meas custódiant. Fóvea enim profúnda est méretrix : et púteus angústus, aliéna.

Lectio iij.

INSIDIATUR in via quasi latro, et quos incáutos víderit, interficiet. Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui fóveæ? cui sine causa vúlnera? cui suffúsio oculórum? Nonne his, qui commoránturin vino, et student calícibus epotándis? Ne intueáris vinum quando flavéscit, cum splendúerit in vitro color ejus : ingréditur blande, sed in novíssimo mordébit ut cóluber, et sicut régulus venéna diffúndet.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem, súbdidit sibi gentes, superborúmque et sublímium colla própria virtúte calcávit.

DOMINICA II. AUGUSTI.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 1.

VERBA Ecclesiástæ, fílii David, regis Jerúsalem : Vánitas vanitátum, dixit Ecclesiástes : vánitas vanitátum, et ómnia vánitas. Quid habet ámplius homo de univérso labóre suo, quo labórat sub sole? Generátio præterit, et generátio ádvenit : terra autem in ætérnum stat. Oritur sol, et óccidit, et ad locum suum revértitur : ibíque renáscens, gyrat per merídiem, et fléctitur ad aquilónem : lustrans univérsa in circúitu pergit spíritus, et in círculos suos revértitur.

Lectio ij.

OMNIA flúmina intrant in mare, et mare non redúndat : ad locum, unde éxeunt flúmina, revertúntur ut íterum fluant. Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicáre sermóne. Non saturátur óculus visu, nec auris auditu implétur. Quid est quod fuit? ipsum quod futúrum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciéndum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dícere : Ecce hoc recens est : jam enim præcéssit in sæculis, quæ fuérunt ante nos.

Lectio iij.

NON est priórum memória : sed nec eórum quidem, quæ póstea futúra sunt, erit recordátio apud eos, qui futúri

sunt in novíssimo. Ego Ecclesiástes fui rex Israel in Jerúsalem, et propósui in ánimo meo quærere et investigáre sapiénter de ómnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupatiónem péssimam dedit Deus fíliis hóminum, ut occuparéntur in ea. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce univérsa vánitas, et afflíctio spíritus.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 3.

VIDI afflictiónem, quam dedit Deus fíliis hóminum, ut distendántur in ea. Cuncta fecit bona in témpore suo, et mundum trádidit disputatióni eórum, ut non invéniat homo opus, quod operátus est Deus ab initio usque ad finem. Et cognóvi quod non esset mélius nisi lætári, et fácere bene in vita sua.

Lectio ij.

OMNIS enim homo, qui cómedit et bibit, et videt bonum de labóre suo, hoc donum Dei est. Dídici quod ómnia ópera, quæ fecit Deus, persevérent in perpétuum. Non póssumus eis quidquam áddere, nec auférre, quæ fecit Deus ut timeátur. Quod factum est, ipsum pérmanet : quæ futúra sunt, jam fuérunt : et Deus instáurat quod ábiit.

Lectio iij.

VIDI sub sole in loco judícii impietátem, et in loco justítiæ iniquitátem. Et dixi in corde meo : Justum, et impium judicábit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. Dixi in corde meo de fíliis hóminum, ut probáret eos Deus, et osténderet símiles esse béstiis. Idcírco unus intéritus est hóminis, et jumentórum, et æqua utriúsque condítio.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 4.

MELIOR est puer pauper et sápiens, rege sene et stulto, qui nescit prævidére in pósterum. Quod de cárcere, catenísque intérdum quis egrediátur ad regnum : et álius natus in regno, inópia consumátur. Vidi cunctos vivéntes, qui ámbulant sub sole cum adolescénte secúndo, qui consúrget pro eo.

Lectio ij.

INFINITUS númerus est pópuli ómnium, qui fuérunt ante eum : et qui póstea futúri sunt, non lætabúntur in eo. Sed et hoc, vánitas et afflíctio spíritus. Custódi pedem tuum ingrédiens domum Dei, et appropínqua ut áudias. Multo enim mélior est obediéntia, quam stultórum víctimæ, qui nésciunt quid fáciunt mali.

Lectio iij. Cap. 5.

NE témere quid loquáris, neque cor tuum sit velox ad proferéndum sermónem coram Deo. Deus enim in cælo, et tu super terram : idcírco sint pauci sermónes tui. Multas curas sequúntur sómnia, et in multis sermónibus inveniétur stultítia. Si quid vovísti Deo, ne moréris réddere : dísplicet enim ei infidélis et stulta promíssio.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 7.

QUID necésse est hómini majóra se quærere, cum ignóret quid condúcat sibi in vita sua número diérum peregrinatiónis suæ, et témpore, quod velut umbra præterit? Aut quis ei póterit indicáre quid post eum futúrum sub sole sit? Mélius est nomen bonum, quam unguénta pretiósa : et dies mortis die nativitátis.

Lectio ij.

MELIUS est ire ad domum luctus, quam ad domum convívii : in illa enim finis cunctórum admonétur hóminum, et vivens cógitat quid futúrum sit. Mélior est ira risu : quia per tristítiam vultus corrigitur ánimus delinquéntis. Cor sapiéntium ubi tristítia est, et cor stultórum ubi lætítia.

Lectio iij.

MELIUS est a sapiénte córripi, quam stultórum adulatióne décipi : quia sicut sónitus spinárum ardéntium sub olla, sic risus stulti : sed et hoc vánitas. Calúmnia contúrbat sapiéntem, et perdet robur cordis illíus. Mélior est finis oratiónis, quam princípium. Mélior est pátiens arrogánte.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 9.

SUNT justi atque sapiéntes, et ópera eórum in manu Dei : et tamen nescit homo utrum amóre, an ódio dignus sit : sed ómnia in futúrum servántur incérta, eo quod univérsa æque evéniant justo et ímpio, bono et malo, mundo et immúndo, immolánti víctimas, et sacrifícia contemnénti.

Lectio ij.

SICUT bonus, sic et peccátor : ut perjúrus, ita et ille qui verum déjerat. Hoc est péssimum inter ómnia, quæ sub sole fiunt, quia éadem cunctis evéniunt. Unde et corda filiórum hóminum impléntur malítia, et contémptu in vita sua, et post hæc ad ínferos deducéntur. Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei hábeat fidúciam.

Lectio iij.

MELIOR est canis vivus leóne mórtuo. Vivéntes enim sciunt se esse moritúros, mórtui vero nihil novérunt ámplius, nec habent ultra mercédem : quia oblivióni trádita est memória eórum. Amor quoque, et ódium, et invídiæ simul periérunt, nec habent partem in hoc sæculo, et in ópere, quod sub sole géritur.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 10.

VÆ tibi terra, cujus rex puer est, et cujus príncipes mane cómedunt. Beáta terra, cujus rex nóbilis est, et cujus príncipes vescúntur in témpore suo ad reficiéndum, et non ad luxúriam. In pigrítiis humiliábitur contignátio : et in infirmitáte mánuum perstillábit domus. In risum fáciunt panem et vinum, ut epuléntur vivéntes : et pecúniæ obédiunt ómnia.

Lectio ij. Cap. 10. et cap. 11.

IN cogitatióne tua regi ne détrahas, et in secréto cubículi tui ne maledíxeris díviti : quia et aves cæli portábunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiábit sententiam. Mitte panem tuum super transeúntes aquas : quia post témpora multa invénies illum. Da partem septem, nec non et octo: quia ignóras quid futúrum sit mali super terram.

Lectio iij.

SI replétæ fúerint nubes, imbrem super terram effúndent. Si cecíderit lignum ad austrum, aut ad aquilónem, in quocúmque loco cecíderit, ibi erit. Qui obsérvat ventum, non séminat : et qui considerat nubes, nunquam metet. Quómodo ignóras quæ sit via spíritus, et qua ratióne compingántur ossa in ventre prægnántis; sic nescis ópera Dei, qui fabricátor est ómnium.

SABBATO.

De libro Ecclesiástæ.

Lectio j. Cap. 12.

MEMENTO Creatóris tui in diébus juventútis tuæ, ántequam véniat tempus afflictiónis, et appropínquent anni, de quibus dicas : Non mihi placent : ántequam tenebréscat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertántur nubes post plúviam : quando commovebúntur custódes domus, et nutábunt viri fortíssimi, et otiósæ erunt moléntes in minúto número, et tenebréscent vidéntes per forámina.

Lectio ij.

ET claudent óstia in platéa, in humilitáte vocis moléntis, et consúrgent ad vocem vólucris, et obsurdéscent omnes fíliæ cárminis. Excélsa quoque timébunt, et formidábunt in via, florébit amygdalus, impinguábitur locústa, et dissipábitur cápparis : quóniam ibit homo in domum æternitátis suæ, et circuíbunt in platéa plangéntes.

Lectio iij.

ANTEQUAM rumpátur funículus argénteus, et recúrrat vitta áurea, et conterátur hydria super fontem, et confringátur rota super cistérnam, et revertátur pulvis in terram suam unde erat, et spíritus rédeat ad Deum, qui dedit illum. Vánitas vanitátum, dixit Ecclesiástes, et ómnia vánitas. Cumque esset sapientíssimus Ecclesiástes, dócuit pópulum, et enarrávit quæ fécerat.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Sapiéntia clámitat in platéis : Si quis diligit sapiéntiam, ad me declínet, et eam invéniet : et eam cum invénerit, beátus erit, si tenúerit eam.

DOMINICA III. AUGUSTI.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 1.

DILIGITE justítiam, qui judicátis terram. Sentíte de Dómino in bonitáte, et in simplicitáte cordis quærite illum : quóniam invenítur ab his, qui

non tentant illum : appáret autem eis, qui fidem habent in illum. Pervérsæ enim cogitatiónes séparant a Deo : probáta autem virtus córripit insipiéntes. Quóniam in malévolam ánimam non introíbit sapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis.

Lectio ij.

SPIRITUS enim sanctus disciplínæ effúgiet fictum, et áuferet se a cogitatiónibus, quæ sunt sine intelléctu, et corripiétur a superveniénte iniquitáte. Benígnus est enim spíritus sapiéntiæ, et non liberábit malédicum a lábiis suis : quóniam renum illíus testis est Deus, et cordis illíus scrutátor est verus, et linguæ ejus auditor. Quóniam spíritus Dómini replévit orbem terrárum : et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis.

Lectio iij.

PROPTER hoc qui lóquitur iniqua, non potest latére, nec prætériet illum corrípiens judícium. In cogitatiónibus enim ímpii interrogátio erit : sermónum autem illíus audítio ad Deum véniet, ad correptiónem iniquitátum illíus. Quóniam auris zeli audit ómnia, et tumúltus murmuratiónum non abscondétur. Custodíte ergo vos a murmuratióne, quæ nihil prodest, et a detractióne párcite linguæ.

FERIA SECUNDA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 2.

DIXERUNT (ímpii) cogitántes apud se non recte : Exíguum, et cum tædio est témpus vitæ nostræ, et non est refrigérium in fine hóminis, et non est qui ágnitus sit revérsus ab ínferis : quia ex níhilo nati sumus, et post hoc érimus tamquam non fuérimus : quóniam fumus flatus est in náribus nostris : et sermo scintílla ad commovéndum cor nostrum : qua exstíncta, cinis erit corpus nostrum, et spíritus diffundétur tamquam mollis aer.

Lectio ij.

ET transíbit vita nostra tamquam vestígium nubis, et sicut nébula dissolvétur, quæ fugáta est a rádiis solis, et a calóre illíus aggraváta : et nomen nostrum oblivióne accípiet per tempus, et nemo memóriam habébit óperum nostrórum. Umbræ enim tránsitus est tempus nostrum, et non est revérsio finis nostri : quóniam consignáta est, et nemo revértitur.

Lectio iij.

VENITE ergo, et fruámur bonis quæ sunt, et utámur creatúra tamquam in juventúte celériter. Vino pretióso, et unguéntis nos impleámus : et non prætéreat nos flos témporis. Coronémus nos rosis, ántequam marcéscant : nullum pratum sit, quod non pertránseat luxúria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxúriæ nostræ.

FERIA TERTIA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 9.

MITTE (sapiéntiam) de cælis sanctis tuis, et a sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret, ut sciam quid accéptum sit apud te :

scit enim illa ómnia, et intélligit, et dedúcet me in opéribus meis sóbrie, et custódiet me in sua poténtia. Et erunt accépta ópera mea, et dispónam pópulum tuum juste, et ero dignus sédium patris mei.

Lectio ij.

QUIS enim hóminum póterit scire consílium Dei? aut quis póterit cogitáre quid velit Deus? Cogitatiónes enim mortálium tímidæ, et incértæ providéntiæ nostræ. Corpus enim, quod corrúmpitur, ággravat ánimam, et terréna inhabitátio déprimit sensum multa cogitántem.

Lectio iij.

ET difficile æstimámus quæ in terrra sunt : et quæ in prospéctu sunt, invenímus cum labóre. Quæ autem in cælis sunt quis investigábit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, et míseris spíritum sanctum tuum de altíssimis : et sic corréctæ sint sémitæ eórum, qui sunt in terris, et quæ tibi placent didícerint hómines?

FERIA QUARTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 9. et cap. 10.

PER sapiéntiam sanáti sunt quicúmque placuérunt tibi Dómine a princípio. Hæc illum, qui primus formátus est a Deo pater orbis terrárum, cum solus esset creátus, custodívit, et edúxit illum a delícto suo, et dedit illi virtútem continéndi ómnia. Ab hac ut recéssit injústus in ira sua, per iram homicídii fratérni depériit. Propter quem, cum aqua deléret terram, sanávit íterum sapiéntia, per contemptíbile lignum justum gubérnans.

Lectio ij.

HÆC et in consénsu nequítiæ cum se natiónes contulíssent, scivit justum, et conservávit sine queréla Deo, et in fílii misericórdia sortem custodívit. Hæc justum a pereúntibus ímpiis liberávit fugiéntem, descendénte igne in pentápolim : quibus in testimónium nequítiæ fumigabúnda constat desérta terra, et incérto témpore fructus habéntes árbores, et incredíbilis ánimæ memória stans figméntum salis.

Lectio iij.

SAPIENTIAM enim præteréuntes non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorárent bona, sed et insipiéntiæ suæ reliquérunt homínibus memóriam, ut in his, quæ peccavérunt, nec latére potuíssent. Sapiéntia autem hos, qui se obsérvant, a dolóribus liberávit. Hæc prófugum iræ fratris justum dedúxit per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.

FERIA QUINTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 10.

HÆC pópulum justum, et semen sine queréla liberávit a natiónibus, quæ illum deprimébant. Intrávit in ánimam servi Dei, et stetit contra reges horréndos in porténtis et signis. Et réddidit justis mercédem labórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili : et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem.

Lectio ij.

TRANSTULIT illos per Mare rubrum, et transvéxit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demérsit in mare, et ab altitúdine inferórum edúxit illos. Ideo justi tulérunt spólia impiórum, et decantavérunt Dómine nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter.

Lectio iij. Cap. 10. et cap. 11.

QUONIAM sapiéntia apéruit os mutórum, et linguas infántium fecit disértas. Diréxit ópera eórum in mánibus prophétæ sancti. Iter fecérunt per desérta, quæ non habitabántur : et in locis desértis fixérunt casas. Stetérunt contra hostes, et de inimícis se vindicavérunt. Sitiérunt, et invocavérunt te, et data est illis aqua de petra altíssima, et réquies sitis de lápide duro.

FERIA SEXTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 11.

OMNIA in mensúra, et número, et póndere disposuísti. Multum enim valére, tibi soli supérerat semper : et virtúti bráchii tui quis resístet? Quóniam tamquam momentum statéræ, sic est ante te orbis terrárum, et tamquam gutta roris antelucáni, quæ descéndit in terram. Sed miséreris ómnium, quia ómnia potes, et dissímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam.

Lectio ij.

DILIGIS enim ómnia quæ sunt, et nihil odísti eórum quæ fecísti : nec enim ódiens áliquid constituísti, aut fecísti. Quómodo autem posset áliquid permanére, nisi tu voluísses? aut quod a te vocátum non esset, conservarétur? Parcis autem ómnibus : quóniam tua sunt Dómine, qui amas ánimas.

Lectio iij. Cap. 12.

QUAM bonus et suávis est Dómine spíritus tuus in ómnibus! Ideóque eos, qui exérrant, pártibus córripis : et de quibus peccant, ádmones et allóqueris : ut relícta malítia, credant in te Dómine. Cum ergo sis justus, juste ómnia dispónis : ipsum quoque, qui non debet puníri, condemnáre, éxterum æstimas a tua virtúte.

SABBATO.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 16.

TU es enim, Dómine, qui vitæ et mortis habes potestátem, et dedúcis ad portas mortis, et redúcis : homo autem óccidit quidem per malítiam, et cum exíerit spíritus, non revertétur, nec revocábit ánimam quæ recépta est : sed tuam manum effúgere impossíbile est. Negántes enim te nosse ímpii, per fortitúdinem bráchii tui flagelláti sunt : novis aquis, et grandínibus, et plúviis persecutiónem passi, et per ignem consúmpti.

Lectio ij.

QUOD enim mirábile erat, in aqua, quæ ómnia exstínguit, plus ignis valébat : vindex est enim orbis justórum. Quodam témpore, mansuetabátur ignis, ne combureréntur quæ ad ímpios missa erant animália : sed ut ipsi vidéntes scirent, quóniam Dei judício patiúntur persecutiónem.

Lectio iij.

ET quodam témpore in aqua supra virtútem ignis exardescébat úndique, ut iníquæ terræ natiónem exterminaret. Pro quibus Angelórum esca nutrivísti pópulum tuum, et parátum panem de cælo præstitísti illis sine labóre, omne delectaméntum in se habéntem, et omnis sapóris suavitátem.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Dóminus possédit me in ínitio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio : necdum erant abyssi, et ego parturiébar : quando præparábat cælos, áderam, cum eo compónens ómnia.

DOMINICA IV. AUGUSTI.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 1.

OMNIS sapiéntia a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Arénam maris, et plúviæ guttas, et dies sæculi quis dinumerávit? Altitúdinem cæli, et latitúdinem terræ, et profúndum abyssi quis diménsus est? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis investigávit? Prior ómnium creáta est sapiéntia, et intelléctus prudéntiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ verbum Dei in excélsis, et ingréssus illíus mandáta ætérna.

Lectio ij.

RADIX sapiéntiæ cui revelláta est, et astútias illíus quis agnóvit? Disciplína sapiéntiæ cui revelláta est, et manifestáta? et multiplicatiónem ingréssus illíus quis intelléxit? Unus est altíssimus Creátor omnípotens, et Rex potens, et metuéndus nimis, sedens super thronum illíus et dóminans Deus. Ipse creávit illam in Spíritu sancto, et vidit, et dinumerávit, et mensus est.

Lectio iij.

ET effúdit illam super ómnia ópera sua, et super omnem carnem secúndum datum suum, et præbuit illam diligéntibus se. Timor Dómini glória, et gloriátio, et lætítia, et coróna exsultatiónis. Timor Dómini delectábit cor, et dabit lætítiam, et gáudium, et longitúdinem diérum. Timénti Dóminum bene erit in extrémis, et in die defunctiónis suæ benedicétur. Diléctio Dei honorábilis sapiéntia.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 1.

RADIX sapiéntiæ est timére Dóminum : et rami illíus longævi. In thesáuris sapiéntiæ intelléctus, et sciéntiæ religiósitas : exsecrátio autem peccatóribus sapiéntia. Timor Dómini expéllit peccátum : nam qui sine timóre est, non póterit justificári : iracúndia enim animositátis illíus, subvérsio illíus est.

Lectio ij.

USQUE in tempus sustinébit pátiens, et póstea reddítio jucunditátis. Bonus sensus usque in tempus abscóndet verba illíus, et lábia multórum

enarrábunt sensum illíus. In thesáuris sapiéntiæ significátio disciplinæ : exsecrátio autem peccatóri, cultúra Dei. Fili concupíscens sapiéntiam, consérva justítiam, et Deus præbébit illam tibi.

Lectio iij.

SAPIENTIA enim et disciplína timor Dómini : et quod beneplácitum est illi, fides, et mansuetúdo, et adimplébit thesáuros illíus. Ne sis incredíbilis timóri Dómini : et ne accésseris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conspéctu hóminum, et non scandalizéris in lábiis tuis. Atténde in illis, ne forte cadas, et addúcas ánimæ tuæ inhonoratiónem.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 2.

METUENTES Dóminum sustinéte misericórdiam ejus: et non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminum, crédite illi : et non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum : et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum, et illuminabúntur corda vestra.

Lectio ij.

RESPICITE fílii natiónes hóminum : et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis ejus, et derelíctus est? aut quis invocávit eum, et despéxit illum? Quóniam pius et miséricors est Deus, et remíttet in die tribulatiónis peccáta : et protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte.

Lectio iij.

VÆ dúplici corde, et lábiis sceléstis, et mánibus malefaciéntibus, et peccatóri terram ingrediénti duábus viis. Væ dissolútis corde, qui non credunt Deo : et ídeo non protegéntur ab eo. Væ his, qui perdidérunt sustinéntiam, et qui dereliquérunt vias rectas, et divertérunt in vias pravas.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 3.

FILII sapiéntiæ, ecclésia justórum : et nátio illórum, obediéntia et diléctio. Judícium patris audíte fílii, et sic fácite ut salvi sitis. Deus enim honorávit patrem in fíliis : et judícium matris exquírens, firmávit in fílios. Qui díligit Deum, exorábit pro peccátis, et continébit se ab illis, et in oratióne diérum exaudiétur.

Lectio ij.

ET sicut qui thesaurízat, ita et qui honorificat matrem suam. Qui honórat patrem suum, jucundábitur in fíliis, et in die oratiónis suæ exaudiétur. Qui honórat patrem suum, vita vivet longióre : et qui obédit patri, refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum honórat paréntes, et quasi dóminis sérviet his, qui se genuérunt.

Lectio iij.

IN ópere et sermóne, et omni patiéntia honóra patrem tuum, ut supervéniat tibi benedíctio ab eo, et benedíctio illíus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum : maledíctio autem matris eradícat fundaménta. Ne gloriéris in contumélia patris tui :

non enim est tibi glória, ejus confúsio.

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 3.

COR durum habébit male in novíssimo : et qui amat perículum, in illo períbit. Cor ingrédiens duas vias, non habébit succéssus, et pravus corde in illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus, et peccátor adjíciet ad peccándum. Synagógæ superbórum non erit sánitas : frutex enim peccáti radicábitur in illis, et non intelligétur.

Lectio ij.

COR sapiéntis intellígitur in sapiéntia, et auris bona áudiet cum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor, et intelligíbile abstinébit se a peccátis, et in opéribus justítiæ succéssus habébit. Ignem ardéntem exstínguit aqua, et eleemósyna resístit peccátis : et Deus prospéctor est ejus qui reddit grátiam : méminit ejus in pósterum, et in témpore casus sui invéniet firmaméntum.

Lectio iij. Cap. 4.

FILI eleemósynam páuperis ne defráudes, et óculos tuos ne transvértas a páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris : et non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne afflíxeris, et non prótrahas datum angustiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias : et non avértas fáciem tuam ab egéno.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 4.

SAPIENTIA fíliis suis vitam inspírat, et súscipit inquiréntes se, et præíbit in via justítiæ : et qui illam díligit, díligit vitam : et qui vigiláverint ad illam, complecténtur placórem ejus. Qui tenúerint illam, vitam hereditábunt : et quo introíbit, benedícet Deus. Qui sérviunt ei, obsequéntes erunt sancto : et eos, qui díligunt illam, díligit Deus.

Lectio ij.

QUI audit illam, judicábit gentes : et qui intuétur illam, permanébit confídens. Si credíderit ei, hereditábit illam, et erunt in confirmatióne creatúræ illíus : quóniam in tentatióne ámbulat cum eo, et in primis éligit eum. Timórem et metum, et probatiónem indúcet super illum : et cruciábit illum in tribulatióne doctrínæ suæ, donec tentet eum in cogitatiónibus suis, et credat ánimæ illíus.

Lectio iij.

ET firmábit illum, et iter addúcet diréctum ad illum, et lætificábit illum, et denudábit abscónsa sua illi, et thesaurizábit super illum sciéntiam et intelléctum justítiæ. Si autem oberráverit, derelínquet eum, et tradet eum in manus inimici sui. Fili consérva tempus, et devíta a malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum.

SABBATO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 5.

NOLI atténdere ad possessiónes iníquas, et ne dixeris: Est mihi sufficiens vita: nihil enim próderit in témpore vindíctæ et obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui: et ne dixeris: Quómodo pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicábit. Ne dixeris: Peccávi, et quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens réddítor.

Lectio ij.

DE propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. Et ne dicas: Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim et ira ab illo cito próximant, et in peccatóres réspicit ira illíus. Non tardes convérti ad Dóminum, et ne différas de die in diem: súbito enim véniet ira illíus, et in témpore vindíctæ dispérdet te.

Lectio iij.

NOLI ánxius esse in divítiis injústis: non enim próderunt tibi in die obductiónis et vindíctæ. Non véntiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam: sic enim omnis peccátor probátur in dúplici lingua. Esto firmus in via Dómini, et in veritáte sensus tui et sciéntia, et prosequátur te verbum pacis et justítiæ.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis.

DOMINICA V. AUGUSTI.

Si mensis Augusti habuerit quinque Dominicas, in quinta repetantur Lectiones Hebdomadæ præcedentis, vel quæ superfuerint propter festa habentia Lectiones proprias.

SABBATO

ANTE DOM. I. SEPTEMBRIS.

AD VESPERAS.

℟. Antequam cómedam suspíro: et tamquam inundántes aquæ, sic rugítus meus: quia timor, quem timébam, evénit mihi: et quod verébar áccidit. Nonne dissimulávi? nonne sílui? nonne quiévi? * Et venit super me indignátio tua Dómine. ℣. Ecce, non est auxílium mihi in me, et necessárii quoque mei recessérunt a me. — Et venit. Glória. Et venit.

Ad Magnificat Aña. Cum audísset Job nuntiórum verba, sustínuit patiénter et ait: Si bona suscépimus de manu Dómini, mala autem quare non sustineámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum áliquid contra Deum locútus est.

DOM. I. SEPTEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Job.

Lectio j. Cap. 1.

VIR erat in terra Hus, nómine Job, et erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recédens a malo:

natíque sunt ei septem fílii, et tres fíliæ. Et fuit possédssio ejus septem míllia óvium, et tria míllia camelórum, quingénta quoque juga boum, et quingéntæ ásinæ, ac família multa nimis : erátque vir ille magnus inter omnes Orientáles.

℟. j. Si bona suscépimus de manu Dómini, mala autem quare non sustineámus? Dóminus dedit, Dóminus ábstulit : * Sicut Dómino plácuit, ita factum est : sit nomen Dómini benedíctum. ℣. Nudus egréssus sum de útero matris meæ, et nudus revértar illuc. — Sicut Dómino plácuit

℣ Hæc Historia Si bona. legatur in hac et in sequenti Dominica, cum de illis agitur.

Lectio ij.

Et ibant fílii ejus, et faciébant convívium per domos, unusquísque in die suo. Et mitténtes vocábant tres soróres suas ut coméderent et bíberent cum eis. Cumque in orbem transíssent dies convívii, mittébat ad eos Job, et sanctificábat illos, consurgénsque dilúculo offerébat holocáusta pro síngulis. Dicébat enim : Ne forte peccáverint fílii mei, et benedíxerint Deo in córdibus suis. Sic faciébat Job cunctis diébus.

℟. ij. Antequam cómedam suspíro : et tamquam inundántes aquæ, sic rugítus meus : quia timor, quem timébam, evénit mihi : et quod verébar áccidit. Nonne dissimulávi? nonne sílui? nonne quiévi? * Et venit super me indignátio tua Dómine. ℣. Ecce, non est auxílium mihi in me, et necessárii quoque mei recessérunt a me. — Et venit super me.

Lectio iij.

Quadam autem die cum veníssent fílii Dei ut assísterent coram Dómino, ádfuit inter eos étiam Satan. Cui dixit Dóminus : Unde venis? Qui respóndens, ait : Circuívi terram, et perambulávi eam. Dixítque Dóminus ad eum : Numquid considerásti servum meum Job, quod non sit ei símilis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recédens a malo? Cui respóndens Satan, ait : Numquid Job frustra timet Deum? Nonne tu vallásti eum, ac domum ejus, universámque substántiam per circúitum?

℟. iij. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui : et calámitas, quam pátior, * In statéra. ℣. Quasi aréna maris hæc grávior apparéret. — In statéra. Glória. In statéra.

IN II. NOCTURNO.

℟. iv. Quare detraxístis sermónibus veritátis? Ad increpándum verba compónitis, et subvértere nitímini amícum vestrum : * Verúmtamen quæ cogitástis expléte. ℣. Quod justum est, judicáte : et non inveniétis in lingua mea iniquitátem. — Verúmtamen.

℟. v. Indúta est caro mea putrédine et sórdibus púlveris, cutis mea áruit, et contrácta est : * Meménto mei Dómine, quia ventus est vita mea. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt : et ego sicut fœnum árui. — Meménto mei Dómine.

℟. vj. Páucitas diérum meórum finiétur brevi : dimítte me Dómine, ut plangam páululum dolórem meum : ántequam vadam * Ad terram tenebrósam, et opértam mortis calígine. ℣. Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam. — Ad terram. Glória. Ad terram.

IN III. NOCTURNO.

℟. vij. Meménto mei Deus, quia ventus est vita mea : * Nec aspíciet me visus hóminis. ℣. Et non revertétur óculus meus ut vídeat bona. — Nec aspíciet me visus hóminis.

℟. viij. Ne abscóndas me Dómine a fácie tua : manum tuam longe fac a me, * Et formído tua non me térreat. ℣. Córripe me Dómine in misericórdia, et non in furóre tuo, ne forte ad níhilum rédigas me. — Et formído.

℟. ix. Nocte os meum perforátur dolóribus : et qui me cómedunt, non dórmiunt : a multitúdine eórum consúmitur vestiméntum meum : * Comparátus sum luto, Et assimilátus sum favíllæ et cíneri. ℣. O custos hóminum, quare me posuísti contrárium tibi, et factus sum mihimetípsi gravis? Parce mihi Dómine, nihil enim sunt dies mei. — Comparátus sum luto. Glória. Et assimilátus sum.

℣ Hoc ℟. ix. Nocte os meum. semel lecto, loco illius in sequenti Dominica dicatur :

℟. ix. Honor, virtus, et poténtas, et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte, * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. — In perénni sæculórum témpore. Glória. In perénni sæculórum témpore.

FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 2.

FACTUM est autem cum quadam die veníssent fílii Dei, et starent coram Dómino, venísset quoque Satan inter eos, et staret in conspéctu ejus, ut díceret Dóminus ad Satan : Unde venis? Qui respóndens ait : Circuívi terram, et perambulávi eam. Et dixit Dóminus ad Satan : Numquid considerásti servum meum Job, quod non sit ei símilis in terra, vir simplex et rectus, ac timens Deum, et recédens a malo, et adhuc rétinens innocéntiam? Tu autem commovísti me advérsus eum, ut afflígerem eum frustra.

Lectio ij.

CUI respóndens Satan, ait : Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro ánima sua : alióquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc vidébis quod in fáciem benedícat tibi. Dixit ergo Dóminus ad Satan : Ecce in manu tua est, verúmtamen ánimam illíus serva.

Lectio iij.

EGRESSUS ígitur Satan a fácie Dómini, percússit Job úlcere péssimo, a planta pedis usque ad vérticem ejus : qui testa sániem radébat, sedens in sterquilínio. Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu pérmanes in simplicitáte tua?

bénedic Deo et mórere. Qui ait ad illam : Quasi una de stultis muliéribus locúta es. Si bona suscépimus de manu Dei, mala quare non suscipiámus?

FERIA TERTIA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 3.

POST hæc apéruit Job os suum, et maledíxit diéi suo, et locútus est : Péreat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Concéptus est homo. Dies ille vertátur in ténebras, non requírat eum Deus désuper, et non illustrétur lúmine. Obscúrent eum ténebræ, et umbra mortis, óccupet eum calígo, et involvátur amaritúdine.

Lectio ij.

NOCTEM illam tenebrósus turbo possídeat, non computétur in diébus anni, nec numerétur in ménsibus : sit nox illa solitária, nec laude digna : maledícant ei qui maledícunt diéi, qui paráti sunt suscitáre Levíathan : obtenebréntur stellæ calígine ejus : exspéctet lucem et non vídeat, nec ortum surgéntis auróræ : quia non conclúsit óstia ventris, qui portávit me, nec ábstulit mala ab óculis meis.

Lectio iij.

QUARE non in vulva mórtuus sum, egréssus ex útero non statim périi? Quare excéptus génibus? cur lactátus ubéribus? Nunc enim dórmiens silérem, et somno meo requiéscerem : cum régibus et consúlibus terræ, qui ædíficant sibi solitúdines : aut cum princípibus, qui póssident aurum, et replent domos suas argénto.

FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 4.

RESPONDENS autem Eliphaz Themanítes, dixit : Si cœpérimus loqui tibi, fórsitan moléste accípies, sed concéptum sermónem tenére quis póterit? Ecce docuísti multos, et manus lassas roborásti : vacillántes confirmavérunt sermónes tui, et génua treméntia confortásti : nunc autem venit super te plaga, et defecísti : tétigit te, et conturbátus es.

Lectio ij.

UBI est timor tuus, fortitúdo tua, patiéntia tua, et perféctio viárum tuárum? Recordáre, óbsecro te, quis unquam innocens périit? aut quando recti deléti sunt? Quin pótius vidi eos, qui operántur iniquitátem, et séminant dolóres, et metunt eos, flante Deo periísse, et spíritu iræ ejus esse consúmptos.

Lectio iij.

RUGITUS leónis, et vox leænæ, et dentes catulórum leónum contríti sunt. Tigris périit, eo quod non habéret prædam, et cátuli leónis dissipáti sunt. Porro ad me dictum est verbum abscónditum, et quasi furtíve suscépit auris mea venas susúrri ejus.

FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 6.

RESPONDENS autem Job, dixit : Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui : et calámitas, quam pátior, in statéra. Quasi aréna maris hæc grávior appa-

réret : unde et verba mea dolóre sunt plena : quia sagíttæ Dómini in me sunt, quarum indignátio ébibit spíritum meum, et terróres Dómini mílitant contra me.

Lectio ij.

NUMQUID rúgiet ónager cum habúerit herbam? aut múgiet bos cum ante præsépe plenum stéterit? aut póterit cómedi insúlsum, quod non est sale condítum? aut potest áliquis gustáre, quod gustátum affert mortem? Quæ prius nolébat tángere ánima mea, nunc præ angústia, cibi mei sunt.

Lectio iij.

QUIS det ut véniat petítio mea : et quod exspécto, tríbuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me cónterat : solvat manum suam, et succídat me? Et hæc mihi sit consolátio, ut affligens me dolóre, non parcat, nec contradícam sermónibus Sancti. Quæ est enim fortitúdo mea ut sustíneam? aut quis finis meus, ut patiénter agam?

FERIA SEXTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 7.

MILITIA est vita hóminis super terram : et sicut dies mercenárii, dies ejus. Sicut servus desíderat umbram, et sicut mercenárius præstolátur finem óperis sui : sic et ego hábui menses vácuos, et noctes laboriósas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam : Quando consúrgam? et rursum exspectábo vésperam, et replébor dolóribus usque ad ténebras.

Lectio ij.

INDUTA est caro mea putrédine et sórdibus púlveris, cutis mea áruit, et contrácta est. Dies mei velócius transiérunt quam a texénte tela succíditur, et consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto quia ventus est vita mea, et non revertétur óculus meus ut vídeat bona. Nec aspíciet me visus hóminis : óculi tui in me, et non subsístam.

Lectio iij.

SICUT consúmitur nubes, et pertránsit : sic qui descénderit ad ínferos, non ascéndet. Nec revertétur ultra in domum suam, neque cognóscet eum ámplius locus ejus. Quaprópter et ego non parcam ori meo, loquar in tribulatióne spíritus mei : confabulábor cum amaritúdine ánimæ meæ.

SABBATO.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 9.

ET respóndens Job, ait : Vere scio quod ita sit, et quod non justificétur homo compósitus Deo. Si volúerit conténdere cum eo, non póterit ei respondére unum pro mille. Sápiens corde est, et fortis róbore : quis réstitit ei, et pacem hábuit? Qui tránstulit montes, et nesciérunt hi quos subvértit in furóre suo.

Lectio ij.

QUI cómmovet terram de loco suo, et colúmnæ ejus concutiúntur. Qui præcipit soli, et non óritur : et stellas claudit quasi sub signáculo. Qui exténdit cælos solus, et gráditur super fluctus maris.

Qui facit Arctúrum, et Oríona, et Hyadas, et interióra austri. Qui facit magna, et incomprehensibília, et mirabília, quorum non est número.

Lectio iij.

Si vénerit ad me, non vidébo eum : si abíerit, non intélligam. Si repénte intérroget, quis respondébit ei? vel quis dícere potest : Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resístere potest, et sub quo curvántur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respóndeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Qui étiam si habúero quídpiam justum, non respondébo, sed meum júdicem deprecábor.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum quid contra Deum locútus est.

DOM. II. SEPTEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 27.

Addidit quoque Job, assúmens parábolam suam, et dixit : Vivit Deus, qui ábstulit judícium meum, et Omnípotens, qui ad amaritúdinem addúxit ánimam meam. Quia donec súperest hálitus in me, et spíritus Dei in náribus meis, non loquéntur lábia mea iniquitátem, nec lingua mea meditábitur mendácium. Absit a me ut justos vos esse júdicem : donec defíciam, non recédam ab innocéntia mea.

Lectio ij.

Justificationem meam, quam cœpi tenére, non déseram : neque enim reprehéndit me cor meum in omni vita mea. Sit ut ímpius, inimícus meus : et adversárius meus, quasi iníquus. Quæ est enim spes hypócritæ si avára rápiat, et non líberet Deus ánimam ejus? Numquid Deus áudiet clamórem ejus, cum vénerit super eum angústia? Aut póterit in Omnipoténte delectári, et invocáre Deum omni témpore?

Lectio iij.

Docebo vos per manum Dei quæ Omnípotens hábeat, nec abscóndam. Ecce, vos omnes nostis, et quid sine causa vana loquímini? Hæc est pars hóminis ímpii apud Deum, et heréditas violentórum, quam ab Omnipoténte suscípient. Si multiplicáti fúerint fílii ejus, in gládio erunt, et nepótes ejus non saturabúntur pane. Qui réliqui fúerint ex eo, sepeliéntur in intéritu, et víduæ illíus non plorábunt.

FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 38.

Respondens autem Dóminus Job de túrbine, dixit : Quis est iste invólvens sententias sermónibus imperítis? Accínge sicut vir lumbos tuos : interrogábo te, et respónde mihi. Ubi eras quando ponébam fundaménta terræ? índica mihi si habes intelligéntiam. Quis pósuit mensúras ejus, si nosti? vel quis teténdit super eam líneam?

Lectio ij.

SUPER quo bases illíus solidátæ sunt? aut quis demísit lápidem angulárem ejus, cum me laudárent simul astra matutína, et jubilárent omnes fílii Dei? Quis conclúsit óstiis mare, quando erumpébat quasi de vulva procédens : cum pónerem nubem vestiméntum ejus, et calígine illud quasi pannis infántiæ obvólverem?

Lectio iij.

CIRCUMDEDI illud términis meis, et pósui vectem, et óstia; et dixi : Usque huc vénies, et non procédes ámplius, et hic confrínges tuméntes fluctus tuos. Numquid post ortum tuum præcepísti dilúculo, et ostendísti auróræ locum suum? Et tenuísti concútiens extréma terræ, et excussísti ímpios ex ea?

FERIA TERTIA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 39.

NUMQUID nosti tempus partus íbicum in petris, vel parturiéntes cervas observásti? Dinumerásti menses concéptus eárum, et scisti tempus partus eárum? Incurvántur ad fetum, et páriunt, et rugítus emittunt. Separántur fílii eárum, et pergunt ad pastum : egrediúntur, et non revertúntur ad eas.

Lectio ij.

QUIS dimísit ónagrum líberum, et víncula ejus quis solvit? Cui dedi in solitúdine domum, et tabernácula ejus in terra salsúginis. Contémnit multitúdinem civitátis, clamórem exactóris non audit. Circúmspicit montes páscuæ suæ, et viréntia quæque perquírit.

Lectio iij.

NUMQUID volet rhinóceros servíre tibi, aut morábitur ad præsépe tuum? Numquid alligábis rhinoceróta ad arándum loro tuo? aut confrínget glebas vállium post te? Numquid fidúciam habébis in magna fortitúdine ejus, et derelínques ei labóres tuos? Numquid credes illi quod seméntem reddat tibi, et áream tuam cóngreget?

FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 39.

NUMQUID præbébis equo fortitúdinem, aut circúmdabis collo ejus hinnítum? Numquid suscitábis eum quasi locústas? glória nárium ejus terror. Terram úngula fodit, exsúltat audácter : in occúrsum pergit armátis. Contémnit pavórem, nec cedit gládio. Super ipsum sonábit pháretra, vibrábit hasta et clypeus.

Lectio ij.

FERVENS et fremens sorbet terram, nec réputat tubæ sonáre clangórem. Ubi audíerit búcinam, dicit : Vah, procul odorátur bellum, exhortatiónem ducum, et ululátum exércitus. Numquid per sapiéntiam tuam pluméscit accípiter, expándens alas suas ad austrum? Numquid ad præcéptum tuum elevábitur áquila, et in árduis ponet nidum suum?

Lectio iij.

IN petris manet, et in prærúptis silícibus commorátur, atque inaccéssis rúpibus. Inde contemplátur escam, et de longe óculi ejus prospíciunt. Pulli ejus lambent sánguinem : et ubicúmque cadáver fúerit, statim adest. Et adjécit Dóminus, et locútus est ad Job : Numquid qui conténdit cum Deo, tam fácile conquiéscit? útique qui árguit Deum, debet respondére ei.

FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 40.

RESPONDENS autem Dóminus Job de túrbine, dixit : Accínge sicut vir lumbos tuos : interrogábo te : et indica mihi. Numquid írritum fácies judícium meum : et condemnábis me, ut tu justificéris? Et si habes bráchium sicut Deus, et si voce símili tonas? Circumda tibi decórem, et in sublíme erígere, et esto gloriósus, et speciósis indúere véstibus.

Lectio ij.

DISPERGE supérbos in furóre tuo, et respíciens omnem arrogántem humília. Réspice cunctos supérbos, et confúnde eos, et cóntere ímpios in loco suo. Abscónde eos in púlvere simul, et fácies eórum demérge in fóveam : et ego confitébor quod salváre te possit déxtera tua. Ecce, Béhemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos cómedet.

Lectio iij.

AN extráhere póteris Leviáthan hamo, et fune ligábis linguam ejus? Numquid pones círculum in náribus ejus, aut armílla perforábis maxíllam ejus? Numquid multiplicábit ad te preces, aut loquétur tibi móllia? Numquid fériet tecum pactum, et accípies eum servum sempitérnum? Numquid illúdes ei quasi avi, aut ligábis eum ancíllis tuis?

FERIA SEXTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 42.

RESPONDENS autem Job Dómino, dixit : Scio quia ómnia potes, et nulla te latet cogitátio. Quis est iste, qui celat consílium absque sciéntia? ídeo insipiénter locútus sum, et quæ ultra modum excéderent sciéntiam meam. Audi, et ego loquar : interrogábo te, et respónde mihi. Auditu auris audívi te, nunc autem óculus meus videt te. Idcírco ipse me reprehéndo, et ago pœniténtiam in favílla et cínere.

Lectio ij.

POSTQUAM autem locútus est Dóminus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanítem : Irátus est furor meus in te, et in duos amícos tuos, quóniam non estis locúti coram me rectum, sicut servus meus Job. Súmite ergo vobis septem tauros, et septem aríetes, et ite ad servum meum Job, et offérte holocáustum pro vobis.

Lectio iij.

JOB autem servus meus orábit pro vobis : fáciem ejus suscípiam ut non vobis imputétur stultítia : neque enim locúti estis ad me recta, sicut servus

meus Job. Abiérunt ergo Eliphaz Themanites, et Baldad Suhites, et Sophar Naamathites, et fecérunt sicut locútus fúerat Dóminus ad eos, et suscépit Dóminus fáciem Job.

SABBATO.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 42.

DOMINUS quoque convérsus est ad pœniténtiam Job, cum oráret ille pro amícis suis. Et áddidit Dóminus ómnia quæcúmque fúerant Job, duplícia. Venérunt autem ad eum omnes fratres sui, et univérsæ soróres suæ, et cuncti qui nóverant eum prius, et comedérunt cum eo panem in domo ejus : et movérunt super eum caput, et consoláti sunt eum super omni malo quod intúlerat Dóminus super eum.

Lectio ij.

ET dedérunt ei unusquísque ovem unam, etináurem áuream unam. Dóminus autem benedíxit novíssimis Job magis quam princípio ejus. Et facta sunt ei quatuórdecim míllia óvium, et sex míllia camelórum, et mille juga boum, et mille ásinæ. Et fuérunt ei septem fílii, et tres fíliæ. Et vocávit nomen uníus Diem, et nomen secúndæ Cássiam, et nomen tértiæ Cornustíbii.

Lectio iij.

NON sunt autem invéntæ mulíeres speciósæ sicut fíliæ Job in univérsa terra : deditque eis pater suus hereditátem inter fratres eárum. Vixit autem Job post hæc, centum quadragínta annis, et vidit fílios suos, et fílios filiórum suórum usque ad quartam generatiónem, et mórtuus est senex, et plenus diérum.

AD VESPERAS.

℟. Omni témpore bénedic Deum : et pete ab eo, ut vias tuas dírigat, * Et omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quæ plácita sunt illi in veritáte, et in tota virtúte tua. — Et omni. Glória. Et omni.

Ad Magnificat Ańa. Ingréssus Ráphael ángelus ad Tobíam salutávit eum, dicens : Gáudium tibi semper sit. Cui Tobías ait : Quale gáudium mihi erit, qui in ténebris sédeo, et lumen cæli non vídeo? Cui Angelus inquit : Forti ánimo esto, in próximo est ut a Deo curéris.

DOM. III. SEPTEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Tobíæ.

Lectio j. Cap. 1.

TOBIAS ex tribu, et civitáte Néphthali (quæ est in superióribus Galilææ supra Naásson, post viam, quæ ducit ad occidéntem, in sinístro habens civitátem Sephet) cum captus esset in diébus Salmánasar regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus, viam veritátis non deséruit, ita ut ómnia, quæ habére póterat, quotídie concaptívis frátribus, qui erant ex ejus génere, impertíret. Cumque esset júnior ómnibus in tribu Néphthali, nihil tamen puerile gessit in opere.

℟. j. Peto Dómine ut de vínculo impropérii hujus absólvas me, aut certe désuper terram eripias me : ne reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum, neque vindíctam sumas de peccátis meis : * Quia éruis sustinéntes te, Dómine. ℣. Omnia judícia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ, misericórdia, et véritas : et nunc Dómine meménto mei. — Quia éruis.

℣ Hæc Historia Peto Dómine. dicatur hodie et duabus Dominicis sequentibus, cum de illis agitur.

Lectio ij.

DENIQUE cum irent omnes ad vítulos áureos, quos Jeróboam fécerat rex Israel, hic solus fugiébat consórtia ómnium, sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, et ibi adorábat Dóminum Deum Israel, ómnia primitíva sua, et décimas suas fidéliter ófferens, ita ut in tértio anno prosélytis et ádvenis ministráret omnem decimatiónem. Hæc et his simília secúndum legem Dei puérulus observábat.

℟. ij. Omni témpore bénedic Deum : et pete ab eo ut vias tuas dírigat, * Et omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quæ plácita sunt illi in veritáte, et in tota virtúte tua. — Et omni témpore.

Lectio iij.

CUM vero factus esset vir, accépit uxórem Annam de tribu sua, genuítque ex ea fílium, nomen suum impónens ei, quem ab infántia timére Deum dócuit, et abstinére ab omni peccáto. Igitur, cum per captivitátem devenísset cum uxóre sua, et filio in civitátem Níniven cum omni tribu sua, (cum omnes éderent ex cibis gentílium) iste custodívit ánimam suam, et nunquam contaminátus est in escis eórum.

℟. iij. Tempus est ut revértar ad eum, qui me misit : vos autem benedícite Deum, * Et enarráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus vivéntibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. — Et enarráte. Glória. Et enarráte ómnia mirabília ejus.

IN II. NOCTURNO.

℟. iv. Adónai Dómine Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ, * Exáudi preces servórum tuórum. ℣. Benedíctus es Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te : et de sua virtúte gloriántes humílias. — Exáudi preces servórum tuórum.

℟. v. Dominátor Dómine cælórum et terræ, creátor aquárum, Rex univérsæ creatúræ tuæ, * Exáudi oratiónes servórum tuórum. ℣. Tu Dómine, cui humílium semper et mansuetórum plácuit deprecátio. — Exáudi oratiónes servórum tuórum.

℟. vj. Spem in álium nunquam hábui, præter in te, Deus Israel : * Qui irásceris, et propítius eris, Et ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimíttis. ℣. Dómine Deus cæli et terræ, réspice ad humilitátem nostram. — Qui irásceris. Glória. Et ómnia.

IN III. NOCTURNO.

℟. vij. Confórta me, Rex sanctórum, principátum te-

nens : * Et da sermónem rectum, et bene sonántem in os meum. ℣. Da nobis Dómine locum pœniténtiæ, et ne claudas ora canéntium te, Dómine. — Et da sermónem rectum.

℟. viij. Laudáte Dóminum Deum nostrum, * Qui non deséruit sperántes in se : et in me adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. ℣. Laudáte Dóminum omnes gentes : et collaudáte eum omnes pópuli. — Qui non deséruit.

℟. ix. Dómine rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita, et non est qui possit resístere voluntáti tuæ : líbera nos * Propter nomen tuum. ℣. Exáudi Dómine oratiónem nostram, et convérte luctum nostrum in gáudium. — Propter nomen tuum. Glória. Propter nomen tuum.

℣ Hoc ℟. ix. Dómine rex. semel lecto, loco illius in duabus Dominicis immediate sequentibus dicitur :

℟. ix. Honor, virtus, et poténtas, et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte, *In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. — In perénni sæculórum témpore. Glória. In perénni sæculórum témpore.

FERIA SECUNDA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 2.

POST hæc vero, cum esset dies festus Dómini, et factum esset prándium bonum in domo Tobíæ, dixit fílio suo : Vade, et adduc áliquos de tribu nostra, timéntes Deum, ut epuléntur nobíscum. Cumque abiísset, revérsus nuntiávit ei, unum ex fíliis Israel jugulátum jacére in platéa. Statímque exsíliens de accúbitu suo, relínquens prándium, jejúnus pervénit ad corpus : tollénsque illud portávit ad domum suam occúlte, ut dum sol occubuísset, caute sepelíret eum.

Lectio ij.

CUMQUE occultásset corpus, manducávit panem cum luctu et tremóre, mémorans illum sermónem, quem dixit Dóminus per Amos prophétam : Dies festi vestri converténtur in lamentatiónem et luctum. Cum vero sol occubuísset, ábiit, et sepelívit eum. Arguébant autem eum omnes próximi ejus, dicéntes : Jam hujus rei causa intérfici jussus es, et vix effugísti mortis impérium, et íterum sépelis mórtuos?

Lectio iij.

SED Tobías plus timens Deum, quam regem, rapiébat córpora occisórum, et occultábat in domo sua, et médiis nóctibus sepeliébat ea. Cóntigit autem ut quadam die fatigátus a sepultúra, véniens in domum suam, jactásset se juxta paríetem, et obdormísset, et ex nido hirúndinum dormiénti illi cálida stércora inciderent super óculos ejus, fierétque cæcus.

FERIA TERTIA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 4.

IGITUR cum Tobías putáret oratiónem suam exaudíri ut mori potuísset, vocávit ad se

Tobíam fílium suum, dixítque ei : Audi fili mi verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundaméntum cónstrue. Cum accéperit Deus ánimam meam, corpus meum sépeli : et honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ ejus : memor enim esse debes, quæ et quanta perícula passa sit propter te in útero suo.

Lectio ij.

CUM autem et ipsa compléverit tempus vitæ suæ, sepélias eam circa me. Omnibus autem diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum : et cave ne aliquándo peccáto conséntias, et prætermíttas præcépta Dómini Dei nostri. Ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere : ita enim fiet ut nec a te avertátur fácies Dómini.

Lectio iij.

QUOMODO potúeris, ita esto miséricors. Si multum tibi fúerit, abundánter tríbue : si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libénter impertíri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis. Quóniam eleemósyna ab omni peccáto, et a morte líberat, et non patiétur ánimam ire in ténebras.

FERIA QUARTA
QUATUOR TEMPORUM.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio j. Cap. 9.

IN illo témpore : Respóndens unus de turba, dixit ad Jesum : Magíster, áttuli fílium meum ad te, habéntem spíritum mutum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

(In cap. 9. Marc. lib. 3. c. 38.)

DÆMONIACUM hunc Marcus quidem surdum mutúmque, Matthæus vero lunáticum fuísse commémorat. Significat autem eos, de quibus scriptum est, Stultus ut luna mutátur : qui nunquam in eódem statu permanéntes, nunc ad hæc, nunc ad illa vítia mutáti, crescunt atque decréscunt. Qui muti sunt, non confiténdo fidem ; surdi, nec ipsum aliquátenus veritátis audiéndo sermónem. Spumant autem, cum stultítia tabéscunt : strident déntibus, cum iracúndiæ furóre flammércunt : aréscunt, cum ótio torpénte languéscunt, et nulla virtútis indústria confortáti enérviter vivunt.

Lectio ij.

QUOD autem dictum est, Frequénter eum et in ignem, et in aquas misit; máxima humánæ vecórdiæ facínora designántur. Ignis namque ardor ad fervórem iracúndiæ referéndus est : aqua ad voluptátes carnis, quæ dissólvere mentem per delícias solent. Vel certe in ignem fertur dæmoníacus, quo adulteránium corda succénsa sunt, et in aquas, quæ solent exstínguere caritátem. Bene autem Dóminus, qui spíritum immúndum pellit ab hómine, simul ne ámplius in eum ingrediátur imperat : quia ille veráciter a dæmoníaca dominatióne liberátur, qui ad peccáta, a quibus semel pœniténdo mundátus est, vitat male vivéndo revérti.

Lectio iij.

ET dixit illis : Hoc genus dæmoniórum in nullo potest exíre, nisi in oratióne, et jejúnio. Dum docet Apóstolos quómodo dæmon nequíssimus débeat expélli, omnes instítuit ad vitam : ut scílicet novérimus gravíssima quæque vel immundórum spirítuum vel hóminum tentaménta jejúniis et oratiónibus esse superánda : iram quoque Dómini, cum in ultiónem nostrórum scélerum fúerit accénsa, hoc remédio singulári posse placári. Jejúnium autem generále est, non solum ab escis, sed a cunctis illécebris abstinére carnálibus, immo ab ómnibus vitiórum se continére passiónibus. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus Dómine, famíliæ tuæ supplicánti : ut dum a cibis corporálibus se ábstinet, a vítiis quoque mente jejúnet. Per.

¶ Hæc Oratio dicatur ad Laudes tantum. Ad alias autem Horas Oratio Dominicæ. Idem fiat de Orationibus, quæ sequuntur Feria sexta, et Sabbato.

FERIA QUINTA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 6.

PROFECTUS est autem Tobías, et canis secútus est eum, et mansit prima mansióne juxta flúvium Tigris. Et exívit ut laváret pedes suos, et ecce piscis immánis exívit ad devorándum eum. Quem expavéscens Tobías clamávit voce magna, dicens : Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus : Apprehénde bránchiam ejus, et trahe eum ad te.

Lectio ij.

QUOD cum fecísset, attráxit eum in siccum, et palpitáre cœpit ante pedes ejus. Tunc dixit ei Angelus : Exéntera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repóne tibi : sunt enim hæc necessária ad medicaménta utíliter. Quod cum fecísset, assávit carnes ejus, et secum tulérunt in via : cétera saliérunt, quæ sufficérent eis, quoúsque perveníret in Rages civitátem Medórum.

Lectio iij.

TUNC interrogávit Tobías Angelum, et dixit ei : Obsecro te Azaría frater, ut dicas mihi quod remédium habébunt ista, quæ de pisce serváre jussísti. Et respóndens Angelus, dixit ei : Cordis ejus partículam si super carbónes ponas, fumus ejus extrícat omne genus dæmoniórum sive a viro, sive a muliére, ita ut ultra non accédat ad eos. Et fel valet ad ungéndos óculos, in quibus fúerit albúgo, et sanabúntur.

FERIA SEXTA
QUATUOR TEMPORUM.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio j. Cap. 7.

IN illo témpore : Rogábat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisæi, discúbuit. Et ecce múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod accubuísset in domo Pharisæi, áttulit alabástrum unguénti. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 33. in Evang.)

LIQUET, fratres, quod illícitis áctibus prius múlier intênta, unguéntum sibi pro odóre carnis adhíbuit. Quod ergo sibi túrpiter exhibúerat, hoc jam Deo laudabíliter offerébat. Oculis terréna concupierat : sed hos jam per pœniténtiam cónterens, flebat. Capíllos ad compositiónem vultus exhibúerat : sed jam capíllis lácrimas tergébat. Ore supérba díxerat : sed pedes Dómini ósculans, hoc in Redemptóris sui vestígia figébat. Quot ergo in se hábuit oblectaménta, tot de se invénit holocáusta. Convértit ad virtútum númerum, númerum críminum : ut totum servíret Deo in pœniténtia, quidquid ex se Deum contémpserat in culpa.

Lectio ij.

QUEM vero peccátrix múlier, ad vestígia Dómini véniens et plorans, nisi convérsam Gentilitátem desígnat? Quæ cum alabástro venit, unguéntum fudit, retro secus pedes Dómini stetit, lácrimis pedes rigávit, capíllis tersit, eosdémque, quos infundébat et tergébat, pedes osculári non désiit. Nos ergo, nos illa múlier expréssit, si toto corde ad Dóminum post peccáta redeámus, si ejus pœniténtiæ luctus imitémur. Quid namque unguénto, nisi bonæ odor opiniónis exprímitur? Si ergo recta ópera ágimus, quibus opiniónis bonæ odóre Ecclésiam respergámus, quid, nisi in Dómini córpore unguéntum fúndimus?

Lectio iij.

SED secus pedes Jesu múlier stetit. Contra pedes enim Dómini stétimus, cum in peccátis pósiti, ejus itinéribus renitebámur. Sed si ad veram pœniténtiam post peccáta convértimur, jam retro secus pedes stamus : quia ejus vestígia séquimur, quem impugnabámus. Lácrimis múlier pedes ejus rigat. Quod nos quoque veráciter ágimus, si quibúslibet últimis membris Dómini per compassiónis afféctum inclinámur, si sanctis ejus in tribulatióne compátimur, si eórum tristítiam, nostram putámus. Capíllis múlier pedes, quos rigáverat, tersit. Capíllis pedes Dómini térgimus, quando sanctis ejus ex his, quæ nobis supérfluunt, miserémur. Osculátur pedes, quos tergit : quod nos quoque plene ágimus, si studióse dilígimus, quos ex largitáte continémus. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et córpore tibi placeámus, et mente. Per.

SABBATO
QUATUOR TEMPORUM.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio j. Cap. 13.

IN illo témpore : Dicébat Jesus turbis hanc similitúdinem : Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 31. in Evang.)

QUID arbor fici, nisi humánam natúram desígnat?

Quæ ad Dei similitúdinem cóndita, dum in sua dignitáte non pérstitit, quod plantáta fúerat, serváre contémpsit. Tértio Dóminus víneæ ad ficúlneam venit : quia natúram géneris humáni ante Legem, sub Lege, sub Grátia, exspectándo, admonéndo, visitándo requisívit.

Lectio ij.

VENIT ante Legem : quia per naturálem intelléctum quid unusquísque exémplo sui quáliter erga próximum ágere debuísset, innótuit. Venit in Lege : quia præcipiéndo dócuit. Venit post Legem per Grátiam : quia suæ pietátis præséntiam exhibéndo monstrávit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenísse conquéritur : quia quorúmdam pravórum mentes nec inspiráta lex naturális córrigit, nec præcépta erúdiunt, nec incarnatiónis ejus mirácula convértunt. Et sunt pleríque, qui increpatiónes áudiunt : et tamen ad pœniténtiam redíre contémnunt.

Ex Sermóne nono sancti Leónis Papæ.
(De Jejun. Mensis sept.)

Lectio iij.

JEJUNIUM, quod nobis séptimi mensis recúrsus indícit, fide álacri per castigatiónem ánimæ et córporis celebrémus. Ut autem mens rationábilis salúbriter exterióra castíget, debet étiam própria exercére jejúnia : quia non solum carnis desidériis, sed étiam ánimi cupiditátibus cónvenit repugnáre. Péssimus enim ánimæ cibus est, velle quod non licet : et nóxia cordis delectátio est, quæ aut turpi lucro páscitur, aut supérbia extóllitur, aut adulatióne lætátur. Cordis ígitur nostri secréta rimémur : ac si quis amor vanæ glóriæ, si quæ radix avarítiæ, si quod inest virus invídiæ, nihil tálium ánima sumat escárum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus Dómine, sic nos ab épulis abstinére carnálibus, ut a vítiis irruéntibus páriter jejunémus. Per Dóminum.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Ne reminiscáris Dómine delícta mea, vel paréntum meórum : neque vindíctam sumas de peccátis meis.

DOM. IV. SEPTEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Judith.

Lectio j. Cap. 1.

ARPHAXAD ítaque, rex Medórum, subjugáverat multas gentes império suo, et ipse ædificávit civitátem potentíssimam, quam appellávit Ecbátanis, ex lapídibus quadrátis et sectis : fecit muros ejus in altitúdinem cubitórum septuagínta, et in latitúdinem cubitórum trigínta, turres vero ejus pósuit in altitúdinem cubitórum centum. Per quadrum vero eárum latus utrúmque vicenórum pedum spátio tendebátur, posuítque portas ejus in altitúdinem túrrium.

Lectio ij.

ANNO ígitur duodécimo regni sui : Nabuchodónosor rex Assyriórum, qui regnábat in Nínive civitáte magna,

pugnávit contra Arphaxad, et obtínuit eum in campo magno, qui appellátur Rágau, circa Euphráten, et Tigrin, et Jádason in campo Érioch regis Elicórum. Tunc exaltátum est regnum Nabuchodónosor, et cor ejus elevátum est.

Lectio iij. Cap. 2.

VOCAVITQUE omnes majóres natu, omnésque duces, et bellatóres suos, et hábuit cum eis mystérium consílii sui : dixítque cogitatiónem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugáret império. Quod dictum cum placuísset ómnibus, vocávit Nabuchodónosor rex Holoférnem príncipem milítiæ suæ, et dixit ei : Egrédere advérsus omne regnum occidéntis, et contra eos præcípue, qui contempsérunt império meum.

FERIA SECUNDA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 3.

PRÆCEPERAT (Holoférni) Nabuchodónosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, vidélicet ut ipse solus dicerétur deus ab his natiónibus, quæ potuíssent Holofórnis poténtia subjugári. Pertránsiens autem Syriam Sobal, et omnem Apaméam, omnémque Mesopotámiam, venit ad Idumæos in terram Gábaa, accepítque civitátes eórum, et sedit ibi per trigínta dies.

Lectio ij. Cap. 4.

TUNC audiéntes hæc fílii Israel, qui habitábant in terra Juda, timuérunt valde a fácie ejus. Tremor, et horror invásit sensus eórum, ne hoc fáceret Jerúsalem et templo Dómini, quod fécerat céteris civitátibus et templis eárum. Et misérunt in omnem Samáriam per circúitum usque Jéricho, et præoccupavérunt omnes vértices móntium : et muris circumdedérunt vicos suos, et congregavérunt fruménta in præparatiónem pugnæ.

Lectio iij.

ET clamávit omnis pópulus ad Dóminum instántia magna, et humiliavérunt ánimas suas in jejúniis, et oratiónibus, ipsi et mulíeres eórum. Et induérunt se Sacerdótes cilíciis, et infántes prostravérunt contra fáciem templi Dómini, et altáre Dómini operuérunt cilício : et clamavérunt ad Dóminum Deum Israel unanímiter.

FERIA TERTIA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 7.

HOLOFERNES autem áltera die præcépit exercítibus suis ut ascénderent contra Bethúliam. Erant autem pédites bellatórum centum vigínti míllia, et équites vigínti duo míllia, præter præparatiónes virórum illórum, quos occupáverat captívitas, et abdúcti fúerant de provínciis et úrbibus univérsæ juventútis. Omnes paravérunt se páriter ad pugnam contra fílios Israel.

Lectio ij.

FILII autem Israel ut vidérunt multitúdinem illórum, prostravérunt se super terram, mitténtes cinerem super cápita

sua, unánimes oránte ut Deus Israel misericórdiam suam osténderet super pópulum suum. Et assuménte arma sua béllica, sedérunt per loca, quæ ad angústi itíneris trámitem dirigunt inter montósa, et erant custodiéntes ea tota die et nocte.

Lectio iij.

PORRO Holofémes, dum círcuit per gyrum, réperit quod fons, qui influébat, aquæ ductum illórum a parte austráli extra civitátem dirígeret : et incídi præcépit aquæ ductum illórum. Erant tamen non longe a muris fontes, ex quibus furtim videbántur haurire aquam ad refocillándum pótius quam ad potándum.

FERIA QUARTA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 8.

ERAT autem Judith relícta (Manásse) vídua jam annis tribus, et ménsibus sex. Et in superióribus domus suæ fecit sibi secrétum cubículum, in quo cum puéllis suis clausa morabátur, et habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ, præter sábbata, et neoménias, et festa domus Israel. Erat autem elegánti aspéctu nimis, cui vir suus relíquerat divítias multas, et famíliam copiósam.

Lectio ij.

HÆC ítaque cum audísset quóniam Ozías promisísset quod transácto quinto die tráderet civitátem, misit ad presbyteros Chabri, et Charmi. Et venérunt ad illam, et dixit illis : Quod est hoc verbum, in quo consénsit Ozias, ut tradat civitátem Assyriis si intra quinque dies non vénerit vobis adjutórium? Et qui estis vos, qui tentátis Dóminum?

Lectio iij.

NON est iste sermo, qui misericórdiam próvocet, sed pótius qui iram éxcitet, et furórem accéndat. Et ídeo humiliémus illi ánimas nostras, et in spíritu constitúti humiliáto, serviéntes illi, dicámus flentes Dómino, ut secúndum voluntátem suam sic fáciat nobíscum misericórdiam suam : ut sicut conturbátum est cor nostrum in supérbia eórum, ita étiam de nostra humilitáte gloriémur.

FERIA QUINTA.

¶ Si mensis Septembris habuerit quatuor tantum Dominicas, in hac die et duabus sequentibus legantur Lectiones De libro Esther quæ mox infra reperiuntur pro quinta Dominica, et duabus sequentibus Feriis; et sequentes de Judith omittantur.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 10.

FACTUM est autem, cum cessásset clamáre ad Dóminum, surréxit de loco, in quo jacúerat prostráta ad Dóminum. Vocavítque abram suam, et descéndens in domum suam, ábstulit a se cilícium, et éxuit se vestiméntis viduitátis suæ, et lavit corpus suum, et unxit se myro óptimo, et discrimináit crinem cápitis sui, et impósuit mitram super caput suum, et índuit se vestiméntis jucunditátis suæ.

Lectio ij.

INDUITQUE sandália pédibus suis, assumpsítque destralíola, et lília, etináures, et ánulos, et ómnibus ornaméntis suis ornávit se. Cui étiam Dóminus cóntulit splendórem : quóniam omnis ista compositio non ex libídine, sed ex virtúte pendébat : et ídeo Dóminus hanc in illam pulchritúdinem ampliávit, ut incomparábili decóre ómnium óculis apparéret.

Lectio iij.

IMPOSUIT ítaque abræ suæ ascopéram vini, et vas ólei, et poléntam, et pálathas, et panes, et cáseum, et profécta est. Cumque venissent ad portam civitátis, invenérunt exspectántem Oziam et presbyteros civitátis. Qui cum vidíssent eam, stupéntes miráti sunt nimis pulchritúdinem ejus. Nihil tamen interrogántes eam, dimisérunt transíre.

Lectio ij.

HAC de causa cogitávi mecum, dicens : Vadam ad fáciem príncipis Holoférnis, ut índicem illi secréta illórum, et osténdam illi quo áditu possit obtinére eos, ita ut non cadat vir unus de exércitu ejus. Et cum audíssent viri illi verba ejus, considerábant fáciem ejus, et erat in óculis eórum stupor, quóniam pulchritúdinem ejus mirabántur nimis.

Lectio iij.

ET dixérunt ad eam : Conservásti ánimam tuam eo quod tale reperísti consílium, ut descénderes ad dóminum nostrum. Hoc autem scias, quóniam cum stéteris in conspéctu ejus, bene tibi fáciet, et eris gratíssima in corde ejus. Duxerúntque illam ad tabernáculum Holoférnis, annuntiántes eam. Cumque intrásset ante fáciem ejus, statim captus est in suis óculis Holofémes.

FERIA SEXTA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 10.

FACTUM est autem, cum descénderet montem, circa ortum diéi, occurrérunt ei exploratóres Assyriórum, et tenuérunt eam, dicéntes : Unde venis? aut quo vadis? Quæ respóndit : Fília sum Hebræórum, ídeo ego fugi a fácie eórum, quóniam futúrum agnóvi, quod dentur vobis in deprædatiónem, pro eo quod contemnéntes vos, noluérunt ultro trádere seípsos ut invenírent misericórdiam in conspéctu vestro.

SABBATO.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 13.

ERATQUE Judith sola in cubículo. Porro Holofémes jacébat in lecto, nímia ebrietáte sopítus. Dixítque Judith puéllæ suæ ut staret foris ante cubículum, et observáret. Stetítque Judith ante lectum, orans cum lácrimis, et labiórum motu in siléntio, dicens : Confírma me Dómine Deus Israel, et réspice in hac hora ad ópera mánuum meárum, ut, sicut promisísti, Jerúsalem civitátem tuam érigas : et hoc quod credens per te posse fíeri cogitávi, perfíciam.

Lectio ij.

Et cum hæc dixísset, accéssit ad colúmnam, quæ erat ad caput léctuli ejus, et pugiónem ejus, qui in ea ligátus pendébat, exsólvit. Cumque evaginásset illum, apprehéndit comam cápitis ejus, et ait : Confirma me Dómine Deus in hac hora. Et percússit bis in cervícem ejus, et abscídit caput ejus, et ábstulit conopéum ejus a colúmnis, et evólvit corpus ejus truncum.

Lectio iij.

Et post pusíllum exívit, et trádidit caput Holoférnis ancillæ suæ, et jussit ut mítteret illud in peram suam. Et exiérunt duæ, secúndum consuetúdinem suam, quasi ad oratiónem, et transiérunt castra, et gyrántes vallem, venérunt ad portam civitátis. Et dixit Judith a longe custódibus murórum : Aperíte portas, quóniam nobíscum est Deus, qui fecit virtútem in Israel.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Adónai Dómine Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ, exáudi preces servórum tuórum.

DOM. V. SEPTEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Esther.

Lectio j. Cap. 1.

In diébus Assuéri, qui regnávit ab India usque Æthiópiam super centum vigínti septem províncias : quando sedit in sólio regni sui, Susan cívitas regni ejus exórdium fuit. Tértio ígitur anno impérii sui fecit grande convívium cunctis princípibus, et púeris suis, fortíssimis Persárum, et Medórum ínclytis, et præféctis provinciárum coram se, ut osténderet divítias glóriæ regni sui.

Lectio ij.

Vasthi quoque regina fecit convívium feminárum in palátio, ubi rex Assuérus manére consuéverat. Itaque die séptimo, cum rex esset hilárior, et post nímiam potatiónem incaluísset mero, præcépit Maumam, et Bázatha, et Hárbona, et Bágatha, et Abgatha, et Zethar, et Charchas, septem eunúchis, qui in conspéctu ejus ministrábant, ut introdúcerent regínam Vasthi coram rege, pósito super caput ejus diadémate, ut osténderet cunctis pópulis et princípibus pulchritúdinem illíus : erat enim pulchra valde.

Lectio iij.

Quæ rénuit, et ad regis impérium, quod per eunúchos mandáverat, veníre contémpsit. Unde irátus rex, et nímio furóre succénsus, interrogávit sapiéntes, qui ex more régio semper ei áderant, et illórum faciébat cuncta consílio, sciéntium leges, ac jura majórum : cui senténtiæ Vasthi regina subjacéret, quæ Assuéri regis impérium, quod per eunúchos mandáverat, fácere noluísset.

FERIA SECUNDA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 2.

His ita gestis, postquam regis Assuéri indignátio defervébuerat, recordátus est Vasthi,

et quæ fecísset, vel quæ passa esset : dixerúntque púeri regis, ac minístri ejus : Quæ-rántur regi puéllæ vírgines ac speciósæ, et mittántur qui considerent per univérsas províncias puéllas speciósas et vírgines : et addúcant eas ad civitátem Susan.

Lectio ij.

ERAT vir Judæus in Susan civitáte, vocábulo Mardochæus fílius Jair, fílii Sémei, fílii Cis, de stirpe Jémini, qui translátus fúerat de Jerúsalem eo témpore, quo Jechoníam regem Juda Nabuchodónosor rex Babylónis transtúlerat, qui fuit nutrítius fíliæ fratris sui Edíssæ, quæ áltero nómine vocabátur Esther : et utrúmque paréntem amíserat : pulchra nimis, et decóra fácie.

Lectio iij.

MORTUISQUE patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptávit in fíliam. Cumque percrebuísset regis impérium, et juxta mandátum illíus multæ pulchræ vírgines adduceréntur Susan, et Egéo traderéntur eunúcho; Esther quoque inter céteras puéllas ei trádita est, ut servarétur in número feminárum. Quæ plácuit ei, et invénit grátiam in conspéctu illíus.

FERIA TERTIA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 2.

EVOLUTO autem témpore per órdinem, instábat dies, quo Esther fília Abíhail fratris Mardochæi, quam sibi adoptáverat in fíliam, debéret intráre ad regem. Quæ non quæsívit muliébrem cultum, sed quæcúmque vóluit Egéus eunúchus custos vírginum, hæc ei ad ornátum dedit. Erat enim formósa valde, et incredíbili pulchritúdine, ómnium óculis gratiósa et amábilis videbátur.

Lectio ij.

DUCTA est ítaque ad cubículum regis Assuéri mense décimo, qui vocátur Tebeth, séptimo anno regni ejus. Et adamávit eam rex plus quam omnes mulíeres, habuítque grátiam et misericórdiam coram eo super omnes mulíeres, et pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre in loco Vasthi.

Lectio iij.

EO ígitur témpore, quo Mardochæus ad regis jánuam morabátur, iráti sunt Bágathan, et Thares duo eunúchi regis, qui janitóres erant, et in primo palátii límine præsidébant : voluerúntque insúrgere in regem, et occídere eum. Quod Mardochæum non látuit, statímque nuntiávit reginæ Esther : et illa regi ex nómine Mardochæi, qui ad se rem detúlerat.

FERIA QUARTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 3.

POST hæc rex Assuérus exaltávit Aman fílium Amádathi, qui erat de stirpe Agag : et pósuit sólium ejus super omnes príncipes, quos habébat. Cunctíque servi regis, qui in fóribus palátii versabántur, flectébant génua et adorábant

Aman : sic enim præcéperat eis imperátor : solus Mardochæus non flectébat genu, neque adorábat eum. Cui dixérunt púeri regis, qui ad fores palátii præsidébant : Cur præter céteros non obsérvas mandátum regis?

Lectio ij.

CUMQUE hoc crébrius dícerent, et ille nollet audíre, nuntiavérunt Aman, scire cupiéntes utrum perseveráret in sententia : díxerat enim eis se esse Judæum. Quod cum audísset Aman, et experiménto probásset quod Mardochæus non fléctеret sibi genu, nec se adoráret, irátus est valde, et pro níhilo duxit in unum Mardochæum míttere manus suas.

Lectio iij.

AUDIERAT enim quod esset gentis Judææ : magísque vóluit omnem Judæórum, qui erant in regno Assuéri, pérdere natiónem. Mense primo (cujus vocábulum est Nisan) anno duodécimo regni Assuéri, missa est sors in urnam, quæ hebráice dícitur Phur, coram Aman, quo die et quo mense gens Judæórum debéret intérfici : et exívit mensis duodécimus, qui vocátur Adar.

FERIA QUINTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 5.

DIE autem tértio indúta est Esther regálibus vestiméntis, et stetit in átrio domus régiæ, quod erat intérius, contra basílicam regis. At ille sedébat super sólium suum in consistório palátii contra óstium domus. Cumque vidísset Esther regínam stantem, plácuit óculis ejus, et exténdit contra eam virgam áuream, quam tenébat manu. Quæ accédens, osculáta est summitátem virgæ ejus.

Lectio ij.

DIXITQUE ad eam rex : Quid vis Esther regína? quæ est petítio tua? étiam si dimídiam partem regni petíeris, dábitur tibi. At illa respóndit : Si regi placet, óbsecro ut vénias ad me hódie, et Aman tecum ad convívium, quod parávi. Statímque rex, Vocáte, inquit, cito Aman ut Esther obédiat voluntáti. Venérunt ítaque rex et Aman ad convívium, quod eis regína paráverat.

Lectio iij.

DIXITQUE ei rex, postquam vinum bíberat abundánter : Quid petis ut detur tibi? et pro qua re póstulas? étiam si dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Cui respóndit Esther : Petítio mea, et preces sunt istæ : Si invéni in conspéctu regis grátiam, et si regi placet ut det mihi quod póstulo, et meam ímpleat petitiónem : véniat rex et Aman ad convívium quod parávi eis, et cras apériam regi voluntátem meam.

FERIA SEXTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 6.

NOCTEM illam duxit rex insómnem, jussítque sibi afférri histórias et annáles priórum témporum. Quæ cum illo præsénte legeréntur,

ventum est ad illum locum ubi scriptum erat quómodo nuntiásset Mardochæus insídias Bágathan, et Thares eunuchórum, regem Assuérum jugulâre cupiéntium. Quod cum audísset rex, ait : Quid pro hac fide honóris ac præmii Mardochæus consecútus est? Dixérunt ei servi illíus ac minístri : Nihil omníno mercédis accépit.

Lectio ij.

STATIMQUE rex, Quis est, inquit, in átrio? Aman quippe intérius átrium domus régiæ intráverat, ut suggéreret regi, et jubéret Mardochæum affígi patíbulo, quod ei fúerat præparátum. Respondérunt púeri : Aman stat in átrio. Dixítque rex : Ingrediátur. Cumque esset ingréssus, ait illi : Quid debet fíeri viro, quem rex honoráre desíderat?

Lectio iij.

COGITANS autem in corde suo Aman, et réputans quod nullum álium rex, nisi se, vellet honoráre, respóndit : Homo, quem rex honoráre cupit, debet índui véstibus régiis, et impóni super equum, qui de sella regis est, et accípere régium diadéma super caput suum, et primus de régiis princípibus ac tyránnis téneat equum ejus, et per platéam civitátis incédens clamet, et dicat : Sic honorábitur, quemcúmque volúerit rex honoráre.

SABBATO.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 7.

INTRAVIT ítaque rex et Aman, ut bíberent cum regína. Dixítque ei rex étiam secúnda die, postquam vino incalúerat : Quæ est petítio tua Esther ut detur tibi? et quid vis fíeri? étiam si dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Ad quem illa respóndit : Si invéni grátiam in óculis tuis o rex, et si tibi placet, dona mihi ánimam meam pro qua rogo, et pópulum meum pro quo óbsecro.

Lectio ij.

TRADITI enim sumus ego et pópulus meus, ut conterámur, jugulémur, et pereámus. Atque útinam in servos et fámulas venderémur : esset tolerábile malum, et gemens tacérem : nunc autem hostis noster est, cujus crudélitas redúndat in regem. Respondénsque rex Assuérus ait : Quis est iste, et cujus poténtiæ, ut hæc áudeat fácere? Dixítque Esther : Hostis et inimícus noster péssimus iste est Aman.

Lectio iij.

DIXITQUE Hárbona, unus de eunúchis, qui stabant in ministério regis : En lignum, quod paráverat Mardochæo, qui locútus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitúdinis quinquaginta cúbitos. Cui dixit rex : Appéndite eum in eo. Suspénsus est ítaque Aman in patíbulo quod paráverat Mardochæo : et regis ira quiévit.

AD VESPERAS.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine : tu es super omnes gentes : * Da pacem Dómine In diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis, et fortis, justus, et miséricors. — Da pacem. Glória. In diébus nostris.

Ad Magnificat Aña. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, et in præcéptis suis, et fáciat pacem.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber primus Machabæórum.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est, postquam percússit Alexánder Philíppi Mácedo, qui primus regnávit in Græcia, egréssus de terra Cethim, Daríum regem Persárum, et Medórum : constítuit prœlia multa, et obtínuit ómnium munitiónes, et interfécit reges terræ, et pertránsiit usque ad fines terræ : et accépit spólia multitúdinis géntium : et síluit terra in conspéctu ejus.

℟. j. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, et in præcéptis suis, et fáciat pacem in diébus vestris : * Concédat vobis salútem, et rédimat vos a malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. — Concédat vobis salútem.

¶ Hæc Historia Adapériat Dóminus. legatur hodie, et in aliis sequentibus Dominicis, quando de eis agitur, usque ad primam Dominicam Novembris exclusive.

Lectio ij.

ET congregávit virtútem, et exércitum fortem nimis : et exaltátum est, et elevátum cor ejus : et obtínuit regiónes géntium, et tyránnos : et facti sunt illi in tribútum. Et post hæc décidit in lectum, et cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros suos nóbiles, qui secum erant nutríti a juventúte : et divísit illis regnum suum, cum adhuc víveret. Et regnávit Alexánder annis duódecim, et mórtuus est.

℟. ij. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, * Nec vos déserat in témpore malo. ℣. Det vobis cor ómnibus ut colátis eum, et faciátis ejus voluntátem. — Nec vos déserat in témpore malo.

Lectio iij.

ET obtinuérunt púeri ejus regnum, unusquísque in loco suo : et imposuérunt omnes sibi diadémata post mortem ejus, et fílii eórum post eos annis multis, et multiplicáta sunt mala in terra. Et éxiit ex eis radix peccátrix, Antíochus illústris, fílius Antíochi regis, qui fúerat Romæ obses : et regnávit in anno centésimo trigésimo séptimo regni Græcórum.

℟. iij. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine : tu es super omnes gentes : * Da pacem Dómine In diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis, et fortis, justus, et misericors. — Da pacem. Glória. In diébus nostris.

IN II. NOCTURNO.

℟. iv. Congregáti sunt inimíci nostri, et gloriántur in virtúte sua : cóntere fortitúdinem illórum, Dómine, et dispérge illos : * Ut cognóscant quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua : et depóne eos protéctor noster Dómine. — Ut cognóscant.

℟. v. Impetum inimicórum ne timuéritis : mémores estóte quómodo salvi facti sunt patres nostri : * Et nunc clamémus in cælum : et miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit Pharaóni et exercítui ejus in Mari rubro. — Et nunc.

℟. vj. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : * Et fortitúdo géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in prœlium. — Et fortitúdo. Glória. Et fortitúdo.

IN III. NOCTURNO.

℟. vij. Dixit Judas Simóni fratri suo : Elige tibi viros, et vade libera fratres tuos in Galilæam : ego autem, et Jónathas frater meus íbimus in Galaadítim : * Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat. ℣. Accingímini, et estóte fílii poténtes : quóniam mélius est nobis mori in bello, quam vidére mala gentis nostræ, et sanctórum. — Sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat.

℟. viij. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, * Qui magna fecit in Israel, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino. — Qui magna fecit.

℟. ix. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino : * Et facta est lætítia magna In pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum. — Et facta est. Glória. In pópulo.

℣ Hoc ℟. ix. Ornavérunt. semel lecto, loco illius in sequentibus Dominicis dicatur :

℟. ix. Honor, virtus, et poténtas, et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte, * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. — In perénni sæculórum témpore. Glória. In perénni sæculórum témpore.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. I.

ET parátum est regnum in conspéctu Antíochi, et cœpit regnáre in terra Ægypti ut regnáret super duo regna. Et intrávit in Ægyptum in multitúdine gravi, in cúrribus, et elephántis, et equítibus, et copiósa návium multitúdine : et constítuit bellum advérsus Ptolemæum regem Ægypti, et véritus est Ptolemæus a fácie ejus, et fugit, et cecidérunt vulneráti multi.

Lectio ij.

ET comprehéndit civitátes munítas in terra Ægypti : et accépit spólia terræ Ægypti. Et convértit Antíochus, postquam percússit Ægyptum in centésimo et quadragésimo tértio anno : et ascéndit ad Israel, et ascéndit Jerosólymam in multitúdine gravi. Et intrávit in sanctificatiónem cum supérbia.

Lectio iij.

ET accépit altáre áureum, et candelábrum lúminis, et univérsa vasa ejus, et mensam propositiónis, et libatória,

et phíalas, et mortaríola áurea, et velum, et corónas, et ornaméntum áureum, quod in fácie templi erat : et comminuit ómnia. Et accépit argéntum, et aurum, et vasa concupiscibília : et accépit thesáuros occúltos, quos invénit : et sublátis ómnibus ábiit in terram suam.

FERIA TERTIA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 1.

ET post duos annos diérum misit rex príncipem tributórum in civitátes Juda, et venit Jerúsalem cum turba magna. Et locútus est ad eos verba pacífica in dolo : et credidérunt ei. Et írruit super civitátem repénte, et percússit eam plaga magna, et pérdidit pópulum multum ex Israel. Et accépit spólia civitátis : et succéndit eam igni, et destrúxit domos ejus, et muros ejus in circúitu.

Lectio ij.

ET captívas duxérunt mulíeres : et natos, et pécora possedérunt. Et ædificavérunt civitátem David muro magno, et firmo, et túrribus firmis, et facta est illis in arcem : et posuérunt illic gentem peccatrícem viros iníquos, et convaluérunt in ea. Et posuérunt arma, et escas, et congregavérunt spólia Jerúsalem : et reposuérunt illic : et facti sunt in láqueum magnum.

Lectio iij.

ET factum est hoc ad insídias sanctificatióni, et in diábolum malum in Israel : et effudérunt sánguinem innocéntem per circúitum sanctificatiónis, et contaminavérunt sanctificatiónem. Et fugérunt habitatóres Jerúsalem propter eos, et facta est habitátio exterórum, et facta est éxtera sémini suo, et nati ejus reliquérunt eam. Sanctificátio ejus desoláta est sicut solitúdo.

FERIA QUARTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 1.

ET misit rex libros per manus nuntiórum in Jerúsalem, et in omnes civitátes Juda : ut sequeréntur leges géntium terræ, et prohibérent holocáusta, et sacrifícia, et placatiónes fíeri in templo Dei, et prohibérent celebrári sábbatum, et dies solémnes : et jussit coinquinári sancta, et sanctum pópulum Israel.

Lectio ij.

ET jussit ædificári aras, et templa, et idóla, et immolári carnes suíllas, et pécora commúnia, et relínquere fílios suos incircumcísos, et coinquinári ánimas eórum in ómnibus immúndis, et abominatiónibus, ita ut oblivisceréntur legem, et immutárent omnes justificatiónes Dei. Et quicúmque non fecíssent secúndum verbum regis Antíochi, morerétur.

Lectio iij.

SECUNDUM ómnia verba hæc scripsit omni regno suo : et præpósuit príncipes pópulo, qui hæc fieri cógerent. Et jussérunt civitátibus Juda sacrificáre. Et congregáti sunt multi de pópulo ad eos, qui derelíquerant legem Dómini :

et fecérunt mala super terram : et effugavérunt pópulum Israel in ábditis, et in abscónditis fugitivórum locis.

FERIA QUINTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 2.

IN diébus illis surréxit Mathathías fílius Joánnis, fílii Simeónis, sacérdos ex fíliis Jóarib ab Jerúsalem, et consédit in monte Modin : et habébat fílios quinque, Joánnem, qui cognominabátur Gaddis : et Simónem, qui cognominabátur Thasi : et Judam, qui vocabátur Machabæus : et Eleázarum, qui cognominabátur Abaron : et Jónathan, qui cognominabátur Apphus.

Lectio ij.

HI vidérunt mala, quæ fiébant in pópulo Juda, et in Jerúsalem. Et dixit Mathathías : Væ mihi, ut quid natus sum vidére contritiónem pópuli mei, et contritionem civitátis sanctæ, et sedére illic, cum datur in mánibus inimicórum? Sancta in manu extraneórum facta sunt : templum ejus sicut homo ignóbilis.

Lectio iij.

VASA glóriæ ejus captíva abdúcta sunt : trucidáti sunt senes ejus in platéis, et júvenes ejus cecidérunt in gládio inimicórum. Quæ gens non hereditávit regnum ejus, et non obtínuit spólia ejus? Omnis compositio ejus ablàta est. Quæ erat líbera, facta est ancílla.

FERIA SEXTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 2.

ET respondéntes qui missi erant ab Antíocho, dixérunt Mathathíæ : Princeps et claríssimus, et magnus es in hac civitáte, et ornátus fíliis, et frátribus. Ergo accéde prior, et fac jussum regis, sicut fecérunt omnes gentes, et viri Juda, et qui remansérunt in Jerúsalem : et eris tu, et fílii tui inter amícos regis, et amplificátus auro, et argénto, et munéribus multis.

Lectio ij.

ET respóndit Mathathías, et dixit magna voce : Et si omnes gentes regi Antíocho obédiunt, ut discédat unusquísque a servitúte legis patrum suórum, et conséntiat mandátis ejus : ego et fílii mei, et fratres mei obediémus legi patrum nostrórum. Propítius sit nobis Deus : non est nobis útile relínquere legem, et justítias Dei.

Lectio iij.

NON audiémus verba regis Antíochi, nec sacrificábimus transgrediéntes legis nostræ mandáta, ut eámus áltera via. Et ut cessávit loqui verba hæc, accéssit quidam Judæus in ómnium óculis sacrificáre idólis super aram in civitáte Modin, secúndum jussum regis : et vidit Mathathías, et dóluit, et contremuérunt renes ejus, et accénsus est furor ejus secúndum judícium legis, et insíliens trucidávit eum super aram.

SABBATO.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 2.

TUNC descendérunt multi quæréntes judícium, et justítiam, in desértum : et sedérunt ibi ipsi, et fílii eórum, et mulíeres eórum, et pécora eórum : quóniam inundavérunt super eos mala. Et renuntiátum est viris regis, et exercítui, qui erat in Jerúsalem civitáte David, quóniam discessíssent viri quidam, qui dissipavérunt mandátum regis, in loca occúlta in desérto, et abiíssent post illos multi.

Lectio ij.

ET statim perrexérunt ad eos, et constituérunt advérsus eos prœlium in die sabbatórum, et dixérunt ad eos : Resístitis et nunc adhuc? Exíte, et fácite secúndum verbum regis Antíochi, et vivétis. Et dixérunt : Non exíbimus, neque faciémus verbum regis, ut polluámus diem sabbatórum.

Lectio iij.

ET concitavérunt advérsus eos prœlium. Et non respondérunt eis, nec lápidem misérunt in eos, nec oppilavérunt loca occúlta, dicéntes : Moriámur omnes in simplicitáte nostra : et testes erunt super nos cælum, et terra, quod injúste pérditis nos. Et intulérunt illis bellum sábbatis : et mórtui sunt ipsi, et uxóres eórum, et fílii eórum, et pécora eórum usque ad mille ánimas hóminum.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Da pacem Dómine in diébus nostris : quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

DOMINICA II. OCTOBRIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 2.

TUNC congregáta est ad eos synagóga Assidæórum fortis víribus ex Israel, omnis voluntárius in lege : et omnes, qui fugiébant a malis, ádditi sunt ad eos, et facti sunt illis ad firmaméntum. Et collegérunt exércitum, et percussérunt peccatóres in ira sua, et viros iníquos in indignatióne sua : et céteri fugérunt ad natiónes, ut eváderent.

Lectio ij.

ET circuívit Mathathías, et amíci ejus, et destruxérunt aras : et circumcidérunt púeros incircumcísos quotquot invenérunt in fínibus Israel : et in fortitúdine. Et persecúti sunt fílios supérbiæ, et prosperátum est opus in mánibus eórum : et obtinuérunt legem de mánibus géntium, et de mánibus regum : et non dedérunt cornu peccatóri.

Lectio iij.

ET appropinquavérunt dies Mathathíæ moriéndi, et dixit fíliis suis : Nunc confortáta est supérbia, et castigátio, et tempus eversiónis, et ira indignatiónis. Nunc ergo, o fílii, æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum, et mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis : et accipiétis glóriam magnam, et nomen ætérnum.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 2. et cap. 3.

ET benedíxit eos (Mathathías), et appósitus est ad patres suos. Et defúnctus est anno centésimo et quadragésimo sexto : et sepúltus est a fíliis suis in sepúlcris patrum suórum in Modin, et planxérunt eum omnis Israel planctu magno. Et surréxit Judas, qui vocabátur Machabæus, fílius ejus pro eo : et adjuvábant eum omnes fratres ejus : et univérsi, qui se conjúnxerant patri ejus, et prœliabántur prœlium Israel cum lætítia.

Lectio ij.

ET dilatávit glóriam pópulo suo, et índuit se lorícam sicut gigas, et succínxit se arma béllica sua in proeliis, et protegébat castra gládio suo. Símilis factus est leóni in opéribus suis, et sicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et persecútus est iníquos perscrútans eos : et qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis.

Lectio iij.

ET repúlsi sunt inimíci ejus præ timóre ejus, et omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt : et dirécta est salus in manu ejus. Et exacerbábat reges multos, et lætificábat Jacob in opéribus suis, et in sæculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Juda, et pérdidit ímpios ex eis, et avértit iram ab Israel.

FERIA TERTIA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 3.

ET congregávit Apollónius gentes, et a Samária virtútem multam et magnam ad bellándum contra Israel. Et cognóvit Judas, et éxiit óbviam illi : et percússit, et occídit illum : et cecidérunt vulneráti multi, et réliqui fugérunt. Et accépit spólia eórum : et gládium Apollónii ábstulit Judas, et erat pugnans in eo ómnibus diébus.

Lectio ij.

ET audívit Seron princeps exércitus Syriæ, quod congregávit Judas congregatiónem fidélium, et ecclésiam secum, et ait : Fáciam mihi nomen, et glorificábor in regno, et debellábo Judam, et eos, qui cum ipso sunt, qui spernébant verbum regis. Et præparávit se : et ascendérunt cum eo castra impiórum fortes auxiliárii ut fácerent vindíctam in fílios Israel.

Lectio iij.

ET appropinquavérunt usque ad Béthoron : et exívit Judas óbviam illi cum paucis. Ut autem vidérunt exércitum veniéntem sibi óbviam, dixérunt Judæ : Quómodo potérimus pauci pugnáre contra multitúdinem tantam, et tam fortem, et nos fatigáti sumus jejúnio hódie? Et ait Judas : Fácile est conclúdi multos in manus paucórum : et non est differéntia in conspéctu Dei cæli liberáre in multis, et in paucis.

FERIA QUARTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 3.

ET congregátus est convéntus ut essent paráti in prœlium : et ut orárent, et péterent misericórdiam, et miseratiónes. Et Jerúsalem non habitabátur, sed erat sicut desértum : non erat qui ingrederétur et egrederétur de natis ejus : et sanctum conculcabátur : et fílii alienigenárum erant in arce, ibi erat habitátio géntium : et abláta est volúptas a Jacob, et defécit ibi tíbia, et cíthara.

Lectio ij.

ET congregáti sunt, et venérunt in Maspha contra Jerúsalem : quia locus oratiónis erat in Maspha ante in Israel. Et jejunavérunt illa die, et induérunt se cilíciis, et cínerem imposuérunt cápiti suo : et discidérunt vestiménta sua : et expandérunt libros legis, de quibus scrutabántur gentes similitúdinem simulacrórum suórum.

Lectio iij.

ET attulérunt ornaménta sacerdotália, et primítias, et décimas : et suscitavérunt Nazaræos, qui impléverant dies : et clamavérunt voce magna in cælum, dicéntes : Quid faciémus istis, et quo eos ducémus? Et sancta tua conculcáta sunt, et contamináta sunt, et sacerdótes tui facti sunt in luctum, et in humilitátem.

FERIA QUINTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 4.

CONGREGAVIT Lysias virórum electórum sexagínta míllia, et équitum quinque míllia, ut debelláret eos. Et venérunt in Judæam, et castra posuérunt in Béthoron, et occúrrit illis Judas cum decem míllibus viris. Et vidérunt exércitum fortem, et orávit, et dixit : Benedíctus es salvátor Israel, qui contrivísti ímpetum poténtis in manu servi tui David, et tradidísti castra alienigenárum in manu Jónathæ fílii Saul, et armígeri ejus.

Lectio ij.

CONCLUDE exércitum istum in manu pópuli tui Israel, et confundántur in exércitu suo, et equítibus. Da illis formídinem, et tábefac audáciam virtútis eórum, et commoveántur contritióne sua. Déjice illos gládio diligéntium te : et colláudent te omnes, qui novérunt nomen tuum, in hymnis. Et commisérunt prœlium : et cecidérunt de exércitu Lysiæ quinque míllia virórum.

Lectio iij.

VIDENS autem Lysias fugam suórum, et Judæórum audáciam, et quod paráti sunt aut vívere, aut mori fórtiter, ábiit Antiochiam, et elégit mílites, ut multiplicáti rursus venírent in Judæam. Dixit autem Judas, et fratres ejus : Ecce contríti sunt inimíci nostri : ascendámus nunc mundáre sancta, et renováre.

FERIA SEXTA.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 4.

TUNC ordinávit Judas viros ut pugnárent advérsus eos, qui erant in arce, donec emundárent sancta. Et elégit sacerdótes sine mácula, voluntátem habéntes in lege Dei : et mundavérunt sancta, et tulérunt lápides contaminatiónis in locum immúndum. Et cogitávit de altári holocaustórum, quod profanátum erat, quid de eo fáceret.

Lectio ij.

ET íncidit illis consílium bonum ut destrúerent illud : ne forte illis esset in oppróbrium, quia contaminavérunt illud gentes, et demolíti sunt illud. Et reposuérunt lápides in monte domus in loco apto, quoadúsque veníret prophéta, et respondéret de eis. Et accepérunt lápides íntegros secúndum legem, et ædificavérunt altáre novum secúndum illud, quod fuit prius.

Lectio iij.

ET ædificavérunt sancta, et quæ intra domum erant intrínsecus : et ædem, et átria sanctificavérunt. Et fecérunt vasa sancta nova, et intulérunt candelábrum, et altáre incensórum, et mensam in templum. Et incénsum posuérunt super altáre, et accendérunt lucérnas, quæ super candelábrum erant, et lucébant in templo.

SABBATO.

De libro primo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 4.

OBTULERUNT sacrifícium secúndum legem super altáre holocaustórum novum, quod fecérunt. Secúndum tempus et secúndum diem, in qua contaminavérunt illud gentes, in ipsa renovátum est in cánticis, et citharis, et cínyris, et in cymbalis. Et cécidit omnis pópulus in fáciem, et adoravérunt, et benedixérunt in cælum eum, qui prosperávit eis.

Lectio ij.

ET fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo, et obtulérunt holocáusta cum lætítia, et sacrifícium salutáris, et laudis. Et ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et scútulis : et dedicavérunt portas, et pastophória, et imposuérunt eis jánuas. Et facta est lætítia in pópulo magna valde, et avérsum est oppróbrium géntium.

Lectio iij.

ET státuit Judas, et fratres ejus, et univérsa ecclésia Israel ut agátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus suis ab anno in annum per dies octo a quinta et vigésima die mensis Casleu, cum lætítia et gáudio. Et ædificavérunt in témpore illo montem Sion, et per circúitum muros altos, et turres firmas, ne quando venírent gentes, et conculcárent eum sicut ántea fecérunt.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine : tu es super omnes gentes : da pacem Dómine in diébus nostris.

DOM. III. OCTOBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber secúndus Machabæórum.

Lectio j. Cap. 1.

FRATRIBUS, qui sunt per Ægyptum, Judæis, salútem dicunt fratres, qui sunt in Jerosólymis, Judæi, et qui in regióne Judææ, et pacem bonam. Benefáciat vobis Deus, et memínerit testaménti sui, quod locútus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob servórum suórum fidélium : et det vobis cor ómnibus ut colátis eum, et faciátis ejus voluntátem corde magno, et ánimo volénti. Adapériat cor vestrum in lege sua, et in præcéptis suis, et fáciat pacem. Exáudiat oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Et nunc hic sumus oántes pro vobis.

Lectio ij.

REGNANTE Demétrio, anno centésimo sexagésimo nono, nos Judæi scrípsimus vobis in tribulatióne, et ímpetu, qui supervénit nobis in istis annis, ex quo recéssit Jason a sancta terra, et a regno. Portam succendérunt, et effudérunt sánguinem innocéntem : et oravímus ad Dóminum, et exaudíti sumus.

Lectio iij.

ANNO centésimo octogésimo octávo, pópulus, qui est Jerosólymis, et in Judæa, Senatúsque et Judas, his, qui in Ægypto sunt, Judæis salútem, et sanitátem. De magnis perículis a Deo liberáti, magnífice grátias ágimus ipsi, útpote qui advérsus talem regem dimicávimus. Per ómnia benedíctus Deus, qui trádidit ímpios. Factúri ígitur quinta et vigésima die mensis Casleu purificatiónem templi, necessárium dúximus significáre vobis : ut et vos quoque agátis diem scenopégiæ, et diem ignis, qui datus est quando Nehemías ædificáto templo et altári óbtulit sacrifícia.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 1.

ORATIONEM autem faciébant omnes sacerdótes, dum consummarétur sacrifícium, Jónatha inchoánte, céteris autem respondéntibus. Et Nehemíæ erat orátio hunc habens modum : Dómine Deus ómnium creátor, terríbilis, et fortis, justus, et miséricors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus justus, et omnípotens, et ætérnus, qui líberas Israel de omni malo, qui fecísti patres eléctos, et sanctificásti eos : áccipe sacrifícium pro univérso pópulo tuo Israel, et custódi partem tuam, et sanctífica.

Lectio ij.

CONGREGA dispersiónem nostram, líbera eos, qui sérviunt géntibus, et contémptos et abominátos réspice : ut sciant gentes quia tu es Deus noster. Affláge oppriménte nos, et contuméliam faciéntes in supérbia. Constítue pópulum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Móyses. Sacerdótes autem psallébant hymnos, úsquequo consúmptum esset sacrifícium.

Lectio iij.

CUM autem consúmptum esset sacrifícium, ex resídua aqua Nehemías jussit lápides majóres perfúndi. Quod ut factum est, ex eis flamma accénsa est : sed ex lúmine, quod refúlsit ab altári, consúmpta est. Ut vero manifestáta est res, renuntiátum est regi Persárum quod in loco, in quo ignem abscónderant hi, qui transláti fúerant, sacerdótes, aqua appáruit, de qua Nehemías, et qui cum eo erant, purificavérunt sacrifícia.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 2.

INVENITUR autem in descriptiónibus Jeremíæ prophétæ, quod jussit eos ignem accípere qui transmigrábant : ut significátum est, et ut mandávit transmigrátis. Et dedit illis legem ne obliviscerántur præcépta Dómini, et ut non exerrárent méntibus vidéntes simulácra áurea, et argéntea, et ornaménta eórum. Etália hujúsmodi dicens, hortabátur ne legem amovérent a corde suo.

Lectio ij.

ERAT autem in ipsa scriptúra, quómodo tabernáculum, et arcam jussit prophéta divíno respónso ad se facto comitári secum, úsquequo éxiit in montem, in quo Móyses ascéndit, et vidit Dei hereditátem. Et véniens ibi Jeremías invénit locum spelúncæ : et tabernáculum, et arcam, et altáre incénsi íntulit illuc, et óstium obstrúxit.

Lectio iij.

ET accessérunt quidam simul, qui sequebántur, ut notárent sibi locum : et non potuérunt invenire. Ut autem cognóvit Jeremías, culpans illos, dixit : Quod ignótus erit locus, donec cóngreget Deus congregatiónem pópuli, et propítius fiat : et tunc Dóminus osténdet hæc, et apparébit majéstas Dómini, et nubes erit, sicut et Móysi manifestabátur, et sicut cum Sálomon pétiit ut locus sanctificarétur magno Deo, manifestábat hæc.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 3.

IGITUR cum sancta cívitas habitarétur in omni pace, leges étiam adhuc óptime custodiréntur, propter Oníæ pontíficis pietátem, et ánimos ódio habéntes mala, fiébat ut et ipsi reges, et príncipes locum summo honóre dignum dúcerent, et templum máximis munéribus illustrárent : ita ut Seléucus Asiæ rex de redítibus suis præstáret omnes sumptus ad ministérium sacrificiórum pertinéntes.

Lectio ij.

SIMON autem de tribu Bénjamin præpósitus templi constitútus, contendébat, obsisténte sibi príncipe sacerdótum, iníquum áliquid in civitáte molíri. Sed cum víncere Oníam non posset, venit ad Apollónium Tharsææ fílium, qui eo témpore erat dux Cœlesyriæ, et Phœnícis : et nuntiávit ei,

pecúniis innumerabílibus plenum esse ærárium Jerosólymis, et commúnes cópias imménsas esse, quæ non pértinent ad ratiónem sacrificiórum : esse autem possíbile sub potestáte regis cádere univérsa.

Lectio iij.

CUMQUE retulísset ad regem Apollónius de pecúniis, quæ delátæ erant, ille accítum Heliodórum, qui erat super negótia ejus, misit cum mandátis, ut prædictam pecúniam transportáret. Statímque Heliodórus iter est aggréssus, spécie quidem quasi per Cœlesyriam, et Phœnícen civitátes esset peragratúrus, re vera autem regis propósitum perfectúrus.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 3.

CONSTITUTA autem die intrábat de his Heliodórus ordinatúrus. Non módica vero per univérsam civitátem erat trepidátio. Sacerdótes autem ante altáre cum stolis sacerdotálibus jactavérunt se, et invocábant de cælo eum, qui de depósitis legem pósuit; ut his, qui deposúerant ea, salva custódiret. Jam vero qui vidébat summi sacerdótis vultum, mente vulnerabátur : fácies enim, et color immutátus declarábat intérnum ánimi dolórem.

Lectiò ij.

CIRCUMFUSA enim erat mæstítia quædam viro, et horror córporis, per quem maniféstus aspiciéntibus dolor cordis ejus efficiebátur. Alii étiam gregátim de dómibus confluébant, pública supplicatióne obsecrántes, pro eo quod in contémptum locus esset ventúrus. Accinctæque mulíeres cilíciis pectus, per platéas confluébant.

Lectio iij.

SED et vírgines, quæ conclúsæ erant, procurrébant ad Oníam, áliæ autem ad muros, quædam vero per fenéstras aspiciébant : univérsæ autem protendéntes manus in cælum, deprecabántur. Erat enim mísera commístæ multitúdinis, et magni sacerdótis in agóne constitúti exspectátio.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 3.

HELIODORUS autem, quod decréverat, perficiébat eódem loco ipse cum satellítibus circa ærárium præsens. Sed spíritus omnipoténtis Dei magnam fecit suæ ostensiónis evidéntiam, ita ut omnes, qui ausi fúerant parére ei, ruéntes Dei virtúte, in dissolutiónem, et formídinem converteréntur.

Lectio ij.

APPARUIT enim illis quidam equus terríbilem habens sessórem, óptimis operiméntis adornátus : isque cum ímpetu Heliodóro prióres calces elísit : qui autem ei sedébat, videbátur arma habére áurea. Alii étiam apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glória, speciosíque amíctu : qui circumstetérunt eum, et ex utráque parte flagellábant, sine intermissióne multis plagis verberántes.

Lectio iij.

SUBITO autem Heliodórus cóncidit in terram, eúmque multa calígine circumfúsum rapuérunt, atque in sella gestatória pósitum ejecérunt. Et is, qui cum multis cursóribus, et satellítibus prædíctum ingréssus est ærárium, portabátur nullo sibi auxílium ferénte, manifésta Dei cógnita virtúte : et ille quidem per divinam virtútem jacébat mutus, atque omni spe et salúte privátus.

SABBATO.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 5.

EODEM témpore Antíochus secúndam profectiónem parávit in Ægyptum. Cóntigit autem per univérsam Jerosolymórum civitátem vidéri diébus quadragínta per áera équites discurréntes, aurátas stolas habéntes, et hastis, quasi cohórtes, armátos, et cursus equórum per órdines digéstos, et congressiónes fíeri cóminus, et scutórum motus, et galeatórum multitúdinem gládiis districtis, et telórum jactus, et aureórum armórum splendórem, omnísque géneris loricárum.

Lectio ij.

QUAPROPTER omnes rogábant in bonum monstra convérti. Sed cum falsus rumor exísset, tamquam vita excessísset Antíochus, assúmptis Jason non minus mille viris, repénte agréssus est civitátem : et cívibus ad murum convolántibus ad últimum apprehénsa civitáte, Meneláus fugit in arcem : Jason vero non parcébat in cæde cívibus suis, nec cogitábat prosperitátem advérsum cognátos malum esse máximum, árbitrans hóstium et non cívium se trophæa captúrum.

Lectio iij.

ET principátum quidem non obtínuit, finem vero insidiárum suárum confusiónem accépit, et prófugus íterum ábiit in Ammanítem. Ad últimum, in exítium sui conclúsus ab Aréta Arabum tyránno fúgiens de civitáte in civitátem, ómnibus odiósus, ut réfuga legum et exsecrábilis, ut pátriæ et cívium hostis, in Ægyptum extrúsus est.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Accingímini fílii poténtes, et estóte paráti pugnáre in prœlio : quóniam mélius est nobis mori in bello, quam vidére mala gentis nostræ, et sanctórum : sicut fúerit volúntas in cælo, sic fiat.

DOM. IV. OCTOBRIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 6.

SED non post multum témporis misit rex (Antíochus) senem quemdam Antiochénum, qui compélleret Judæos ut se transférrent a pátriis, et Dei légibus : contamináre étiam quod in Jerosólymis erat templum, et cognomináre Jovis Olympii : et in Gárizim, prout erant hi, qui locum inhabitábant, Jovis hospitális. Péssima autem et univérsis gravis erat

malórum incúrsio : nam templum luxúria, et comessatiónibus géntium erat plenum, et scortántium cum meretrícibus : sacratísque ædibus mulíeres se ultro ingerébant, intro feréntes ea, quæ non licébat.

Lectio ij.

ALTARE étiam plenum erat illícitis, quæ légibus prohibebántur. Neque autem sábbata custodiebántur, neque dies solémnes pátrii servabántur, nec simplíciter Judæum se esse quisquam confitebátur. Ducebántur autem cum amára necessitáte in die natális regis ad sacrifícia : et, cum Líberi sacra celebraréntur, cogebántur hédera coronáti Líbero circuíre.

Lectio iij.

DECRETUM autem éxiit in próximas gentílium civitátes, suggeréntibus Ptolemæis, ut pari modo et ipsi advérsus Judæos ágerent, ut sacrificárent : eos autem, qui nollent transíre ad institúta géntium, interfícerent. Erat ergo vidére misériam. Duæ enim mulíeres delátæ sunt natos suos circumcidísse : quas, infántibus ad úbera suspénsis, cum públice per civitátem circumduxíssent, per muros præcipitavérunt.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 6.

IGITUR Eleázarus unus de primóribus scribárum, vir ætáte provéctus, et vultu decórus, apérto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, voluntárie præíbat ad supplícium. Intuens autem, quemádmodum oportéret accédere, patiénter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem.

Lectio ij.

HI autem, qui astábant, iníqua miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secréto rogábant afférri carnes, quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse, sicut rex imperáverat de sacrifícii cárnibus : ut, hoc facto, a morte liberarétur : et propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

Lectio iij.

AT ille cogitáre cœpit ætátis ac senectútis suæ eminéntiam dignam, et ingénitæ nobilitátis canítiem, atque a púero óptimæ conversatiónis actus : et secúndum sanctæ, et a Deo cónditæ legis constitúta, respóndit cito, dicens, præmítti se velle in inférnum. Non enim ætáti nostræ dignum est, inquit, fíngere : ut multi adolescéntium, arbitrántes Eleázarum nonagínta annórum transísse ad vitam alienigenárum : et ipsi propter meam simulatiónem, et propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiántur.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 7.

CONTIGIT autem et septem fratres una cum matre sua apprehénsos compélli a rege

édere contra fas carnes porcínas, flagris, et táureis cruciátos. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait : Quid quæris, et quid vis díscere a nobis? paráti sumus mori, magis, quam pátrias Dei leges prævaricári. Irátus ítaque rex jussit sartágines, et ollas æneas succéndi : quibus statim succénsis, jussit ei, qui prior fúerat locútus, amputári linguam : et, cute cápitis abstrácta, summas quoque manus et pedes ei præscíndi, céteris ejus frátribus, et matre inspiciéntibus.

Lectio ij.

ET, cum jam per ómnia inútilis factus esset, jussit ignem admovéri, et adhuc spiántem torréri in sartágine : in qua cum diu cruciarétur, céteri una cum matre ínvicem se hortabántur mori fórtiter, dicéntes : Dóminus Deus aspíciet veritátem, et consolábitur in nobis, quemádmodum in protestatióne cántici declarávit Móyses : Et in servis suis consolábitur.

Lectio iij.

MORTUO ítaque illo primo, hoc modo, sequéntem deducébant ad illudéndum : et, cute cápitis ejus cum capíllis abstrácta, interrogábant, si manducáret prius, quam toto córpore per membra síngula punirétur. At ille, respóndens pátria voce, dixit : Non fáciam. Propter quod et iste, sequénti loco, primi torménta suscépit.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 7.

POST hunc tértius illúditur, et linguam postulátus cito prótulit, et manus constánter exténdit : et cum fidúcia ait : E cælo ista possídeo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea recepturum spero : ita ut rex, et qui cum ipso erant, miraréntur adolescéntis ánimum, quod tamquam níhilum dúceret cruciátus.

Lectio ij.

ET hoc ita defúncto, quartum vexábant simíliter torquéntes. Et, cum jam esset ad mortem, sic ait : Pótius est ab homínibus morti datos spem exspectáre a Deo, íterum ab ipso resuscitándos : tibi enim resurréctio ad vitam non erit. Et cum admovíssent quintum, vexábant eum. At ille, respíciens in eum, dixit : Potestátem inter hómines habens, cum sis corruptíbilis, facis quod vis : noli autem putáre genus nostrum a Deo esse derelíctum. Tu autem patiénter sústine, et vidébis magnam potestátem ipsíus, quáliter te, et semen tuum torquébit.

Lectio iij.

POST hunc ducébant sextum, et is, mori incípiens, sic ait : Noli frustra erráre : nos enim propter nosmetípsos hæc pátimur, peccántes in Deum nostrum, et digna admiratióne facta sunt in nobis : tu autem ne exístimes tibi impúne futúrum, quod contra Deum pu-

gnáre tentáveris. Supra modum autem mater mirábilis, et bonórum memória digna, quæ pereúntes septem fílios sub uníus diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat propter spem, quam in Deum habébat : síngulos illórum hortabátur voce pátria fórtiter, repléta sapiéntia.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 7.

ANTIOCHUS autem, contémni se arbitrátus, simul et exprobrántis voce despécta, cum adhuc adolescéntior supersésset, non solum verbis hortabátur, sed et cum juraménto affirmábat se dívitem et beátum factúrum, et translátum a pátriis légibus amícum habitúrum, et res necessárias ei præbitúrum. Sed ad hæc cum adoléscens nequáquam inclinarétur, vocávit rex matrem, et suadébat ei ut adolescénti fíeret in salútem.

Lectio ij.

CUM autem multis eam verbis esset hortátus, promísit suasúram se fílio suo. Itaque inclináta ad illum, irrídens crudélem tyránnum, ait pátria voce : Fili mi, miserére mei, quæ te in útero novem ménsibus portávi, et lac triénnio dedi et álui, et in ætátem istam perdúxi. Peto, nate, ut aspícias ad cælum, et terram, et ad ómnia quæ in eis sunt : et intélligas, quia ex níhilo fecit illa Deus, et hóminum genus.

Lectio iij.

ITA fiet, ut non tímeas carnificem istum, sed dignus frátribus tuis efféctus párticeps, súscipe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam. Cum hæc illa adhuc díceret, ait adoléscens : Quem sustinétis? non obédio præcépto regis, sed præcépto legis, quæ data est nobis per Móysen. Tu vero, qui invéntor omnis malítiæ factus es in Hebræos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis nostris hæc pátimur.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 8.

JUDAS vero Machabæus, et qui cum illo erant, introíbant laténter in castélla : et convocántes cognátos, et amicos, et eos, qui permansérunt in Judaísmo, assuméntes, eduxérunt ad se sex míllia virórum. Et invocábant Dóminum, ut respíceret in pópulum, qui ab ómnibus calcabátur : et misererétur templo, quod contaminabátur ab ímpiis : misererétur étiam extermínio civitátis, quæ esset íllico complanánda, et vocem sánguinis ad se clamántis audíret.

Lectio ij.

AT Machabæus, congregáta multitúdine, intolerábilis géntibus efficiebátur : ira enim Dómini in misericórdiam convérsa est. Et supervéniens castéllis, et civitátibus improvísus, succendébat eas : et opportúna loca óccupans, non paucas hóstium strages dabat : máxime autem nóctibus ad hujuscémodi excúrsus ferebátur, et fama virtútis ejus ubíque diffundebátur.

Lectio iij.

VIDENS autem Philíppus paulátim virum ad profectum veníre, ac frequéntius res ei cédere próspere, ad Ptolemæum ducem Cœlesyriæ, et Phœnícis scripsit ut auxílium ferret regis negótiis. At ille velóciter misit Nicánorem Pátrocli de primóribus amícum, datis ei de permístis géntibus, armátis non minus viginti míllibus, ut univérsum Judæórum genus deléret.

SABBATO.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 8.

CONVOCATIS autem Machabæus septem míllibus, qui cum ipso erant, rogábat ne hóstibus reconciliaréntur, neque metúerent iníque veniéntium advérsum se hóstium multitúdinem, sed fórtiter conténderent, ante óculos habéntes contuméliam, quæ loco sancto ab his injúste esset illáta, itémque et ludíbrio hábitæ civitátis injúriam, adhuc étiam véterum institúta convúlsa.

Lectio ij.

ADMONUIT autem eos et de auxíliis Dei, quæ facta sunt erga paréntes : et quod sub Sennácherib centum octogínta quinque míllia periérunt : et de prœlio, quod eis advérsus Gálatas fuit in Babylónia, ut omnes, ubi ad rem ventum est, Macedónibus sóciis hæsitántibus, ipsi sex míllia soli peremérunt centum víginti míllia propter auxílium illis datum de cælo, et beneficia pro his plúrima consecúti sunt.

Lectio iij.

AD hoc étiam ab Esdra lecto illis sancto libro, et dato signo adjutórii Dei, in prima ácie ipse dux commísit cum Nicánore. Et facto sibi adjutóre Omnipoténte, interfecérunt super novem míllia hóminum : majórem autem partem exércitus Nicánoris vulnéribus débilem factam fúgere compulérunt.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo.

DOMINICA V. OCTOBRIS.

IN I. NOCTURNO.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 9.

ANTIOCHUS inhonéste revertebátur de Pérside. Intráverat enim in eam, quæ dícitur Persépolis, et tentávit exspoliáre templum, et civitátem opprímere : sed multitúdine ad arma concurrénte, in fugam versi sunt : et ita cóntigit ut Antíochus post fugam túrpiter rediret. Et cum venísset circa Ecbátanam, recognóvit quæ erga Nicánorem, et Timótheum gesta sunt.

Lectio ij.

ELATUS autem in ira, arbitrabátur se injúriam illórum, qui se fugáverant, posse in Judæos retorquére : ideóque jussit agitári currum suum, sine intermissióne agens iter, cælésti eum judício perurgénte, eo quod ita supérbe lo-

cútus est se ventúrum Jerosólymam, et congériem sepúlcri Judæórum eam factúrum. Sed qui univérsa cónspicit Dóminus Deus Israel, percússit eum insanábili, et invisíbili plaga.

Lectio iij.

UT enim finívit hunc ipsum sermónem, apprehéndit eum dolor dirus víscerum, et amára internórum torménta ; et quidem satis juste, quippe qui multis, et novis cruciátibus aliórum tórserat víscera, licet ille nullo modo a sua malítia cessáret. Super hoc autem supérbia replétus, ignem spirans ánimo in Judæos, et præcípiens accelerári negótium, cóntigit illum ímpetu eúntem de curru cádere, et gravi córporis collisióne membra vexári.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 9.

ISQUE (Antíochus) qui sibi videbátur étiam flúctibus maris imperáre, supra humánum modum supérbia replétus, et móntium altitúdines in statéra appéndere, nunc humiliátus ad terram in gestatório portabátur, maniféstam Dei virtútem in semetípso contéstans : ita ut de córpore ímpii vermes scaturírent, ac vivéntis in dolóribus carnes ejus efflúerent, odóre étiam illíus et fœtóre exércitus gravarétur.

Lectio ij.

ET qui paulo ante sídera cæli contíngere se arbitrabátur, eum nemo póterat propter intoleréntiam fœtóris portáre. Hinc ígitur cœpit ex gravi supérbia dedúctus ad agnitiónem sui veníre, divína admónitus plaga, per moménta síngula dolóribus suis augménta capiéntibus. Et cum nec ipse jam fœtórem suum ferre posset, ita ait : Justum est súbditum esse Deo, et mortálem non pária Deo sentíre.

Lectio iij.

ORABAT autem hic sceléstus Dóminum, a quo non esset misericórdiam consecutúrus. Et civitátem, ad quam festínans veniébat ut eam ad solum dedúceret, ac sepúlcrum congestórum fáceret, nunc optat líberam réddere : et Judæos, quos nec sepultúra quidem se dignos habitúrum, sed ávibus ac feris diripiéndos traditúrum, et cum párvulis exterminatúrum dixerat, æquáles nunc Atheniénsibus factúrum pollicétur.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 9.

SED non cessántibus dolóribus (supervénerat enim in eum justum Dei judícium) despérans scripsit (Antíochus) ad Judæos in modum deprecatiónis epístolam hæc continéntem : Optimis civibus Judæis plúrimam salútem, et bene valére, et esse felíces, rex et princeps Antíochus. Si bene valétis, et fílii vestri, et ex sententia vobis cuncta sunt, máximas ágimus grátias.

Lectio ij.

ET ego in infirmitáte constitútus, vestri autem memor benígne, revérsus de Pérsidis locis, et infirmitáte gravi apprehénsus, necessárium duxi pro commúni utilitáte curam habére : non despérans memetípsum, sed spem multam habens effugiéndi infirmitátem.

Lectio iij.

RESPICIENS autem quod et pater meus, quibus tempóribus in locis superióribus ducébat exércitum, osténdit qui post se suscíperet principátum : ut si quid contrárium accíderet, aut difficile nuntiarétur, sciéntes hi, qui in regiónibus erant, cui esset rerum summa derelícta, non turbaréntur. Ad hæc, consíderans de próximo poténtes quosque, et vicínos tempóribus insidiántes, et evéntum exspectántes, designávi fílium meum Antíochum regem.

Lectio ij.

QUIBUS cum juraménto dicéntibus nescíre se ubi esset qui quærebátur, exténdens manum ad templum, jurávit, dicens : Nisi Judam mihi vinctum tradidéritis, istud Dei fanum in planítiem dedúcam, et altáre effódiam, et templum hoc Líbero patri consecrábo. Et his dictis ábiit.

Lectio iij.

SACERDOTES autem protendéntes manus in cælum, invocábant eum, qui semper propugnátor esset gentis ipsórum, hæc dicéntes : Tu Dómine universórum, qui nullíus índiges, voluísti templum habitatiónis tuæ fíeri in nobis. Et nunc sancte sanctórum ómnium Dómine, consérva in ætérnum impollútam domum istam, quæ nuper mundáta est.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 14.

AT Machabæus, videns secum austérius ágere Nicánorem, et consuétum occúrsum ferócius exhibéntem, intélligens non ex bono esse austeritátem istam, paucis suórum congregátis, occultávit se a Nicánore. Quod cum ille cognóvit fórtiter se a viro præventum, venit ad máximum et sanctíssimum templum : et sacerdótibus sólitas hóstias offeréntibus, jussit sibi tradi virum.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 15.

NICANOR autem, ut cómperit Judam esse in locis Samáriæ, cogitávit cum omni ímpetu die sábbati committere bellum. Judæis vero, qui illum per necessitátem sequebántur, dicéntibus : Ne ita feróciter, et bárbare féceris, sed honórem tríbue diéi sanctificatiónis, et honóra eum, qui univérsa cónspicit : ille infélix interrogávit, si est potens in cælo, qui imperávit agi diem sabbatórum.

Lectio ij.

ET respondéntibus illis, Est Dóminus vivus ipse in cælo potens, qui jussit agi séptimam diem. At ille ait : Et ego potens sum super terram, qui ímpero sumi arma, et negótia regis impléri. Tamen non obtínuit ut consílium perfíceret. Et Nicánor quidem cum summa supérbia eréctus, cogitáverat commúne trophæum statúere de Juda.

Lectio iij.

MACHABÆUS autem semper confidébat cum omni spe auxílium sibi a Deo adfutúrum : et hortabátur suos ne formidárent ad advéntum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cælo, et nunc sperárent ab Omnipoténte sibi adfutúram victóriam. Et allocútus eos de lege, et prophétis, ádmonens étiam certámina, quæ fécerant prius, promptióres constítuit eos.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 15.

ERAT autem hujuscémodi visus : Oníam, qui fúerat summus sacérdos, virum bonum et benígnum, verecúndum visu, modéstum móribus, et elóquio decórum, et qui a púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Post hoc apparuísse et álium virum ætáte, et glória mirábilem, et magni decóris habitúdine circa illum : respondéntem vero Oníam dixísse : Hic est fratrum amátor, et pópuli Israel : hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte, Jeremías prophéta Dei.

Lectio ij.

EXTENDISSE autem Jeremíam dextram, et dedísse Judæ gládium áureum, dicéntem : Accipe sanctum gládium munus a Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Israel. Exhortáti ítaque Judæ sermónibus bonis valde, de quibus extólli posset ímpetus, et ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre et confligere fórtiter : ut virtus de negótiis judicáret, eo quod cívitas sancta, et templum periclitaréntur.

Lectio iij.

ET, cum jam omnes sperárent judícium futúrum, hostésque adéssent, atque exércitus esset ordinátus, béstiæ, equitésque opportúno in loco compósiti, consíderans Machabæus advéntum multitúdinis, et apparátum várium armórum, et ferocitátem bestiárum, exténdens manus in cælum, prodígia faciéntem Dóminum invocávit, qui non secúndum armórum poténtiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victóriam.

SABBATO.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 15.

NICANOR autem, et qui cum ipso erant, cum tubis et cánticis admovébant. Judas vero, et qui cum eo erant, invocáto Deo, per oratiónes congréssi sunt :

manu quidem pugnántes, sed Dóminum córdibus orántes, prostravérunt non minus trigínta quinque míllia, præséntia Dei magnífice delectáti. Cumque cessássent, et cum gáudio redírent, cognovérunt Nicánorem ruísse cum armis suis.

Lectio ij.

FACTO ítaque clamóre, et perturbatióne excitáta, pátria voce omnipoténtem Dóminum benedicébant. Præcépit autem Judas. qui per ómnia córpore et ánimo mori pro cívibus parátus erat, caput Nicánoris, et manum cum húmero abscíssam, Jerosólymam perférri. Quo cum pervenísset, convocátis contribúlibus, et sacerdótibus ad altáre, accérsiit et eos, qui in arce erant.

Lectio iij.

ET osténso cápite Nicánoris, et manu nefária, quam exténdens contra domum sanctam omnipoténtis Dei, magnífice gloriátus est. Linguam étiam ímpii Nicánoris præcísam jussit particulátim ávibus dari : manum autem deméntis contra templum suspéndi. Omnes ígitur cæli benedixérunt Dóminum, dicéntes : Benedíctus, qui locum suum incontaminátum servávit.

AD VESPERAS.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis : inclína Deus meus aurem tuam, et audi. * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israel inténde : qui dedúcis velut ovem Joseph. — Aperi. Glória. Aperi.

Ad Magnificat Aña. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum : et plena erat omnis terra majestáte ejus : et ea, quæ sub ipso erant, replébant templum.

DOM. I. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis. cum essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt cæli, et vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachin, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi sacerdótem in terra Chaldæórum, secus flumen Chobar : et facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, et ecce ventus túrbinis veniébat ab aquilóne : et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circúitu ejus : et de médio ejus quasi spécies eléctri, id est de médio ignis. Tu autem.

℟. j. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum : et plena erat omnis terra majestáte ejus : * Et ea, quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ álteri. — Et ea, quæ.

¶ Hæc Historia Vidi Dóminum. legatur hodie et in aliis sequentibus Dominicis, quando de eis agitur, usque ad Dominicam primam Adventus exclusive.

Lectio ij.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium : et hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, et planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli, et scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus : et fácies, et pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum. Tu autem.

℟. ij. Aspice Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis : inclína Deus meus aurem tuam, et audi : * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israel, inténde : qui dedúcis velut ovem Joseph. — Aperi.

Lectio iij.

NON revertebántur cum incéderent : sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur. Similitúdo autem vultus eórum : fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor : fácies autem bovis a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper : duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum : et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat. Tu autem.

℟. iij. Aspice Dómine quia facta est desoláta cívitas plena divítiis : sedet in tristítia dómina géntium : * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus. ℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrimæ ejus in maxíllis ejus. — Non est. Glória. Non est.

IN II. NOCTURNO.

℟. iv. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes, tota die, et nocte non tacébunt, * Laudántes nomen Dómini. ℣. Prædicábunt pópulis fortitúdinem meam, et annuntiábunt in géntibus glóriam meam. — Laudántes.

℟. v. Muro tuo inexpugnábili circumcínge nos Dómine, et armis tuæ poténtiæ prótege nos semper: * Líbera, Dómine Deus Israel, clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo. — Líbera.

℟. vj. Sustinúimus pacem, et non venit : quæsívimus bona, et ecce turbátio : cognóvimus Dómine peccáta nostra : * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris : injúste égimus, iniquitátem fécimus. — Non in perpétuum. Glória. Non in perpétuum.

IN III. NOCTURNO.

℟. vij. Angústiæ mihi sunt úndique, et quid éligam, ignóro : * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est : si autem non égero, non effúgiam manus vestras. — Mélius.

℟. viij. Misit Dóminus Angelum suum, et conclúsit ora leónum, et non me contaminavérunt : * Quia coram eo justítia invénta est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Quia coram eo.

℟. ix. Laudábilis pópulus, quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens : Opus mánuum meárum tu es : * Heréditas mea Israel. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus : pópulus eléctus in hereditátem. — Heréditas mea Israel. Glória. Heréditas mea Israel.

Hoc ℟. ix. Laudábilis pópulus. semel lecto, loco illius in sequentibus Dominicis dicatur : ℟. ix. Honor, virtus, et potéstas, et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte, * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. — In perénni sæculórum témpore. Glória. In perénni sæculórum témpore.

FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 2.

ET vidi, et cécidi in fáciem meam, et audívi vocem loquéntis. Et dixit ad me : Fili hóminis sta super pedes tuos, et loquar tecum. Et ingréssus est in me spíritus postquam locútus est mihi, et státuit me supra pedes meos : et audívi loquéntem ad me, et dicéntem : Fili hóminis, mitto ego te ad fílios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recessérunt a me. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

IPSI et patres eórum prævaricáti sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et fílii dura facie, et indomábili corde sunt, ad quos ego mitto te : et dices ad eos : Hæc dicit Dóminus Deus : Si forte vel ipsi áudiant, et si forte quiéscant, quóniam domus exásperans est : et scient quia prophéta fúerit in médio eórum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

TU ergo fili hóminis ne tímeas eos, neque sermónes eórum métuas : quóniam incréduli, et subversóres sunt tecum, et cum scorpiónibus hábitas. Verba eórum ne tímeas, et vultus eórum ne formídes : quia domus exásperans est. Loquéris ergo verba mea ad eos, si forte áudiant, et quiéscant : quóniam irritatóres sunt. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA TERTIA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 3.

ET dixit ad me : Fili hóminis quodcúmque invéneris cómede : cómede volúmen istud, et vadens lóquere ad fílios Israel. Et apérui os meum, et cibávit me volúmine illo : et dixit ad me : Fili hóminis venter tuus cómedet, et víscera tua complebúntur volúmine isto, quod ego do tibi. Et comédi illud : et factum est in ore meo sicut mel dulce. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET dixit ad me : Fili hóminis vade ad domum Israel, et loquéris verba mea ad eos. Non enim ad pópulum profúndi sermónis, et ignótæ linguæ tu mítteris ad domum Israel :

neque ad pópulos multos profúndi sermónis, et ignótæ linguæ, quorum non possis audíre sermónes : et si ad illos mitteréris, ipsi audírent te. Domus autem Israel nolunt audíre te : quia nolunt audíre me. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

OMNIS quippe domus Israel attríta fronte est, et duro corde. Ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum, et frontem tuam duriórem fróntibus eórum. Ut adamántem, et ut sílicem dedi fáciem tuam : ne tímeas eos, neque métuas a fácie eórum : quia domus exásperans est. Et dixit ad me : Fili hóminis omnes sermónes meos, quos ego loquor ad te, assúme in corde tuo, et áuribus tuis audi. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA QUARTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 3.

ET assúmpsit me spíritus, et audívi post me vocem commotiónis magnæ : Benedícta glória Dómini de loco suo. Et vocem alárum animálium percutiéntium álteram ad álteram, et vocem rotárum sequéntium animália, et vocem commotiónis magnæ. Spíritus quoque levávit me, et assúmpsit me : et ábii amárus in indignatióne spíritus mei : manus enim Dómini erat mecum, confórtans me. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET veni ad transmigratiónem, ad acérvum novárum frugum, ad eos, qui habitábant juxta flumen Chobar, et sedi ubi illi sedébant : et mansi ibi septem diébus mærens in médio eórum. Cum autem pertransíssent septem dies, factum est verbum Dómini ad me, dicens : Fili hóminis speculatórem dedi te dómui Israel : et áudies de ore meo verbum, et annuntiábis eis ex me. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

SI dicénte me ad ímpium : Morte moriéris : non annuntiáveris ei, neque locútus fúeris ut avertátur a via sua ímpia, et vivat : ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris ímpio, et ille non fúerit convérsus ab impietáte sua, et a via sua impia : ipse quidem in iniquitáte sua moriétur, tu autem ánimam tuam liberásti. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 4.

ET tu fili hóminis sume tibi láterem, et pones eum coram te : et descríbes in eo civitátem Jerúsalem. Et ordinábis advérsus eam obsidiónem, et ædificábis munitiónes, et comportábis ággerem, et dabis contra eam castra, et pones aríetes in gyro. Et tu sume tibi sartáginem férream, et pones eam

in murum férreum inter te, et inter civitátem : et obfirmábis fáciem tuam ad eam, et erit in obsidiónem, et circúmdabis eam : signum est dómui Israel. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET tu dórmies super latus tuum sinístrum, et pones iniquitátes domus Israel super eo número diérum, quibus dórmies super illud, et assúmes iniquitátem eórum. Ego autem dedi tibi annos iniquitátis eórum, número diérum trecéntos et nonagínta dies : et portábis iniquitátem domus Israel. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET cum compléveris hæc, dórmies super latus tuum déxterum secúndo : et assúmes iniquitátem domus Juda quadragínta diébus : diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Et ad obsidiónem Jerúsalem convértes fáciem tuam, et bráchium tuum erit exténtum : et prophetábis advérsus eam. Ecce circúmdedi te vínculis : et non te convértes a látere tuo in latus áliud, donec cómpleas dies obsidiónis tuæ. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA SEXTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 5.

ET tu fili hóminis sume tibi gládium acútum, radéntem pilos : et assúmes eum, et duces per caput tuum, et per barbam tuam : et assúmes tibi statéram pónderis, et dívides eos. Tértiam partem igni combúres in médio civitátis, juxta completiónem diérum obsidiónis : et assúmes tértiam partem, et concídes gládio in circúitu ejus : tértiam vero áliam dispérges in ventum, et gládium nudábo post eos. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET sumes inde parvum número merum : et ligábis eos in summitáte pállii tui. Et ex eis rursum tolles, et projícies eos in médio ignis, et combúres eos igni : et ex eo egrediétur ignis in omnem domum Israel. Hæc dicit Dóminus Deus : Ista est Jerúsalem, in médio géntium pósui eam, et in circúitu ejus terras. Et contémpsit judícia mea, ut plus esset ímpia quam gentes : et præcépta mea ultra quam terræ, quæ in circúitu ejus sunt. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

JUDICIA enim mea projecérunt, et in præcéptis meis non ambulavérunt. Idcirco hæc dicit Dóminus Deus : Quia superástis gentes, quæ in circúitu vestro sunt, et in præcéptis meis non ambulástis, et judícia mea non fecístis, et juxta judícia géntium, quæ in circúitu vestro sunt, non estis operáti : ídeo hæc dicit Dóminus Deus : Ecce ego ad te, et ipse ego fáciam in médio tui judícia in óculis géntium. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 6.

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens : Fili hóminis pone fáciem tuam ad montes Israel, et prophetábis ad eos, et dices : Montes Israel audíte verbum Dómini Dei : Hæc dicit Dóminus Deus móntibus, et cóllibus, rúpibus, et vállibus : Ecce ego indúcam super vos gládium, et dispérdam excélsa vestra, et demóliar aras vestras, et confringéntur simulácra vestra : et dejíciam interféctos vestros ante idóla vestra. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET dabo cadávera filiórum Israel ante fáciem simulacrórum vestrórum : et dispérgam ossa vestra circum aras vestras in ómnibus habitatiónibus vestris. Urbes desértæ erunt, et excélsa demoliéntur, et dissipabúntur : et interíbunt aræ vestræ, et confringéntur : et cessábunt idóla vestra, et conteréntur delúbra vestra, et delebúntur ópera vestra. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET cadet interféctus in médio vestri : et sciétis quia ego sum Dóminus. Et relínquam in vobis eos, qui fúgerint gládium in géntibus, cum dispérsero vos in terris. Et recordabúntur mei liberáti vestri in géntibus, ad quas captívi ducti sunt : quia contrívi cor eórum fórnicans, et recédens a me ; et óculos eórum fornicántes post idóla sua. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Muro tuo inexpugnábili circumcínge nos Dómine, et armis tuæ poténtiæ prótege nos semper, Deus noster.

℣ Si mensis Novembris quinque Dominicas habuerit, omnes Lectiones ut signatæ sunt legántur. Si vero quatuor tantum Dominicas habuerit, Lectiones sequentis Dominicæ et Hebdomadæ de Ezechiele dimittantur, et quæ pro tertia Dominica et Hebdomada notatæ sunt, in Dominica et Hebdomada secunda ; et quæ pro quarta, in tertia ; et quæ pro quinta, in quarta recitentur.

DOM. II. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 7.

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens : Et tu fili hóminis, hæc dicit Dóminus Deus terræ Israel : Finis venit, venit finis super quátuor plagas terræ. Nunc finis super te, et immíttam furórem meum in te : et judicábo te juxta vias tuas : et ponam contra te omnes abominatiónes tuas. Et non parcet óculus meus super te, et non miserébor : sed vias tuas ponam super te, et abominatiónes tuæ in médio tui erunt : et sciétis quia ego Dóminus. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

HÆC dicit Dóminus Deus : Afflíctio una, afflíctio ecce venit : finis venit, venit finis, evigilávit advérsum te : ecce venit. Venit contrítio super te, qui hábitas in terra : venit tempus, prope est dies occisiónis, et non glóriæ móntium. Nunc de propínquo effúndam iram meam super te, et complébo furórem meum in te : et judicábo te juxta vias tuas, et impónam tibi ómnia scélera tua. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET non parcet óculus meus, nec miserébor, sed vias tuas impónam tibi, et abominatiónes tuæ in médio tui erunt : et sciétis quia ego sum Dóminus percútiens. Ecce dies, ecce venit : egréssa est contrítio, flóruit virga, germinávit supérbia : iníquitas surréxit in virga impietátis : non ex eis, et non ex pópulo, neque ex sónitu eórum : et non erit réquies in eis. Venit tempus, appropinquávit dies : qui emit, non lætétur : et qui vendit, non lúgeat : quia ira super omnem pópulum ejus. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 8.

ET factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis : ego sedébam in domo mea, et senes Juda sedébant coram me, et cécidit ibi super me manus Dómini Dei. Et vidi, et ecce similitúdo quasi aspéctus ignis : ab aspéctu lumbórum ejus, et deórsum, ignis : et a lumbis ejus, et sursum, quasi aspéctus splendóris, ut vísio eléctri. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET emíssa similitúdo manus apprehéndit me in cincínno cápitis mei : et elevávit me Spíritus inter terram, et cælum : et addúxit me in Jerúsalem in visióne Dei, juxta óstium intérius, quod respiciébat ad aquilónem, ubi erat statútum idólum zeli ad provocándam æmulatiónem. Et ecce ibi glória Dei Israel secúndum visiónem, quam víderam in campo. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET dixit ad me : Fili hóminis, leva óculos tuos ad viam aquilónis. Et levávi óculos meos ad viam aquilónis : et ecce ab aquilóne portæ altáris idólum zeli in ipso introítu. Et dixit ad me : Fili hóminis, putásne, vides tu quid isti fáciunt, abominatiónes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recédam a sanctuário meo? et adhuc convérsus vidébis abominatiónes majóres. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA TERTIA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 8.

ET ingréssus vidi, et ecce omnis similitúdo reptílium,

et animálium, abominátio, et univérsa idóla domus Israel depicta erant in paríete in circúitu per totum. Et septuagínta viri de senióribus domus Israel, et Jezonías fílius Saphan stabat in médio eórum, stántium ante pictúras : et unusquísque habébat thuríbulum in manu sua : et vapor nébulæ de thure consurgébat. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET dixit ad me : Certe vides fili hóminis quæ senióres domus Israel fáciunt in ténebris, unusquísque in abscóndito cubículi sui : dicunt enim : Non videt Dóminus nos, derelíquit Dóminus terram. Et dixit ad me : Adhuc convérsus vidébis abominatiónes majóres, quas isti fáciunt. Et introdúxit me per óstium portæ domus Dómini, quod respiciébat ad aquilónem : et ecce ibi muliéres sedébant plangéntes Adónidem. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET dixit ad me : Certe vidisti fili hóminis : adhuc convérsus vidébis abominatiónes majóres his. Et introdúxit me in átrium domus Dómini intérius : et ecce in óstio templi Dómini inter vestíbulum et altáre, quasi vigínti quinque viri dorsa habéntes contra templum Dómini, et fácies ad oriéntem : et adorábant ad ortum solis. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA QUARTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 9.

ET clamávit in áuribus meis voce magna, dicens : Appropinquavérunt visitatiónes urbis, et unusquísque vas interfectiónis habet in manu sua. Et ecce sex viri veniébant de via portæ superióris, quæ réspicit ad aquilónem : et uniuscujúsque vas intéritus in manu ejus : vir quoque unus in médio eórum vestítus erat líneis, et atramentárium scriptóris ad renes ejus : et ingréssi sunt, et stetérunt juxta altáre æreum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET glória Dómini Israel assúmpta est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus : et vocávit virum, qui indútus erat líneis, et atramentárium scriptóris habébat in lumbis suis. Et dixit Dóminus ad eum : Transi per médiam civitátem in médio Jerúsalem : et signa thau super frontes virórum geméntium, et doléntium super cunctis abominatiónibus, quæ fiunt in médio ejus. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET illis dixit, audiénte me : Transíte per civitátem sequéntes eum, et percútite : non parcat óculus vester, neque misereámini. Senem, adolescéntulum, et vírginem, párvulum, et muliéres interfícite usque ad interneciónem :

omnem autem, super quem vidéritis thau, ne occidátis, et a sanctuário meo incípite. Cœpérunt ergo a viris senióribus, qui erant ante fáciem domus. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 13.

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens : Fili hóminis, vaticináre ad prophétas Israel, qui prophétant : et dices prophetántibus de corde suo : Audíte verbum Dómini. Hæc dicit Dóminus Deus : Væ prophétis insipiéntibus, qui sequúntur spíritum suum, et nihil vident. Quasi vulpes in desértis, prophétæ tui Israel erant. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

NON ascendístis ex advérso, neque opposuístis murum pro domo Israel, ut starétis in prœlio in die Dómini. Vident vana, et divínant mendácium, dicéntes : Ait Dóminus : cum Dóminus non míserit eos : et perseveravérunt confirmáre sermónem. Numquid non visiónem cassam vidístis, et divinatiónem mendácem locúti estis? et dícitis, Ait Dóminus : cum ego non sim locútus. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

PROPTEREA hæc dicit Dóminus Deus : Quia locúti estis vana, et vidístis mendácium : ídeo ecce ego ad vos, dicit Dóminus Deus : Et erit manus mea super prophétas, qui vident vana, et divínant mendácium : in consílio pópuli mei non erunt, et in scriptúra domus Israel non scribéntur, nec in terram Israel ingrediéntur : et sciétis quia ego Dóminus Deus. Eo quod decéperint pópulum meum, dicéntes : Pax, et non est pax. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA SEXTA

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 14.

ET venérunt ad me viri seniórum Israel, et sedérunt coram me. Et factus est sermo Dómini ad me, dicens : Fili hóminis, viri isti posuérunt immundítias suas in córdibus suis, et scándalum iniquitátis suæ statuérunt contra fáciem suam : numquid interrogátus respondébo eis? Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

PROPTER hoc lóquere eis, et dices ad eos : Hæc dicit Dóminus Deus : Homo homo de domo Israel, qui posúerit immundítias suas in corde suo, et scándalum iniquitátis suæ statúerit contra fáciem suam, et vénerit ad prophétam intérrogans per eum me : ego Dóminus respondébo ei in multitúdine immunditiárum suárum : ut capiátur domus Israel in corde suo, quo recessérunt a me in cunctis idólis suis. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

PROPTEREA dic ad domum Israel : Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini, et recédite ab idólis vestris, et ab univérsis contaminatiónibus vestris avértite fácies vestras. Quia homo homo de domo Israel, et de prosélytis quicúmque ádvena fúerit in Israel, si alienátus fúerit a me, et posúerit idóla sua in corde suo, et scándalum iniquitátis suæ statúerit contra fáciem suam, et vénerit ad prophétam ut intérroget per eum me : ego Dóminus respondébo ei per me. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

SABBATO.

De Ezechíele Prophéta.

Lectio j. Cap. 14.

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens : Fili hóminis, terra cum peccáverit mihi, ut prævaricétur præváricans, exténdam manum meam super eam, et cónteram virgam panis ejus : et immíttam in eam famem, et interfíciam de ea hóminem, et juméntum. Et si fúerint tres viri isti in médio ejus, Noe, Dániel, et Job : ipsi justítia sua liberábunt ánimas suas, ait Dóminus exercítuum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

QUOD si et béstias péssimas indúxero super terram ut vastem eam : et fúerit ínvia, eo quod non sit pertránsiens propter béstias : tres viri isti si fúerint in ea, vivo ego, dicit Dóminus Deus, quia nec fílios, nec fílias liberábunt : sed ipsi soli liberabúntur, terra autem desolábitur. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

VEL si gládium indúxero super terram illam, et dixero gládio : Transi per terram : et interfécero de ea hóminem, et juméntum : et tres viri isti fúerint in médio ejus : vivo ego, dicit Dóminus Deus, non liberábunt fílios, neque fílias : sed ipsi soli liberabúntur. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Qui cælórum cóntines thronos, et abyssos intuéris, Dómine rex regum, montes pónderas, terram palmo conclúdis : exáudi nos Dómine in gemítibus nostris.

DOMINICA III. VEL II. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Daniélis Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

ANNO tértio regni Jóakim regis Juda, venit Nabuchodónosor rex Babylónis in Jerúsalem, et obsédit eam; et trádidit Dóminus in manu ejus Jóakim regem Juda, et partem vasórum domus Dei : et asportávit ea in terram Sénnaar in domum dei sui, et vasa íntulit in domum thesáuri dei sui. Et ait rex Asphenez præpósito eunuchórum ut introdúceret de fíliis Israel, et de sémine régio

et tyrannórum, púeros, in quibus nulla esset mácula, decóros forma, et erudítos omni sapiéntia, cautos sciéntia, et doctos disciplína, et qui possent stare in palátio regis, ut docéret eos lítteras, et linguam Chaldaeórum. Tu autem.

Lectio ij.

ET constítuit eis rex annónam per síngulos dies de cibis suis, et de vino unde bibébat ipse, ut enutríti tribus annis, póstea starent in conspéctu regis. Fuérunt ergo inter eos de fíliis Juda, Dániel, Ananías, Mísael, et Azarías. Et impósuit eis præpósitus eunuchórum, nómina : Daniéli, Báltassar : Ananíæ, Sidrach : Misaéli, Misach : et Azaríæ, Abdénago. Tu autem.

Lectio iij.

PROPOSUIT autem Dániel in corde suo ne polluerétur de mensa regis, neque de vino potus ejus : et rogávit eunuchórum præpósitum ne contaminarétur. Dedit autem Deus Daniéli grátiam et misericórdiam in conspéctu príncipis eunuchórum. Et ait princeps eunuchórum ad Daniélem : Tímeo ego dóminum meum regem, qui constítuit vobis cibum et potum : qui si víderit vultus vestros macilentióres præ céteris adolescéntibus coævis vestris, condemnábitis caput meum regi. Tu autem.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 7.

ANNO primo Báltassar regis Babylónis, Dániel sómnium vidit : vísio autem cápitis ejus in cubíli suo : et sómnium scribens, brevi sermóne comprehéndit : summatímque perstríngens, ait : Vidébam in visióne mea nocte, et ecce quátuor venti cæli pugnábant in mari magno. Et quátuor béstiæ grandes ascendébant de mari divérsæ inter se. Tu autem.

Lectio ij.

PRIMA quasi leaena, et alas habébat áquilæ : aspiciébam donec evúlsæ sunt alæ ejus, et subláta est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor hóminis datum est ei. Et ecce béstia ália símilis urso in parte stetit : et tres órdines erant in ore ejus, et in déntibus ejus, et sic dicébant ei : Surge, cómede carnes plúrimas. Tu autem.

Lectio iij.

POST hæc aspiciébam, et ecce ália quasi pardus, et alas habébat quasi avis, quátuor super se, et quátuor cápita erant in béstia, et potéstas data est ei. Post hæc aspiciébam in visióne noctis, et ecce béstia quarta terríbilis, et fortis nimis, dentes férreos habébat magnos, comedens atque comminuens, et réliqua pédibus suis concúlcans. Tu autem.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 7.

ASPICIEBAM ergo in visióne noctis, et ecce cum núbibus cæli quasi fílius hóminis veniébat, et usque ad Antíquum diérum pervénit : et in conspéctu ejus obtulérunt eum. Et dedit ei potestátem, et honórem, et regnum : et omnes

pópuli, tribus, et linguæ ipsi sérvient : potéstas ejus, potéstas ætérna, quæ non auferétur : et regnum ejus, quod non corrumpétur. Tu autem.

Lectio ij.

HORRUIT spíritus meus, ego Dániel térritus sum in his, et visiónes cápitis mei conturbavérunt me. Accéssi ad unum de assisténtibus, et veritátem quærébam ab eo de ómnibus his. Qui dixit mihi interpretatiónem sermónum, et dócuit me. Hæ quátuor béstiæ magnæ : quátuor sunt regna, quæ consúrgent de terra. Tu autem.

Lectio iij.

SUSCIPIENT autem regnum sancti Dei altíssimi : et obtinébunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculórum. Post hoc vólui diligénter díscere de béstia quarta, quæ erat dissímilis valde ab ómnibus, et terríbilis nimis : dentes et ungues ejus férrei : comedébat, et comminuébat, et réliqua pédibus suis conculcábat : et de córnibus decem, quæ habébat in cápite. Tu autem.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 8.

ANNO tértio regni Báltassar regis, vísio appáruit mihi. Ego Dániel post id, quod víderam in princípio, vidi in visióne mea, cum essem in Susis castro, quod est in Ælam regióne : vidi autem in visióne esse me super portam Ulai. Et levávi óculos meos, et vidi : et ecce áries unus stabat ante palúdem, habens córnua excélsa, et unum excélsius áltero atque succréscens. Tu autem.

Lectio ij.

POSTEA vidi aríetem córnibus ventilántem contra occidéntem, et contra aquilónem, et contra meridiem, et omnes béstiæ non póterant resístere ei, neque liberári de manu ejus : fecítque secúndum voluntátem suam, et magnificátus est. Et ego intelligébam : ecce autem hircus caprárum veniébat ab occidénte super fáciem totíus terræ, et non tangébat terram. Tu autem.

Lectio iij.

PORRO hircus habébat cornu insígne inter óculos suos. Et venit usque ad aríetem illum cornútum, quem víderam stantem ante portam, et cucúrrit ad eum in ímpetu fortitúdinis suæ. Cumque appropinquásset prope aríetem, efferátus est in eum, et percússit aríetem : et commínuit duo córnua ejus, et non póterat áries resístere ei. Tu autem.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 9.

CUMQUE adhuc lóquerer, et orárem, et confitérer peccáta mea, et peccáta pópuli mei Israel, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei, pro monte sancto Dei mei : adhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque : Dániel nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres. Tu autem.

Lectio ij.

AB exórdio precum tuárum egréssus est sermo : ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es : tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam ut consummétur prævaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iniquitas, et adducátur justítia sempitérna, et impleátur vísio, et prophetía, et ungátur Sanctus sanctórum. Tu autem.

Lectio iij.

SCITO ergo, et animadvérte : Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt : et rursum ædificábitur platéa, et muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus : et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Tu autem.

FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 10.

ANNO tértio Cyri regis Persárum, verbum revelátum est Daniéli cognoménto Báltassar, et verbum verum, et fortitúdo magna : intellexítque sermónem : intelligéntia enim est opus in visióne. In diébus illis ego Dániel lugébam trium hebdomadárum diébus, panem desiderábilem non comédi, et caro et vinum non introiérunt in os meum, sed neque unguénto unctus sum : donec compleréntur trium hebdomadárum dies. Tu autem.

Lectio ij.

DIE autem vigésima et quarta mensis primi eram juxta flúvium magnum, qui est Tigris. Et levávi óculos meos, et vidi : et ecce vir unus vestítus líneis, et renes ejus accíncti auro obrízo : et corpus ejus quasi chrysólithus, et fácies ejus velut spécies fúlguris, et óculi ejus ut lampas ardens : et bráchia ejus, et quæ deórsum sunt usque ad pedes, quasi spécies æris candéntis : et vox sermónum ejus ut vox multitúdinis. Tu autem.

Lectio iij.

VIDI autem ego Dániel solus visiónem : porro viri, qui erant mecum, non vidérunt : sed terror nímius írruit super eos, et fugérunt in abscónditum. Ego autem relíctus solus vidi visiónem grandem hanc : et non remánsit in me fortitúdo, sed et spécies mea immutáta est in me, et emárcui, nec hábui quidquam vírium. Tu autem.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 12.

IN témpore autem illo consúrget Michael princeps magnus, qui stat pro fíliis pópuli tui : et véniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœpérunt usque ad tempus illud. Et in témpore illo

salvábitur pópulus tuus, omnis qui invéntus fúerit scriptus in libro. Et multi de his, qui dórmiunt in terræ púlvere, evigiláburt : álii in vitam ætérnam, et álii in oppróbrium ut vídeant semper. Tu autem.

Lectio ij.

QUI autem docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti : et qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas ætérnitátes. Tu autem Dániel claude sermónes, et signa librum usque ad tempus statútum : plúrimi pertransíbunt, et múltiplex erit sciéntia. Et vidi ego Dániel, et ecce quasi duo álii stabant : unus hinc super ripam flúminis, et álius inde ex áltera ripa flúminis. Tu autem.

Lectio iij.

ET dixi viro, qui erat indútus líneis, qui stabat super aquas flúminis : Usquequo finis horum mirabílium? Et audívi virum, qui indútus erat líneis, qui stabat super aquas flúminis, cum elevásset déxteram et sinístram suam in cælum, et jurásset per vivéntem in ætérnum, quia in tempus, et témpora, et dimídium témporis. Et cum compléta fúerit dispérsio manus pópuli sancti, complebúntur univérsa hæc. Tu autem.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Sustinúimus pacem, et non venit Dómine : quæsívimus bona, et ecce turbátio : cognóvimus Dómine peccáta nostra : ne in ætérnum obliviscáris nos, Deus Israel.

DOMINICA IV. VEL III. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Osée Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VERBUM Dómini, quod factum est ad Osée fílium Béeri, in diébus Oziæ, Jóathan, Achaz, Ezechíæ regum Juda, et in diébus Jeróboam fílii Joas regis Israel. Princípium loquéndi Dómino in Osée : et dixit Dóminus ad Osée : Vade, sume tibi uxórem fornicatiónum, et fac tibi fílios fornicatiónum : quia fórnicans fornicábitur terra a Dómino. Et ábiit, et accépit Gomer fíliam Debélaim : et concépit, et péperit ei fílium. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET dixit Dóminus ad eum : Voca nomen ejus Jézrahel : quóniam adhuc módicum, et visitábo sánguinem Jézrahel super domum Jehu, et quiéscere fáciam regnum domus Israel. Et in illa die cónteram arcum Israel in valle Jézrahel. Et concépit adhuc, et péperit fíliam. Et dixit ei : Voca nomen ejus Absque misericórdia : quia non addam ultra miseréri dómui Israel, sed oblivióne oblivíscar eórum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET dómui Juda miserébor, et salvábo eos in Dómino Deo suo : et non salvábo eos in arcu, et gládio, et in bello, et in equis, et in equítibus.

Et ablactávit eam, quæ erat Absque misericórdia. Et concépit, et péperit fílium. Et dixit : Voca nomen ejus, Non pópulus meus : quia vos non pópulus meus, et ego non ero vester. Et erit número filiórum Israel quasi aréna maris, quæ sine mensúra est, et non numerábitur. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA SECUNDA.

De Osée Prophéta.

Lectio j. - Cap. 2.

DICITE frátribus vestris : Pópulus meus : et soróri vestræ, Misericórdiam consecúta. Judicáte matrem vestram, judicáte : quóniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Auferat fornicatiónes suas a fácie sua, et adultéria sua de médio úberum suórum : ne forte exspóliem eam nudam, et státuam eam secúndum diem nativitátis suæ : et ponam eam quasi solitúdinem, et státuam eam velut terram ínviam, et interfíciam eam siti. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET filiórum illíus non miserébor : quóniam fílii fornicatiónum sunt. Quia fornicáta est mater eórum, confúsa est quæ concépit eos : quia dixit : Vadam post amatóres meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, óleum meum, et potum meum. Propter hoc ecce ego sépiam viam tuam spinis, et sépiam eam macéria, et sémitas suas non invéniet. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET sequétur amatóres suos, et non apprehéndet eos : et quæret eos, et non invéniet, et dicet : Vadam, et revértar ad virum meum priórem : quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. Et hæc nescívit, quia ego dedi ei fruméntum, et vinum, et óleum, et argéntum multiplicávi ei, et aurum, quæ fecérunt Baal. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA TERTIA.

De Osée Prophéta.

Lectio j. Cap. 4.

AUDITE verbum Dómini fílii Israel, quia judícium Dómino cum habitatóribus terræ : non est enim véritas, et non est misericórdia, et non est sciéntia Dei in terra. Maledíctum, et mendácium, et homicídium, et furtum, et adultérium inundavérunt, et sanguis sánguinem tétigit. Propter hoc lugébit terra, et infirmábitur omnis, qui hábitat in ea, in béstia agri, et in vólucre cæli : sed et pisces maris congregabúntur. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

VERUMTAMEN unusquísque non júdicet : et non arguátur vir : pópulus enim tuus sicut hi, qui contradícunt sacerdóti. Et córrues hódie, et córruet étiam prophéta tecum : nocte tacére feci matrem tuam.

Conticuit pópulus meus, eo quod non habúerit sciéntiam. Quia tu sciéntiam repulísti, repéllam te, ne sacerdótio fungáris mihi : et oblíta es legis Dei tui, oblivíscar filiórum tuórum et ego. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

SECUNDUM multitúdinem eórum sic peccavérunt mihi : glóriam eórum in ignomíniam commutábo. Peccáta pópuli mei cómedent, et ad iniquitátem eórum sublevábunt ánimas eórum. Et erit sicut pópulus, sic sacérdos : et visitábo super eum vias ejus, et cogitatiónes ejus reddam ei. Et cómedent, et non saturabúntur. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA QUARTA.

Incipit liber Joélis Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VERBUM Dómini, quod factum est ad Joel fílium Phátuel. Audíte hoc senes, et áuribus percípite omnes habitatóres terræ : si factum est istud in diébus vestris, aut in diébus patrum vestrórum? Super hoc fíliis vestris narráte, et fílii vestri fíliis suis, et fílii eórum generatióni álteri. Resíduum erúcæ comédit locústa, et resíduum locústæ comédit bruchus, et resíduum bruchi comédit rubigo. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

EXPERGISCIMINI ébrii, et flete, et ululáte omnes, qui bíbitis vinum in dulcédine : quóniam périit ab ore vestro. Gens enim ascéndit super terram meam, fortis et innumerábilis : dentes ejus ut dentes leónis : et moláres ejus ut cátuli leónis. Pósuit víneam meam in desértum, et ficum meam decorticávit : nudans spoliávit eam, et projécit : albi facti sunt rami ejus. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

PLANGE quasi virgo accíncta sacco super virum pubertátis suæ. Périit sacrifícium, et libátio de domo Dómini : luxérunt sacerdótes ministri Dómini. Depopulata est régio, luxit humus : quóniam devastátum est tríticum, confúsum est vinum, elánguit óleum. Confúsi sunt agrícolæ, ululavérunt vinitóres super fruménto, et hórdeo, quia périit messis agri. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA QUINTA.

Incipit liber Amos Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VERBA Amos, qui fuit in pastóribus de Thécue : quæ vidit super Israel in diébus Ozíæ regis Juda, et in diébus Jeróboam fílii Joas regis Israel ante duos annos terræmótus. Et dixit : Dóminus de Sion rúgiet, et de Jerúsalem dabit vocem suam. Et luxérunt speciósa pastórum, et exsiccátus est vertex Carméli. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

HÆC dicit Dóminus : Super tribus scelèribus Damásci, et super quátuor non convértam eum : eo quod trituráverint in plaustris férreis Gálaad. Et mittam ignem in domum Azael, et devorábit domos Bénadad. Et cónteram vectem Damásci : et dispérdam habitatórem de campo idóli, et tenéntem sceptrum de domo voluptátis : et transferétur pópulus Syriæ Cyrénen, dicit Dóminus. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

HÆC dicit Dóminus : Super tribus scelèribus Gazæ, et super quátuor non convértam eum : eo quod transtúlerint captivitátem perféctam, ut conclúderent eam in Idumæa. Et mittam ignem in murum Gazæ, et devorábit ædes ejus. Et dispérdam habitatórem de Azóto, et tenéntem sceptrum de Ascalóne. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA SEXTA.

Incipit liber Abdíæ Prophétæ.

Lectio j.

VISIO Abdíæ. Hæc dicit Dóminus Deus ad Edom : Audítum audívimus a Dómino, et legátum ad gentes misit : Súrgite, et consurgámus advérsus eum in prœlium. Ecce párvulum dedi te in géntibus : contemptíbilis tu es valde. Supérbia cordis tui éxtulit te, habitántem in scissúris petrárum, exaltántem sólium tuum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

QUI dicis in corde tuo : Quis détrahet me in terram? Si exaltátus fúeris ut áquila, et si inter sídera posúeris nidum tuum : inde détraham te, dicit Dóminus. Si fures introíssent ad te, si latrónes per noctem, quómodo conticuísses? nonne furáti essent sufficiéntia sibi? si vindemiatóres introíssent ad te, numquid saltem racémum reliquíssent tibi? Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

QUOMODO scrutáti sunt Esau, investigavérunt abscóndita ejus? Usque ad términum emisérunt te : omnes viri fœderis tui illusérunt tibi : invaluérunt advérsum te viri pacis tuæ : qui cómedunt tecum, ponent insídias subter te : non est prudéntia in eo. Numquid non in die illa, dicit Dóminus, perdam sapiéntes de Idumæa, et prudéntiam de monte Esau? Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

SABBATO.

De Jona Prophéta.

Lectio j. Cap. 2.

ET præparávit Dóminus piscem grandem ut deglutíret Jonam : et erat Jonas in ventre piscis tribus diébus, et tribus nóctibus. Et orávit Jonas ad Dóminum Deum suum de ventre piscis. Et dixit : Clamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, et exaudívit me : de

ventre inferi clamávi, et exaudísti vocem meam. Et projecísti me in profúndum in corde maris, et flumen circúmdedit me : omnes gúrgites tui, et fluctus tui super me transiérunt. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij. Cap. 3.

ET factum est verbum Dómini ad Jonam secúndo, dicens : Surge, et vade in Níniven civitátem magnam : et prædica in ea prædicatiónem, quam ego loquor ad te. Et surréxit Jonas, et ábiit in Nívinen juxta verbum Dómini : et Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi uníus : et clamávit, et dixit : Adhuc quadragínta dies, et Nínive subvertétur. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET credidérunt viri Ninivítæ in Deum : et prædicavérunt jejúnium, et vestíti sunt saccis a majóre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive : et surréxit de sólio suo, et abjécit vestiméntum suum a se, et indútus est sacco, et sedit in cínere. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

AD VESPERAS.

Ad Magnificat Aña. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis : sedet in tristítia dómina géntium : non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster.

DOMINICA V. VEL IV. NOVEMBRIS.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Michææ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VERBUM Dómini, quod factum est ad Michæam Morasthíten, in diébus Jóathan, Achaz, et Ezechíæ regum Juda : quod vidit super Samáriam, et Jerúsalem. Audíte pópuli omnes, et atténdat terra, et plenitúdo ejus : et sit Dóminus Deus vobis in testem, Dóminus de templo sancto suo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco suo : et descéndet, et calcábit super excélsa terræ. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET consuméntur montes subtus eum : et valles scindéntur sicut cera a fácie ignis, et sicut aquæ, quæ decúrrunt in præceps. In scélere Jacob omne istud, et in peccátis domus Israel. Quod scelus Jacob? nonne Samária? et quæ excélsa Judæ? nonne Jerúsalem? Et ponam Samáriam quasi acérvum lápidum in agro cum plantátur vinea : et détraham in vallem lápides ejus, et fundaménta ejus revelábo. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

ET ómnia sculptília ejus concidéntur, et omnes mercédes ejus comburéntur igne, et ómnia idóla ejus ponam in perditiónem : quia de mercédibus meretrícis congregáta

sunt, et usque ad mercédem meretrícis reverténtur. Super hoc plangam, et ululábo : vadam spoliátus, et nudus : fáciam planctum velut dracónum, et luctum quasi struthiónum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA SECUNDA.

Incipit liber Nahum Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

ONUS Nínive : Liber visiónis Nahum Elcesæi. Deus æmulátor, et ulcíscens Dóminus : ulcíscens Dóminus, et habens furórem, ulcíscens Dóminus in hostes suos, et irascens ipse inimícis suis. Dóminus pátiens, et magnus fortitúdine, et mundans non fáciet innocéntem. Dóminus in tempestáte, et túrbine viæ ejus, et nébulæ pulvis pedum ejus. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

INCREPANS mare, et exsíccans illud : et ómnia flúmina ad desértum dedúcens. Infirmátus est Basan, et Carmélus : et flos Líbani elánguit. Montes commóti sunt ab eo, et colles desoláti sunt : et contrémuit terra a fácie ejus, et orbis, et omnes habitántes in eo. Ante fáciem indignatiónis ejus quis stabit? et quis resístet in ira furóris ejus? Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

INDIGNATIO ejus effúsa est ut ignis : et petræ dissolútæ sunt ab eo. Bonus Dóminus, et confórtans in die tribulatiónis : et sciens sperántes in se. Et in dilúvio prætereúnte, consummatiónem fáciet loci ejus : et inimícos ejus persequéntur ténebræ. Quid cogitátis contra Dóminum? consummatiónem ipse fáciet : non consúrget duplex tribulátio. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA TERTIA.

Incipit liber Hábacuc Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

ONUS, quod vidit Hábacuc prophéta. Usquequo Dómine clamábo, et non exáudies? vociferábor ad te vim pátiens, et non salvábis? Quare ostendísti mihi iniquitátem, et labórem, vidére prædam et injustítiam contra me? et factum est judícium, et contradictio poténtior. Propter hoc laceráta est lex, et non pervénit usque ad finem judícium : quia ímpius prævalet advérsus justum, proptérea egréditur judícium pervérsum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ASPICITE in géntibus, et vidéte : admirámini, et obstupéscite : quia opus factum est in diébus vestris, quod nemo credet cum narrábitur. Quia ecce ego suscitábo Chaldæos, gentem amáram, et velócem, ambulántem super latitúdinem terræ, ut possídeat tabernácula non sua. Horríbilis, et terríbilis est : ex semetípsa judícium, et onus ejus egrediétur. Hæc di-

cit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

LEVIORES pardis equi ejus, et velocióres lupis vespertínis; et diffundéntur équites ejus : équites namque ejus de longe vénient, volábunt quasi áquila festínans ad comedéndum. Omnes ad prædam vénient, fácies eórum ventus urens : et congregábit quasi arénam, captivitátem. Et ipse de régibus triumphábit, et tyránni ridículi ejus erunt. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA QUARTA.

Incipit liber Sophoníæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

VERBUM Dómini, quod factum est ad Sophoníam fílium Chusi, fílii Godolíæ, fílii Amaríæ, fílii Ezecíæ, in diébus Josíæ fílii Amon regis Judæ. Cóngregans congregábo ómnia a fácie terræ, dicit Dóminus : cóngregans hóminem, et pecus, cóngregans volatília cæli, et pisces maris : et ruínæ impiórum erunt : et dispérdam hómines a fácie terræ, dicit Dóminus. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET exténdam manum meam super Judam, et super omnes habitántes Jerúsalem : et dispérdam de loco hoc relíquias Baal, et nómina æditurórum cum sacerdótibus : et eos, qui adórant super tecta milítiam cæli, et adórant, et jurant in Dómino, et jurant in Melchom : et qui avertúntur de post tergum Dómini, et qui non quæsiérunt Dóminum, nec investigavérunt eum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

SILETE a fácie Dómini Dei : quia juxta est dies Dómini, quia præparávit Dóminus hóstiam, sanctificávit vocátos suos. Et erit : in die héstiæ Dómini visitábo super príncipes, et super fílios regis, et super omnes, qui indúti sunt veste peregrína : et visitábo super omnem, qui arrogánter ingréditur super limen in die illa : qui complent domum Dómini Dei sui iniquitáte, et dolo. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA QUINTA.

Incipit liber Aggæi Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

IN anno secúndo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ ad Zoróbabel fílium Saláthiel, ducem Juda, et ad Jesum fílium Jósedech, sacerdótem magnum, dicens : Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens : Pópulus iste dicit : Nondum venit tempus domus Dómini ædificándæ. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

ET factum est verbum Dómini in manu Aggæi prophétæ, dicens : Numquid tempus vobis est ut habitétis in

dómibus laqueátis, et domus ista desérta? Et nunc hæc dicit Dóminus exercítuum : Pónite corda vestra super vias vestras. Seminástis multum, et intulístis parum : comedístis, et non estis satiáti : bibístis, et non estis inebriáti : operuístis vos, et non estis calefácti : et qui mercédes congregávit, misit eas in sácculum pertúsum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

HÆC dicit Dóminus exercítuum : Pónite corda vestra super vias vestras : ascéndite in montem, portáte ligna, et ædificáte domum : et acceptábilis mihi erit, et glorificábor, dicit Dóminus. Respexístis ad ámplius, et ecce factum est minus : et intulístis in domum, et exsufflávi illud. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

FERIA SEXTA.

Incipit liber Zacharíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

IN mense octávo in anno secúndo Darii regis, factum est verbum Dómini ad Zacharíam, fílium Barachíæ fílii Addo, prophétam, dicens : Irátus est Dóminus super patres vestros iracúndia. Et dices ad eos : Hæc dicit Dóminus exercítuum : Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum : et convértar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

NE sitis sicut patres vestri, ad quos clamábant prophétæ prióres, dicéntes : Hæc dicit Dóminus exercítuum : Convertímini de viis vestris malis, et de cogitatiónibus vestris péssimis : et non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dóminus. Patres vestri ubi sunt? et prophétæ numquid in sempitérnum vivent? Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

VERUMTAMEN verba mea, et legítima mea, quæ mandávi servis meis prophétis, numquid non comprehendérunt patres vestros, et convérsi sunt, et dixérunt : Sicut cogitávit Dóminus exercítuum fácere nobis secúndum vias nostras, et secúndum adinventiónes nostras fecit nobis? Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

SABBATO.

Incipit liber Malachíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

ONUS verbi Dómini ad Israel in manu Malachíæ. Diléxi vos, dicit Dóminus, et dixístis : In quo dilexísti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dóminus, et diléxi Jacob, Esau autem ódio hábui? et pósui montes ejus in solitúdinem, et hereditátem ejus in dracónes desérti. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio ij.

QUOD si díxerit Idumæa : Destrúcti sumus, sed reverténtes ædificábimus, quæ destrúcta sunt : hæc dicit Dóminus exercítuum : Isti ædificábunt, et ego déstruam : et vocabúntur términi impietátis, et pópulus, cui irátus est Dóminus usque in ætérnum. Et óculi vestri vidébunt : et vos dicétis : Magnificétur Dóminus super términum Israel. Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

Lectio iij.

FILIUS honórat patrem, et servus dóminum suum : si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dóminus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dóminus exercítuum. Ad vos, o sacerdótes, qui despícitis nomen meum, et dixístis : In quo despéximus nomen tuum? Offértis super altáre meum panem pollútum, et dícitis : In quo pollúimus te? Hæc dicit Dóminus Deus : Convertímini ad me, et salvi éritis.

ORATIONES,

LECTIONES ET HOMILIÆ PRO II. AC III. NOCTURNO IN DOMINICIS POST OCTAVAM TRINITATIS.

DOMINICA II. POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine : ut et mundi cursus pacífice nobis tuo órdine dirigátur, et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 4.

TIMEAMUS ergo ne forte relícta pollicitatióne introeúndi in réquiem ejus, exístimétur áliquis ex vobis deésse. Etenim et nobis nuntiátum est, quemádmodum et illis. Sed non prófuit illis sermo audítus, non admístus fídei ex iis, quæ audiérunt. Ingrediémur enim in réquiem, qui credídimus : quemádmodum dixit : Sicut jurávi in ira mea : Si introíbunt in réquiem meam : et quidem opéribus ab institutióne mundi perféctis.

Lectio v.

DIXIT enim in quodam loco de die séptima sic : Et requiévit Deus die séptima ab ómnibus opéribus suis. Et in isto rursum : Si introíbunt in réquiem meam. Quóniam ergo súperest introíre quosdam in illam, et ii, quibus prióribus annuntiátum est, non introiérunt propter incredulitátem : íterum términat diem quemdam, Hódie, in David dicéndo, post tantum témporis, sicut supra dictum est : Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra.

Lectio vj.

NAM si eis Jesus réquiem præstitísset, nunquam de ália loquerétur, posthac, die. Itaque relínquitur sabbatísmus pópulo Dei. Qui enim ingréssus est in réquiem ejus : étiam ipse requiévit ab opéribus suis, sicut a suis Deus. Festinémus ergo íngredi in illam réquiem : ut ne in idípsum quis incidat incredulitátis exémplum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore : Cum turbæ irrúerent in Jesum, ut audírent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 4. in cap. 5. Lucæ prope finem.)

UBI Dóminus multis impertívit vária génera sanitátum, nec témpore, nec loco pótuit a stúdio sanándi turba cohibéri. Vesper incúbuit, sequebántur; stagnum occúrrit, urgébant : et ideo ascéndit in Petri navim. Hæc est illa navis, quæ adhuc secúndum Matthæum flúctuat, secúndum Lucam replétur píscibus : ut et princípia Ecclésiæ fluctuántis, et posterióra exuberántis agnóscas. Pisces enim sunt, qui hanc enávigant vitam. Ibi adhuc discípulis Christus dormit, hic præcipit : dormit enim tépidis, vígilat perféctis.

Lectio viij.

NON turbátur hæc navis, in qua prudéntia návigat, abest perfídia, fides aspírat. Quemádmodum enim turbári póterat, cui præerat is, in quo Ecclésiæ firmaméntum est? Illic ergo turbátio, ubi módica fides : hic secúritas, ubi perfécta diléctio. Dénique et si áliis imperátur ut laxent rétia sua, soli tamen Petro dícitur : Duc in altum : hoc est, in profúndum disputatiónum.

Lectio ix.

QUID enim tam altum, quam altitúdinem divitiárum vidére, scire Dei Fílium et professiónem divínæ generatiónis assúmere? Quam licet mens humána non queat plene ratiónis investigatióne comprehéndere, fídei tamen plenitúdo compléctitur. Nam etsi non licet mihi scire quemádmodum natus sit : non licet tamen nescíre quod natus sit. Sériem generatiónis ignóro : sed Auctórem generatiónis agnósco.

Ad Benedictus Aña. Ascéndit Jesus in navim, et sedens docébat turbas, allelúia.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine : ut et mundi cursus pacífice nobis tuo órdine dirigátur, et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur. Per.

Ad Magnificat Aña. Præcéptor, per totam noctem laborántes nihil cépimus : in verbo autem tuo laxábo rete.

DOMINICA III. POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

DEUS, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti; infúnde córdibus nostris tui amóris afféctum : ut te in

ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 6.

CONFIDIMUS autem de vobis dilectíssimi melióra, et vicinióra salúti : tamétsi ita lóquimur. Non enim injústus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, et dilectiónis, quam ostendístis in nómine ipsíus, qui ministrástis sanctis, et ministrátis. Cúpimus autem unumquémque vestrum eámdem ostentáre sollicitúdinem ad expletiónem spei usque in finem : ut non segnes efficiámini, verum imitatóres eórum, qui fide, et patiéntia hereditábunt promissiónes.

Lectio v.

ABRAHÆ namque promíttens Deus, quóniam néminem hábuit, per quem juráret, majórem, jurávit per semetípsum, dicens : Nisi benedícens benedícam te, et multíplicans multiplicábo te. Et sic longanímiter ferens, adéptus est repromissiónem. Hómines enim per majórem sui jurant : et omnis controvérsiæ eórum finis, ad confirmatiónem, est juraméntum.

Lectio vj.

IN quo abundántius volens Deus osténdere pollicitatiónis herédibus immobilitátem consílii sui, interpósuit jusjurándum : ut per duas res immóbiles, quibus impossíbile est mentíri Deum, fortíssimum solátium habeámus, qui confúgimus ad tenéndam propósitam spem, quam sicut ánchoram habémus ánimæ tutam ac firmam, et incedéntem usque ad interióra veláminis, ubi præcúrsor pro nobis introívit Jesus, secúndum órdinem Melchísedech póntifex factus in ætérnum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nisi abundáverit justítia vestra plus quam Scribárum, et Pharisæórum, non intrábitis in regnum cælórum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 1. de Serm. Dom. in monte, cap. 9.)

JUSTITIA Pharisæórum est, ut non occídant : justítia eórum, qui intratúri sunt in regnum Dei, ut non irascántur sine causa. Mínimum est ergo, non occídere : et qui illud sólverit, mínimus vocábitur in regno cælórum. Qui autem illud impléverit, ut non occídat, non contínuo magnus erit, et idóneus regno cælórum; sed tamen ascéndit áliquem gradum : perficiétur autem, si nec irascátur sine causa : quod si perfécerit, multo remótior erit ab homicídio.

Lectio viij.

QUAPROPTER qui docet ut non irascámur, non solvit legem ne occidámus, sed implet pótius : ut et foris, dum non occídimus, et in corde, dum non irascimur, innocéntiam custodiámus. Gradus ítaque

sunt in istis peccátis : ut primo quisque irascátur, et eum motum retíneat corde concéptum. Jam si extórserit vocem indignántis ipsa commótio, non significántem áliquid, sed illum ánimi motum ipsa eruptióne testántem, qua feriátur ille, cui iráscitur : plus est útique, quam si surgens ira siléntio premerétur.

Lectio ix.

Si vero non solum vox indignántis audiátur, sed étiam verbum, quo jam certam ejus vituperatiónem, in quem profértur, desígnet et notet : quis dúbitet ámplius hoc esse, quam si solus indignatiónis sonus ederétur? Vide nunc étiam tres reátus : judícii, concílii, et gehénnæ ignis. Nam in judício adhuc defensióni datur locus : vidétur ad concílium pertinére sententiæ prolátio : in gehénna ignis, certa est et damnátio, et pœna damnáti.

Ad Benedictus Aña. Audístis quia dictum est antíquis : Non occídes : qui autem occíderit reus erit judício. Oratio.

Deus, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti; infúnde córdibus nostris tui amóris affléctum : ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur. Per.

Ad Magnificat Aña. Si offers munus tuum ad altáre, et recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid advérsus te : relínque ibi munus tuum ante altáre, et vade prius reconciliári fratri tuo : et tunc véniens ófferes munus tuum, allelúia.

DOMINICA IV.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

Deus virtútum, cujus est totum quod est óptimum : ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis; et præsta in nobis religiónis augméntum : ut quæ sunt bona nútrias, ac pietátis stúdio quæ sunt nutríta custódias. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 7.

Si ergo consummátio per sacerdótium Levíticum erat (pópulus enim sub ipso legem accépit), quid adhuc necessárium fuit secúndum órdinem Melchísedech, álium súrgere sacerdótem, et non secúndum órdinem Aaron dici? Transláto enim sacerdótio, necésse est ut et legis translátio fiat. In quo enim hæc dicúntur, de ália tribu est, de qua nullus altári præsto fuit. Maniféstum est enim quod ex Juda ortus sit Dóminus noster : in qua tribu nihil de sacerdótibus Móyses locútus est.

Lectio v.

Et ámplius adhuc maniféstum est : si secúndum similitúdinem Melchísedech exsúrgat álius sacérdos, qui non secúndum legem mandáti carnális factus est, sed secúndum virtútem vitæ insolúbilis. Contestátur enim : Quóniam tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Reprobátio quidem fit præcedéntis mandáti, propter infirmitátem ejus, et inu-

tilitátem : nihil enim ad perfectum addúxit lex : introdúctio vero melióris spei, per quam proximámus ad Deum.

Lectio vj.

Et quantum est non sine jurejurándo (álii quidem sine jurejurándo sacerdótes facti sunt, hic autem cum jurejurándo per eum, qui dixit ad illum : Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : tu es sacérdos in ætérnum :) in tantum melióris testaménti sponsor factus est Jesus. Et álii quidem plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére : hic autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 8.

In illo témpore : Cum turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent : convocátis discípulis, ait illis : Miséreor super turbam : quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 6. in c. 9. Lucæ post init.)

Gratiæ cæléstis impartítur aliméntum. Sed quibus impartiátur, advérte : Non otiósis, non in civitáte, quasi in synagóga, vel sæculári dignitáte residéntibus, sed inter desérta quæréntibus Christum. Qui enim non fastídiunt, ipsi excipiúntur a Christo, et cum ipsis lóquitur Dei verbum, non de sæculáribus, sed de regno Dei. Et si qui corporális gerunt úlcera passiónis, his medicínam suam libénter indúlget.

Lectio viij.

Consequens ígitur erat, ut quos a vúlnerum dolóre sanáverat, eos alimóniis spirítalibus a jejúnio liberáret. Itaque nemo cibum áccipit Christi, nisi fúerit ante sanátus : et illi, qui vocántur ad cenam, prius vocándo sanántur. Si claudus fuit, gradiéndi facultátem, ut veníret, accépit : si lúmine privátus oculórum, domum útique Dómini, nisi refúsa luce, intráre non pótuit.

Lectio ix.

Ubique ígitur mystérii ordo servátur, ut prius per remissiónem peccatórum vulnéribus medicína tribuátur, póstea alimónia mensæ cæléstis exúberet : quamquam nondum validióribus hæc turba reficiátur aliméntis, neque Christi córpore et sánguine jejúna solidióris fídei corda pascántur. Lacte, inquit, vos potávi, non esca : nondum enim poterátis, sed nec adhuc quidem potéstis.

Ad Benedictus Aña. Miséreor super turbam : quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent : et si dimísero eos jejúnos, defícient in via, allelúia. Oratio.

Deus virtútum, cujus est totum quod est óptimum : ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis; et præsta in nobis religiónis augméntum : ut quæ sunt bona nútrias, ac pietátis stúdio quæ sunt nutríta custódias. Per.

Ad Magnificat Aña. Et accípiens Jesus septem panes, grátias agens benedíxit, et fregit, et dedit discípulis suis, ut appónerent : et apposuérunt turbæ, allelúia.

DOMINICA V.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

DEUS, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur, te súpplices exorámus : ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 8.

TALEM habémus pontíficem, qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cælis, Sanctórum miníster, et tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, et non homo. Omnis enim póntifex ad offeréndum múnera, et hóstias constitúitur : unde necésse est et hunc habére áliquid, quod ófferat : si ergo esset super terram, nec esset sacérdos : cum essent qui offérrent secúndum legem múnera, qui exemplári, et umbræ desérviunt cæléstium.

Lectio v.

SICUT respónsum est Móysi, cum consummáret tabernáculum : Vide, (inquit) ómnia fácito secúndum exémplar, quod tibi osténsum est in monte. Nunc autem mélius sortítus est ministérium, quanto et melióris testaménti mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est. Nam si illud prius culpa vacásset : non útique secúndi locus inquirerétur.

Lectio vj.

VITUPERANS enim eos dicit : Ecce dies vénient, dicit Dóminus : et consummábo super domum Israel, et super domum Juda testaméntum novum, non secúndum testaméntum, quod feci pátribus eórum in die, qua apprehéndi manum eórum ut edúcerem illos de terra Ægypti : quóniam ipsi non permansérunt in testaménto meo : et ego negléxi eos, dicit Dóminus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(In Comm. in cap. 7. Matth.)

BLANDIMENTA verbórum, et mansuetúdinis simulatiónem ádmonet fructu operatiónis expéndi oportére : ut non qualem quis se verbis réferat, sed qualem se rebus efficiat, spectémus : quia in multis vestítu óvium rábies lupína contégitur. Ergo ut spinæ uvas, ut tríbuli ficus non génerant, et ut iníquæ árbores utília poma non áfferunt : ita ne in istis quidem consístere docet boni óperis effectum, et idcírco omnes cognoscéndos esse de frúctibus.

Lectio viij.

REGNUM enim cælórum sola verbórum offícia non óbtinent : neque qui díxerit, Dómine, Dómine, heres illíus erit. Quid enim mériti est Dómino dícere, Dómine? Numquid Dóminus non erit, nisi fúerit dictus a nobis? Et quæ offícii sánctitas est nóminis nuncupátio, cum cæléstis regni iter obediéntia pótius voluntátis Dei, non nuncupátio, repertúra sit? Multi mihi dicent in illa die : Dómine, Dómine, nonne in tuo nómine prophetávimus?

Lectio ix.

ETIAM nunc pseudoprophetárum frauduléntiam, et hypocritárum simulaménta condémnat, qui glóriam sibi ex verbi virtúte præsúmunt, in doctrínæ prophetía, et dæmoniórum fuga, et istiúsmodi óperum virtútibus. Atque hinc sibi regnum cælórum pollicéntur, quasi vero eórum áliquid próprium sit, quæ loquúntur aut fáciunt, et non ómnia virtus Dei invocáta perfíciat : cum doctrínæ sciéntiam léctio áfferat, dæmónia Christi nomen exágitet.

Ad Benedictus Ána. Atténdite a falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces : a frúctibus eórum cognoscétis eos. Oratio.

DEUS, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur, te súpplices exorámus : ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per.

Ad Magnificat Ána. Non omnis qui dicit mihi, Dómine, Dómine, intrábit in regnum cælórum : sed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrábit in regnum cælórum, allelúia.

DOMINICA VI.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

LARGIRE nobis, quæsumus Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius, et agéndi : ut qui sine te esse non póssumus, secúndum te vívere valeámus. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 9.

HIS vero ita compósitis : in prióri quidem tabernáculo semper introíbant sacerdótes, sacrificiórum offícia consummántes : in secúndo autem semel in anno solus póntifex non sine sánguine, quem offert pro sua, et pópuli ignorántia : hoc significánte Spíritu sancto, nondum propalátam esse sanctórum viam, adhuc prióre tabernáculo habénte statum.

Lectio v.

QUÆ parábola est témporis instántis : juxta quam múnera, et hóstiæ offerúntur, quæ non possunt juxta consciéntiam perféctum fácere serviéntem, solúmmodo in cibis, et in pótibus, et váriis baptismátibus, et justítiis carnis usque ad tempus correctiónis impósitis. Christus autem assístens póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manu-

fáctum, id est, non hujus creatiónis : neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

Lectio vj.

NON enim in manufácta Sancta Jesus introívit exemplária verórum : sed in ipsum cælum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis. Neque ut sæpe ófferat semetípsum, quemádmodum póntifex intrat in Sancta per síngulos annos in sánguine aliéno : alióquin oportébat eum frequénter pati ab orígine mundi : nunc autem semel in consummatióne sæculórum, ad destitutiónem peccáti, per hóstiam suam appáruit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam erat dives, qui habébat víllicum : et hic diffamátus est apud illum quasi dissipásset bona ipsíus. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Epist. 151. ad Algasiam, q. 6. t. 3.)

VILLICUS próprie villæ gubernátor est : œcónomus autem, tam pecúniæ, quam frugum, et ómnium, quæ dóminus póssidet, dispensátor est. Iste ígitur dispensátor accusátus est apud dóminum suum, quod dissipáret substántiam ejus. Quo vocáto, dixit : Quid hoc áudio de te? Redde ratiónem dispensatiónis tuæ : neque enim in ea ultra dispensábis. Qui dixit in semetípso : Quid fáciam, quia dóminus meus aufert a me dispensatiónem? fódere non váleo, mendicáre erubésco.

Lectio viij.

SI dispensátor iníqui mammónæ dómini voce laudátur, quod de re iníqua sibi justítiam præparárit; et passus dispéndia dóminus laudat dispensatóris prudéntiam, quod advérsus dóminum quidem fraudulénter, sed pro se prudénter égerit : quanto magis Christus, qui nullum damnum sustinére potest, et pronus est ad cleméntiam, laudábit discípulos suos, si in eos, qui creditúri sibi sunt, misericórdes fúerint!

Lectio ix.

DENIQUE post parábolam íntulit : Et ego vobis dico : Fácite vobis amícos de iníquo mammóna. Mammóna autem non Hebræórum, sed Syrórum lingua, divítiæ nuncupántur, quod de iniquitáte colléctæ sint. Si ergo iníquitas bene dispensáta vértitur in justítiam : quanto magis sermo divínus, in quo nulla est iniquitas, qui et Apóstolis créditus est, si bene fúerit dispensátus, dispensatóres suos levábit in cælum!

Ad Benedictus Aña. Dixit Dóminus víllico : Quid hoc áudio de te? Redde ratiónem villicatiónis tuæ, allelúia.

Oratio.

LARGIRE nobis, quæsumus Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, pro-

pítius, et agéndi : ut qui sine te esse non póssumus, secúndum te vívere valeámus. Per.

Ad Magnificat Aña. Quid fáciam, quia dóminus meus aufert a me villicatiónem? Fódere non váleo, mendicáre erubésco : scio quid fáciam, ut cum amótus fúero a villicatióne, recípiant me in domos suas.

DOMINICA VII.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

PATEANT aures misericórdiæ tuæ Dómine précibus supplicántium : et ut peténtibus desideráta concédas, fac eos quæ tibi sunt plácita postuláre. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 10.

UMBRAM enim habens lex futurórum bonórum, non ipsam imáginem rerum : per singulos annos eisdem ipsis hóstiis, quas ófferunt indesinénter, nunquam potest accedéntes perféctos fácere : alióquin cessássent offérri : ídeo quod nullam habérent ultra consciéntiam peccáti, cultóres semel mundáti : sed in ipsis commemorátio peccatórum per síngulos annos fit. Impossíbile enim est sánguine taurórum et hircórum auférri peccáta.

Lectio v.

IDEO ingrédiens mundum dicit : Hóstiam, et oblatiónem noluísti : corpus autem aptásti mihi : holocautómata pro peccáto non tibi placuérunt. Tunc dixi : Ecce vénio : in cápite libri scriptum est de me : Ut fáciam, Deus, voluntátem tuam. Supérius dicens : Quia hóstias, et oblatiónes, et holocautómata pro peccáto noluísti, nec plácita sunt tibi, quæ secúndum legem offerúntur, tunc dixi : Ecce vénio, ut fáciam, Deus, voluntátem tuam. Aufert primum, ut sequens státuat.

Lectio vj.

IN qua voluntáte sanctificáti sumus per oblatiónem córporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem sacérdos præsto est quotídie ministrans, et eásdem sæpe ófferens hóstias, quæ nunquam possunt auférre peccáta : hic autem unam pro peccátis ófferens hóstiam, in sempitérnum sedet in déxtera Dei, de cétero exspéctans donec ponántur inimici ejus scabéllum pedum ejus. Una enim oblatióne, consummávit in sempitérnum sanctificátos.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Cum appropinquáret Jesus Jerúsalem, videns civitátem flevit super illam, dicens : Quia si cognovísses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 39. in Evang.)

QUOD a flente Dómino illa Jerosolymórum subvérsio describátur, quæ a Vespasiáno et Tito Románis princípibus

facta est, nullus, qui históriam eversiónis ejúsdem legit, ignórat. Románi étenim príncipes designántur, cum dícitur, Quia vénient dies in te : et circúmdabunt te inimíci tui vallo. Hoc quoque quod ádditur, Non relinquent in te lápidem super lápidem : étiam jam ipsa ejúsdem civitátis transmigrátio testátur : quia dum in eo loco nunc constrúcta est, ubi extra portam Dóminus fúerat crucifixus, prior illa Jerúsalem, ut dicitur, fúnditus est evérsa.

Lectio viij.

CUI étiam ex qua culpa eversiónis suæ pœna fúerit illáta, subjúngitur : Eo quod non cognóveris tempus visitatiónis tuæ. Creátor quippe hóminum per Incarnatiónis suæ mystérium hanc visitáre dignátus est : sed ipsa timóris et amóris illíus recordáta non est. Unde étiam per Prophétam in increpatióne cordis humáni aves cæli ad testimónium deducúntur, dum dícitur, Milvus in cælo cognóvit tempus suum; turtur, et hirúndo et cicónia custodiérunt tempus advéntus sui : pópulus autem meus non cognóvit judícium Dómini.

Lectio ix.

FLEVIT étenim prius Redémptor ruínam pérfidæ civitátis, quam ipsa sibi cívitas non cognoscébat esse ventúram. Cui a flente Dómino recte dícitur : Quia si cognovísses et tu, subáudi, fleres; quæ modo, quia nescis quod imminet, exsúltas. Unde et súbditur : Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Cum enim carnis se voluptátibus daret, et ventúra mala non prospíceret; in die sua, quæ ad pacem ei esse póterant, habébat.

Ad Benedictus Aña. Cum appropinquáret Dóminus Jerúsalem, videns civitátem flevit super illam, et dixit : Quia si cognovísses et tu : quia vénient dies in te, et circúmdabunt te, et coangustábunt te úndique, et ad terram prostérnent te : eo quod non cognovísti tempus visitatiónis tuæ, allelúia.

Oratio.

PATEANT aures misericórdiæ tuæ Dómine précibus supplicántium : et ut peténtibus desideráta concédas, fac eos quæ tibi sunt plácita postuláre. Per.

Ad Magnificat Aña. Scriptum est enim : Quia domus mea domus oratiónis est cunctis géntibus : vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. Et erat quotídie docens in templo.

DOMINICA VIII.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

DEUS, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstas; multíplica super nos misericórdiam tuam : ut ad tua promíssa curréntes, cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 10.

IRRITAM quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus

móritur : quanto magis putátis deterióra meréri supplícia qui Fílium Dei conculcáverit, et sánguinem testaménti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, et spíritui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit : Mihi vindícta, et ego retríbuam. Et íterum : Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horréndum est incídere in manus Dei vivéntis.

Lectio v.

REMEMORAMINI autem prístinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum : et in áltero quidem oppróbriis, et tribulatiónibus spectáculum facti : in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem et manéntem substántiam.

Lectio vj.

NOLITE ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est : ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet, et non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit. Quod si subtráxerit se, non placébit ánimæ meæ.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore : Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidébant tamquam justi, et aspernabántur céteros, parábolam istam : Duo hómines ascendérunt in templum ut orárent : unus Pharisæus, et alter Publicánus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 36. de verbis Domini, circa med.)

GRATIAS tibi Deus, quia non sum sicut céteri hómines. Díceret saltem, Sicut multi hómines. Quid est, Sicut céteri hómines, nisi omnes, præter ipsum? Ego, inquit, justus sum, céteri peccatóres. Jejúno bis in sábbato : décimas do ómnium, quæ possídeo. Quid rogáverit Deum, quære in verbis ejus, et nihil invénies. Ascéndit oráre : nóluit Deum rogáre, sed se laudáre. Parum est, non Deum rogáre, sed se laudáre; ínsuper et rogánti insultáre.

Lectio viij.

PUBLICANUS de longínquo stabat, et tamen Deo ipse appropinquábat : cordis consciéntia eum removébat, piétas applicábat. Publicanus autem de longínquo stabat, sed Dóminus eum de propínquo attendébat. Excélsus enim Dóminus, et humília réspicit : excélsos autem, qualis erat ille Pharisæus, a longe cognoscit. Adhuc audi humilitátem Publicáni : Nec óculos suos ad cælum levábat. Ut respicerétur, non aspiciébat : premébat consciéntia, spes sublevábat.

Lectio ix.

ET percutiébat pectus suum, dicens : Deus propítius esto mihi peccatóri. Ecce qui rogat.

Quid miráris, si Deus ignóscit, quando ipse se agnóscit? Dénique de Pharisæo et Publicáno accepísti controvérsiam : audi sententiam. Audísti supérbum accusatórem, audísti reum húmilem : audi nunc júdicem. Amen dico vobis, descéndit justificátus Publicánus ille de templo magis quam ille Pharisæus. Quæris quare? Audi quare. Quia omnis, qui se exáltat, humiliábitur : et qui se humíliat, exaltábitur.

Ad Benedictus Aña. Duo hómines ascendérunt in templum ut orárent, unus Pharisæus, et alter Publicánus : descéndit hic justificátus in domum suam ab illo, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstas; multíplica super nos misericórdiam tuam : ut ad tua promíssa curréntes, cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per.

Ad Magnificat Aña. Stans a longe Publicánus nolébat óculos ad cælum leváre : sed percutiébat pectus suum, dicens : Deus propítius esto mihi peccatóri.

DOMINICA IX.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ et mérita súpplicum excédis et vota; effúnde super nos misericórdiam tuam : ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 11.

FIDE qui vocátur Abraham obedivit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hereditátem : et éxiit, nésciens quo iret. Fide demorátus est in terra repromissiónis, tamquam in aliéna, in cásulis habitándo cum Isaac, et Jacob coherédibus repromissiónis ejúsdem. Exspectábat enim fundaménta habéntem civitátem : cujus ártifex, et cónditor Deus.

Lectio v.

FIDE et ipsa Sara stérilis virtútem in conceptiónem séminis accépit, étiam præter tempus ætátis : quóniam fidélem crédidit esse eum, qui repromíserat. Propter quod et ab uno órti sunt (et hoc emórtuo) tamquam sídera cæli in multitúdinem, et sicut aréna, quæ est ad oram maris, innumerábilis. Juxta fidem defúncti sunt omnes isti, non accéptis repromissiónibus, sed a longe eas aspiciéntes, et salutántes, et confiténtes, quia peregríni, et hóspites sunt super terram.

Lectio vj.

QUI enim hæc dicunt, significant se pátriam inquírere. Et si quidem ipsíus meminíssent de qua exiérunt, habébant útique tempus reverténdi. Nunc autem meliórem áppetunt, id est, cæléstem. Ideo non confúnditur Deus vocári Deus eórum : parávit enim illis civitátem. Fide óbtulit Abraham Isaac, cum tentarétur, et unigénitum offeré-

bat, qui suscéperat repromissiónes; ad quem dictum est : Quia in Isaac vocábitur tibi semen.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo témpore : Exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidónem ad Mare Galilææ inter médios fines Decapóleos. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ. (Homilia 10. Lib. 1. in Ezech. ante med.)

QUID est, quod creátor ómnium Deus, cum surdum et mutum sanáre voluísset, in aures illíus suos dígitos misit, et éxspuens linguam ejus tétigit? Quid per dígitos Redemptóris, nisi dona sancti Spíritus designántur? Unde, cum in álio loco ejecísset dæmónium, dixit : Si in dígito Dei ejício dæmónia, profécto pervénit in vos regnum Dei. Qua de re per Evangelístam álium dixísse descríbitur : Si ego in spíritu Dei ejício dæmónia, ígitur pervénit in vos regnum Dei.

Lectio viij.

EX quo utróque loco colligitur quia dígitus Dei vocátur Spíritus. Dígitos ergo in aurículas mittere, est per dona sancti Spíritus mentem surdi ad obediéndum aperíre. Quid est vero, quod éxspuens, linguam ejus tétigit? Salíva nobis est ex ore Redemptóris, accépta sapiéntia in elóquio divíno. Saliva quippe ex cápite défluit in ore. Ea ergo sapiéntia, quæ ipse est, dum lingua nostra tángitur, mox ad prædicatiónis verba formátur.

Lectio ix.

QUI suspíciens in cælum, ingémuit : non quod ipse necessárium gémitum habéret, qui dabat quod postulábat : sed nos ad eum gémere, qui cælo præsidet, dócuit; ut et aures nostræ per dona Spíritus sancti aperíri, et lingua per salívam oris, id est, per sciéntiam divínæ locutiónis, solvi débeat ad verba prædicatiónis. Cui mox Ephpheta, id est, Adaperíre, dicitur : et statim apértæ sunt aures ejus, et solútum est vínculum linguæ ejus.

Ad Benedictus Ańa. Exiens Jesus de fínibus Tyri venit per Sidónem ad Mare Galilææ inter médios fines Decapóleos, allelúia.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ et mérita súpplicum excédis et vota; effúnde super nos misericórdiam tuam : ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsumit. Per.

Ad Magnificat Ańa. Bene ómnia fecit : et surdos fecit audíre, et mutos loqui.

DOMINICA X.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, de cujus múnere venit ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur : tríbue, quæsumus, nobis ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 11. et cap. 12.

ET quid adhuc dicam? Defíciet enim me tempus enarrántem de Gédeon, Barac, Samson, Jephte, David, Sámuel, et prophétis : qui per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum : accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos.

Lectio v.

ALII autem distenti sunt non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. Alii vero ludíbria, et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres : lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt, circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti : quibus dignus non erat mundus : in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ.

Lectio vj.

ET hi omnes testimónio fidei probáti, non accepérunt repromissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providénte, ut non sine nobis consummaréntur. Ideóque et nos tantam habéntes impósitam nubem téstium, deponéntes omne pondus, et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen : aspiciéntes in auctórem fídei, et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contempta, atque in déxtera sedis Dei sedet.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Beáti óculi, qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi prophétæ, et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 7. in Lucæ cap. 10.)

HOMO quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et incidit in latrónes. Jéricho figúra hujus mundi est, in quam de Paradíso, hoc est, de Jerúsalem illa cæléstí ejéctus Adam, prævaricatiónis prolapsióne descéndit, hoc est, de vitálibus ad inférna démigrans : cui non loci, sed morum mutátio natúræ suæ fecit exsílium. Longe enim mutátus ab illo Adam, qui inoffénsa beatitúdine fruebátur. Ubi in sæculária peccáta defléxit, incidit in latrónes : in quos non incidísset, nisi his, mandáti cæléstis dévius, se fecísset obnóxium.

Lectio viij.

QUI sunt isti latrónes, nisi ángeli noctis atque tenebrárum? qui se nonnúnquam transfigúrant in Angelos lucis: sed perseveráre non possunt. Hi ante despóliant, quæ accépimus, induménta grátiæ spiritális; et sic vúlnera inférre

consuevérunt : nam si intemeráta, quæ súmpsimus, induménta servámus, plagas latrónum sentíre non póssumus. Cave ergo ne ante nudéris, sicut ante Adam nudátus est, mandáti cæléstis custódia destitútus, et exútus fídei vestiménto; et sic letále vulnus accépit.

Lectio ix.

In quo omne genus occidísset humánum, nisi Samarítanus ille descéndens súlnera ejus acérba curásset. Hic ergo Samarítanus descéndens (quis est, qui descéndit de cælo, nisi qui ascéndit in cælum, Fílius hóminis, qui est in cælo?) videns semivívum, quem nemo potúerat ante curáre, venit secus eum, hoc est, factus est compassiónis nostræ susceptióne finítimus, et misericórdiæ collatióne vicínus. Et alligávit súlnera ejus, infúndens óleum, et vinum. Multa medicámina médicus habet iste, quibus sanáre consuévit.

Ad Benedictus Aña. Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et incidit in latrónes; qui étiam despoliavérunt eum, et plagis impósitis abiérunt, semivívo relícto.

Oratio.

Omnipotens et miséricors Deus, de cujus múnere venit ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur: tríbue, quæsumus, nobis ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per.

Ad Magnificat Aña. Quis tibi vidétur próximus fuísse illi qui incidit in latrónes? Et ait : Ille qui fecit misericórdiam in illum. Vade, et tu fac simíliter, allelúia.

DOMINICA XI.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, da nobis fídei, spei et caritátis augméntum : et ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod præcípis. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 12.

Omnis disciplína in præsénti quidem vidétur non esse gáudii, sed mæróris : póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam, reddet justítiæ. Propter quod remíssas manus, et solúta génua erígite, et gressus rectos fácite pédibus vestris : ut non cláudicans quis erret, magis autem sanétur. Pacem sequímini cum ómnibus, et sanctimóniam, sine qua nemo vidébit Deum : contemplántes ne quis desit grátiæ Dei : ne qua radix amaritúdinis sursum gérminans impédiat, et per illam inquinéntur multi.

Lectio v.

Ne quis fornicátor, aut profánus ut Esau : qui propter unam escam véndidit primitíva sua : scitóte enim quóniam et póstea cúpiens hereditáre benedictiónem, reprobátus est : non enim invénit pœniténtiæ locum, quamquam cum lácrimis inquisísset eam. Non enim accessístis ad tractábilem montem, et accensíbilem ignem, et túrbinem, et calíginem, et procéllam, et tubæ sonum, et vocem verbórum, quam qui audiérunt, excusavérunt se, ne eis fíeret verbum.

Léctio vj.

NON enim portábant quod dicebátur : Et si béstia tetígerit montem, lapidábitur. Et ita terríbile erat quod videbátur. Móyses dixit : Extérritus sum, et tremebúndus. Sed accessístis ad Sion montem, et civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cæléstem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, et Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in cælis, et júdicem ómnium Deum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo témpore : Cum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samáriam, et Galilæam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 2. Quæst. Evang. cap. 40.)

DE decem leprósis, quos Dóminus ita mundávit, cum ait, Ite, osténdite vos sacerdótibus : quæri potest, cur eos ad sacerdótes miserit, ut cum irent, mundaréntur. Nullum enim eórum, quibus hæc corporália benefícia præstitit, invenítur misísse ad sacerdótes, nisi leprósos. Nam et illum a lepra mundáverat, cui dixit : Vade, osténde te sacerdótibus, et offer pro te sacrifícium, quod præcépit Móyses, in testimónium illis. Quæréndum ígitur est, quid ipsa lepra significet : non enim sanáti, sed mundáti dicúntur, qui ea caruérunt. Colóris quippe vítium est, non valetúdinis, aut integritátis sénsuum atque membrórum.

Lectio viij.

LEPROSI ergo non absúrde intélligi possunt, qui sciéntiam veræ fídei non habéntes, várias doctrínas profiténtur erróris. Non enim abscóndunt imperítiam suam, sed pro summa perítia próferunt in lucem, et jactántia sermónis osténtant. Nulla porro falsa doctrína est, quæ non áliqua vera intermísceat. Vera ergo falsis inordináte permísta, in una disputatióne vel narratióne hóminis, tamquam in uníus córporis colóre apparéntia, significant lepram, tamquam veris falsísque colórum fucis humána córpora variántem atque maculántem.

Lectio ix.

HI autem tam vitándi sunt Ecclésiæ, ut si fíeri potest, lóngius remóti, magno clamóre Christum interpéllent: sicut isti decem stetérunt a longe, et levavérunt vocem, dicéntes, Jesu præcéptor, miserére nostri. Nam et quod præceptórem vocant (quo nómine néscio utrum quisquam Dóminum interpelláverit pro medicína corporáli) satis puto significáre, lepram falsam esse doctrínam, quam bonus præcéptor abstérgit.

Ad Benedictus Aña. Cum ingrederétur Jesus quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt a longe : et levavérunt vocem dicéntes : Jesu præcéptor miserére nostri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, da nobis fídei, spei, et caritátis augméntum : et ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod præcipis. Per.

Ad Magnificat Aña. Nonne decem mundáti sunt? Et novem ubi sunt? Non est invéntus qui redíret, et daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. Vade, quia fides tua te salvum fecit, allelúia.

DOMINICA XII.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

CUSTODI Dómine, quæsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua : et quia sine te lábitur humána mortálitas, tuis semper auxíliis, et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per.

IN II. NOCTURNO.
De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio iv. Cap. 13.

MEMENTOTE præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie : ipse et in sæcula. Doctrínis váriis, et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis : quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt.

Lectio v.

QUORUM enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini ejus.

Lectio vj.

BENEFICENTIÆ autem, et communiónis nolíte oblívisci : tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri, ut cum gáudio hoc fáciant, et non geméntes : hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis : confídimus enim quia bonam consciéntiam habémus in ómnibus bene volénte conversári. Amplius autem déprecor vos hoc fácere, quo celérius restituar vobis.

IN III. NOCTURNO.
Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo potest duóbus dóminis servíre. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.
(Lib. 1. Comm. in Matth. cap. 6.)

NON potéstis Deo servíre, et mammónæ. Mammóna sermóne Syríaco, divítiæ nuncupántur. Audiat hoc avárus :

áudiat, qui censétur vocábulo christiáno, non posse se simul divítiis Christóque servíre. Et tamen non dixit, Qui habet divítias : sed, Qui servit divítiis. Qui enim divitiárum servus est, divítias custódit ut servus : qui autem servitútis excússit jugum, distríbuit eas ut dóminus.

Lectio viij.

IDEO dico vobis, ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini. In nonnúllis codícibus ádditum est : neque quid bibátis. Ergo quod ómnibus natúra tríbuit, et juméntis, ac béstiis, hominibúsque commúne est, hujus cura non pénitus liberámur. Sed præcípitur nobis ne sollíciti simus quid comedámus : quia in sudóre vultus præparámus nobis panem. Labor exercéndus est, sollicitúdo tollénda.

Lectio ix.

HOC, quod dícitur, Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid comedátis, neque córpori vestro quid induámini: de carnáli cibo et vestiménto accipiámus. Céterum de spirituálibus cibis et vestiméntis semper debémus esse sollíciti. Nonne ánima plus est quam esca? Quod dicit, istiúsmodi est : Qui majóra præstitit, útique et minóra præstábit. Quod si volatília, absque cura et ærúmnis, Dei alúntur providéntia, quorum ánima mortális est : quanto magis hómines, quibus ætérnitas promíttitur, Dei regúntur arbitrio !

Ad Benedictus Aña. Nolíte sollíciti esse, dicéntes : Quid manducábimus, aut quid bibémus? Scit enim Pater vester cæléstis quid vobis necésse sit, allelúia.

Oratio.

CUSTODI Dómine, quæsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua : et quia sine te lábitur humána mortálitas, tuis semper auxíliis, et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per.

Ad Magnificat Aña. Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus : et hæc ómnia adjiciéntur vobis, allelúia.

DOMINICA XIII.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

ECCLESIAM tuam Dómine miserátio continuáta mundet et múniat : et quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio iv. Cap. 1. et cap. 2.

PAULUS, et Silvánus, et Timótheus Ecclésiæ Thessalonicénsium in Deo Patre, et Dómino Jesu Christo. Grátia vobis, et pax. Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum : sciéntes fratres, dilécti a Deo, electiónem vestram : quia Evangélium nostrum non fuit

ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos.

Lectio v.

Et vos imitatóres nostri facti estis, et Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus sancti : ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus in Macedónia, et in Achája. A vobis enim diffamátus est sermo Dómini, non solum in Macedónia, et in Achája, sed et in omni loco, fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui.

Lectio vj.

Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos : et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo, et vero, et exspectáre Fílium ejus de cælis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra. Nam ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit : sed ante passi, et contuméliis affécti (sicut scitis) in Philíppis, fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 7.

In illo témpore : Ibat Jesus in civitátem, quæ vocátur Naim : et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 44. de verb. Domini, circa init.)

De júvene illo resuscitáto gavísa est mater vídua : de homínibus quotídie in spíritu resuscitátis gaudet mater Ecclésia. Ille quidem mórtuus erat córpore : illi autem mente. Illíus mors visíbilis visibíliter plangebátur : illórum mors invisíbilis nec quærebátur, nec videbátur. Quæsívit ille, qui nóverat mórtuos. Ille solus nóverat mórtuos, qui póterat fácere vivos.

Lectio viij.

Nisi enim ad mórtuos suscitándos venísset, Apóstolus non díceret, Surge, qui dormis, et exsúrge a mórtuis, et illuminābit te Christus. Tres autem mórtuos invenímus a Dómino resuscitátos visibíliter, míllia invisibíliter. Quot autem mórtuos visibíliter suscitáverit, quis novit? Non enim ómnia, quæ fecit, scripta sunt. Joánnes hoc dixit : Multa ália signa fecit Jesus: quæ si scripta essent, árbitror totum mundum non posse libros cápere.

Lectio ix.

Multi sunt ergo álii sine dúbio suscitáti, sed non frustra tres commemoráti. Dóminus enim noster Jesus Christus ea, quæ faciébat corporáliter, étiam spiritáliter volébat intélligi. Neque enim tantum mirácula propter mirácula faciébat : sed ut illa, quæ faciébat, mira essent vidéntibus, vera essent intelligéntibus. Qui vidérunt Christi mirácula, et non intellexérunt, miráti sunt tantum quia facta sunt :

álii vero et facta miráti, et intellécta assecúti. Tales nos in schola Christi esse debémus.

Ad Benedictus Aña. Ibat Jesus in civitátem, quæ vocátur Naim : et ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ.

Oratio.

ECCLESIAM tuam Dómine miserátio continuáta mundet et múniat : et quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur. Per.

Ad Magnificat Aña. Accépit autem omnes timor : et magnificábant Deum dicéntes : Quia prophéta magnus surréxit in nobis : et quia Deus visitávit plebem suam.

DOMINICA XIV.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

TUA nos, quæsumus Dómine, grátia semper et prævéniat, et sequátur; ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio iv. Cap. 2.

MEMORES enim estis fratres labóris nostri, et fatigatiónis : nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et juste, et sine queréla, vobis, qui credidístis, fúimus : sicut scitis, quáliter unumquémque vestrum (sicut pater fílios suos) deprecántes vos, et consolántes, testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum, et glóriam.

Lectio v.

IDEO et nos grátias ágimus Deo sine intermissióne : quóniam cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud, non ut verbum hóminum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operátur in vobis, qui credidístis. Vos enim imitatóres facti estis, fratres, ecclesiárum Dei, quæ sunt in Judæa in Christo Jesu : quia éadem passi estis et vos a contribúlibus vestris, sicut et ipsi a Judæis : qui et Dóminum occidérunt Jesum, et prophétas, et nos persecúti sunt, et Deo non placent.

Lectio vj.

NOS autem, fratres, desoláti a vobis ad tempus horæ, aspéctu, non corde, abundántius festinávimus fáciem vestram vidére cum multo desidério : quóniam volúimus veníre ad vos : ego quidem Paulus, et semel, et iterum, sed impedívit nos Sátanas. Quæ est enim nostra spes, aut gáudium, aut coróna glóriæ? Nonne vos ante Dóminum nostrum Jesum Christum estis in advéntu ejus? Vos enim estis glória nostra et gáudium.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore : Cum intráret Jesus in domum cujúsdam príncipis Pharisæórum sábbato manducáre panem, et ipsi observábant eum. Et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

(In Luc. cap. 14.)

HYDROPIS morbus ab aquóso humóre vocábulum trahit : Græce enim hydor aqua vocátur. Est autem humor subcutáneus de vítio vesícæ natus cum inflatióne turgénte, et anhélitu fœtido. Propriúmque est hydrópici, quanto magis abúndat humóre inordináto, tanto ámplius sitíre. Et ídeo recte comparátur ei, quem fluxus carnálium voluptátum exúberans ággravat. Comparátur étiam díviti avváro, qui quanto est copiósior divítiis, quibus non bene útitur, tanto ardéntius tália concupíscit.

Lectio viij.

QUOD dícitur respondísse Jesus, ad hoc réspicit, quod præmíssum est : Et ipsi observábant eum. Dóminus enim novit cogitatiónes hóminum. Sed mérito interrogáti tacent, qui contra se dictum, quidquid díxerint, vident. Nam si licet sábbato curáre, quare Salvatórem, an curet, obsérvant? Si non licet, quare ipsi in sábbato pécora curant? Ipse vero apprehénsum sanávit eum, ac dimísit.

Lectio ix.

PROVIDA dispensatióne Dóminus ante Legisperítos, et Pharisæos hydrópicum curat; et mox contra avarítiam dísputat, ut vidélicet per hanc ægritúdinem córporis in illis exprimerétur ægritúdo cordis. Dénique post multa disputatiónis ejus hortaménta subjúnctum est : Audiébant autem ómnia hæc Pharisæi, qui erant avári, et deridébant illum.

Ad Benedictus Aña. Dixit Jesus ad Legisperítos et Phárisæos : Si licet sábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipse vero apprehéndens hydrópicum sanávit eum, ac dimísit.

Oratio.

TUA nos, quæsumus Dómine, grátia semper et prævéniat, et sequátur; ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per.

Ad Magnificat Aña. Cum vocátus fúeris ad núptias, recúmbe in novíssimo loco : ut dicat tibi qui te invitávit : Amice ascénde supérius. Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus, allelúia.

DOMINICA XV. POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

DA, quæsumus Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia, et te solum Deum pura mente sectári. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio iv. Cap. 4.

DE cétero ergo, fratres, rogámus vos et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis quómodo opórteat vos ambuláre, et placére Deo, sic et ambulétis ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra : ut abstineátis vos a fornicatióne, ut sciat unusquísque vestrum vas suum possidére in sanctificatióne, et honóre : non in passióne desidérii, sicut et gentes, quæ ignórant Deum.

Lectio v.

ET ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum : quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus, sicut prædíximus vobis, et testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem. Itaque qui hæc spernit, non hóminem spernit, sed Deum : qui étiam dedit Spíritum suum sanctum in nobis.

Lectio vj.

DE caritáte autem fraternitátis non necésse habémus scríbere vobis : ipsi enim vos a Deo didicístis ut diligátis ínvicem. Etenim illud fácitis in omnes fratres in univérsa Macedónia. Rogámus autem vos fratres ut abundétis magis, et óperam detis ut quiéti sitis, et ut vestrum negótium agátis, et operémini mánibus vestris, sicut præcépimus vobis : et ut honéste ambulétis ad eos, qui foris sunt : et nullíus áliquid desiderétis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore : Accessérunt ad Jesum Pharisæi : et interrogávit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum : Magíster, quod est mandátum magnum in Lege? Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(In divers. Matth. loc. Hom. 16.)

CONVENERUNT, ut multitúdine vincerent, quem ratióne superáre non póterant. A veritáte nudos se esse proféssi sunt, qui multitúdine se armavérunt. Dicébant enim apud se : Unus loquátur pro ómnibus, et omnes loquámur per unum : ut si quidem vicerit, omnes videámur victóres; si autem victus fúerit, vel solus videátur confúsus. O Pharisæi, qui ómnia propter hómines cogitátis, et fácitis! Primum quidem veniéntes cum uno, vincéndi estis per unum.

Lectio viij.

TAMEN putátis, quia uno victo, hómines non intélligant omnes vos victos. Numquid consciéntiæ vestræ non séntiunt se esse confúsas? Levis enim est consolátio, qui in seípso confúsus est, quod ab áliis ignorátur. Magíster, quod est mandátum magnum in Lege? Magístrum vocat, cujus non vult esse discípulus. Simplicíssimus interrogátor, et maligníssimus insidiátor : de magno mandáto intérrogat, qui nec mínimum obsérvat : ille enim debet interrogáre de majóri justítia, qui jam minórem implévit.

Lectio ix.

DOMINUS autem sic eum reprehéndit, ut interrogatiónis ejus fictam consciéntiam statim primo respónso percúteret, dicens : Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo : id est, non sicut tu, qui devotiónem osténdis in ore, et fraudem meditáris in corde. Magnum autem, et mínimum mandátum dícimus, quantum ad dignitátem mandatórum, non quantum ad utilitátem. Alióquin utílitas ómnium mandatórum una est; et ómnia mandáta, quæ unum

vidéntur esse mandátum, ita sibi cohærent, ut álterum sine áltero esse non possit.

Ad Benedictus Aña. Magíster, quod est mandátum magnum in Lege? Ait illi Jesus : Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, allelúia. Oratio.

DA, quæsumus Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia, et te solum Deum pura mente sectári. Per.

Ad Magnificat Aña. Quid vobis vidétur de Christo? cujus fílius est? Dicunt ei omnes : David. Dicit eis Jesus : Quómodo David in spíritu vocat eum Dóminum dicens : Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis?

DOMINICA XVI.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

DIRIGAT corda nostra, quæsumus Dómine, tuæ miseratiónis operátio; quia tibi sine te placére non póssumus. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio iv. Cap. 5.

DE tempóribus autem, et momentis fratres non indigétis ut scribámus vobis. Ipsi enim diligénter scitis quia dies Dómini sicut fur in nocte, ita véniet. Cum enim díxerint pax, et secúritas : tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habénti, et non effúgient. Vos autem fratres non estis in ténebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehéndat : omnes enim vos fílii lucis estis, et fílii diéi : non sumus noctis, neque tenebrárum.

Lectio v.

IGITUR non dormiámus sicut et céteri, sed vigilémus, et sóbrii simus. Qui enim dórmiunt, nocte dórmiunt : et qui ébrii sunt, nocte ébrii sunt. Nos autem, qui diéi sumus, sóbrii simus, indúti lorícam fídei, et caritátis, et gáleam spem salútis : quóniam non pósuit nos Deus in iram, sed in acquisitiónem salútis per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui mórtuus est pro nobis: ut sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum illo vivámus.

Lectio vj.

PROPTER quod consolámini ínvicem : et ædificáte altérutrum, sicut et fácitis. Rogámus autem vos fratres ut novéritis eos, qui labórant inter vos, et præsunt vobis in Dómino, et monent vos, ut habeátis illos abundántius in caritáte propter opus illórum : pacem habéte cum eis. Rogámus autem vos fratres, corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infírmos, patiéntes estóte ad omnes.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo témpore : Ascéndens Jesus in navículam, transfretávit, et venit in civitátem suam. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

(Sermone 50.)

CHRISTUM in humánis áctibus divína gessísse mystéria, et in rebus visibílibus invisibília exercuísse negótia, léctio hodiérna monstrávit.

Ascéndit, inquit, in navículam, et transfretávit, et venit in civitátem suam. Nonne ipse est, qui fugátis flúctibus, maris profúnda nudávit, ut Israelíticus pópulus inter stupéntes undas sicco vestígio velut móntium cóncava pertransíret? Nonne hic est, qui Petri pédibus marínos vórtices inclinávit, ut iter líquidum humánis gréssibus sólidum præbéret obséquium?

Lectio viij.

ET quid est, quod ipse sibi sic maris dénegat servitútem, ut brevíssimi lacus tránsitum sub mercéde náutica transfretáret? Ascéndit, inquit, in navículam, et transfretávit. Et quid mirum, fratres? Christus venit suscípere infirmitátes nostras, et suas nobis conférre virtútes : humána quærere, præstáre divína : accípere injúrias, réddere dignitátes : ferre tædia, referre sanitátes : quia médicus, qui non fert infirmitátes, curáre nescit : et qui non fúerit cum infírmo infirmátus, infírmo non potest conférre sanitátem.

Lectio ix.

CHRISTUS ergo, si in suis mansísset virtútibus, commúne cum homínibus nihil habéret : et nisi implésset carnis órdinem, carnis in illo esset otiósa suscéptio. Ascéndit, inquit, in navículam, et transfretávit, et venit in civitátem suam. Creátor rerum, orbis Dóminus, postquam se propter nos nostra angustávit in carne, cœpit habére humánam pátriam, cœpit civitátis Judáicæ esse civis : Paréntes habére cœpit, paréntum ómnium ipse Parens: ut invitáret amor, attráheret cáritas, vincíret affféctio, suadéret humánitas, quos fugárat dominátio, metus dispérserat, fécerat vis potestátis extórres.

Ad Benedictus Aña. Dixit Dóminus paralytico : Confíde fili, remittúntur tibi peccáta tua. Oratio.

DIRIGAT corda nostra, quæsumus Dómine, tuæ miseratiónis operátio; quia tibi sine te placére non póssumus. Per.

Ad Magnificat Aña. Vidéntes autem turbæ timuérunt, et glorificavérunt Deum, qui dedit potestátem talem homínibus.

DOMINICA XVII.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde: ut mente et córpore páriter expediti, quæ tua sunt líberis méntibus exsequámur. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio iv. Cap. 2.

ROGAMUS autem vos fratres per advéntum Dómini nostri Jesu Christi, et nostræ congregatiónis in ipsum : ut non cito moveámini a vestro sensu, neque terreámini, neque per spíritum, neque per sermónem, neque per epístolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modo : quóniam nisi vénerit discéssio primum, et revelátus fúerit homo peccáti, fílius perditiónis, qui adversátur, et extóllitur supra omne, quod dícitur

Deus, aut quod cólitur, ita ut in templo Dei sédeat osténdens se tamquam sit Deus.

Lectio v.

NON retinétis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicébam vobis? Et nunc quid detíneat scitis, ut revelétur in suo témpore. Nam mystérium jam operátur iniquitátis : tantum ut qui tenet nunc, téneat, donec de médio fiat. Et tunc revelábitur ille iníquus, quem Dóminus Jesus interfíciet spíritu oris sui, et déstruet illustratióne advéntus sui eum : cujus est advéntus secúndum operatiónem Sátanæ in omni virtúte, et signis, et prodígiis mendácibus, et in omni seductióne iniquitátis iis, qui péreunt : eo quod caritátem veritátis non recepérunt ut salvi fíerent.

Lectio vj.

IDEO mittet illis Deus operatiónem erróris ut credant mendácio, ut judicéntur omnes, qui non credidérunt veritáti, sed consensérunt iniquitáti. Nos autem debémus grátias ágere Deo semper pro vobis fratres dilécti a Deo, quod elégerit vos Deus primitias in salútem in sanctificatióne spíritus, et in fide veritátis : in qua et vocávit vos per Evangélium nostrum in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore : Loquebátur Jesus princípibus sacerdótum et Pharisæis in parábolis, dicens : Símile factum est regnum cælórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 38. in Evang. post initium.)

SÆPE jam me dixísse mémini, quod plerúmque in sancto Evangélio regnum cælórum præsens Ecclésia nominátur : congregátio quippe justórum regnum cælórum dícitur. Quia enim per Prophétam Dóminus dicit : Cælum mihi sedes est; et Sálomon ait : Anima justi sedes est sapiéntiæ; Paulus étiam dicit : Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam : líquido collígere debémus, quia si Deus sapiéntia, ánima autem justi sedes sapiéntiæ; dum cælum dícitur sedes Dei, cælum ergo est ánima justi. Hinc per Psalmístam de sanctis prædicatóribus dícitur : Cæli enárrant glóriam Dei.

Lectio viij.

REGNUM ergo cælórum est Ecclésia justórum : quia dum eórum corda in terra nil ámbiunt, per hoc, quod ad supérna suspírant, jam in eis Dóminus quasi in cæléstibus regnat. Dicátur ergo : Símile est regnum cælórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Jam intélligit cáritas vestra, quis est iste rex, regis fílii pater : ille nimírum, cui Psalmísta ait : Deus judícium tuum regi da, et justítiam tuam fílio regis.

Lectio ix.

QUI fecit núptias fílio suo. Tunc enim Deus Pater Deo Fílio suo núptias fecit, quando hunc in útero Vírginis humánæ natúræ conjúnxit,

quando Deum ante sæcula fíeri vóluit hóminem in fine sæculórum. Sed quia ex duábus persónis fíeri solet ista nuptiális conjúnctio, absit ut persónam Dei et hóminis ex duábus persónis credámus unítam. Apértius igitur atque secúrius dici potest, quia in hoc Pater regi Fílio núptias fecit, quo ei per Incarnatiónis mystérium sanctam Ecclésiam sociávit.

Ad Benedictus Aña. Dícite invitátis : Ecce prándium meum parávi : veníte ad núptias, dicit Dóminus. Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde : ut mente et córpore páriter expediti, quæ tua sunt líberis méntibus exsequámur. Per.

Ad Magnificat Aña. Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant non fuérunt digni : ite ergo ad éxitus viárum, et quoscúmque invenéritis vocáte ad núptias, dicit Dóminus.

DOMINICA XVIII.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

LARGIRE, quæsumus Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus et pacem : ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis, et secúra tibi mente desérviant. Per.

IN II. NOCTURNO.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio iv. Cap. I.

PAULUS Apóstolus Jesu Christi secúndum impérium Dei Salvatóris nostri, et Christi Jesu spei nostræ : Timótheo dilécto fílio in fide. Grátia, misericórdia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Dómino nostro. Sicut rogávi te ut remanéres Ephesi cum irem in Macedóniam, ut denuntiáres quibúsdam ne áliter docérent, neque inténderent fábulis, et genealogíis interminátis : quæ quæstiónes præstant magis quam ædificatiónem Dei, quæ est in fide.

Lectio v.

FINIS autem præcépti est cáritas de corde puro, et consciéntia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrántes, convérsi sunt in vanilóquium, voléntes esse legis doctóres, non intelligéntes neque quæ loquúntur, neque de quibus affírmant. Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legítime utátur : sciens hoc quia lex justo non est pósita, sed injústis, et non súbditis, ímpiis, et peccatóribus, sceleráti s, et contamináti s, parricídis, et matricídis, homicídis, fornicáriis, masculórum concubitóribus, plagiáriis, mendácibus, et perjúris, et si quid áliud sanæ doctrínæ adversátur, quæ est secúndum Evangélium glóriæ beáti Dei, quod créditum est mihi.

Lectio vj.

GRATIAS ago ei, qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério : qui prius blasphémus fui, et persecútor, et contumeliósus : sed misericórdiam Dei consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. Superabundávit autem grátia

Dómini nostri cum fide, et dilectióne, quæ est in Christo Jesu.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo témpore : Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 28. in Evang.)

HOC nobis solúmmodo, fratres, de sancti Evangélii expositióne vídeo esse requiréndum, cur is, qui ad salútem fílio peténdam vénerat, audívit : Nisi signa, et prodígia vidéritis, non créditis. Qui enim salútem quærébat fílio, proculdúbio credébat : neque enim ab eo quæreret salútem, quem non créderet Salvatórem. Quare ergo ei dícitur, Nisi signa, et prodígia vidéritis, non créditis : qui ante crédidit quam signum vidéret?

Lectio viij.

SED mentóte quid pétiit; et apérte cognoscétis, quia in fide dubitávit. Popóscit namque, ut descénderet, et sanáret fílium ejus. Corporálem ergo Dómini præséntiam quærébat, qui per spíritum nusquam déerat. Minus ítaque in illum crédidit, quem non putávit salútem posse dare, nisi præsens esset et córpore. Si enim perfécte credidísset, proculdúbio sciret, quia non esset locus ubi non esset Deus.

Lectio ix.

EX magna ergo parte diffísus est, qui virtútem non dedit majestáti, sed præséntiæ corporáli. Salútem ítaque fílio pétiit, et tamen in fide dubitávit : quia eum, ad quem vénerat, et poténtem ad curándum crédidit, et tamen moriénti fílio esse abséntem putávit. Sed Dóminus, qui rogátur ut vadat, quia non desit ubi invitátur, índicat : solo jussu salútem réddidit, qui voluntáte ómnia creávit.

Ad Benedictus Aña. Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum : hic cum audísset quod Jesus adveníret in Galilæam, rogábat eum ut descénderet, et sanáret fílium ejus. Oratio.

LARGIRE, quæsumus Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus et pacem : ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis, et secúra tibi mente desérviant. Per.

Ad Magnificat Aña. Cognóvit ergo pater quia illa hora erat, in qua dixit Jesus : Fílius tuus vivit. Et crédidit ipse et domus ejus tota.

DOMINICA XIX. POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

FAMILIAM tuam, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi : ut a cunctis adversitátibus te protegénte sit líbera; et in bonis áctibus tuo nómini sit devóta. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio iv. Cap. 2.

OBSECRO ígitur primum ómnium fíeri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes pro ómnibus homínibus : pro régibus,

et ómnibus, qui in sublimitáte sunt, ut quiétam, et tranquillam vitam agámus in omni pietáte, et castitáte. Hoc enim bonum est, et accéptum coram Salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre.

Lectio v.

UNUS enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum homo Christus Jesus : qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis : in quo pósitus sum ego prædicátor, et Apóstolus (veritátem dico, non méntior) doctor Géntium in fide, et veritáte. Volo ergo viros oráre in omni loco, levántes puras manus sine ira, et disceptatióne.

Lectio vj.

SIMILITER et mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia, et sobrietáte ornántes se, et non in tortis crínibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiósa : sed quod decet mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona. Múlier in siléntio discat cum omni subjectióne. Docére autem mulíeri non permítto, neque dominári in virum : sed esse in siléntio.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Assimilátum est regnum cælórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 2. Comm. in cap. 18. Matth.).

FAMILIARE est Syris, et máxime Palæstínis ad omnem sermónem suum parábolas júngere : ut quod per simplex præcéptum tenéri ab auditóribus non potest, per similitúdinem exémplaque teneátur. Præcépit ítaque Dóminus Petro sub comparatióne regis et dómini, et servi, qui débitor decem míllium talentórum a dómino rogans veniam impetráverat, ut ipse quoque dimíttat consérvis suis minóra peccántibus.

Lectio viij.

SI enim ille rex et dóminus servo debitóri decem míllia talentórum tam fácile dimísit, quanto magis servi consérvis suis debent minóra dimíttere? Quod ut maniféstius fiat, dicámus sub exémplo. Si quis nostrum commíserit adultérium, homicídium, sacrilégium, majóra crímina decem míllium talentórum rogántibus dimittúntur, si et ipsi dimíttant minóra peccántibus.

Lectio ix.

SIN autem ob factam contuméliam simus implacábiles, et propter amárum verbum pérpetes habeámus discórdias, nonne nobis vidémur recte redigéndi in cárcerem, et sub exémplo óperis nostri hoc ágere, ut majórum nobis delictórum vénia non relaxétur? Sic et Pater meus cæléstis fáciet vobis, si non remiséritis unusquísque fratri suo de córdibus vestris. Formidolósa senténtia!

Ad Benedictus Aña. Dixit autem dóminus servo : Redde quod debes. Prócidens autem servus ille rogábat eum dicens : Patiéntiam habe in me, et ómnia reddam tibi.

Oratio.

FAMILIAM tuam, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi : ut a cunctis adversitátibus te protegénte sit líbera; et in bonis áctibus tuo nómini sit devóta. Per.

Ad Magnificat Aña. Serve nequam, omne débitum dimísi tibi, quóniam rogásti me : nonne ergo opórtuit et te miseréri consérvi tui, sicut et ego tui misértus sum? dicit Dóminus.

DOMINICA XX.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

DEUS refúgium nostrum et virtus; adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus auctor ipse pietátis : et præsta ut quod fidéliter pétimus efficáciter consequámur. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio iv. Cap. 4.

EXERCE autem teípsum ad pietátem. Nam corporális exercitátio ad módicum útilis est : pietas autem ad ómnia útilis est, promissiónem habens vitæ, quæ nunc est, et futúræ. Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus. In hoc enim laborámus, et maledícimur, quia sperámus in Deum vivum, qui est Salvátor ómnium hóminum, máxime fidélium. Prædpe hæc, et doce.

Lectio v.

NEMO adolescéntiam tuam contémnat : sed exémplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, atténde lectióni, exhortatióni, et doctrínæ. Noli negligere grátiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam, cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his esto : ut profectus tuus manifestus sit ómnibus.

Lectio vj. Cap. 4. et cap. 5.

ATTENDE tibi, et doctrínæ : insta in illis. Hoc enim fáciens, et teípsum salvum fácies, et eos, qui te áudiunt. Seniórem ne increpáveris, sed óbsecra ut patrem : júvenes, ut fratres : anus, ut matres : juvénculas, ut soróres in omni castitáte. Víduas honóra, quæ vere víduæ sunt. Si qua autem vídua fílios, aut nepótes habet : discat primum domum suam régere, et mútuam vicem réddere paréntibus : hoc enim accéptum est coram Deo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore : Abeúntes Pharisæi, consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

(In Comment. in Matth. cap. 23.)

FREQUENTER Pharisæi commoventur, et occasiónem insimulándi eum habére ex prætéritis non possunt. Cádere enim vítium in gesta ejus

et dicta non póterat : sed de malítiæ afféctu, in omnem se inquisitiónem reperiúndæ accusatiónis exténdunt. Namque a sæculi vítiis, atque a superstitiónibus humanárum religiónum, univérsos ad spem regni cæléstis vocábat. Igitur an violáret sæculi potestátem, de propósitæ interrogatiónis conditióne perténtant : an vidélicet reddi tribútum Cæsari oportéret.

Lectio viij

QUI intérna cogitatiónum secréta cognóscens (Deus enim nihil non eórum, quæ intra hóminem sunt abscónsa, speculátur) afférri sibi denárium jussit; et quæsívit, cujus et inscríptio esset, et forma. Pharisæi respondérunt, Cæsaris eam esse. Quibus ait, Cæsari redhibénda esse, quæ Cæsaris sunt : Deo autem reddénda esse, quæ Dei sunt. O plenam miráculi responsiónem, et perféctam dicti cæléstis absolutiónem! Ita ómnia inter contémptum sæculi, et contuméliam lædéndi Cæsaris temperávit, ut curis ómnibus, et offíciis humánis devótas Deo mentes absólveret, cum Cæsari, quæ ejus essent, redhibénda decérnit.

Lectio ix.

SI enim nihil ejus penes nos reséderit, conditióne reddéndi ei, quæ sua sunt, non tenébimur. Porro autem si rebus illíus incubámus, si jure potestátis ejus útimur, et nos tamquam mercenários aliéni patrimónii procuratióni subjícimus : extra querélam injúriæ est, Cæsari redhibéri, quod Cæsaris est : Deo autem, quæ ejus sunt própria, réddere nos oportére, corpus, ánimam, voluntátem. Ab eo enim hæc profécta atque aucta retinémus : et proínde condígnum est, ut ei se totum reddant, cui debére se récolunt et oríginem et profectum.

Ad Benedictus Aña. Magíster scimus quia verax es, et viam Dei in veritáte doces, allelúia.

Oratio.

DEUS refúgium nostrum et virtus, adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus auctor ipse pietátis : et præsta ut quod fidéliter pétimus efficáciter consequámur. Per.

Ad Magnificat Aña. Réddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo, allelúia.

SI Dominicæ post Octavam Trinitatis fuerint tantum viginti una, Homilia sequentis Dominicæ quæ est sub numero xxj. cum Antiphonis ad Benedictus et ad Magnificat et Oratione debet legi Feria sexta aut alia vacante præcedentis Hebdomadæ, et in ipsa Dominica xxj. legantur Lectiones ij. et iij. Nocturni cum Antiphonis ad Benedictus et ad Magnificat et Oratione Dominicæ quæ est sub numero xxij.

¶ Si autem in Hebdomada præcedenti non fuerit aliqua Feria vacans, in qua possit legi Homilia Dominicæ xxj., tunc Feria minoris solemnitatis festo occupata illius Hebdomadæ fiet Memoria Dominicæ xxj. per Antiphonas ad Benedictus et ad Magnificat et Orationem præfatæ Dominicæ proprias. Quod si aliqua

Octava contigerit tunc celebrari, poterit in aliqua die infra Octavam legi Homilia Dominicæ xxj. et de ea quoque fiet ea die Memoria modo supradicto.

DOMINICA XXI.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

ABSOLVE, quæsumus Dómine, tuórum delícta populórum : ut a peccatórum nostrórum néxibus, quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tua benignitáte liberémur. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio iv. Cap. 2.

FIRMUM fundaméntum Dei stat, habens signáculum hoc : Cognóvit Dóminus qui sunt ejus, et discédat ab iniquitáte omnis, qui nóminat nomen Dómini. In magna autem domo non solum sunt vasa áurea, et argéntea, sed et lígnea, et fictília : et quædam quidem in honórem, quædam autem in contuméliam. Si quis ergo emundáverit se ab istis, erit vas in honórem sanctificátum, et útile Dómino ad omne opus bonum parátum.

Lectio v.

JUVENILIA autem desidéria fuge, sectáre vero justítiam, fidem, spem, caritátem, et pacem cum iis, qui invocant Dóminum de corde puro. Stultas autem, et sine disciplína quæstiónes devíta : sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non opórtet litigáre : sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patiéntem, cum modéstia corripiéntem eos, qui resístunt veritáti : nequándo Deus det illis pœniténtiam ad cognoscéndam veritátem, et resipíscant a diáboli láqueis, a quo captívi ténentur ad ipsíus voluntátem.

Lectio vj. Cap. 3.

HOC autem scito, quod in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa : erunt hómines seípsos amántes, cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, scelésti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinéntes, immites, sine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, et voluptátum amatóres magis quam Dei : habéntes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, ecce princeps unus accéssit, et adorábat eum, dicens : Dómine, fília mea modo defúncta est. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

(Cap. 9. in Matth.)

PRINCEPS hic Lex esse intellígitur; quæ Dóminum orat, ut vitam mórtuæ reddat. Nam nullum príncipem credidísse légimus. Ex quo persóna príncipis hujus oránti mérito in typum Legis aptábitur. Cui quidem Dóminus opem spopóndit, ad quam præstándam proféctus est : sed prior cum Apóstolis peccatórum turba salvátur.

Lectio viij.

ET cum primum electiónem, quæ ex Lege destinabátur, vívere oportuísset, antérior tamen in mulíeris spécie, salus publicánis et peccatóribus rédditur. Cujus fidem et constántiam Dóminus laudávit : quia quod Israéli parabátur, plebs Géntium occupávit. Est autem in símplici intelligéntia magna virtútis Domínicæ admirátio; cum potéstas intra corpus manens, rebus cadúcis efficiéntiam ádderet sanitátis, et usque in véstium fímbrias operátio divína procéderet.

Lectio ix.

INGREDITUR deínde Dóminus domum príncipis, Synagógam vidélicet : et irridétur a plúrimis. Nunquam enim illi Deum in hómine credidérunt; quin pótius prædicári resurrectiónem ex mórtuis risérunt. Apprehénsam igitur puéllam manu, retráxit ad vitam; atque ut ratus hic esse ex Lege credéntium electiónis número crederétur, turba omnis expúlsa est : quam útique Dóminus salvári optásset; sed irridéndo dicta géstaque ejus, resurrectiónis non fuit digna consórtio.

Ad Benedictus Aña. Loquénte Jesu ad turbas, ecce princeps unus accéssit, et adorávit eum dicens : Dómine, fília mea modo defúncta est : sed veni, impóne manum tuam super eam, et vivet, allelúia.

Oratio.

ABSOLVE, quæsumus Dómine, tuórum delícta populórum : ut a peccatórum nostrórum néxibus, quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tua benignitáte liberémur. Per.

Ad Magnificat Aña. Confide fília, fides tua te salvam fecit. Et sanáta est múlier ex illa hora, allelúia.

DOMINICÆ post Octavam Trinitatis usque ad Adventum exclusive non possunt esse pauciores viginti una, nec plures viginti sex. Cum fuerint plures viginti duabus, tunc post vigesimam primam Dominicam resumantur quæ eo anno superfuerunt post Octavam Epiphaniæ, quoad Orationem, Lectiones secundi Nocturni, Homiliam, Antiphonam ad Benedictus et Antiphonam ad Magnificat, hoc ordine :

¶ Si Dominicæ post Octavam Trinitatis fuerint viginti tres, Dominica vigesima secunda post Octavam Trinitatis erit quæ est quinta post Octavam Epiphaniæ.

¶ Si fuerint viginti quatuor, Dominica vigesima secunda erit quæ est quarta post Octavam Epiphaniæ, et vigesima tertia quæ est quinta.

¶ Si fuerint viginti quinque, Dominica vigesima secunda erit quæ est tertia post Octavam Epiphaniæ; vigesima tertia quæ est quarta, et vigesima quarta quæ est quinta.

¶ Si fuerint viginti sex, Dominica vigesima secunda erit quæ est secunda post Octavam Epiphaniæ; vigesima tertia quæ est tertia; vigesima quarta quæ est quarta; et vigesima

quinta quæ est quinta post Octavam Epiphaniæ, ut infra.

¶ Et ultimo loco semper ponitur quæ sequitur hic ordine vigesima secunda.

DOMINICA XXII.
ET ULTIMA POST OCTAVAM TRINITATIS.

Oratio.

EXCITA, quæsumus Dómine, tuórum fidélium voluntátes: ut divíni óperis fructum propénsius exsequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant. Per.

IN II. NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio iv. Cap. 1.

PAULUS servus Dei, Apóstolus autem Jesu Christi secúndum fidem electórum Dei, et agnitiónem veritátis, quæ secúndum pietátem est in spem vitæ ætérnæ, quam promísit qui non mentítur, Deus, ante témpora sæculária: manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne, quæ crédita est mihi secúndum præcéptum Salvatóris nostri Dei: Tito dilécto fílio secúndum commúnem fidem, grátia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatóre nostro.

Lectio v.

HUJUS rei grátia relíqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, córrigas, et constítuas per civitátes Presbyteros, sicut et ego dispósui tibi. Si quis sine crímine est, uníus uxóris vir, fílios habens fidéles, non in accusatióne luxúriæ, aut non súbditos. Opórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem: non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum: sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere.

Lectio vj.

SUNT enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, et seductóres: máxime qui de circumcisióne sunt: quos opórtet redárgui: qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia. Dixit quidam ex illis, próprius ipsórum prophéta: Creténses semper mendáces, malæ béstiæ, ventres pigri. Testimónium hoc verum est.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est a Daniéle prophéta, stantem in loco sancto, qui legit, intélligat. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

(Cap. 25. in Matth.)

INDICIUM Dóminus noster Jesus Christus sui advéntus futúri, cum abominatiónem desolatiónis stantem in loco sancto vidébunt, intelligéndum pósuit. Et de hoc quidem,

beatíssimo Daniéle, et Paulo prædicántibus, supérfluum puto nos habére sermónem. De Antichristi enim tempóribus hæc locútus est. Abominátio ex eo dictus, quod advérsus Deum véniens, honórem sibi Dei víndicet : Desolatiónis autem abominátio, quia bellis et cædibus terram cum piáculo desolatúrus sit.

Lectio viij.

ET quidem a Judæis suscéptus, loco sanctificatiónis insístet : ut ubi sanctórum précibus Deus invocabátur, illic ab infidélibus recéptus, Dei honóre venerábilis sit. Et quia próprius iste Judæórum erit error, ut qui veritátem respuérunt, suscípiant falsitátem : Judæam déseri monet, et transfúgere ad montes : ne admistióne plebis illíus, Antichrísto creditúræ, vis aut contágio afferátur.

Lectio ix.

QUOD autem ait : Et qui in tecto sunt, non descéndant tóllere áliquid de domo ; secúndum humánam intelligéntiam, ratiónem dicti factíque non récipit. Sed frequénter admonúimus, proprietátes verbórum et locórum contuéndas, ut moménta præceptórum cæléstium consequámur. Tectum est domus fastígium, et habitatiónis totíus celsa perféctio. Qui ígitur in consummatióne domus suæ, id est, in córporis sui perfectióne constíterit, regeneratióne novus, spíritu celsus, et divíni múneris absolutióne perféctus, non descéndere in humilióra rerum sæculárium cupiditáte debébit.

Ad Benedictus Aña. Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est a Daniéle prophéta, stantem in loco sancto, qui legit intélligat.

Oratio.

EXCITA, quæsumus Dómine, tuórum fidélium voluntátes : ut, divíni óperis fructum propénsius exequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant. Per.

Ad Magnificat Aña. Amen dico vobis quia non præteríbit generátio hæc donec ómnia fiant. Cælum et terra transíbunt, verba autem mea non transíbunt, dicit Dóminus.

SI fuerint plures Dominicæ post Octavam Trinitatis quam viginti duæ, assumentur e sequentibus Dominicis post Octavam Epiphaniæ quot erunt necessariæ eo anno pro illis Dominicis, Lectiones secundi Nocturni, Homiliæ, Antiphonæ ad Benedictus, Antiphonæ ad Magnificat et Orationes eo modo quo supra, pag. 358.

DOMINICA II.
POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice ; atque ad protegéndum nos déxteram tuæ majestátis exténde. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio iv. Cap. 15.

NAM si mórtui non resúrgunt, neque Christus resurréxit. Quod si Christus non

resurréxit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccátis vestris. Ergo et qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hac vita tantum in Christo sperántes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurréxit a mórtuis primítiæ dormiéntium, quóniam quidem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum.

Lectio v.

ET sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur. Unusquísque autem in suo órdine, primítiæ Christus : deínde ii, qui sunt Christi, qui in advéntu ejus credidérunt. Deínde finis : cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuáverit omnem principátum, et potestátem, et virtútem. Opórtet autem illum regnáre donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors.

Lectio vj.

OMNIA enim subjécit sub pédibus ejus. Cum autem dicat : Omnia subjécta sunt ei, sine dúbio præter eum, qui subjécit ei ómnia. Cum autem subjécta fúerint illi ómnia : tunc et ipse Fílius subjéctus erit ei, qui subjécit sibi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus. Alióquin quid fácient qui baptizántur pro mórtuis, si omníno mórtui non resúrgunt ? ut quid et baptizántur pro illis ? Ut quid et nos periclitámur omni hora?

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore : Cum descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ : et ecce leprósus véniens, adorábat eum. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 1. Com. in cap. 8. Matth.)

DE monte Dómino descendénte, occúrrunt turbæ : quia ad altióra ascéndere non valuérunt. Et primus ei occúrrit leprósus : necdum enim póterat cum lepra tam multíplicem in monte Salvatóris audíre sermónem. Et notándum, quod hic primus speciáliter curátus sit : secúndo, puer centuriónis : tértio, socrus Petri fébriens in Caphárnaum : quarto loco, qui oblati sunt ei a dæmónio vexáti : quorum spíritus verbo ejiciébat, quando et omnes male habéntes curávit.

Lectio viij.

ET ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens. Recte post prædicatiónem atque doctrínam, signi offértur occásio, ut per virtútem miráculi, prætéritus apud audiéntes sermo firmétur. Dómine, si vis, potes me mundáre. Qui voluntátem rogat, de virtúte non dúbitat. Et exténdens Jesus manum, tétigit eum, dicens : Volo. Mundáre. Extendénte manum Dómino, statim lepra fugit. Simúlque considera, quam húmilis, et sine jactántia respónsio.

Lectio ix.

ILLE díxerat, Si vis : Dóminus respóndit, Volo. Ille præmíserat, Potes me mundáre : Dóminus jungit, et dicit, Mundáre. Non ergo, ut plerique Latinórum putant, jungéndum est, et legéndum, Volo mundáre : sed separátim, ut primum dicat, Volo ; deínde ímperet, Mundáre. Et ait illi Jesus : Vide, némini díxeris. Et revéra quid erat necésse ut sermóne jactáret, quod córpore præferébat ? Sed vade, osténde te sacerdóti. Mittit eum ad sacerdótem : primum propter humilitátem, ut sacerdótibus deférre honórem videátur. Erat enim lege præcéptum, ut qui mundáti fúerant a lepra, offérrent múnera sacerdótibus. Deínde, ut mundátum vidéntes leprósum, aut créderent Salvatóri, aut non créderent : si créderent, salvaréntur ; si non créderent, inexcusábiles forent. Et simul, ne (quod in eo sæpíssime criminabántur) legem viderétur infríngere.

Ad Benedictus Aña. Cum autem descendísset Jesus de monte, ecce leprósus véniens adorábat eum dicens : Dómine, si vis, potes me mundáre. Et exténdens manum, tétigit eum dicens : Volo. Mundáre.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice ; atque ad protegéndum nos déxteram tuæ majestátis exténde. Per.

Ad Magnificat Aña. Dómine, si vis, potes me mundáre. Et ait Jesus : Volo. Mundáre.

DOMINICA III.

POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Oratio.

DEUS, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere : da nobis salútem mentis et córporis ; ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur te adjuvánte vincámus. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola secúnda ad Corínthios.

Lectio iv. Cap. 10.

NON enim audémus insérere, aut comparáre nos quibúsdam, qui seípsos comméndant : sed ipsi in nobis nosmetípsos metiéntes, et comparántes nosmetípsos nobis. Nos autem non in imménsum gloriábimur, sed secúndum mensúram régulæ, qua mensus est nobis Deus, mensúram pertingéndi usque ad vos. Non enim quasi non pertingéntes ad vos, superexténdimus nos : usque ad vos enim pervénimus in Evangélio Christi.

Lectio v.

NON in imménsum gloriántes in aliénis labóribus : spem autem habéntes crescéntis fídei vestræ, in vobis magnificári secúndum régulam nostram in abundántiam, étiam in illa, quæ ultra vos sunt, evangelizáre, non in aliéna régula in iis quæ præparáta sunt gloriári. Qui autem gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est : sed quem Deus comméndat.

Lectio vj. Cap. 11.

UTINAM sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me : æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo. Tímeo autem ne sicut serpens Hevam sedúxit astútia sua, ita corrumpántur sensus vestri, et éxcidant a simplicitáte, quæ est in Christo. Nam si is, qui venit, álium Christum prædicat, quem non prædicávimus, aut álium spíritum accípitis, quem non accepístis : aut áliud Evangélium, quod non recepístis : recte paterémini.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo témpore : Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus : et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus, ipse vero dormiébat. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 1. Com. in cap. 8 Matth.)

QUINTUM signum fecit, quando ascéndens navim de Caphárnaum, ventis imperávit, et mari. Sextum, quando in regióne Gerasenórum dedit potestátem dæmónibus in porcos. Séptimum, quando ingrédiens civitátem suam, paralyticum secúndum curávit in léctulo. Primus enim paralyticus, est puer centuriónis.

Lectio viij.

IPSE vero dormiébat : et accessérunt ad eum, et suscitavérunt eum, dicéntes : Dómine, salva nos. Hujus signi typum in Jona légimus, quando céteris periclitántibus, ipse secúrus est, et dormit, et suscitátur, et império ac sacraménto passiónis suæ liberat suscitántes. Tunc surgens imperávit ventis, et mari. Ex hoc loco intellígimus, quod omnes creatúræ séntiant Creatórem. Quas enim increpávit, et quibus imperávit, séntiunt imperántem : non erróre hæreticórum, qui ómnia putant animántia, sed majestáte Conditóris, quæ apud nos insensibília, illi sensibília sunt.

Lectio ix.

PORRO hómines miráti sunt, dicéntes : Qualis est hic, quia venti et mare obédiunt ei ? Non discípuli, sed nautæ et céteri, qui in navi erant, mirabántur. Sin autem quis contentióse volúerit eos, qui mirabántur, fuísse discípulos : respondébimus, Recte hómines appellátos, qui necdum nóverant poténtiam Salvatóris.

Ad Benedictus Aña. Ascendénte Jesu in navículam, ecce motus magnus factus est in mari : et suscitavérunt eum discípuli ejus, dicéntes : Dómine salva nos, perímus.

Oratio.

DEUS, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere : da nobis salútem mentis et córporis ; ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur te adjuvánte vincámus. Per.

Ad Magnificat Aña. Dómine salva nos, perímus : ímpera, et fac Deus tranquillitátem.

DOMINICA IV.
POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Oratio.

FAMILIAM tuam, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi : ut quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola ad Ephésios.

Lectio iv. Cap. 2.

ET vos, cum essétis mórtui delíctis, et peccátis vestris, in quibus aliquándo ambulástis secúndum sæculum mundi hujus, secúndum príncipem potestátis áeris hujus, spíritus, qui nunc operátur in fílios diffidéntiæ, in quibus et nos omnes aliquándo conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, faciéntes voluntátem carnis, et cogitatiónum, et erámus natúra fílii iræ, sicut et céteri.

Lectio v.

DEUS autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos, et cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, (cujus grátia estis salváti) et conresuscitávit, et consedére fecit in cæléstibus in Christo Jesu : ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu.

Lectio vj.

GRATIA enim estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus. Propter quod mémores estóte, quod aliquándo vos Gentes in carne, qui dicímini præpútium ab ea, quæ dícitur circumcísio in carne, manu facta : quia erátis illo in témpore sine Christo, alienáti a conversatióne Israël, et hóspites testamentórum, promissiónis spem non habéntes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in sánguine Christi.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis parábolam hanc : Símile factum est regnum cælórum hómini, qui seminávit bonum semen in agro suo. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. Quæst. 17. in Evang. sec. Matth. cap. 11).

CUM negligéntius ágerent præpóśiti Ecclésiæ, aut cum dormitiónem mortis acciperent Apóstoli, venit diábolus, et superseminávit eos, quos malos fílios Dóminus interpretátur. Sed recte quæritur, utrum hærétici sint, an male vivéntes Cathólici. Possunt enim dici fílii mali étiam hærétici : quia ex eódem Evangélii sémine, et Christi nómine procreáti, pravis opiniónibus ad falsa dógmata convertúntur.

Lectio viij.

SED quod dicit eos in médio trítici seminátos, quasi vidéntur illi significári, qui uníus communiónis sunt. Verúmtamen, quóniam Dóminus agrum ipsum, non Ecclésiam, sed hunc mundum interpretátus est : bene intelligúntur hærétici, quia non societáte uníus Ecclésiæ, vel uníus fídei, sed societáte solíus nóminis christiáni in hoc mundo permiscéntur bonis. At illi, qui in eádem fide mali sunt, pálea pótius quam zizánia reputántur : quia pálea étiam fundaméntum ipsum habet cum frumento, radicémque commúnem.

Lectio ix.

IN illa plane sagéna, qua concludúntur et mali et boni pisces, non absúrde mali Cathólici intelligúntur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat : áliud sagéna, quæ uníus Ecclésiæ communiónem vidétur osténdere. Inter hæréticos, et malos Cathólicos hoc interest, quod hærétici falsa credunt : illi autem vera credéntes, non vivunt ita ut credunt.

Ad Benedictus Aña. Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo ? Unde ergo habet zizánia ? Et ait illis : Hoc fecit inímicus homo.

Oratio.

FAMILIAM tuam, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi : ut quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per.

Ad Magnificat Aña. Collígite primum zizánia, et alligáte ea in fascículos ad comburéndum : tríticum autem congregáte in hórreum meum, dicit Dóminus.

DOMINICA V.
POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita et dictis exsequámur et factis. Per.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola ad Philippénses.

Lectio iv. Cap. 1.

QUIDAM autem ex contentióne Christum annúntiant non sincére, existimántes pressúram se suscitáre vínculis meis. Quid enim ? Dum omni modo sive per occasiónem, sive per veritátem Christus annuntiétur : et in hoc gáudeo, sed et gaudébo. Scio enim quia hoc mihi provéniet ad salútem, per vestram oratiónem, et subministratiónem Spíritus Jesu Christi, secúndum exspectatiónem, et spem meam, quia in nullo confúndar.

Lectio v.

SED in omni fidúcia sicut semper, et nunc magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum. Quod si vívere in carne, hic mihi fructus óperis est, et quid éligam ignóro. Coárctor autem e duóbus : desidérium habens dissólvi, et esse cum Christo, multo magis mélius : permanére autem in carne, necessárium propter vos.

Lectio vj.

ET hoc confídens scio quia manébo, et permanébo ómnibus vobis ad proféctum vestrum, et gáudium fídei : ut gratulátio vestra abúndet in Christo Jesu in me, per meum advéntum íterum ad vos. Tantum digne Evangélio Christi conversámini : ut sive cum vénero, et vídero vos, sive absens áudiam de vobis quia statis in uno spíritu unánimes, collaborántes fídei Evangélii : et in nullo terreámini ab adversáriis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 2. Comm. in cap. 13. Matth.)

REGNUM cælórum prædicátio Evangélii est, et notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, et de qua dícitur ad Judæos : Auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. Símile est ergo hujúsmodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo, qui séminat in agro suo, a plerísque Salvátor intellígitur, quod in ánimis credéntium séminet : ab áliis, ipse homo séminans in agro suo, hoc est, in semetípso, et in corde suo.

Lectio viij.

QUIS est iste, qui séminat, nisi sensus noster, et ánimus ; qui suscípiens granum prædicatiónis, et fovens seméntem, humóre fídei facit in agro sui péctoris pullulare ? Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplínis. Ad primam quippe doctrínam, fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Christum mórtuum et scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus philosophórum, et libris eórum, et splendóri eloquéntiæ, et compositióni sermónum : et vidébis quanto minor sit céteris semínibus seméntis Evangélii.

Lectio ix.

SED illa, cum créverint, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demónstrant : sed totum fláccidum, marcidúmque et mollítum, ebúllit in ólera et in herbas, quæ cito aréscunt et córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva videbátur in princípio, cum vel in ánima credéntis, vel in toto mundo sata fúerit, non exsúrgit in ólera, sed crescit in árborem : ita ut vólucres cœli (quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines, Dei servítio mancipátas sentíre debémus) véniant, et hábitent in ramis ejus.

Ad Benedictus Aña. Símile est regnum cælórum grano sinápis : quod mínimum est ómnibus semínibus : cum autem créverit, majus est ómnibus oléribus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnipotens Deus : ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita et dictis exsequámur et factis. Per.

Ad Magnificat Aña. Símile est regnum cælórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

In Dedicatione Ecclesiæ, in Anniversario ejusdem, per Octavam et in die Octava, omnia fiant ut ante Commune Sanctorum, pag. 11* et pag 12* notatum est.

EX DOM. II. POST OCT. PASCHÆ.

PATROCINII S. JOSEPH

CONF. SPONSI B. MARIÆ V.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Gen. 49.

BENEDICTIONES patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus : donec veníret desidérium cóllium æternórum : fiant in cápite Joseph, et in vértice Nazaræi inter fratres suos.

℟. Angelus Dómini appáruit Joseph, dicens : Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam : quod enim in ea natum est de Spíritu sancto est :* Páriet autem Fílium : Et vocábis nomen ejus Jesum. ℣. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. — Páriet autem Fílium. Glória. Et vocábis nomen ejus Jesum.

Hymnus.

TE Joseph célebrent ágmina cælitum,
Te cuncti résonent Christíadum chori,
Qui clarus méritis junctus es ínclytæ
Casto fœdere Vírgini.
ALMO cum túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum Púerum docet.
TU natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægypti prófugum tu séqueris plagas :
Amíssum Sólymis quæris, et ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.
POST mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit :
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.
NOBIS summa Trias parce precántibus,
Da Joseph méritis sídera scándere :
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat Aña. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto.

Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta, quæsumus, ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Qui vivis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Laudémus Deum nostrum * In veneratióne beáti Joseph protectóris nostri.

Hymnus Te Joseph célebrent., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Ascéndit Joseph a Galilæa de civitáte Názareth in Judæam in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68*.

Aña. Venérunt pastóres festinántes: et invenérunt Maríam, et Joseph, et Infántem pósitum in præsépio.

Aña. Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 39.

JOSEPH ígitur ductus est in Ægyptum, emítque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, princeps exércitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitárum, a quibus perdúctus erat. Fuítque Dóminus cum eo, et erat vir in cunctis próspere agens: habitavítque in domo dómini sui, qui óptime nóverat Dóminum esse cum eo, et ómnia, quæ géreret, ab eo dírigi in manu illius. Invenítque Joseph grátiam coram dómino suo, et ministrábat ei: a quo præpósitus ómnibus gubernábat créditam sibi domum, et univérsa quæ ei trádita fúerant: benedixítque Dóminus dómui Ægyptii propter Joseph, et multiplicávit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substántiam: nec quidquam áliud nóverat, nisi panem quo vescebátur. Erat autem Joseph pulchra fácie, et decórus aspéctu.

℟. j. Clamávit pópulus ad regem, aliménta petens. * Quibus ille respóndit: Ite ad Joseph. ℣. Salus nostra in manu tua est: réspice nos tantum, et læti serviémus regi. — Quibus ille respóndit.

Lectio ij. Cap. 41.

PLACUIT Pharaóni consílium Joseph, et cunctis minístris ejus: locutúsque est ad eos: Num invenire potérimus talem virum, qui spíritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia osténdit tibi Deus ómnia quæ locútus es, numquid sapientiórem et consímilem tui invenire pótero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantum regni sólio te præcédam. Dixítque rursus Phárao ad Joseph: Ecce, constítui te super uni-

vérsam terram Ægypti. Tulítque ánulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus: vestivítque eum stola byssina, et collo torquem áuream circumpósuit. Fecítque eum ascéndere super currum suum secúndum, clamánte præcóne, ut omnes coram eo genu flécterent, et præpósitum esse scirent univérsæ terræ Ægypti.

℟. ij. Fecit me Deus quasi patrem regis, et dóminum univérsæ domus ejus: * Exaltávit me, ut salvos fáceret multos pópulos. ℣. Veníte ad me: et ego dabo vobis ómnia bona Ægypti, ut comedátis medúllam terræ. — Exaltávit me.

Lectio iij.

DIXIT quoque rex ad Joseph: Ego sum Phárao: absque tuo império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Vertítque nomen ejus, et vocávit eum lingua Ægyptíaca, Salvatórem mundi. Deditque illi uxórem Aseneth fíliam Putíphare sacerdótis Heliopóleos. Egréssus est ítaque Joseph ad terram Ægypti (trigínta autem annórum erat quando stetit in conspéctu regis Pharaónis) et circuívit omnes regiónes Ægypti. Venítque fertílitas septem annórum: et in manípulos redáctæ ségetes congregátæ sunt in hórrea Ægypti. Omnis étiam frugum abundántia in síngulis úrbibus cóndita est. Tántaque fuit abundántia trítici, ut arénæ maris coæquarétur, et cópia mensúram excéderet.

℟. iij. Jam lætus móriar, quia vidi fáciem tuam et supérstitem te relínquo. Non sum fraudátus aspéctu tuo: * Insuper osténdit mihi Dóminus semen tuum. ℣. Qui pascit me ab adolescéntia mea, benedícat púeris istis: et invocétur super eos nomen meum. — Insuper. Glória. Insuper.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Consúrgens Joseph accépit Púerum, et Matrem ejus nocte, et secéssit in Ægyptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Aña. Defúncto Heróde, Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, et accípe Púerum, et Matrem ejus, et vade in terram Israel: defúncti sunt enim qui quærébant ánimam Púeri.

Aña. Accépit Joseph Púerum, et Matrem ejus, et venit in terram Israel.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Sermo sancti Bernardíni Senénsis.
(Serm. 1. de S. Joseph.)
Lectio iv.

OMNIUM singulárium gratiárum, alicui rationábili creatúræ communicatárum, generális régula est: quod quandocúmque divina grátia éligit áliquem ad áliquam grátiam singulárem, seu ad áliquem sublímem statum, ómnia charísmata donet, quæ illi persónæ sic eléctæ, et ejus offício necessária sunt, atque illam copióse décorant. Quod máxime verificátum est in sancto Joseph, putatívo patre Dómini nostri Jesu Christi, et vero sponso Regínæ mundi

et Dóminæ angelórum, qui ab ætérno Patre eléctus est fidélis nutrítius, atque custos principálium thesaurórum suórum, scílicet Fílii ejus et Sponsæ suæ: quod offícium fidelíssime prosecútus est. Cui proptérea Dóminus ait: Serve bone, et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

℟. iv. Dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, et déxtera tua suscépit me: * Protéctor meus, et cornu salútis meæ, et suscéptor meus. ℣. Ego protéctor tuus sum, et merces tua magna nimis. — Protéctor meus.

Lectio v.

Si cómpares eum ad totam Ecclésiam Christi, nonne iste est homo eléctus et speciális, per quem, et sub quo Christus est ordináte et honéste introdúctus in mundum? Si ergo Vírgini Matri tota Ecclésia sancta débitrix est, quia per eam Christum suscípere digna facta est: sic profécto, post eam, huic debet grátiam et reveréntiam singulárem. Ipse enim est clavis Véteris Testaménti, in qua patriarchális et prophetális dignitas promissum conséquitur fructum. Porro hic est solus, qui corporáliter possédit, quod eis divína dignátio repromísit. Mérito ígitur figurátur per illum Patriárcham Joseph, qui pópulis fruménta servávit. Sed et hic illum præcéllit: quia non solum Ægyptiis panem corporális vitæ, sed ómnibus eléctis panem de cælo, qui cæléstem vitam tríbuit, cum multa solértia enutrívit.

℟. v. Státuet fílios suos sub tégmine illíus, et sub ramis ejus morábitur: protegétur sub tégmine illíus a fervóre, * Et in glória ejus requiéscet. ℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli: effúndite coram illo corda vestra. — Et in glória ejus requiéscet.

Lectio vj.

Profecto dubitándum non est, quod Christus familiaritátem, reveréntiam atque sublimíssimam dignitátem, quam illi exhíbuit, dum ágeret in humánis, tamquam fílius patri suo, in cælis útique non negávit, quin pótius complévit, et consummávit. Unde non immérito in verbo propósito a Dómino subinfértur: Intra in gáudium Dómini tui. Unde, licet gáudium ætérnæ beatitúdinis in cor hóminis intret, máluit tamen Dóminus ei dícere, Intra in gáudium: ut mystice innuátur, quod gáudium illud non solum in eo sit intra, sed úndique illum circumdans et absórbens, et ipsum velut abyssus infinita submérgens. Meménto ígitur nostri beáte Joseph, et tuæ oratiónis suffrágio apud tuum putatívum Fílium intercéde: sed et beatíssimam Vírginem sponsam tuam nobis propítiam redde, quæ mater est ejus, qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculórum, amen. Tu autem...

℟. vj. Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum: * Si exsúrgat advérsum me prœlium, in hoc ego sperábo. ℣. In te cantátio mea

semper, quóniam tu adjútor fortis. — Si exsúrgat. Glória. Si exsúrgat.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Audiens Joseph quod Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire.

Aña. Admónitus in somnis, Joseph secéssit in partes Galilææ : et véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth : ut adimplerétur quod dictum est per prophétas : Quóniam Nazaræus vocábitur.

Aña. Erat Pater Jesu et Mater mirántes super his, quæ dicebántur de illo : et benedíxit illis Símeon.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 3.

IN illo témpore : Factum est autem cum baptizarétur omnis pópulus, et Jesu baptizáto, et oránte, apértum est cælum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 2. de consensu Evang. cap. 1. et cap. 3.)

MANIFESTUM est illud, quod ait, Ut putabátur, fílius Joseph, propter illos dixísse, qui eum ex Joseph, sicut álii hómines nascúntur, natum arbitrántur. Quos autem movet, quod álios progenitóres Matthæus enúmerat, descéndens a David usque ad Joseph, álios autem Lucas, ascéndens a Joseph usque ad David : fácile est ut advértant, duos patres habére potuisse Joseph, unum, a quo génitus, álterum, a quo fúerit adoptátus.

℟. vij. Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est : páriet autem Fílium : *Et vocábis nomen ejus Jesum. ℣. Ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. — Et vocábis nomen ejus Jesum.

Lectio viij.

ANTIQUA est enim consuetúdo adoptándi étiam in illo pópulo Dei, ut sibi fílios fácerent, quos non ipsi genuíssent. Unde intellígitur Lucas patrem Joseph, non a quo génitus, sed a quo fúerat adoptátus, suscepísse in Evangélio suo, cujus progenitóres sursum versus commémorat, donec exíret ad David. Cum enim necésse sit, utróque Evangelísta vera narránte, et Matthæo scílicet, et Luca, ut unus eórum ejus patris oríginem tenéret, qui genúerat ; alter ejus, qui adoptáverat Joseph : quem probabílius intellígimus adoptántis oríginem tenuísse, quam eum, qui nóluit Joseph génitum dícere ab illo, cujus eum fílium esse narrábat ? Matthæus autem dicens : Abraham génuit Isaac, Isaac génuit Jacob ; atque ita in hoc verbo, quod est Génuit, persevérans, donec in último díceret, Jacob autem génuit Joseph ; satis expréssit ad eum patrem se perdúxisse oríginem generántium, a quo Joseph non adoptátus, sed génitus erat.

℟. viij. Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, * Et esto ibi usque dum dicam tibi. ℣. Ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem : Ex Ægypto vocávi Fílium meum. — Et esto ibi usque dum dicam tibi.

Lectio ix.

QUAMQUAM si étiam Lucas génitum díceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbáre debéret, ut áliud crederémus, quam ab uno Evangelísta gignéntem, ab áltero adoptántem patrem fuísse commemorátum. Neque enim absúrde quisque dícitur non carne, sed caritáte genuísse, quem fílium sibi adoptáverit. At vero étiam nos, quibus dedit Deus potestátem fílios ejus fíeri, de natúra atque substántia sua non nos génuit, sicut únicum Fílium ; sed útique dilectióne adoptávit.

℟. ix. Angelus Dómino appáruit Joseph, dicens : Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est : * Páriet autem Fílium : Et vocábis nomen ejus Jesum. ℣. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. — Páriet autem Fílium. Glória. Et vocábis nomen ejus Jesum.

Ante Laudes ℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph.

3. Ascéndit autem Joseph a Galilæa de civitáte Názareth in Judæam in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem.

4. Et venérunt festinántes : et invenérunt Maríam et Joseph et Infántem pósitum in præsépio.

5. Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Joseph.

Capitulum. Gen. 49.

BENEDICTIONES patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus : donec veníret desidérium cóllium æternórum : fiant in cápite Joseph, et in vértice Nazaræi inter fratres suos.

Hymnus.

CÆLITUM Joseph decus,
atque nostræ
Certa spes vitæ, columénque mundi,
Quas tibi læti cánimus, benígnus
Súscipe laudes.

TE Sator rerum státuit pudícæ
Vírginis Sponsum, voluítque Verbi
Te patrem dici, dedit et ministrum
Esse salútis.

TU Redemptórem stábulo jacéntem,
Quem chorus Vatum cécinit futúrum,
Aspicis gaudens, humilísque natum
Numen adóras.
REX Deus regum, Domínator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferórum
Turba, cui pronus famulátur æther,
Se tibi subdit.
LAUS sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi præbens súperos honóres,
Det tuis nobis méritis beátæ
Gáudia vitæ. Amen.

℣. Dedísti mihi protectiónem salútis tuæ. ℟. Et déxtera tua suscépit me.

Ad Benedictus Aña. Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam : quod enim in ea natum est de Spíritu sancto est.

Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es : præsta, quæsumus, ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Qui vivis.

AD TERTIAM.

Capitulum Benedictiónes. ut in Laudibus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, * Allelúia, allelúia. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Allelúia. Glória. Amávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD SEXTAM.

Capitulum. Gen. 49.

DEUS patris tui erit adjútor tuus, et Omnípotens benedícet tibi benedictiónibus cæli désuper.

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, * Allelúia, allelúia. Justum dedúxit. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia. Glória. Justum dedúxit.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

AD NONAM.

Capitulum. Gen. 49.

FILIUS accréscens Joseph, fílius accréscens et decórus aspéctu : fíliæ discurrérunt super murum.

℟. Justus ut palma florébit in domo Dómini, * Allelúia. allelúia. Justus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia. Glória. Justus.

℣. Dedísti mihi protectiónem salútis tuæ. ℟. Et déxtera tua suscépit me.

AD II. VESPERAS.

PsalmusDixit Dóminus, cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*; Super Psalmos Aña Jacob autem, Capitulum Benedictiónes. et Hymnus Te Joseph célebrent, ut in j. Vesperis pag. 367.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Ad Magnificat Aña. Fili quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te.

FERIA VI. POST OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

SACRATISSIMI CORDIS JESU.

TOTUM DUPLEX.

IN I. VESPERIS.

Omnia de die Octava Corporis Christi sine ulla Memoria.

℣ Si tamen contingat hoc Festum habere j. Vesperas, super Psalmum Laudáte púeri. et ceteros in Totis Duplicibus dici solitos dicatur Aña. Díscite a me quia mitis sum, et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris.

Capitulum. Cant. 3.

EGREDIMINI, et vidéte fíliæ Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

℟. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * Et sapiéntiæ ejus non est númerus. ℣. Magnus Dóminus et magna virtus ejus : et sapiéntiæ ejus non est finis. — Et sapiéntiæ ejus non est númerus. Glória. Et sapiéntiæ ejus non est númerus.

Hymnus Quicúmque.; ut ad Matutinum.

℣. Miserátor, et miséricors Dóminus. ℟. Longánimis, et multum miséricors.

Ad Magnificat Aña. Misericórdia Dómini a progénie in progénies timéntibus eum, allelúia. Oratio.

FAC nos Dómine Jesu sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et affléctibus inflammári : ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Cor Jesu, caritátis victimam, * Veníte adorémus.

Hymnus.

QUICUMQUE certum quæritis
Rebus levámen ásperis,
Seu culpa mordet ánxia,
Seu pœna vos premit comes:
JESU, qui ut agnus ínnocens
Sese immolándum trádidit,
Ad Cor reclúsum vúlnere,
Ad mite Cor accédite.
AUDITIS, ut suavíssimis
Invítet omnes vócibus :
Veníte, quos gravat labor,
Premítque pondus críminum.
QUID Corde Jesu mítius?
Jesum cruci qui affíxerant,
Excúsat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor ímpios.
O Cor, volúptas cælítum,
Cor, fida spes mortálium,
En hisce tracti vócibus
Ad te venímus súpplices.
TU nostra terge vúlnera
Ex te fluénte sánguine :
Tu da novum cor ómnibus,
Qui te geméntes ínvocant.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 21.

DEUS Deus meus réspice in me : quare me dereliquísti ? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, et non exáudies : * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas,* laus Israel.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt : * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo : * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, eripiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre : * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projéctus sum ex útero : ℣ de ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris a me :

Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum : * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, ℣ et lingua mea adhæsit fáucibus meis : * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem Dómine ne elongáveris auxílium tuum a me : * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea Deus ánimam meam : * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis : * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio eccléstæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum laudáte eum : * univérsum semen Jacob glorificáte eum :

Tímeat eum omne semen Israel : * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis :

Nec avértit fáciem suam a me : * et cum clamárem ad eum exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur : ℣ et laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ :

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum : * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ : * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet : * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : * et annuntiábunt cæli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Aña. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Psalmus 27.

AD te Dómine clamábo, ℣ Deus meus ne síleas a me : * nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te : * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus : * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me :

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tribue illis : * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, * et in ópera mánuum ejus déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus : * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus : * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea : * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ : * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, ℣ et bénedic hereditáti tuæ : * et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Aña. Sperávit cor meum in Dómino, et adjútus sum : et reflóruit caro mea.

Psalmus 29.

EXALTABO te Dómine quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus : * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem ?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam ?

Audívit Dóminus, et misértus

est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine Deus meus in ætérnum confitébor tibi.

Aña. Convertísti planctum meum in gáudium mihi : et circumdedísti me lætítia.

℣. Ego autem in Dómino gaudébo. ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 1.

BENEDICTUS Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum : secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus. Proptérea non cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestri fáciens in oratiónibus meis : ut Deus, Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ et revelatiónis, in agnitióne ejus : illuminátós óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, et quæ divítiæ glóriæ hereditátis ejus in sanctis.

℟. j. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo : * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum. ℣. Det nobis Dóminus illuminátós óculos cordis nostri, in agnitióne ejus. — In quo habémus.

Lectio ij. Cap. 2.

DEUS autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos, et cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, (cujus grátia estis salváti) et conresuscitávit, et consedére fecit in cæléstibus in Christo Jesu : ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, et médium parietem macériæ solvens, inimicítias in carne sua : legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconciliet ambos in uno córpore, Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetípso. Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longe fuístis, et pacem iis, qui prope. Quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

℟. ij. Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, osténdit abundántes divítias grátiæ suæ * In bonitáte super nos in Christo Jesu. ℣. Ipse enim est pax nostra, per quem habémus accéssum ad Patrem. — In bonitáte.

Lectio iij. Cap. 3.

HUJUS rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis, et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris : in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum : scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellígimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis : ipsi glória in Ecclésia, et in Christo Jesu in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen. Tu autem...

℟. iij. Det nobis Dóminus virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, * Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. ℣. Ut in caritáte radicáti, et fundáti, comprehendámus supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi. — Christum habitáre. Glória. Christum habitáre.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et persequere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Aña. Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : beátus vir, qui sperat in eo.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Aña. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam, inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus 71.

DEUS judícium tuum regi da : * et justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, ℣ et salvos fáciet fílios páuperum : * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia et abundántia pacis : * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes : * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum, et Saba dona addúcent :

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi : * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, ℣ et adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, ℣ superextollétur super Líbanum fructus ejus : * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus :

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum : ℣ et replébitur majestáte ejus omnis terra : * fiat, fiat.

Aña. Judicábit pópulum in justítia, et páuperes in judício.

℣. Mihi autem adhærére Deo bonum est. ℟. Pónere in Dómino Deo spem meam.

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

(Serm. 3. de Pass.)

Lectio iv.

QUIA semel vénimus ad Cor dulcíssimum Jesu, et bonum est nos hic esse : ne simámus nos fácile avélli ab eo, de quo scriptum est : Recedéntes a te, in terra scribéntur. Quid autem accedéntes? Tu ipse doces nos. Tu dixísti accedéntibus ad te : Gaudéte, quia nómina vestra scripta sunt in cælo. Accedámus ergo ad te, et exsultábimus, et lætábimur in te, mémores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucúndum habitáre in Corde hoc ! Quin pótius dabo ómnia, omnes cogitatiónes et affféctus mentis commutábo, jactans omne cogitátum meum in Cor Dómini Jesu, et sine fallácia illud me enútriet.

℟. iv. Introdúxit me rex in cellária sua, ordinávit in me caritátem. * Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. ℣. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. — Fulcíte me flóribus.

Lectio v.

AD hoc templum, ad hæc Sancta sanctórum, ad hanc arcam Testaménti adorábo, et laudábo nomen Dómini, dicens cum David : Invéni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego invéni Cor regis, fratris, et amíci benígni Jesu. Et numquid non adorábo ? Hoc ígitur Corde tuo, et meo, dulcíssime Jesu, invénto, orábo te Deum meum : admítte tantum in sacrárium exauditiónis tuæ preces meas : immo me totum trahe in Cor tuum. O ómnium pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me : ut purificátus per te, ad te puríssimum possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitæ meæ mérear habitáre, et ut vidére simul, et fácere tuam váleam voluntátem.

℟. v. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris : et dicétis in die illa : * Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus. ℣. Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo. — Confitémini Dómino.

Lectio vj.

AD hoc enim perforátum est latus tuum, ut nobis patéscat intróitus. Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo, et in te, ab exterióribus perturbatiónibus absolúti habitáre possímus. Nihilóminus et proptérea vulnerátum est, ut per vulnus visíbile, vulnus amóris invisíbile videámus. Quómodo hic ardor mélius osténdi potest, nisi quod non solum corpus, verum étiam ipsum Cor láncea vulnerári permísit ? Carnále ergo vulnus, vulnus spirituále osténdit. Quis illud Cor tam vulnerátum non díligat ? Quis tam amans non rédamet ? Quis tam castum non amplectátur ? Nos ígitur adhuc in córpore manéntes, quantum póssumus amémus, redamémus, amplectámur vulnerátum nostrum, cujus ímpii agrícolæ fodérunt manus et pedes, latus et Cor : stemúsque, ut cor nostrum durum adhuc et impœnitens, amóris sui vínculo constríngere, et jáculo vulneráre dignétur.

℟. vj. Auferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum. * Et spíritum meum ponam in médio vestri. ℣. Effúndam super vos aquam vivam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris. — Et spíritum meum. Glória. Et spíritum meum.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 83.

QUAM dilécta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum, in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ℣ ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Aña. Misericórdiam et veritátem díligit Deus : grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Psalmus 84.

BENEDIXISTI Dómine terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis ? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem ?

Deus tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Aña. Dóminus dabit benignitátem : loquétur pacem in plebem suam.

Psalmus 85.

INCLINA Dómine aurem tuam, et exáudi me : quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te Dómine ánimam meam levávi.

Quóniam tu Dómine suávis, et mitis : * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe Dómine oratiónem meam : * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis Dómine : * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, ℣ vénient, et adorábunt coram te Dómine : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me Dómine in via tua, ℣ et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum :

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére mei, ℣ da impérium tuum púero tuo : * et salvum fac filium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ℣ ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu Dómine adjuvísti me, et consolátus es me.

Aña. Suávis, et mitis es Dómine : et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

℣. Misericórdia Domini ab ætérno. ℟. Et usque in ætérnum super timéntes eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

(Serm. 13. in Cena Domini.)

DE dilectióne Dei quo plus bibo, plus sítio, et ea saturári non possum, nec ego, nec áliquis díligens Christum. Ipsa quo plus éditur, plus famem exáuget : et quanto plus ipsa bíbitur, plus sitim inácuit. Ipsam, quam inhábitat, mentem sic inébriat, ut nihil jam quærat, vel díligat, nec dilígere possit, nec váleat, præter eum, qui sic mundum diléxit, ut Fílium suum unigénitum daret ; ut omnis, qui credit, et díligit illum, non moriátur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectiónem Auctor ipse inæstimábilis caritátis invítat : in ea nos manére precátur et rogat. Ait enim : Manéte in dilectióne mea. Ac si apérte dicat : Quia ego ea dilectióne, qua me Pater díligit, vos díligo, eádem dilectióne me vos dilígere rogo. Et quóniam diléctio vestra me usque ad mortem perdúxit ; sed neque mors crudelíssima ipsa a vestra caritáte me sejúnxit, me dilígite, et in mea dilectióne manéte.

℟. vij. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. * Manéte in dilectióne mea. ℣. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. — Manéte in dilectióne mea.

Lectio viij.

SED quáliter in ejus dilectióne manére debeámus, séquitur, et dicit: Si præcépta mea servavéritis, manébitis in mea dilectióne, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc ópera, fratres mei, sunt causa dilectiónis Christi: unusquísque vestrum vídeat, si Dóminum Jesum dilígere débeat. Quid pro nobis fácere débuit, et non fecit? Quómodo nos plus amáre pótuit, et non amávit? Majórem in nobis dilectiónem non pótuit habére quam hábuit; quia ánimam suam in morte pro nobis pósuit. Ipsa beáta Véritas testis est, quod majórem caritátem nemo habet quam ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Non ergo nobis viléscat, fratres mei, ipsa diléctio Christi, qui diléxit nos, et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo. Non vobis viléscat, fratres mei, non vobis amaréscat ipse amor Christi, ipsa cáritas Christi.

℟. viij. Christus pro nobis ánimam suam pósuit, * Et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo. ℣. Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. — Et lavit nos.

Lectio ix.

AMOR Christi totus dulcis, totus delectábilis: suum possessórem non crúciat, sed deléctat; non enérvat, sed róborat. Cuncta terréna subsánnat; sola cæléstia captat. Christi mandáta requírit, et ea pro víribus observáre conténdit; et de observatióne præceptórum gressu felíci provéhitur ad perceptiónem gaudiórum, ut cum illo jam perfécte gáudeat, pro cujus desidério in hac valle lacrimárum pósitus tam amáre frequénter suspirábat. Unde recte séquitur: Hæc locútus sum vobis: ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur. Ac si díceret: Ideo præcípio vobis, et móneo vos mea observáre præcépta, et manére in dilectióne mea, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum de me adimpleátur: ut hábeam de vobis per mútuam caritátem, quam mihi impénditis, unde possim gaudére; et illud gáudium, quod in retributióne præmiórum elécti sunt perceptúri, percípere, et possidére possítis.

℟. ix. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * Et sapiéntiæ ejus non est número. ℣. Magnus Dóminus, et magna virtus ejus: et sapiéntiæ ejus non est finis. — Et sapiéntiæ ejus non est número. Glória. Et sapiéntiæ ejus non est número.

Ante Laudes ℣. Miserátor, et misericors Dóminus. ℟. Longánimis, et multum misericors.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Díscite a me quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Suávis est Dóminus, et in ætérnum misericórdia ejus.

3. Sitívit in te ánima mea : quia mélior est misericórdia tua super vitas.

4. Sancti et húmiles corde benedícite Dómino : laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

5. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo : et exaltábit mansuétos in salútem.

Capitulum. Cant. 3.

EGREDIMINI, et vidéte fíliæ Sion regem Salomónem, in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus.

SUMMI Paréntis Fílio,
Patri futúri sæculi,
Pacis beátæ Príncipi
Promámus ore cánticum :
QUI vulnerátus péctore
Amóris ictum pértulit,
Amóris urens ígnibus
Ipsum qui amántem díligunt.
JESU dolóris víctima,
Quis te innocéntem cómpulit
Dura ut apértum láncea
Latus patéret vúlneri ?
O FONS amóris ínclyte !
O vena aquárum límpida !
O flamma adúrens crímina !
O Cordis ardens cáritas !
IN Corde, Jesu, júgiter
Recónde nos, ut úberi
Dono fruámur grátiæ,
Cælique tandem præmiis.
SEMPER Parénti et Fílio
Sit laus, honor, sit glória,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Misericórdia Dómini ab ætérno. ℟. Et usque in ætérnum super timéntes eum.

Ad Benedictus Aña. Per víscera misericórdiæ suæ visitávit nos Deus, et fecit redemptiónem pópuli sui, allelúia.

Oratio.

FAC nos Dómine Jesu sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et afféctibus inflammári : ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe. ℣. Per quem salváti, et liberáti sumus.

AD TERTIAM.

Capitulum Egredímini. ut in Laudibus.

℟. Misericórdia tua Dómine plena est terra, * Allelúia, allelúia. Misericórdia. ℣. Justificatiónes tuas doce me. Allelúia. Glória. Misericórdia.

℣. Secúndum misericórdiam tuam vivífica me Dómine. ℟. Et custódiam testimónia oris tui.

AD SEXTAM.

Capitulum. Cant. 8.

PONE me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio.

℟. Secúndum misericórdiam tuam vivífica me Dómine, *Allelúia, allelúia. Secúndum. ℣. Et custódiam testimónia oris tui. Allelúia. Glória. Secúndum.

℣. Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam. ℟. Et justificatiónes tuas doce me.

AD NONAM.

Capitulum. Psalm. 68.

IMPROPERIUM exspectávit cor meum, et misériam. Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : et qui consolarétur, et non invéni.

℟. Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam, * Allelúia, allelúia. Fac. ℣. Et justificatiónes tuas doce me. Allelúia. Glória. Fac.

℣. Véniat super me misericórdia tua Dómine. ℟. Salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos,* scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * dominare in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors, et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes,* in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est :* et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Psalmus 137.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine misericórdia tua in sæculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Psalmus 144.

EXALTABO te Deus meus rex : * et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi : * et laudábo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus et laudábilis nimis : * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua : * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur : * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent : * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt : * et justítia tua exsultábunt.

Miserátor et miséricors Dóminus : * pátiens, et multum miséricors.

Suávis Dóminus univérsis : * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua : * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent : * et poténtiam tuam loquéntur :

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam : * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium sæculórum : * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes, qui córruunt: * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant Dómine: * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam: * et imples ómne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis: * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum: * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, ℣ et deprecatiónem eórum exáudiet: * et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se: * et omnes peccatores dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum: * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Aña. Díscite a me quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris.

Capitulum. Cant. 3.

EGREDIMINI, et vidéte fíliæ Sion regem Salomónem, in diadémate, quo coronávit illum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus.

Hymnus.

QUICUMQUE certum quæritis
Rebus levámen ásperis,
Seu culpa mordet ánxia,
Seu pœna vos premit comes:
JESU, qui ut agnus ínnocens
Sese immolándum trádidit,
Ad Cor reclúsum vúlnere,
Ad mite Cor accédite.

AUDITIS ut suavíssimis
Invítet omnes vócibus:
Veníte quos gravat labor,
Premítque pondus críminum.
QUID Corde Jesu mítius?
Jesum cruci qui affixerant
Excúsat, et Patrem rogat
Ne perdat ultor ímpios.
O COR, volúptas cælitum,
Cor fida spes mortálium,
En, hisce tracti vócibus,
Ad te venímus súpplices.
TU nostra terge vúlnera
Ex te fluénte sánguine:
Tu da novum cor ómnibus,
Qui te geméntes ínvocant.
Amen.

℣. Misericórdia Dómini a progénie in progénies. ℟. Timéntibus eum.

Ad Magnificat Ana. Suscépit nos Dóminus in sinum et Cor suum, recordátus misericórdiæ suæ, allelúia.

Oratio.

FAC nos Dómine Jesu sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et afféctibus inflammári: ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis.

DOMINICA I.
POST OCTAVAM TRINITATIS.

PURISSIMI CORDIS
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Cant. 8.

PONE me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

℟. Ego dórmio, et cor meum vígilat: vox dilécti pulsántis: * Aperi mihi soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea. ℣. Surréxi, ut apériam dilécto meo: manus meæ distillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha pretiosíssima.— Aperi. Glória. Aperi.

Hymnus Ave maris stella., pag. 1*.

℣. Exsúlta in omni corde fília Jerúsalem. ℟. Rex Israel Dóminus in médio tui.

Ad Magnificat Aña. Exsultávit Cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti: concéde propítius ut ejúsdem purissimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per.... in unitáte ejúsdem.

AD UTRUMQUE COMPLETORIUM.

Super Psalmos Aña. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium: ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

In fine Hymni hæ Strophæ dicantur:

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

¶ Prædictæ Strophæ dicantur ad omnes Hymnos ejusdem metri.

Ad Nunc dimittis Aña. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Ave María grátia plena: * Dóminus tecum.

Hymnus Quem terra, pontus, æthera., pag. 2*.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Psalmus Dómine Dóminus noster. cum ceteris, ut in Festis B. Mariæ V., pag. 2* et sequentibus.

Aña. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Aña. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℣. Anima mea liquefácta est. ℟. Ut locútus est diléctus.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

De Cánticis canticórum.

Lectio j. Cap. 4.

QUAM pulchra es amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea, lábia tua : et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo, quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui. Favus distíllans lábia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclúsus, fons signátus.

℟. j. Deduc me Dómine in via tua. et ingrédiar in veritáte tua : lætétur cor meum * Ut tímeat nomen tuum. ℣. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum. — Ut tímeat nomen tuum.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ij. Cap. 5.

VENI in hortum meum soror mea sponsa, méssui myrrham meam cum aromátibus meis : comédi favum cum melle meo. Vox dilécti mei pulsántis : Aperi mihi soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea : quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei guttis nóctium. Surréxi, ut aperírem dilécto meo : manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima. Apérui dilécto meo: at ille declináverat, atque transíerat. Anima mea liquefácta est, ut locútus est.

℟. ij. In Dómino gaudébo : et exsultábo in Deo Jesu meo. Deus Dóminus fortitúdo mea : * Super excélsa dedúcet me. ℣. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. — Super excélsa dedúcet me.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iij. Cap. 5 et cap. 6.

QUALIS est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima muliérum ? qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos ? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus o pulchérrima muliérum? quo declinávit diléctus tuus, et quærémus eum tecum ? Pulchra es amíca mea, suávis, et decóra sicut Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt : reginæ laudavérunt eam.

℟. iij. Invéni grátiam apud óculos tuos Dómine mi, * Qui consolátus es me, et locútus es ad cor ancíllæ tuæ. ℣. In toto corde meo exquisívi te : ne repéllas me a mandátis tuis. — Qui consolátus es me. Glória. Qui consolátus es me.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Aña. Fecit mihi magna qui potens est : et sanctum nomen ejus.

Aña. Fecit poténtiam in bráchio suo : dispérsit supérbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Dura sicut inférnus æmulátio.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo sancti Bernardíni Senensis.

(Ex Serm. 9. de Visitatione.)

Lectio iv.

QUIS mortálium, nisi divíno fretus orácuło, de vera Dei et hóminis Genitríce quidquam módicum, sive grande præsúmat pollútis lábiis nomináre : quam Pater ante sæcula Deus perpétuam prædestinávit in Vírginem digníssimam ; Fílius elégit in Matrem; Spíritus sanctus omnis grátiæ domicílium præparávit ? Quibus verbis ego homúnculus sensus altíssimos virgínei Cordis, sanctíssimo ore prolátos, éfferam : quibus non súfficit lingua ómnium hóminum, et étiam angelórum? Dóminus enim ait : Bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros hómines mélior homo potest excogitári quam illa, quæ méruit éffici Mater Dei, quæ in Corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est ? Quis thesáurus mélior quam ipse divínus amor, quo Cor Vírginis ardens erat ?

℟. iv. Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ, et glória, * Opes supérbæ et justítia. ℣. Ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. — Opes supérbæ et justítia.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

DE hoc ígitur Corde, quasi fornáce divíni ardóris, Virgo beáta prótulit verba bona, id est verba ardentíssimæ caritátis. Sicut enim a vase óptimo vino pleno non potest exíre nisi óptimum vinum ; aut sicut a fornáce summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens : sic de Corde Matris Christi exíre non pótuit verbum nisi summi, summéque divíni amóris, atque ardóris. Septem verba tantum, miræ senténtiæ et virtútis, a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum Angelo bis tantum locúta est. Cum Elísabeth, bis étiam. Cum Fílio, étiam bis. Cum minístris in núptiis, semel. Hæc septem verba, secúndum septem amóris actus, sub miro gradu et órdine prólata, quasi sunt septem flammæ Cordis ejus.

℟. v. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei : in me grátia omnis viæ et veritátis, * In me omnis spes vitæ et virtútis. ℣. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. — In me omnis spes vitæ et virtútis.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

QUÆ verba consíderans mens devóta, cum ipso Prophéta ait : Quam dúlcia fáucibus meis, id est ómnibus affectiónibus, elóquia tua ! Porro dulcédo hæc, quam in verbis beátæ Vírginis devóta mens sentit, est ardor piæ devotiónis, quam in eis ánima experimentáliter probat. Distinguámus igitur per órdinem has septem flammas amóris, verbórum Vírginis benedíctæ. Prima est flamma amóris separántis. Secúnda, amóris transformántis. Tértia, amóris communicántis. Quarta, amóris jubilántis. Quinta, amóris saporántis. Sexta, amóris compatiéntis. Séptima, amóris consummántis.

℟. vj. Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. ℣. Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam : omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. — Qui me invénerit, Glória. Qui me invénerit.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me?

Aña. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Aña. Suscépit Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ.

℣. Ego dilécto meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo témpore : Dixit Mater Jesu ad illum : Fili quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

(In Homil. hiem. de temp. Dom. 1. post Epiph.)

QUOD Dóminus in templo sedens dicit, In his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse, declarátio est consempitérnæ Dei Patris potestátis, et glóriæ. Quod autem rédiens Názareth erat súbditus paréntibus, humánæ est veritátis indícium, simúlque humilitátis exémplum. In ea namque natúra súbditus erat homínibus, in qua minor est Patre. Unde ipse dixit : Vado ad Patrem, quia Pater major me est : in qua étiam minorátus est paulo minus ab Angelis. In illa autem, in qua ipse et Pater unum sunt, in qua non ex témpore vadit ad Patrem, sed semper in ipso est : ómnia per ipsum facta sunt, et ipse est ante omnes. Cujus multum est miránda magnæ dispensátio pietátis, qui dum paréntes suos mystérium divínæ suæ majestátis necdum cápere vidísset, exhíbuit eis humánæ subjectiónem humilitátis, ut per hanc eos paulátim ad agnitiónem divinitátis institúeret.

℟. vij. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, * Neque flúmina óbruent eam.

℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. — Neque flúmina óbruent eam.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viij.

MATER ejus, inquit Evangelista, conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Omnia quæ de Dómino, vel a Dómino dicta, sive acta cognóverat Mater Virgo, diligéntius in corde suo retinébat, sollícite cuncta memóriæ commendábat, ut cum demum tempus prædicándæ, sive scribéndæ Incarnatiónis ejus adveníret, sufficiénter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quæréntibus. Imitémur et nos, fratres mei, piam Dómini Matrem, ipsi quoque ómnia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri fixa in corde conservándo.

℟. viij. Spíritus meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Qui audit me, non confundétur : * Et qui operántur in me, non peccábunt. ℣. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. — Et qui operántur in me, non peccábunt.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix.

HORUM Dómini verbórum et actórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónum repellámus incúrsus : horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervacáneis, et male dulcorátis detractiónum collóquiis castigáre, atque ad divínæ frequéntiam laudis accéndere curémus. Si enim, fratres caríssimi, in futúri beatitúdine sæculi habitáre in domo Dómini, ac perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimírum et in hoc sæculo, quod in futúro quærámus, sollícite præmonstrémus : frequentándo vidélicet Ecclésiæ límina, et non solum in ea laudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominatiónis ejus ea, quæ ad laudem gloriámque Conditóris nostri proficiant, verbis páriter et factis ostendéndo.

℟. ix. Ego dórmio, et cor meum vígilat : vox dilécti pulsántis : * Aperi mihi soror mea, amica mea, colúmba mea, immaculáta mea. ℣. Surréxi, ut apériam dilécto meo : manus meæ distillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha pretiosíssima. — Aperi mihi. Glória. Aperi mihi.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Trahe me : post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.
2. Dilectus meus lóquitur mihi : Surge, própera amica mea.
3. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo.
4. Adjúro vos fíliae Jerúsalem, ne suscitétis dilectam quoadúsque ipsa velit.

5. Ego dórmio, et cor meum vígilat.

Capitulum. Cant. 8.

PONE me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. Lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Hymnus O gloriósa Dómina., pag. 10*.

℣. Qui me invénerit invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

Ad Benedictus Aña. Extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti : concéde propítius ut ejúsdem purissimi Cordis festivitátem devóta mente recolántes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per... in unitáte ejúsdem.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM.

Capitulum Pone me., ut in Laudibus.

℟. Anima mea liquefácta est, * Allelúia, allelúia. Anima mea. ℣. Ut locútus est diléctus. Allelúia. Glória. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors diléctio. ℟. Durą sicut inférnus æmulátio.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24.

EGO ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. Fortis est ut mors diléctio, * Allelúia, allelúia. Fortis est. ℣. Dura sicut inférnus æmulátio. Allelúia. Glória. Fortis est. ℣. Ego dilécto meo. ℟. Et ad me convérsio ejus.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

IN omni terra steti, et in omni pópulo : et in ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. Ego dilécto meo, * Allelúia, allelúia. Ego. ℣. Et ad me convérsio ejus. Allelúia. Glória. Ego.

℣. Qui me invénerit invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Trahe me : post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Pone me. ut supra in Laudibus.

Hymnus Ave maris stella., pag. 1*.

℣. Viam mandatórum cucúrri. ℟. Cum dilatásti cor meum.

Ad Magnificat Aña. Exsultávit cor meum in Deo salutári meo : quia fecit mihi magna qui potens est.

PROPRIUM SANCTORUM.

DIE XV. APRILIS.

S. HERMENEGILDI MARTYRIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Hermenegíldum Mártyrem tuum cæléstí regno terrénum postpónere docuísti : da quæsumus nobis ejus exémplo cadúca despícere, atque ætérna sectári. Per.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro Dialogórum sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 3. Cap. 31.)

Lectio iv.

HERMENEGILDUS rex, Leovigíldi regis Visigothórum fílius, ab ariána hæresi ad fidem cathólicam, viro reverendíssimo Leándro Hispalénsi Episcopo, dudum mihi amicítiis familiáriter juncto, prædicánte, convérsus est. Quem pater ariánus, ut ad eámdem hæresim redíret, et præmiis suadére, et minis terrére conátus est. Cumque ille constantíssime respondéret nunquam se veram fidem posse relínquere, quam semel agnovísset, irátus pater eum privávit regno, rebúsque exspoliávit ómnibus. Cumque nec sic virtútem mentis illíus emollíre valuísset, in arcta illum custódia conclúdens, collum manúsque illíus ferro ligávit. Cœpit ítaque Hermenegíldus rex júvenis terrénum regnum despícere, et forti desidério cæléste quærens, in ciliciis vinculátus jacens, omnipoténti Deo ad confortándum se preces effúndere; tantóque sublímius glóriam transeúntis mundi despícere, quanto et religátus agnóverat, nihil fuísse, quod potúerit auférri.

Lectio v.

SUPERVENIENTE autem Paschális festivitátis die, intempéstæ noctis siléntio ad eum pérfidus pater ariánum Epíscopum misit, ut ex ejus manu sacrílegæ consecratiónis communiónem percíperet, atque per hoc ad patris grátiam redíre mererétur. Sed Vir Deo déditus ariáno Epíscopo veniénti exprobrávit, ut débuit; ejúsque a se perfídiam dignis increpatiónibus répulit : quia etsi extérius jacébat ligátus, apud se tamen in magno mentis cúlmine stabat secúrus. Ad se ítaque revérso Episcopo, ariánus pater infrémuit, statímque suos apparitóres misit, qui constantíssimum Confessórem Dei illic, ubi jacébat, occíderent, quod et factum est. Nam mox ut ingréssi sunt, secúrim cérebro ejus infigéntes, vitam córporis abstulérunt : hocque in eo valuérunt perímere. quod ipsum quoque, qui peremptus est, in se constíterat despexísse. Sed, pro ostendénda vera ejus glória, supérna quoque non defuére mirácula Nam cœpit in noctúrno siléntio psalmódiæ cantus ad corpus ejúsdem Regis et Mártyris audíri : atque ídeo veráciter Regis, quia et Mártyris.

Lectio vj.

QUIDAM étiam ferunt, quod illic noctúrno témpore accénsæ lámpades apparébant. Unde et factum est, quátenus corpus illíus, ut vidélicet Mártyris, jure a cunctis fidélibus venerári debuísset. Pater vero pérfidus et parricída, commótus pœniténtia, hoc fecísse se dóluit, nec tamen usque ad obtinéndam salútem pœnítuit. Nam quia vera esset cathólica fides agnóvit; sed gentis suæ timóre pertérritus, ad hanc pervenire non méruit. Qui, obórta ægritúdine, ad extréma perdúctus est, et Leándro Epíscopo, quem prius veheménter afflixerat, Reccarédum regem fílium suum, quem in sua hæresi relinquébat, commendáre curávit; ut in ipso quoque tália fáceret, quália et in fratre suis exhortatiónibus fecísset : qua commendatióne expléta, defúnctus est. Post cujus mortem Reccarédus rex, non patrem pérfidum, sed fratrem Mártyrem sequens, ab ariánæ hæresis pravitáte convérsus est, totámque Visigothórum gentem ita ad veram perdúxit fidem, ut nullum in suo regno militáre permítteret, qui regni Dei hostis exsístere per hæréticam pravitátem non timéret. Nec mirum, quod veræ fídei prædicátor factus est, qui frater est Mártyris : cujus hunc quoque mérita ádjuvant, ut ad omnipoténtis Dei grémium tam multos redúcat.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Si quis venit ad me. ut in Communi unius Martyris Pontificis, pag. 44*.

DIE XVII. APRILIS.

B. CLARÆ GAMBACURTÆ

VIDUÆ ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

TRIBUE nobis miséricors Deus spíritum oratiónis et pœniténtiæ : ut beátæ Claræ vestígiis inhæréntes, mereámur, quam ipsa in cælis accépit, corónam obtinére. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Mulierem fortem quis invéniet. de Communi unius Sanctæ nec Virginis nec Martyris, pag. 106*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CLARA Petro Gambacúrta, viro pernóbili, Pisis orta est. Puélla, licet venustáte prædita et ingénio prompto, religiónis devotionísque exercítiis fuit addícta, ita ut in iis omne stúdium póneret, et jejúniis, non sine gravi stómachi moléstia, inténderet. Coævis puéllis accersítis, illas ad pietátem instruébat inflammabátque. Páuperum indigéntiis miserícórditer affécta, copiósas eleemósynas eísdem erogábat, et aliquándo étiam próprias vestes elargíta est. Duodénnis matrimónio juncta fuit cuídam júveni Pisáno, divítiis æque ac nobilitáte præcláro, cui pater septénnem spopónderat. Ea in ætáte, majóri caritátis in Deum et próximum fervóre exársit; nam sæpíssime coram Crucifixi imágine, et in sacrosánctæ Hóstiæ elevatióne suum expromébat desidérium totam se Deo dicándi, si quando ei licuísset. Pretiósas vestes, muliebrésque ornátus parvi fáciens, si aliquándo his uti coge-

bátur, ásperum sub iísdem tegébat cilícium. Anno circiter tértio a matrimónio ínito, vir ejus procul agens mortem oppétiit.

Lectio v.

MORTIS sponsi sui núntio accépto, se totóndit, id perfectúra quod semper concupíverat, utque id assequerétur, ínsciis paréntibus in monastérium sancti Martíni Ordinis sanctæ Claræ se recépit, ubi Thoræ nomen in Claram commutávit. Ægre hoc feréntes pater fratresque, armórum vi eam eripuérunt, ac domi cárceri mancipárunt, ubi omni solátio destitúta, iis étiam, quæ ad vitam sunt necessária, cáruit. Ast Deus, qui est mæréntium consolátor, spirituálibus deliciis ancíllam suam recreáre non déstitit. Tandem génitrix, fíliæ moléstiis commóta, patri suásit, ut eam libertáte donáret, eíque morem géreret. Sicque factum est, ut monastérium sanctæ Crucis Ordinis Prædicatórum ingrederétur, in quo hábitum Religiónis máxima cum ánimi exsultatióne suscépit. Suis explétis votis, ómnibus virtútibus incúbuit. Paupertátis amantíssima, iis véstibus utebátur, quas áliæ dimittébant; vilióra exercítia pro se eligébat, aliaque operabátur, quæ religiósam decent humilitátem. Quátuor annis in eo monastério peráctis, stúdio majóris observántiæ a patre obtínuit, ut monastérium sibi construerétur, ubi reguláris disciplína accurátius posset habéri. Novum ingréssa cænóbium, in oratióne et régulæ custódia tota fuit. Ad sancti Patris Domínici trámitem, non loquebátur nisi cum Deo, aut de Deo: ex quo cóntigit néminem ab ea discessísse, quin mélior efféctus fúerit.

Lectio vj.

COMMUNITATI præfécta, omnem impendébat óperam, ut infírmis, non solum necessárii, sed ne solátii quidem quidquam deésset. Subditárum defféctus summa lenitáte, pro re, vel reprehendébat, vel puniébat. Æquo ánimo patris duorúmque fratrum occisiónem sustínuit, ac occisóris víduam cum géminis filiábus in suum accépit monastérium, et benefíciis cumulávit. Fine tandem vitæ suæ adveniénte, Sacraméntis summa cum devotióne suscéptis, cancellatísque mánibus, dulcíssimum Jesu Christi nomen répetens, inter filiárum lácrimas, die decima septima Aprílis, anno millésimo quadringentésimo décimo nóno, ánimam Deo réddidit. Antíqua monuménta ferunt, quod circa cadáver sanctimoniáles ex Ordinis more psalmos recitántes, in fine cujuscúmque eórum versum Glória Patri pro Réquiem semper reiterábant, licet in id sério ánimum pónerent. Magnus fuit populórum concúrsus ad venerándum ejus corpus, quod trédecim post annos e sepúlcro érutum, et lingua vívida invénta, supra majus altáre repósitum fuit, et exínde perpétuum obtínuit cultum. Quem rite probátum Pius Octávus Póntifex Máximus ex sacrórum Rituum Congregatiónis consílio confirmávit, utque de beáta Clara Officium recitári, et Missa celebrári possit

in civitáte et diœcési Pisána necnon in toto Prædicatórum Ordine benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro. de Communi unius Sanctæ nec Virginis nec Martyris, pag. 111*.

DIE XX. APRILIS.

S. AGNETIS DE MONTE POLITIANO

VIRG. ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. In voce jucunditátis natálem celebrémus Agnétis : quam sublími decóram glória Sanctam venerátur mater Ecclésia. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Isaiæ 61.

GAUDENS gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo : quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis.

℟. Vírginem castam Agnétem benedícit Dóminus, Mater Virgo mulcet allóquio :* Honórant Apóstoli. Minístrant Angeli. ℣. Speciósum forma præ fíliis hóminum in sinum Mater depónit Fílium. — Honórant Apóstoli. Glória. Minístrant Angeli.

Hymnus.

AGNETIS almæ Vírginis
Lætémur in solémniis,
Et gratiárum cánticum
Sponso canámus Vírginum.

SPRETO novénnis sæculo
Cæli dicátur Dómino :
Mentem supérnis réficit,
Corpus severe súbigit.

VIRTUTE magna prædita
Hostem fugat tartáreum :
Dotáta cæli grátia
Visu beátur cælitum.

JESUM in ulnis párvulum
Cordis tenet solátium,
Cibúmque panis cælici
Manus minístrat Angeli.

PRECAMUR, Auctor ómnium,
Perénne dona gáudium :
Da Vírginis suffrágiis
Sponsi fruámur núptiis.

SIT Christe Rex piíssime
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Ora pro nobis beáta Agnes. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Vocáta est hódie Agnes ad núptias Agni : accúmbit in jucunditáte cum Sponso suo. Oratio.

DEUS, qui beátam Agnétem Vírginem tuam cælésti rore sæpe perfúndere, et oratiónis ejus loca divérsis enátis flóribus decoráre dignátus es : concéde propítius ut ejus précibus perpétuo tuæ benedictiónis rore conspérsi, æternitátis fructus percípere mereámur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Agnum sponsum Vírginum, qui Vírginem sibi desponsávit Agnétem, * Venite adorémus.

Hymnus.

AGNETIS ortum cælitus
Accénsa produnt lúmina,
Quæ mira pandunt prótinus
Futúræ vitæ mérita.

ÆTATE vernans ténera,
Morum senécta prædita,
Servire malens húmilis,
Invíta præest céteris.

ORANS in altum tóllitur,
Florére terra cérnitur,
Guttæque roris cándidi
Decus redúndant pállii.
LAVACRA tangens bálnei,
Fontem dedit remédii :
Fluénta fundit ólei,
Gaudent medéla lánguidi.
PRECAMUR, Auctor ómnium,
Perénne dona gáudium :
Da Vírginis suffrágiis
Sponsi fruámur núptiis.
SIT Christe Rex piíssime
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Senílem gerens ánimum, novénnis fugit sæculum : vestígia premens Domínici, virtúte fulsit multíplici. Psalmi de Communi unius Virginis, pag. 88*.

Aña. Ut vita Jesu manifestarétur in carne sua, mortificatiónem ejus júgiter Agnes in se circúmtulit.

Aña. Collem purgat luxúriæ, et dicat pudicítiæ : sedem déstruit dæmonis, templum cónstruit Vírginis.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 7.

DE virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem : non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi.

℟. j. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit : * Pro cujus amóre sæculum contempsísti, et cum ángelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : quia concupívit rex spéciem tuam. — Pro cujus amore.

Lectio ij.

EGO autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent, tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur : præterit enim figúra hujus mundi.

℟. ij. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam. — Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio iij. Cap. 14.

ET vidi : et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadragínta quátuor míllia habéntes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis. Et nemo póterat dícere cánticum,

nisi illa centum quadragínta quátuor míllia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti : vírgines enim sunt. Hi sequúntur Agnum quocúmque íerit.

℟. iij. Agnes devóta Dei fámula precabátur in conspéctu Dómini die ac nocte, * Corpúsque suum jejúniis affligébat assídue. ℣. Angelus autem Dómini panem angelórum ministrabat ei. — Corpúsque suum. Glória. Corpúsque suum.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. de Communi unius Virginis, pag. 90*.

(Ex beato Raymundo Capuano, et utroque Brevi Clementis viij. anno 1594. 1. Octobris, et anno 1601. 23. Februarii emanato.)

Lectio iv.

AGNETIS de Monte Politiáno, Ordinis sancti Domínici, Vírginis integérrimæ nativitátem faces divínitus accénsæ in cubículo matris illustrárunt. Claustrále institútum ampléxa est nono ætátis anno: et quintum décimum necdum egréssa, Summi Pontificis jussu, moniálibus invíta præfícitur. Ejus léctulus nuda humus, cervícal saxum fuit, et quíndecim annos in pane et aqua jejunávit. Sæpe inter orándum, nec major annis quatuórdecim, a terra cúbito tollebátur ; ejúsque pállium roris cándidi guttis, quæ crucis effígiem síngulæ referébant, respergebátur : ac locus, ubi génua fixísset, súbito pulchérrimis flóribus ornabátur.

℟. iv. Hanc amávi, et exquisívi sponsam mihi assúmere, * Et amátor factus sum formæ illíus. ℣. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. — Et amátor.

Lectio v.

A SACRA Deípara Jesum forma lacténtis orans excépit : eúmque aliquándiu sinu compléxa, párvulam crucem, ténui filo nexam, ab ejúsdem collo detráxit. Terram quoque Christi sánguine in Passióne fuso cruentátam divínitus accépit, ac frustum pelvis, ubi ipse infántulus Jesus a Vírgine Matre fuit ablútus. Sed et sancti Apóstoli Petrus et Paulus partículis suárum véstium eámdem pro magno múnere donárunt. Sæpius eídem Angelus Eucharistíam sua manu porréxit. Virtútibus et miráculis illústris, ac pretiósa virginitátis coróna redimíta, migrávit in cælum, anno salútis millésimo trecentésimo décimo séptimo.

℟. v. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit : quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Ista est una de número prudéntum, quæ aptávit lámpades suas. — Et veniénte Dómino.

Lectio vj.

CUM sancta Catharina Senénsis (quæ a Deo præmónita jam ántea fúerat, parem se glóriam cum sancta Agnéte in cælis habitúram),

ejus corpus íntegrum atque incorrúptum in sepúlcro servátum invíseret, ac ejus pedes deosculári vellet, Agnes álterum pedem éxtulit ad os usque Catharínæ. Quæ, cum álio étiam témpore revérsa, se ad caput Agnétis demisísset, manna instar nivis toto illo loco plúere cœpit. Dénique ipsam beátam Vírginem Agnétem miráculis claram Benedíctus Décimus tértius, Ordinis Prædicatórum, sanctárum Vírginum número adscrípsit.

℟. vj. Dum preces fundit Altíssimo, corpus a terra in sublíme tóllitur, et spectánte pópulo, * Rore cæli amíctus perfúnditur. ℣. Oránti dat terra flores, dant cæli manna et rores. — Rore cæli. Glória. Rore cæli amíctus perfúnditur.

IN III. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. de Communi unius Virginis, pag. 92*.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

(In cap. 13. Matth.)

AUDISTIS fratres quemádmodum grano sinápis tota regni cæléstis comparáta est magnitúdo. Quærens Christus in cælo et in terra, nihil invénit, nisi granum sinápis, in quo poténtiam totam supérnæ dominatiónis inclúdat : et illud regnum singularitáte potens, æternitáte felix, divinitáte fulgens, diffúsum toto cælo, tota terra dilatátum, in grani sinápis coárctat et cogit angústias. Spes ista est credéntium tota? Exspectátio ista est fidélium summa ? Ista est felícitas vírginum, longis continéntiæ labóribus compárata? Fratres, non fácile Domínicis moveámur in dictis. Nam si infírmum Dei fórtius est homínibus, hoc mínimum Dei tota magnitúdine mundi magnificéntius invenítur : si modo hoc granum sinápis nos sic nostris seminémus in méntibus, ut intelligéntiæ nobis magnam in árborem crescat.

℟. vij. Audívi vocem de cælo veniéntem : Veníte omnes vírgines sapientíssimæ, * Oleum recóndite in vasis vestris, dum sponsus advénerit. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit. — Oleum recóndite.

Lectio viij.

GRANI ergo sinápis instar est regnum Dei : quod de supérnis affértur verbo, suscípitur audítu, fide sériturr, credulitáte radicátur, spe crescit, confessióne diffúnditur, virtúte ténditur et dilatátur in ramos, ad quos vocat aves cæli, id est spirituáles sensus, atque in ipsis eas quiéta súscipit mansióne. Véniat hæréticus : véniat, quia redeúntibus Ecclésiæ semper patéscit ingréssus. Véniat, áudiat, et pietáti Domínicæ jam désinat oblatráre. Si cæléstis regni majéstas omnis ad grani sinápis similitúdinem venit : quid quéritur,

quod Deus ad hóminem, Dóminus servi descéndit ad formam ? Sic enim venit, ut tibi totum per fidem crésceret, cui jam totum defécerat per natúram.

℟. viij. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Quia concupívit rex.

Lectio ix.

SED atténdite quia Christus est regnum cælórum, qui velut granum sinápis in hortum virgínei córporis missus, orbe toto crucis in árborem crevit : ac tantum dedit fructus sui sapórem, cum téritur Passióne, ut quidquid est vitále, suo saporáret et condíret attáctu. Nam sicut in integritáte grani sinápis virtus habétur occúlta ; appáret vero virtus ejus vehementíssime, si terátur : ita Christus córpore teri vóluit, qui suam nóluit latére virtútem. Et nos, frátres, terámus istud granum sinápis, ut ejus vim in hac similitúdine sentiámus. Terámus granum illud, ut ora nostra fervéntia vívido fructu sui sapóris succéndat : et ita ignis ejus toto nobis árdeat et flammétur in péctore, atque nostræ ignorántiæ totum nobis áuferat sua degustatióne fastídium.

℟. ix. Vírginem castam Agnétem benedícit Dóminus, Mater Virgo mulcet allóquio : * Honórant Apóstoli, Minístrant Angeli. ℣. Speciósum forma præ fíliis hóminum in sinum Mater depónit Fílium. — Honórant Apóstoli. Glória. Minístrant Angeli.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta Agnes. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Conscéndit Agnes hódie cæléstis regni sólium : stolam indúta glóriæ intrat in Sponsi thálamum.

2. Felícem Agnétis éxitum infántes statim núntiant : cælo docénte tránsitum, turbæ repénte cónvolant.

3. Fúneris manet intégritas, odóris viget suávitas : in signis et prodígiis virtus monstrátur Vírginis.

4. Fontem salútis vívidum manus distíllant óleum : vitæ relúcet méritum, morbi cedunt languéntium.

5. Laudántem Agnétis mérita Deus tuére pópulum : reis dimítte débita per ipsíus suffrágium.

Capitulum. Isa. 61.

GAUDENS gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo : quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Hymnus.

MAGNÆ dies lætítiæ :
Venérunt Agni núptiæ,
Et Agnes Agnum séquitur,
Sponsóque sponsa júngitur.

VOX angelórum cóncinit,
Lætánte cœtu súscipit
Virgo beáta Vírginem
Cæléstis Agni cómitem.

SIGNIS corúscat váriis,
Miris micat prodígiis,

Confert salútem lánguidis,
Vitámque reddit mórtuis.
DUM Catharína vísitat
Agnétis almæ lóculum,
Repénte manna cándidum
Utrámque Sanctam prædicat.
PRECAMUR Auctor ómnium,
Perénne dona gáudium :
Da Vírginis suffrágiis
Sponsi fruámur núptiis.
SIT Christe Rex piíssime
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito
In sempitérna sæcula. Amen.
℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Benedictus Aña. Agnétem cæli suscépit cúria, Sanctam Sanctis áddidit Ecclésia. Sedénti in throno et Agno sit laus, honor et benedíctio.

Oratio.

DEUS, qui beátam Agnétem Vírginem tuam cælésti rore sæpe perfúndere, et oratiónis ejus loca divérsis enátis flóribus decoráre dignátus es : concéde propítius ut ejus précibus perpétuo tuæ benedictiónis rore conspérsi, æternitátis fructus percípere mereámur. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Gaudens gaudébo., ut in Laudibus.

℣ ℟. et ℣℣. Horarum de Communi unius Virginis, pag. 96*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Osee 2.

SPONSABO te mihi in sempitérnum : sponsábo te mihi in fide : et scies quia ego Dóminus.

AD NONAM.

Capitulum. Cant. 2.

SUB umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Conscéndit Agnes hódie cæléstis regni sólium : stolam indúta glóriæ intrat in Sponsi thálamum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Gaudens gaudébo., Hymnus Agnétis almæ. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 398.

Ad Magnificat Aña. Ave Virgo óptima, insígne decus Ordinis : ave Virgo ínclyta, illústre sidus ætheris : tua canéntes mérita tuis fove subsídiis.

PER OCTAVAM S. AGNETIS.

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Agnes soror nostra Deum pro nobis ínvoca : Agnes Agni sponsa salútem nobis ímpetra.

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Tuam laudántes glóriam Agnes beáta réspice : cæléstis Agni grátiam benígna nobis óbtine.

PRIMA DIE
INFRA OCTAVAM S. AGNETIS.

(Ex Brevi Clementis viij.)

Lectio ij.

BEATA Agnes, adhuc infántula, sæpe se, lúsibus puerílibus negléctis, abdébat, ut se Jesu Christo, quem jam tum Sponsum sibi delégerat, ex

ánimo commendáret. Quo témpore, cum aliquándo e suo pago Montem Politiánum petens, ad collem in urbis poméario situm venísset, ubi tunc infámes quædam féminæ turpi quæstu vitam traducébant, tetri quidam sordidíque corvi quamplúrimi devolántes Christi Sponsam rostro et únguibus ferire nitebántur : nimírum impúri dæmones jam tum præsentíre videbántur quantum esset Agnes ipsórum conátibus adversatúra. Nonum vero annum agens, cum a paréntibus multis précibus impetrásset ut in eádem urbe in sacro vírginum cœnóbio, cui a Sacco nomen erat, suo se Sponso pénitus tráderet, tanta cœpit alacritáte tempus omne in precatiónibus piis, sacris lectiónibus, aliísque religiósis exercitatiónibus pónere, ut quantum posset étiam córporis necessitáti subtráheret.

SECUNDA DIE
INFRA OCTAVAM S. AGNETIS.

(Ex Brevi Clementis viij.)

Lectio iij.

MODESTIAM, obediéntiam, humilitátem Agnes semper cóluit ; mentis vero integritátem, corporísque pudicítiam sic adamávit, ut ad tantum thesáurum facílius conservándum, tenéllum adhuc corpúsculum vigíliis ac jejúniis exercéret. Quare tantis illam virtútibus, ea præsértim ætáte, præditam, non modo ceteræ vírgines et æquáles observábant, sed magístra étiam ipsam únice diligébat. Cum ad annum quartum décimum pervenísset, ita jam cum Deo erat ánimo arctíssimis caritátis vínculis juncta, ut sæpe inter precándum, nullis adminículis nixa, cúbito a terra tollerétur. Et ne lucérna ardens sub módio latéret, sed super candelábrum ponerétur, Agnes, Dei nutu, ad instituéndum novum sacrárum virginum cœnóbium in óppido vulgo Procéno, cum sua magístra delécta est.

IN OCTAVA S. AGNETIS.
SIMPLEX.

℣ Quæ hic notata non sunt fiant ut in Festo, servato modo Octavæ diei Simplicis.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv. Beáta Agnes., ut prima die infra Octavam ; Lectio v. Modéstiam., ut secunda die infra Octavam.

(Ex Brevi Clementis viij.)

Lectio vj.

CUM in gravíssimum morbum incidísset Agnes, ad bálnea Clanciáni propínqui óppidi dedúcta, vix aquas illas est ingréssa, cum cæléstí quodam rore concréto et instar nivis cándido fuére contéctæ, cujus partículæ síngulæ crucis figúram exprimébant : ac nova quoque tunc aquæ vena scatúriens morbos omnes curáre cœpit. Verum ipsa, quæ jam ad cæléstes núptias a Sponso evocabátur, ad cœnóbium revérsa, ingravescénte morbo, soróres deplorántes tantæ ma-

tris jactúram, consoláta, cum eas ad concórdiam, et votórum observántiam esset hortáta, et óculis in cælum sublátis, spíritum Dómino commendásset, vitam hanc miseram et cadúcam, cum beáta illa et ætérna commutávit. Cujus corpus, miram odóris suavitátem efflans, ad se viséndum omnes invitávit ; ac summis mánibus et pédibus pretiósum liquórem emíttens, vestes étiam ipsas madefécit : et usque in præséntem diem multis et magnis miráculis illustrátur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Dominicæ præcedentis, si nondum lecta fuerit ; secus, Homilia ut in Festo, pag. 401.

DIE XXI. APRILIS.

B. BARTHOLOMÆI CERVERII

MART. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Bartholomæum insígnem fídei propugnatórem effecísti, et martyrii coróna sublimásti : da nobis ejus méritis et intercessióne crucem júgiter ferre ; ut cum ipso glóriæ tuæ mereámur esse partícipes. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Exístimo. de Communi unius Martyris non Pontificis. pag. 49*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BARTHOLOMÆUS Saviliáni in dicœcési Taurinénsi ex ínclyta Cerveriórum gente natus est anno plus minus vigésimo supra millésimum quadringentésimum. Adoléscens mundi vanitátem despíciens, apostólicæ vitæ institúta profétsus est in Ordine Prædicatórum, ac tali spíritus fervóre virtútum ómnium exercítio, et sacrárum disciplinárum cúltui se devóvit, ut brevi absolútum quoddam evangélicæ perfectiónis spécimen, et divinárum litterárum doctíssimus eváserit. Hinc docéndi múnere sibi concrédito summa cum laude aliquándiu perfúnctus, et Augústæ Taurinórum in sacræ facultátis magistrórum collégium cooptátus est. Hæc vero ádeo perspécta Bartholomæi virtus atque doctrína in causa fuit, cur ei non semel Savilianénsis cœnóbii régimen, et árduum tum máxime Quæsitóris fídei munus committerétur, quod ex eódem claustro late circum in Pedemóntii Liguriæque regiónibus exercéret.

Lectio v.

HOC offício ínito, cum dicéndi vi plúrimum valéret, tam sancte atque utíliter divíni verbi prædcónem egit, ut ejus nomen ómnium laude celebrarétur. Sed unde invícto religiónis assertóri bonórum æstimátio conciliabátur, inde étiam tam atrox hæreticórum ódium conflátum est, ut morte eum affícere machinaréntur. Porro hæc Sanctus divínitus prænóvit, suósque pro religiónis increménto labóres gloriósa martyrii laude coronátum iri. Etenim cum pro exsequéndo injúncto múnere Cervérias, nunc Fossanénsis dicœcésis óppidum, adire debéret, piam diligentémque, ut cum máxime, consciéntiæ exomológesim apud consodálem fecit,

eíque demum apérte testátus est, se eo loci vita decessúrum. Vaticínium comprobávit evéntus. Cum enim per Bráidam illuc pérgeret, ac dimídio circiter milliário a loco distáret, ab hæréticis circumvéntus est, qui, sociórum áltero gráviter vulneráto, mortem ei nec mínimum reluctánti, sed libénter perferénti martyrium, et pro occisóribus rogánti, lánceis confósso ventre attulérunt die vigésimo primo Aprílis anni millésimi quadringentésimi sexagésimi sexti.

Lectio vj.

MARTYRIS triúmphus mirabílibus quibúsdam signis illustrátus perhibétur. Nam, ut est in suppáribus monuméntis, qua hora pro Christo vitam profúdit, cum sol ad occásum jam vérgeret, álius sol ad oriéntem, id est Cervérias versus, Savilianénsibus appáruit, et in loco martyrii arbor excrévit, cujus rami et fólia crucis figúram porténderent. Illud quoque memorábile visum est, quod lácerum Mártyris corpus nec gúttulam sánguinis emíserit, donec sui cœnóbii alúmni ad Cerveriárum templum, in quod fúerat illátum, accéderent, tumque demum sánguinis rívuli ex inflíctis vulnéribus sponte manárint. Idem corpus Saviliánum deínceps translátum est, et honorífico sepúlcro compósitum : quod Deus omnípotens gloriósum effécit, plúrima iis benefícia elargiéndo, qui ad Mártyris patrocínium confúgerant. His aucta erga ínclytum Mártyrem populórum religio, qui ejus opem præsértim advérsus fúlgurum tempestatúmque perícula invocáre consuevérunt. Ipsíus autem exúviæ támdiu Saviliáni requievére, quámdiu templum cœnobiúmque Fratrum Prædicatórum religióse sunt hábita. Utróque violáto sævas inter tempestátes, quæ décimi noni inítia sæculi agitábant, Cerveriárum íncolæ, qui Mártyris nomen impénse colébant, ossa ejus ad suam parochiálem ecclésiam deducénda curárunt. Hunc ecclesiásticum cultum ab óbitu eídem tribútum, et continénter propagátum, Pius Nonus Póntifex Máximus ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto ratum hábuit et confirmávit, indulsítque univérso Prædicatórum Ordini, ac Taurinénsis et Fossanénsis diœcésis clero, ut ánnuum beáti Mártyris festum próprio Offício, et Missa celebrarétur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Nisi granum fruménti. de Communi unius Martyris, pag. 50*.

DIE XXV. APRILIS.

S. MARCI EVANGELISTÆ.

TOTUM DUPLEX.

Omnia de Communi unius Evangelistæ, pag. 36*. præter hic notata.

Oratio.

DEUS, qui beátum Marcum, Evangelístam tuum, evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti : tríbue, quæsumus, ejus nos semper et eruditióne profícere, et oratióne deféndi. Per.

IN I. NOCTURNO.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 4.

POST hæc vidi : et ecce óstium apértum in cælo, et vox prima, quam audívi tamquam tubæ loquéntis mecum, dicens : Ascénde huc, et osténdam tibi quæ opórtet fíeri post hæc. Et statim fui in spíritu : et ecce sedes pósita erat in cælo, et supra sedem sedens. Et qui sedébat símilis erat aspéctui lápidis jáspidis, et sárdinis : et iris erat in circúitu sedis símilis visióni smarágdinæ.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo.

Lectio ij.

ET in circúitu sedis sedília vigínti quátuor : et super thronos vigínti quátuor senióres sedéntes, circumamícti vestiméntis albis, et in capítibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura, et voces, et tonítrua : et septem lámpades ardéntes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei. Et in conspéctu sedis tamquam mare vítreum símile crystállo : et in médio sedis, et in circúitu sedis quátuor animália plena óculis ante et retro.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

Lectio iij.

ET ánimal primum símile leóni, et secúndum ánimal símile vítulo, et tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, et quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas : et in circúitu, et intus plena sunt óculis : et réquiem non habébant die ac nocte dicéntia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus ecclesiásticis.

Lectio iv.

MARCUS, discípulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referéntem audíerat, rogátus Romæ a frátribus, breve scripsit Evangélium. Quod cum Petrus audísset : et probávit, et Ecclésiæ legéndum sua auctoritáte dedit. Assúmpto ítaque Evangélio, quod ipse confécerat, perréxit in Ægyptum, et primus Alexandriæ Christum annúntians,

constítuit Ecclésiam tanta doctrína et vitæ continéntia, ut omnes sectatóres Christi ad exémplum sui cógeret.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

DENIQUE Philo disertíssimus Judæórum, videns Alexandríæ primam Ecclésiam adhuc judaizántem, quasi in laudem gentis suæ librum super eórum conversatióne scripsit. Et quómodo Lucas narrat Jerosólymæ credéntes ómnia habuísse commúnia, sic et ille quod Alexandríæ sub Marco fieri doctóre cernébat memóriæ trádidit. Mórtuus est autem octávo Nerónis anno, et sepúltus Alexandríæ. Martyrio obiísse certum est. Fuísse Marcum primum paréntem et auctórem Ægyptiórum monachórum étiam constat.

℟. v. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur.

Lectio vj.

SANCTUS Petrus Martyr Alexandrínus Epíscopus, cum sacra mystéria celebratúrus in throno sancti Marci nollet de more sedére, sed pótius in suppedáneo scabéllo manéret, id ægre ferénti pópulo respóndit : Plerúmque, cum throno illi appropinquáre volo, vídeo quamdam in eo divínam sedére virtútem, fulgóre lúminis ádmodum radiántem. Mox ego, inter gáudium et pavórem suspénsus, agnósco me tantæ sessiónis prorsus indígnum.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis, et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10

IN illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 17. in Evang.)

DOMINUS et Salvátor noster, fratres caríssimi, binos in prædicatiónem discípulos mittit : quia duo sunt præcépta caritátis, Dei vidélicet amor, et próximi : et minus quam inter duos cáritas habéri non potest. Ecce enim binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit : quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui caritátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenus debet.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

Lectio viij.

BENE autem dicitur quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum quo erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur : quia prædicátio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcúrrunt, atque per hæc véritas in mente suscípitur. Hinc namque eísdem prædicatóribus Isaías dicit : Paráte viam Dómini : rectas fácite sémitas Dei nostri.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix.

HINC illis Psalmísta ait : Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit : quia unde in Passióne occúbuit, inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit : quia mortem, quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo, qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus prædicámus : ut eas et ipse post véniens per amóris sui præséntiam illústret.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. — Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

DIE XXVI. APRILIS.

BB. DOMINICI ET GREGORII

CONFESSORUM ORD. PRÆD.

DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Isti sunt, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad cæléstia regna.

Capitulum. Hebr. 11.

SANCTI per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Dóminus electórum suórum spes, et turris fortitúdinis eórum, * Dedit hereditátem timéntibus nomen suum. ℣. Habitábunt justi in tabernáculo Dei in sæcula. — Dedit. Glória. Dedit.

Hymnus Iste Confessor., pag. 67*.

℣. Oráte pro nobis beáti Domínice et Gregóri. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent: judicábunt natiónes, et regnábunt in ætérnum.

Oratio.

DEUS, cujus misericórdiæ non est número, te humíliter deprecámur : ut intercedéntibus beátis Domínico et Gregório Confessóribus tuis, a peccatórum nostrórum póndere subdúcti, glóriam ab ipsis obténtam assequámur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Confessórum Dóminum * Veníte adorémus.

Hymnus Iste Confessor., pag. 67*.

¶ In tribus Nocturnis Psalmi et Antiphonæ de Communi unius Confessoris, pag. 68*. et sequentibus; ℣℣. vero, Lectiones et ℟℟. ut suis locis infra notatum est.

IN I. NOCTURNO.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 31.

BEATUS vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia, et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum ? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna : qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus : fácere mala, et non fecit : ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

℟. j. Euge serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum. — Intra.

Lectio ij. Cap. 32.

QUI timet Dóminum, excípiet doctrínam ejus : et qui vigiláverint ad illum, invénient benedictiónem. Qui quærit legem, replébitur ab ea : et qui insidióse agit, scandalizábitur in ea. Qui timent Dóminum, invénient judícium justum, et justítias quasi lumen accéndent. Qui credit Deo, atténdit mandátis : et qui confídit in illo, non minorábitur.

℟. ij. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Lectio iij. Cap. 33. et cap. 34.

TIMENTI Dóminum non occúrrent mala, sed in tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit a malis. Sápiens non odit mandáta et justítias, et non illidétur quasi in procélla navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis. Spíritus timéntium Deum quæritur, et in respéctu illíus benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos, et óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum nihil trepidábit, et non pavébit : quóniam ipse est spes ejus. Timéntis Dóminum beáta est ánima ejus.

℟. iij. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum : * Quóniam in hac

peregrinatióne solo córpore constitútus, cogitatióne et aviditáte In illa ætérna pátria conversátus est. ℣. Vínculis carnis absólutus, taléntum sibi créditum Dómino suo duplicátum reportávit. — Quóniam. Glória. In illa ætérna pátria.

IN II. NOCTURNO.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Lectio iv.

BEATI Domínicus et Gregórius, Ordinis Prædicatórum, qui in Regno Aragóniæ Hispaniárum circa finem sæculi decimi tértii floruére, sancti Patris Domínici vestígia preméntes, ac proximórum salútis zelo flagrántes, apostólico ministério per Evangélii prædicatiónem se totos dedicábant. Dum autem quadam die Perárruam versus iter perágerent, gravi obórta áeris procélla, eam declinatúri sub rupem se recepérunt ; quæ concússa, et repénte córruens Dei servos oppréssit. Omnípotens autem pretiósam eórum mortem delitéscere non permisit. Miro quippe apparénte indício, íncolæ vicinórum locórum accurréntes, amotísque saxis, sub quibus Beatórum córpora latébant, sacras exúvias invenérunt, quæ, ad óppidum nómine Besians Diœcésis Barbastrénsis delátæ, in Ecclésia parochiáli honorífice repósitæ sunt. Ex tunc beáti Domínicus et Gregórius Sanctórum cultum obtinuére, et eórum in advérsis patrocínium íncolæ imploráre cœpérunt. Quem cultum, ad hæc usque témpora propagátum et nunquam intermíssum, Pius Nonus Póntifex Máximus ex consúlto sacrórum Rítuum Congregatiónis probávit, indulsítque ut eórum festum cum Offício et Missa ab univérso Prædicatórum Ordine quotánnis celebrétur.

℟. iv. Magnificávit eum in conspéctu regum, * Et dedit illi corónam glóriæ. ℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum, et beatificávit illum in glória. — Et dedit illi corónam glóriæ.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

(In Serm. de Mart. tom. 2.)

Lectio v.

QUI Sanctórum mérita religiósa caritáte mirátur, quique justórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores sanctos atque justítiam imitétur : quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa cultum Dei obséquium. Quare aut imitári debet, si laudat, aut laudáre non debet, si imitári detréctat. Nam si propterea justos fidelésque diligimus, quod in ipsis justítiam fidémque suspícimus, póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt.

℟. v. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas Paradísi coronávit eum.

Lectio vj.

IN istis semper pares virtútes, dissímiles pugnæ, gloriósæ victóriæ. Unde tu Christiáne delicátus es miles, si putas te posse sine pugna víncere, sine certámine triumpháre. Exsere vires, fórtiter dímica, atróciter in prœlio isto concérta. Considera pactum, conditiónem atténde, milítiam nosce : pactum quod spopondísti, conditiónem qua accessísti, milítiam cui nomen dedísti. Hoc enim pacto, quos miráris, cuncti pugnárunt : hac conditióne univérsi vicérunt, hac milítia omnes triumphárunt.

℟. vj. Dóminus electórum suórum spes, et turris fortitúdinis eórum, * Dedit hereditátem timéntibus nomen suum. ℣. Habitábunt justi in tabernáculo Dei in sæcula. — Dedit hereditátem timéntibus nomen suum. Glória. Dedit hereditátem timéntibus nomen suum.

IN III. NOCTURNO.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.
(Hom. 39. in Matth.)

QUOD hic, Confíteor, dixit, idem valet quod Grátias ago. Grátias, inquit, tibi ago, quóniam a prudéntibus, et sapiéntibus hæc celásti. An ígitur perditióne illórum gaudére ipsum dicémus, et quóniam illi hæc non didicére? Mínime. Non ergo quia sapiéntes non cognovérunt, gaudet : sed quia párvuli percepérunt, lætátur. Ita et Paulus dicit : Grátias ago Deo meo, quóniam fuístis servi peccáti : obedístis autem ex corde in quam tráditi estis formam doctrínæ. Non ergo Paulus propterea gaudet, quia erant servi peccáti; sed quia, cum essent hujúsmodi, veritátis cultóres facti sunt.

℟. vij. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória, et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi. — In átriis.

Lectio viij.

PRUDENTES autem hic Scribas et Pharisæos appéllat : quibus verbis alacrióres reddit discípulos : cum intélligant illa se piscatóres esse consecútos, a quibus illi summi, ut videbántur, viri excidérunt. Cum autem Sapiéntes dixerit : non illam veram laudábilem sapiéntiam intélligit : sed hanc, quæ sæculári doctrína præstátur. Idcírco étiam non dixit, Stultis revelásti, sed Párvulis : quasi non formátis adhuc, sed simplícibus.

℟. viij. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : * Ho-

nestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus : quia apud Deum nota est, et apud hómines. — Honestávit.

Lectio ix.

ITA osténdit non indígne illos, sed jure his rebus fuísse privátos : ac per ómnia nos docet flatum supérbiæ omníno esse fugiéndum, ac simplicitátem æmulándam. Quod Paulus amplióribus verbis scribit, dicens : Si quis in vobis vidétur in hoc sæculo sápiens esse, is fiat stultus, ut sápiens efficiátur: sic enim grátia Dei monstrátur. Cur vero grátias agit Patri, cum ipse illud fécerit? Sicut orat et intercédit pro nobis ad Deum, magnam erga nos declárans caritátem, sic étiam et hoc ex caritátis fervóre péragit.

℟. ix. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória. Quando.

Ante Laudes ℣. Oráte pro nobis beáti Domínice et Gregóri. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Beátus ille servus, quem cum vénerit Dóminus, et pulsáverit jánuam, invénerit vigilántem.

3. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

4. Ecce vere Israelíta, in quo dolus non est.

5. Serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. Hebr. 11.

SANCTI per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Jesu Dómino nostro.

Hymnus Jesu Redémptor ómnium, Coróna confiténtium., pag. 75*.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Ad Benedictus Aña. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis.

Oratio.

DEUS, cujus misericórdiæ non est númerus, te humíliter deprecámur : ut intercedéntibus beátis Domínico et Gregório Confessóribus tuis, a peccatórum nostrórum póndere subdúcti, glóriam ab ipsis obténtam assequámur. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Sancti per fidem., ut in Laudibus.

℟. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exsultáte justi. Glória. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 10.

REDDIDIT Deus mercédem labórum Sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili : et fuit illis in velamento diéi, et in luce stellárum nocte.

℟. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu Dei. Glória. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 3.

JUSTORUM ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. Visi sunt óculis insipiéntium mori : illi autem sunt in pace.

℟. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum vivent. Glória. Justi autem.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum. Hebr. 11.

SANCTI per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Jesu Dómino nostro.

Hymnus Iste Confessor., pag. 67*.

℣. Oráte pro nobis beáti Domínice et Gregóri. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

DIE XXVIII. APRILIS.

S. PAULI A CRUCE CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum, sanctum Paulum singulári caritáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti : ipsíus nobis intercessióne concéde ut Passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cælis. Qui vivis.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Vitalis Martyris.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut intercedénte beáto Vitále Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PAULUS a Cruce Uvádæ in Ligúria natus, sed e Castellátio prope Alexandríam Statiellórum nóbili génere oriúndus, qua futúrus esset sanctitáte clarus, innótuit miro splendóre, qui noctu implévit

pariéntis matris cubículum, et insígni augústæ cæli Regínæ benefício, quæ Púerum in flumen delápsum a certo naufrágio illæsum erípuit. A primo ratiónis usu Jesu Christi crucifíxi amóre flagrans ejus contemplatióni prolíxius vacáre cœpit, et carnem innocentíssimam vigíliis, flagéllis, jejúniis, potu in sexta Féria ex acéto cum felle misto, ac dura quavis castigatióne contérere. Martyrii desidério incénsus, exercítui se adjúnxit, qui Venétiis, ad bellum Turcis inferéndum, comparabátur. Cógnita vero inter orándum Dei voluntáte, arma ultro réddidit, præstantióri militiæ óperam datúrus, quæ Ecclésiæ præsídio esse, æternámque hóminum salútem procuráre totis víribus niterétur. Revérsus in pátriam, honestíssimis núptiis, sibíque deláta pátrui hereditáte, recusátis, arctiórem inire Crucis sémitam, ac rudi túnica a suo Epíscopo índui vóluit. Tum ejus jussu, ob eminéntem vitæ sanctimóniam et rerum divinárum sciéntiam, nondum cléricus Domínicum agrum, máximo cum animárum fructu, divíni verbi prædicatióne excóluit.

Lectio v.

ROMAM proféctus, theológicis disciplínis rite imbútus, a Summo Pontífice Benedícto Décimo tértio ex obediéntia sacerdótio auctus est. Facta sibi ab eódem potestáte aggregándi sócios, in solitúdinem recessit Argentárii montis, quo eum beáta Virgo jamprídem invitáverat, veste illi simul osténsa atri colóris, Passiónis Fílii sui insígnibus decoráta, ibíque fundaménta jecit novæ Congregatiónis. Quæ brevi, plúrimis ab eo tolerátis labóribus, præcláris aucta viris cum Dei benedictióne valde succrévit; a Sede Apostólica non semel confirmáta, una cum régulis, quas orándo ipse a Deo accéperat, et quarto áddito voto pergrátam Domínicæ Passiónis memóriam promovéndi. Sacras Vírgines quoque instítuit, quæ excéssum caritátis divíni Sponsi sédulo meditaréntur. Hæc inter, animárum inexháusta aviditáte ab Evangélii prædicatióne nunquam defíciens, hómines pene innúmeros, étiam perditíssimos, aut in hæresim lapsos, in salútis trámitem addúxit. Præsértim in Christi enarránda Passióne, mirífica ejus oratiónis vis erat, qua una cum astántibus in fletum effúsus quælibet obduráta corda ad pœniténtiam scindébat.

Lectio vj.

TANTA in ejus péctore alebátur divínæ caritátis flamma, ut indúsium quod erat cordi própius, sæpe véluti igne adústum, et binæ cóstulæ elátæ apparúerint. Sacrum præsértim fáciens non póterat a lácrimis temperáre : frequénti quoque éxtasi, cum mira interdum córporis elevatióne, frui, vultúque supérna luce radiánte conspiciebátur. Quandóque dum concionarétur, cæléstis vox verba ei suggeréntis audíta fuit, aut sermo ejus ad plura míllia pássuum intónuit. Prophetíæ et linguárum dono,

córdium scrutatióne, potestáte in dæmones, in morbos, in eleménta enítuit. Cumque ipsis Summis Pontifícibus carus ac venerándus esset, servum inútilem, peccatórem nequíssimum, a dæmóniis quoque conculcándum se judicábat. Tandem, aspérrimi vitæ géneris ad longam usque senectútem tenacíssimus, anno millésimo septingentésimo septuagésimo quinto, cum præclára mónita, véluti sui spíritus transmíssa hereditáte, alúmnis tradidísset, Ecclésiæ Sacraméntis ac cæléstí visióne recreátus, Romæ, qua prædíxerat die, migrávit in cælum. Eum Pius Nonus Póntifex Máximus in Beatórum, novísque deínde fulgéntem signis in Sanctórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Designávit Dóminus. de Communi unius Confessoris pag. 84*.

DIE XXIX. APRILIS.

S. PETRI

MART. ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Collætétur turba fidélium triumphántis athlétæ gáudio, qui consérvans pudóris lílium, et corúscans doctrínæ rádio, dum pro fide subit martyrium, trino felix potítur brávio. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. Dum Samsónis vulpes quærit, ab iníquis cæditur : caput sacrum lictor ferit, justi sanguis fúnditur : * Sic triúmphi palmam gerit, dum pro fide móritur. ℣. Stat invíctus pugil fortis : constans profert hora mortis fidem, pro qua pátitur. — Sic triúmphi. Glória. Sic triúmphi.

Hymnus.

MAGNÆ dies lætítiæ
Nobis illúxit cælitus :
Petrus ad thronum glóriæ
Martyr pervénit ínclytus.

PUER in fide cláruit,
Paréntum carens nébula :
Deo servíre stúduit,
Sub paupertátis régula.

CARNEM afflíxit júgiter
In labóre multíplici,
Viam sequens humíliter
Patris sui Domínici.

VITA, mors, signa vária,
Cælum frequénti lúmine,
Dant Petro testimónia
De sanctitátis cúlmine.

LAUS et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Petre.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. O Petre Martyr ínclyte, Prædicatórum glória, virginitáte prædite, verbo, signis et grátia, concéssa nobis solitæ pietátis cleméntia, transácto mundi trámite, nos transfer ad cæléstia.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua

devotióne sectémur, qui pro ejúsdem fídei dilatatióne martyrii palmam méruit obtinére. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Cæléstis exércitus Regem adorémus : * Et pro palma mílitis ejus jubilémus.

Hymnus.

ADEST triúmphus nóbilis
Festúmque cæli cúriæ,
Quo rosa delectábilis
Offértur Regi glóriæ.

PETRUS, flos pulchritúdinis
Et virtútum sacrárium,
Nullum mortális críminis
Sensit unquam contágium.

ROBORARE cum nítitur
Fidem verbi præcónio,
Pro fide tandem cæditur
Hæreticórum gládio.

DUM sic in petra fídei
Petri tenet vestígia,
Ad petram Christum próvehi
Merétur cum victória.

LAUS et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. De fumo lumen óritur, et rosæ flos de séntibus : doctor et martyr náscitur Petrus de infidélibus. Psalmi de Communi unius Martyris, pag. 39*.

Aña. Prædicatórum Ordinis mílitans in ácie, nunc conjúnctus est ágmini cæléstis milítiæ.

Aña. Mens fuit angélica, lingua fructuósa, vita apostólica, mors quam pretiósa!

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 20.

A MILETO Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu ecclésiæ. Qui cum veníssent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingréssus sum in Asiam, quáliter vobíscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrimis, et tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum : quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárem vobis, et docérem vos públice, et per domos, testíficans Judæis, atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum.

℟. j. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit :* Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus. — Fundátus enim.

Lectio ij.

ET nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans : nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens : quóniam víncula, et tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor : nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et minístérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei.

℟. ij. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso : vitam pétiit a te, et tribuísti ei * In sæculum sæculi. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo : glóriam et magnum decórem impónes super eum. — In sæculum sæculi.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio iij. Cap. 3.

TU autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antióchiæ, Icónii et Lystris : quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines, et seductóres proficient in pejus, errántes et in errórem mitténtes. Tu vero pérmane in iis, quæ didicísti, et crédita sunt tibi : sciens a quo didíceris. Et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.

℟. iij. O Petre, sidus áureum, summi vas honóris, candórem servans níveum dono Creatóris, * Decus habes virgíneum in supérnis choris. ℣. Tu spéculum mundítiæ, tu custos innocéntiæ, tu sancti flos pudóris. — Decus habes virgíneum. Glória. Decus habes virgíneum.

IN II. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. de Communi unius Martyris, pag. 41*.

(Ex Bulla Canoniz., prob. Auctor. et Rom. Brev.)

Lectio iv.

PETRUS, Verónæ paréntibus Manichæórum hæresi infféctis natus, ab ipsa pene infántia contra hæreses pugnávit. Puer annórum septem, cum scholas frequentáret, aliquándo a pátruo hærético interrogátus quid tandem in iis didicísset, Christiánæ fídei Symbolum se didicísse respóndit : neque ullis unquam patris patruive blandítiis aut minis a fídei constántia dimovéri pótuit.

℟. iv. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, * Quam repromísit Deus diligéntibus se. ℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam. — Quam repromísit Deus.

Lectio v.

ADOLESCENS Bonóniam studiórum causa venit : ubi a Spíritu sancto ad sublimióris vitæ formam vocátus, Ordinis Prædicatórum institútum suscépit. Magno virtútum splendóre in Religióne elúxit : corpus et ánimum ab omni impuritáte ita custodívit, ut nullíus mortíferi peccáti labe se inquinátum unquam sénserit. Carnem jejúniis et vígíliis macerábat, mentem divínis contemplatiónibus exercébat : virginitátis decus inviolátum perpétuo conservávit. In salúte animárum procuránda assídue versabátur : peculiáris grátiæ dono hæréticos ácriter confutábat. Tantam in concionándo

vim hábuit, ut innumerábilis hóminum multitúdo ad eum audiéndum conflúeret, multíque ad pœniténtiam converteréntur. Tanto fídei ardóre incénsus erat, ut pro ea mortem subíre optáret, eámque a Deo grátiam enixe precarétur.

℟. v. Dómine prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus * Corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei Dómine. — Corónam de lápide pretióso.

Lectio vj.

ITAQUE hærétici necem, quam is paulo ante concionándo prædixerat, illi intulérunt. Nam cum sanctæ Inquisitiónis munus géreret, illum Como Mediolánum redeúntem ímpius sicárius semel atque íterum in cápite gládio vulnerávit : jamque pene mórtuus Symbolum fídei, quam infans viríli fortitúdine conféssus fúerat, in ipso suprémo spíritu pronuntiávit : iterúmque látera mucróne transverberátus ad martyrii palmam migrávit in cælum, anno salútis millésimo ducentésimo quinquagésimo secúndo : quem multis illústrem miráculis Innocéntius Quartus anno sequénti sanctórum Martyrum número adscrípsit.

℟. vj. Prædicátor férvidus, fídei zelátor, círcuit intrépidus hæresum damnátor : vitiórum rígidus semper expugnátor, * Veritátis lúcidus doctor et amátor. ℣. Verbo, vita prædicat, signis crebris émicat, legis æmulátor. — Veritátis lúcidus. Glória. Veritátis lúcidus.

IN III. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. de Communi unius Martyris, pag. 43*.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ. (Homil. 32. in Evang.)

AD se nobis veniéntibus Dóminus præcépit ut renuntiémus nostris. Nec tamen súfficit nostra relínquere, nisi relinquámus et nos. Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum : quia nisi quis a semetípso defíciat, ad eum, qui super ipsum est, non appropínquat : nec valet apprehéndere quod ultra ipsum est, si nescíerit mactáre quod intra est. Sic ólerum plantæ transponúntur ut proficiant, atque, ut ita dicam, eradicántur ut crescant. Sic rerum sémina in terræ admistióne defíciunt, ut in reparatióne sui géneris ubérius assúrgant.

℟. vij. Stolam jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. — Et corónam.

Lectio viij.

SED qui jam se a vítiis ábnegat, exquiréndæ ei virtútes sunt, in quibus crescat. Nam cum dictum est, Qui vult post me veníre ábneget semetípsum,

prótinus ádditur : Et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me. Duóbus étenim modis crux tóllitur : cum aut per abstinéntiam afflígitur corpus; aut per compassiónem próximi afflígitur ánimus. Utróque modo crucem suam túlerat, qui dicébat : Castígo corpus meum, et in servitútem rédigo. Ecce in afflictióne córporis crucem carnis; nunc in compassióne próximi crucem mentis : ait enim : Quis infirmátur, et ego non infírmor? Quis scandalizátur, et ego non uror? Perféctus quippe prædicátor, ut exémplum daret abstinéntiæ, crucem portábat in córpore : et quia in se trahébat damna infirmitátis aliénæ, crucem portábat in corde suo.

℟. viij. Coróna áurea super caput ejus exprémssa signo sanctitátis, glória honóris, * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et opus fortitúdinis.

Lectio ix.

SEQUITUR : Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; et qui perdíderit ámimam suam propter me, salvam eam fáciet. Sic dícitur fidéli, ac si agrícolæ dicátur, Fruméntum, si servas, perdis; si séminas, rénovas. Quis enim nésciat quod fruméntum, cum in sémine míttitur, perit ab óculis, et in terra défícit? Sed unde putréscit in púlvere, inde virésci in renovatióne. Ad sanctórum Mártyrum córpora consístimus, fratres mei. Ecce miráculis corúscant : ad exstíncta namque eórum córpora vivéntes ægri véniunt, et sanántur; perjúri véniunt, et a dæmónio vexántur; dæmoníaci véniunt, et liberántur. Quómodo ergo vivunt illic, ubi vivunt, si in tot miráculis vivunt hic, ubi mórtui sunt!

℟. ix. Dum Samsónis vulpes quærit, ab iníquis cæditur : caput sacrum lictor ferit, justi sanguis fúnditur : * Sic triúmphi palmam gerit, dum pro fide móritur. ℣. Stat invíctus pugil fortis : constans profert hora mortis fidem, pro qua pátitur. — Sic triúmphi. Glória. Sic triúmphi.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Petre. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Petrus novus incola cælos laureátus ascéndit, auréola tríplici dotátus. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Turbæ currunt languéntium, signa corúscant vária, et in Petri præcónium crebra crescunt prodígia.

3. Bolus digne súffocat guttur detrahéntis : sed mox ipsum révocat votum pœniténtis.

4. Motu, sensu córporis, júvenis privátur : tactu sacri púlveris vitæ restaurátur.

5. Ad sancti Petri túmulum frequens lux descéndit, in cujus laudis títulum lámpades accéndit.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

EXSULTET claro sídere
Fulgens mater Ecclésia :
Petrus Martyr in æthere
Nova profúdit gaúdia.

PAUPER, pudícus, húmilis,
Christo se totum dédicat :
In lege Dei dócilis,
Verbis, exémplis prædicat.

TRIUMPHAT per martyrium
Christi fortis in ácie :
Consérvans semper lílium
Virginális mundítiæ.

LUX cæli, vitæ méritum,
Cum signórum frequéntia,
Petri comméndant éxitum
Et prædicant magnália.

LAUS et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Coróna aúrea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Benedictus Aña. Summa pollens Petrus mundítia, et præfúlgens doctrínæ grátia, martyrii clarus victória, trinæ fulget corónæ glória. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro ejúsdem fídei dilatatióne martyrii palmam méruit obtinére. Per.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Martyris, pag. 46*.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Petrus novus íncola cælos laureátus ascéndit, auréola tríplici dotátus. Psalmus Dixit Dóminus. de Communi unius Martyris, pag. 47*.

Capitulum Beátus vir.et Hymnus Magnæ dies lætítiæ., ut in j. Vesperis, pag. 416*.

℣. Ora pro nobis beáte Petre. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. O Martyr egrégie, doctor veritátis, puritátis vásculum, norma sanctitátis, tua per suffrágia véniam peccátis et vitam in glória præsta cum Beátis.

Oratio Præsta, quæsumus., ut in Laudibus.

PER OCTAVAM S. PETRI M.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Petrus novus íncola cælos laureátus ascéndit, auréola tríplici dotátus.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

(Si in Laudibus de aliquo Martyre factum fuerit Officium, ad Memoriam de Octava S. Petri M. dicatur ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.)

Oratio Præsta, quæsumus., ut in Laudibus.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Ad sancti Petri túmulum frequens lux descéndit, in cujus laudis títulum lámpades accéndit.

℣. Ora pro nobis beáte Petre.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro ejúsdem fídei dilatatióne martyrii palmam méruit obtinére. Per.

IN OCTAVA S. PETRI M.
SIMPLEX.

Ad Memoriam in utrisque Vesperis et in Laudibus Antiphonæ et ℣℣. ut in Festo.

(In Laudibus tamen, si de aliquo Martyre factum fuerit Officium, mutetur ℣. ut de Memoria infra Octavam notatum est, pag. 421.)

DIE XXX. APRILIS.

S. CATHARINÆ SENENSIS

VIRGINIS ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Immortáli laude Catharína Virgo Senénsis est efferénda : quandóquidem suæ sanctitátis præstántia univérso géneri humáno innótuit. Psalm. Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Sap. 8.

HANC amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus, dicit Dóminus omnípotens.

℟. Vitam Catharínæ innocentíssimam mirácula illa notíssimam efficiunt, * Quæ vivens, atque vita functa líquido osténdit. ℣. Curávit ægrótos, vitam mórtuis restítuit, et id genus multa fecit. — Quæ vivens. Glória. Quæ vivens.

Hymnus.

HÆC tuæ Virgo monuménta laudis,
Quæ tuis læti Catharína sacris
Hoc quidem pacto modulámur omnes,
Perfer Olympo.
SI satis digne néqueant referri,
Annuas nobis véniam, precámur :
Non sumus tanti ingénii, fatémur,
Optima Virgo.
QUIS fuit dignas modulátus unquam
Vírginis laudes? Quis in orbe toto
Féminæ invíctæ peritúra nunquam
Cármina pandet?
PRÆDITA exémplis, Catharína, claris,

Móribus præstans, sápiens abúnde,
Témperans, fortis, pia, justa, prudens,
Æthera scandis.
QUEM latet virtus facinúsque clarum,
Quo nequit dici sánctius per orbem?
Vúlnerum formam miseráta Christi
Exprimis ipsa.
NAM brevis, mæstæ miseræque vitæ
Et malis cunctis pénitus refértæ
Fórtiter spernens pretiósa quæque
Sídera adísti.
GRATIAS summas habeámus omnes
Fílio magni Genitóris almo:
Spíritum sanctum venerémur, et sit
Laus tamen una.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáta Catharína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Vírginis Catharínæ hæc dies est dicáta sacris, ut nunquam tantæ sanctitátis præstántia mortálium memória excídere queat, et cunctis celebérrima perpétuo fiat.

Oratio.

DEUS, qui beátæ Catharínæ, virginitátis et patiéntiæ speciáli privilégio decorátæ, malignántium spirítuum certámina víncere, et in amóre tui nóminis inconcússe permanére tribuísti: concéde, quæsumus, ut ejus imitatióne, calcáta mundi nequítia et ómnium hóstium superátis insídiis, ad tuam secúre glóriam transeámus. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem regum súpplices adorémus: * Qui immortáli glória Vírginem Senénsem dotávit Catharínam.

Hymnus.

LAUDIBUS Virgo nimis effe-
Jure censéris, quóniam triúmphos
Ipsa cælórum, probitáte mira,
Nacta refúlges.
PRÆMIUM sanctæ tamen ipsa vitæ
Et simul munus probitátis almæ
Accipis cælo, cumuláta cunctis
Dénique rebus.
TU gravem, sacris méritis refértum,
Orbis exémplar, pietáte plenum
Prædicatórum veneráta Patrem,
Ordine fulges.
NULLA jam rerum plácuit volúptas,
Nullus ornátus, nitor ecce nullus
Córporis, semper fúgiens iníquæ
Cármina vitæ.
SÆPIUS corpus dómitans acérbe,
Quam pie flagris cruor hinc et inde
Flúxerat rivis, hominúmque demum
Crimina flebas!
QUI per ingéntes variósque casus,
Orbe terrárum cruciántur omnes,
Quotque vel curis agitántur ipsi
Undique diris.

SUPPETENT nobis tótidem canénda,
Si tuæ laudes repetántur omnes :
Tu quidem longe pietáte cunctis
Inclyta præstas.
GRATIAS summas habeámus omnes
Fílio magni Genitóris almo :
Spíritum sanctum venerémur, et sit
Laus tamen una.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Admirábilem Dei nostri cleméntiam contemplári máxima Catharínæ constántia nos semper effíciet. Psalmi de Communi unius Virginis, pag. 88*. et sequentibus.

Aña. Misericórdia summa erga egénos atque ægrótos summópere affécta, ipsórum ærúmnas deflére hæc Virgo solébat.

Aña. Christiános quidem tanta caritáte prosequebátur, ut eórum amóre incénsa diu noctúque flagráret.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De Cánticis canticórum.

Lectio j. Cap. 7.

QUAM pulchri sunt gressus tui in calceaméntis, fília príncipis! Quam pulchra es, et quam decóra carissima, in delíciis! Statúra tua assimiláta est palmæ, et úbera tua botris. Dixi : Ascéndam in palmam, et apprehéndam fructus ejus : et erunt úbera tua sicut botri víneæ : et odor oris tui sicut malórum. Guttur tuum sicut vinum óptimum, dignum dilécto meo ad potándum, labiísque et déntibus illíus ad ruminándum. Ego dilécto meo, et ad me convérsio ejus. Veni dilécte mi, egrediámur in agrum, commorémur in villis. Mane surgámus ad víneas, videámus si flóruit vínea, si flores fructus partúriunt, si floruérunt mala púnica : ibi dabo tibi úbera mea. Mandrágoræ dedérunt odórem. In portis nostris ómnia poma : nova et vétera, dilécte mi, servávi tibi.

℟. j. Catharína Virgo Jesu Christo virginitátem perpétuam dicávit : * Cujus sponsa sanctíssima íllico effécta est. ℣. Maríam autem Vírginem adhuc puélla exorávit ut Fílii sui ancílla fíeret. — Cujus sponsa sanctíssima.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio ij. Cap. 8.

DILIGENTIBUS Deum ómnia cooperántur in bonum, iis, qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit : quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis ergo nos separábit a caritáte Christi? Tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius? Sed in his ómnibus superámus propter

eum, qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. ij. Virtútis ac ætérnum probitátis munus Catharína sectáta, ea quæ córpori mortáli videréntur ornátui, * Omnésque mundi fastus abégit. ℣. Christo namque Deo nostro se pénitus dedit. — Omnésque.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio iij. Cap. 6.

MIHI autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israel Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit : ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, cum spíritu vestro, fratres. Amen.

℟. iij. Summis est enim Virgo Catharina efferénda láudibus : * Quóniam sanctíssimum vivéndi modum virgínibus osténdit. ℣. Immortálem quidem vitam cælo mérito adépta est. — Quóniam. Glória. Quóniam.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Miríficam Vírginis Catharínæ caritátem quis non admirétur, quæ nihil præter Christum amáre pótuit?

Aña. Vúlnerum enim sui ætérni Sponsi simulácra in córpore suo ferre méruit.

Aña. Perpétuæ laudi hæc præmia Vírgini sanctæ procul dúbio erunt : fiet síquidem posteritáti nótior.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

CATHARINA Virgo Senénsis, piis orta paréntibus, beáti Domínici hábitum, quem Soróres de Pœniténtia gestant, impetrávit. Summa ejus fuit abstinéntia, et admirábilis vitæ austéritas. Invénta est aliquándo a die Cínerum usque ad Ascensiónem Dómini jejúnium perduxísse, sola Eucharistíæ communióne conténta. Luctabátur quam frequentíssime cum dæmónibus, multísque illórum moléstiis vexabátur : æstuábat fébribus, nec aliórum morbórum cruciátu carébat. Magnum et sanctum erat Catharínæ nomen, et úndique ad eam ægróti, et malígnis vexáti spirítibus deducebántur. Languóribus et fébribus in Christi nómine imperábat, et dæmones cogébat ab obséssis abíre corpóribus.

℟. iv. Divínam hæc Virgo vitam semper dégere visa est : * Et divínum dénique consecúta est præmium. ℣. A córporis namque illécebris fórtiter abhórruit. — Et divínum.

Lectio v.

CUM Pisis immorarétur, die Domínico, refécta cibo cæléstí, et in éxtasim rapta, vidit Dóminum crucifíxum magno cum lúmine adveniéntem, et ex ejus vúlnerum cicatrícibus quinque rádios ad quinque loca sui córporis descendéntes; ideóque mystérium advértens, Dóminum precáta ne cicatríces apparérent, contínuo rádii colórem sanguíneum mutavérunt in spléndidum, et in forma puræ lucis pervenérunt ad manus, pedes, et cor ejus: ac tantus erat dolor, quem sensibíliter patiebátur, ut nisi Deus minuísset, brevi se créderet moritúram. Hanc ítaque grátiam amantíssimus Dóminus nova grátia cumulávit, ut sentíret dolórem illápsa vi vúlnerum, et cruénta signa non apparérent. Quod ita contigísse cum Dei fámula confessário suo beáto Raymúndo retulísset, ut óculis étiam repræsentarétur, rádios in imagínibus beátæ Catharínæ ad dicta quinque loca pertingéntes, pia fidélium cura pictis colóribus expréssit.

℟. v. Felix ea Virgo est, quæ Jesu Christo Dómino pro víribus óbsequens, * Múnera sibi præparat ætérna. ℣. Spretis autem humánæ vitæ mortálibus rebus. — Múnera sibi præparat ætérna.

Lectio vj.

DOCTRINA ejus infúsa, non acquisíta fuit: sacrárum litterárum professóribus, difficíllimas de Divinitáte quæstiónes proponéntibus, respóndit. Nemo ad eam accéssit, qui non mélior abíerit: multa extínxit ódia, et mortáles sedávit inimicítias. Pro pace Florentinórum, qui cum Ecclésia dissidébant, et interdícto ecclesiástico suppósiti erant, Aveniónem ad Gregórium Undécimum Pontíficem Máximum profécta est: cui étiam votum ejus de peténda Urbe, soli Deo notum, se divínitus cognovísse monstrávit: deliberavítque Póntifex, ea étiam suadénte, ad Sedem suam Románam personáliter accédere: quod et fecit. Eídem Gregório, et Urbáno Sexto ejus successóri acceptíssima fuit, ádeo ut legatiónibus eórum fungerétur. Dénique post innúmera virtútum insígnia, dono prophetiæ, et plúribus clara miráculis, anno ætátis suæ tértio círciter et trigésimo, migrávit ad Sponsum. Quam Pius Secúndus Póntifex Máximus sacrárum Vírginum número adscrípsit.

℟. vj. Præcónia tuárum laudum, Catharína Virgo, tua pietáte minóra esse fatémur: * Quóniam ómnium virtútum génere prædita, humánas laudes exsúperas. ℣. Divínis enim ubíque láudibus celebránda vidéris. — Quóniam. Glória. Quóniam.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Nulla unquam delébit oblívio benefícia, quæ sunt erga hómines, Catharínæ.

Aña. Semper sancta hæc Virgo vixit: felix óbiit: beáta in cælo regnábit in ætérnum.

Aña. Ætérnum hæc Virgo assecúta est præmium: et cæléstium rerum vere párticeps effécta, Christo frúitur.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

(In cap. 13. Matth.)

AUDISTIS fratres quemádmodum grano sinápis tota regni cæléstis comparáta est magnitúdo. Quærens Christus in cælo et in terra, nihil invénit, nisi granum sinápis, in quo poténtiam totam supérnæ dominatiónis inclúdat : et illud regnum singularitáte potens, ætérnitáte felix, divinitáte fulgens, diffúsum toto cælo, tota terra dilatátum, in grani sinápis coárctat et cogit angústias. Spes ista est credéntium tota? Exspectátio ista est fidélium summa? Ista est felícitas vírginum, longis continéntiæ labóribus comparáta? Fratres, non fácile Domínicis moveámur in dictis. Nam si infírmum Dei fórtius est homínibus, hoc mínimum Dei tota magnitúdine mundi magnificéntius invenítur : si modo hoc granum sinápis nos sic nostris seminémus in méntibus, ut intelligéntiæ nobis magnam in árborem crescat.

℟. vij. Nihil huic Vírgini sátius, nihílque dígnius in rerum natúra visum est, quam Jesu Christi præcépta, * Et vitam ætérnam ómnibus persuadére. ℣. Dedit enim semper óperam revocáre pérditos. — Et vitam ætérnam.

Lectio viij.

GRANI ergo sinápis instar est regnum Dei : quod de supérnis affértur verbo, suscípitur audítu, fide séritur, credulitáte radicátur, spe crescit, confessióne diffúnditur, virtúte ténditur, et dilatátur in ramos, ad quos vocat aves cæli, id est spirituáles sensus, atque in ipsis eas quiéta súscipit mansióne. Véniat hæréticus : véniat, quia redeúntibus Eccléstæ semper patéscit ingréssus. Véniat, áudiat, et pietáti Domínicæ jam désinat oblatráre. Si cæléstis regni majéstas omnis ad grani sinápis similitúdinem venit : quid quéritur, quod Deus ad hóminem, Dóminus servi descéndit ad formam? Sic enim venit, ut tibi totum per fidem crésceret, cui jam totum defécerat per natúram.

℟. viij. Sapiéntia atque doctrína hæc Virgo referta, códices nonnúllos cóndidit edidítque : * Ut veram vivéndi ratiónem ómnibus osténderet. ℣. His illa humánas fragilésque res spérnere suádet. — Ut veram vivéndi ratiónem.

Lectio ix.

SED atténdite quia Christus est regnum cælórum, qui velut granum sinápis in hortum virgínei córporis missus, orbe toto crucis in árborem crevit : ac tantum dedit fructus sui sapórem, cum téritur Passióne, ut quidquid est vitále, suo saporáret et condíret attáctu.

Nam sicut in integritáte grani sinápis virtus habétur occúlta; appáret vero virtus ejus vehementíssime, si terátur : ita Christus córpore teri vóluit, qui suam nóluit latére virtútem. Et nos, fratres, terámus istud granum sinápis, ut ejus vim in hac similitúdine sentiámus. Terámus granum illud, ut ora nostra fervéntia vívido fructu sui sapóris succéndat : et ita ignis ejus toto nobis árdeat et flammétur in péctore, atque nostræ ignorántiæ totum nobis áuferat sua degustatióne fastídium.

℟. ix. Vitam Catharínæ innocentíssimam mirácula illa notíssimam efficiunt, * Quæ vivens, atque vita functa líquido osténdit. ℣. Curávit ægrótos, vitam mórtuis restítuit, et id genus multa fecit. — Quæ vivens. Glória. Quæ vivens.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta Catharína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Omnipoténti Virgo Catharína Dei Fílio solum óbsequi atque servíre constítuit. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Exsultabúnda cæli múnera contemplabátur, quæ cunctis rebus máxime præpósuit.

3. Divínis namque oblectáta rebus, diu noctúque oratiónibus atque vigíliis óperam dabat.

4. Rerum ómnium Conditóri Catharína benedicébat, qui beatitúdinis sémitam mortálibus osténdit.

5. Laudávit Catharína semper Dóminum, et ab eo in excélsis exaltáta est.

Capitulum. Sap. 8.

HANC amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus, dicit Dóminus omnipotens.

Hymnus.

JAM ferox miles tibi sæpe cessit,
Et duces iras posuére sævas :
Hi necem diram pópulo mináti
Sæpe Senénsi.
QUID! quod et sacris stúdiis frequénter
Víribus summis óperam dedísti,
Lítteræ doctæ lepidæque claris
Urbibus exstant.
NITERIS verbis revocáre lapsos,
Níteris rectum suadére cunctis :
Sic ais : Tantum próbitas beátos
Efficit omnes.
JURA tu sævæ tremebúnda mortis
Fórtiter temnens, nihil extiméscens,
Prædium nostræ vocitáre vitæ
Sæpe solébas.
UNDE cum tempus properáret ipsum,
Quo sacros artus, cinerésque busto
Línqueres, cælos aditúra, flentes
Ipsa docébas.

Sic sacrum Christi veneráta corpus,
Hóstiam libans, lácrimis obórtis,
Dixeras cunctis documénta vitæ
Voce supréma.

Gratias summas habeámus omnes
Fílio magni Genitóris almo :
Spíritum sanctum venerémur, et sit
Laus tamen una. Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Benedictus Aña. Máxima est Catharinæ Vírginis Senénsis præstántia, quæ incolumitátem languéntibus, et vitam mórtuis restitúere pótuit.

Oratio.

Deus, qui beátæ Catharínæ, virginitátis et patiéntiæ speciáli privilégio decorátæ, malignántium spirítuum certámina víncere, et in amóre tui nóminis inconcússe permanére tribuísti : concéde, quæsumus, ut ejus imitatióne, calcáta mundi nequítia et ómnium hóstium superátis insídiis, ad tuam secúre glóriam transeámus. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Hanc amávi., ut in Laudibus.

¶ ℟℟. et ℣℣. Horarum de Communi unius Virginis, pag. 96*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 8.

Dominus ómnium diléxit illam : doctrix est enim disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 11

Brevis in volatílibus est apis, et inítium dulcóris habet fructus illíus.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Omnipoténti Virgo Catharína Dei Fílio solum obsequi atque servíre constítuit. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Hanc amávi., Hymnus Hæc tuæ Virgo. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 422.

Ad Magnificat Aña. O Virgo máxima glória præstans, cujus sacra stata orbis univérsus hodiérna die célebrat, quam ángeli cum láudibus efferunt, ac céteri supérni cives admiránt : age apud Deum, quo mentes nostræ semper divínis præcéptis obtémperent, nosque virtútibus, aliísque bonis áugeat.

PER OCTAV. S. CATHARINÆ

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Det Catharína frui nos vero lúmine Christi, et sóciet súperis Virgo beáta choris.

℣. Adducéntur regi virgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi. (Si tamen prædictus ℣. in Officio jam dictus fuerit, ad Memoriam de Octava S. Catharinæ dicatur ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.)

Oratio Deus, qui beátæ Catharínæ., ut in Laudibus Festi.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Ad sedes Regni fáciat transíre supérni Virgo fovens méritis nos Catharína suis.

℣. Ora pro nobis beáta Catharína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio Deus, qui beátæ Catharínæ., ut in Laudibus Festi.

¶ Quando vero infra Octavam S. Catharinæ de ipsa Octava agitur, sic fiat Officium :

Invitatorium et reliqua ut in Festo, servato modo dierum infra Octavam Solemnem, præter hic posita :

In Nocturno duæ primæ Lectiones de Scriptura currente, vel de Homilia si qua occurrerit; Lectio iij. una ex propriis Festi per ordinem.

Ad Benedictus Aña Det Catharína frui., ut ad Memoriam in Laudibus, pag. 429.; ad Magnificat Aña Ad sedes Regni., ut ad Memoriam in Vesperis, ibidem.

IN OCTAVA S. CATHARINÆ.

SOLEMNE.

AD I. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus, ℣., Antiphona ad Magnificat et Oratio ut in j. Vesperis Festi, pag. 422.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus ut in Festo, pag. 423.

¶ In tribus Nocturnis, quæ hic notata non sunt fiant ut in Festo.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

℟. j. Catharína Virgo Jesu Christo virginitátem perpétuam dicávit : * Cujus sponsa sanctíssima íllico effécta est. ℣. Maríam autem Vírginem adhuc puélla exorávit, ut Fílii sui ancílla fíeret. — Cujus sponsa.

℟. ij. Virtútis ac ætérnum probitátis munus Catharína sectáta, ea quæ córpori mortáli videréntur ornátui, * Omnésque mundi fastus abégit. ℣. Christo namque Deo nostro se pénitus dedit. — Omnésque.

℟. iij. Summis est enim Virgo Catharína efferénda láudibus : * Quóniam sanctíssimum vivéndi modum virgínibus osténdit. ℣. Immortálem quidem vitam cælo mérito adépta est. — Quóniam. Glória. Quóniam.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Bulla Canonizationis.)

Lectio iv.

SEX annos nata beáta Catharína Senénsis, ut Dómino servíret, erémum concupívit; et urbe egréssa, in cavérna loco solitário delituit : quamvis, jubénte Spíritu, páululum demoráta, domum redíerit. Angélicam Salutatiónem edócta, quóties patérnæ domus scalam ascéndit, tóties per síngulos gradus, flexo genículo, beatíssimam Vírginem Matrem Dómini salutávit. Et anno curránte ætátis suæ séptimo, virginitátem suam consecrávit Christo : quem sua in majestáte sedéntem mirábili visióne contempláta est, et arcána cæléstis aulæ vidit, quæ non potest effári lingua mortális. Mundánas delícias a se omnes abdicávit. Oratióni totam se dedit. Corpúsculum suum vigíliis, jejúniis ac verbéribus afflíxit : coæquáles puéllas ut idem fácerent, edócuit, et suásit. Pubes effécta, scissis crínibus, mortále connúbium recusávit.

℟. iv. Divínam hæc Virgo vitam semper dégere visa est: * Et divínum dénique consecúta est præmium. ℣. A córporis namque illécebris fórtiter abhórruit. — Et divínum.

Lectio v.

Ancillare offícium in patérna domo exércuit: nihil magis cúpiens quam vilis apud hómines et abjécta vidéri. Paupéribus Christi larga manu, permitténte patre suo, subvénit. Ægrotántibus summa diligéntia ministrávit: incarcerátos et oppréssos, quibus váluit modis, consoláta est: nullum ab ea verbum non religiósum, non sanctum éxcidit. Summa hujus Vírginis abstinéntia fuit, et admirábilis vitæ austéritas. Nam cum vini et cárnium usum prorsus abjecísset, nec pulmentáriis ullis uterétur, ad extrémum eo dedúcta est, ut nec legúmina éderet, nec pane vescerétur, nisi cæléstí, quem verus Christiánus in Sacraménto sumit altáris. Per annos circiter octo, mínimo herbárum succo, earúmque parum reténto, et Communióne sacra, sustentáta est.

℟. v. Felix ea Virgo est, quæ Jesu Christo Dómino pro víribus óbsequens, * Múnera sibi præparat ætérna. ℣. Spretis autem humánæ vitæ mortálibus rebus. — Múnera.

Lectio vj.

Ad Communiónem altáris, quæ illi fere quotidiána fuit, quasi ad cæléstes núptias invitáta esset, summa cum alacritáte proficiscebátur. Cilício sub veste utebátur. Lectum sibi ex tábulis confécerat, atque in eo jacens brevíssimum capiébat somnum: raro enim ultra duas horas intérdiu noctúque dormiébat. Réliquum omne tempus vigilándo, oránd o, prædicándo, ópera misericórdiæ agéndo consúmpsit. Spissis córdulis carnem suam macerávit: dolóre cápitis pene assídue torquebátur. Fuit in ea Spíritus prophetíæ, et multa prædíxit, ántequam fíerent, et occultíssima revelávit. Rapiebátur sæpe a Spíritu, et in áere suspénsa divínis contemplatiónibus pascebátur: ádeo extra se acta, ut expúncta, percússaque, nihil omníno sentíret: idque frequénter ei contingébat, dum diviníssima reficerétur Eucharistía.

℟. vj. Præcónia tuárum laudum, Catharína Virgo, tua pietáte minóra esse fatémur: * Quóniam ómnium virtútum génere prædita, humánas laudes exsúperas. ℣. Divínis enim ubíque láudibus celebránda vidéris. — Quóniam. Glória. Quóniam.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Dominicalis, si nondum lecta fuerit; secus, Homilia et ℟℟. de Festo, pag. 427.

℟. vij. Nihil huic Vírgini sátius, nihílque dignius in rerum natúra visum est, quam Jesu Christi præcépta * Et vitam ætérnam ómnibus persuadére. ℣. Dedit enim semper óperam revocáre pérditos. — Et vitam ætérnam.

℟. viij. Sapiéntia atque doctrína hæc Virgo referta, códices nonnúllos cóndidit edidítque: * Ut veram vivéndi ratiónem ómnibus osténderet. ℣. His illa humánas fragilésque res spérnere suádet. — Ut veram vivéndi ratiónem.

℟. ix. Vitam Catharínæ innocentíssimam mirácula illa notíssimam effíciunt, * Quæ vivens, atque vita functa liquido osténdit. ℣. Curávit ægrótos, vitam mórtuis restítuit, et id genus multa fecit. — Quæ vivens. Glória. Quæ vivens.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta Catharína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia ut in Festo, pag. 428. et pag. 429. servato modo Octavæ diei Solemnis.

DIE I. MAII.

SS. PHILIPPI ET JACOBI
APOSTOLORUM.
TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúia. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. Tanto témpore vobíscum sum : et non cognovístis me ! * Philíppe, qui videt me videt et Patrem : non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? ℣. Dómine osténde nobis Patrem, et súfficit nobis. — Philíppe. Glória. Philíppe.

Hymnus Exsúltet cælum láudibus., ℣. In omnem terram. et Antiphona ad Magnificat Beáti éritis. de Communi Apostolorum, pag. 26*.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua Apostolórum tuórum Philíppi et Jacóbi solemnitáte lætíficas : præsta, quæsumus, ut quorum gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium Gaudéte. et Hymnus Exsúltet cælum láudibus., pag. 26*.

¶ In tribus Nocturnis, quæ hic posita non sunt dicantur de Communi Apostolorum, pag. 27*. et sequentibus.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

JACOBUS, Dei et Dómini nostri Jesu Christi servus, duódecim tríbubus, quæ sunt in dispersióne, salútem. Omne gáudium existimáte fratres mei, cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet : ut sitis perfécti et íntegri in nullo deficiéntes.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo prudéntes.

Lectio ij.

SI quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluén-

ter, et non impróperat : et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et discite a me quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

Lectio iij.

GLORIETUR autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit. Exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit : ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.
(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

PHILIPPUS Bethsáidæ natus, unus ex duódecim Apóstolis, cujus non semel sacra Evangélia meminérunt, accépto Spíritu sancto, cum ei Scythia ad prædicándum Evangélium obtigísset, omnem fere illam gentem ad christiánam fidem convértit. Postrémo cum Hierápolim Phrygiæ venísset, pro Christi nómine cruci affíxus, lapidibúsque óbrutus est Kaléndis Maii. Ejus corpus ibídem a Christiánis sepúltum, póstea Romam delátum, in basílica duódecim Apostolórum una cum córpore beáti Jacóbi cónditum est.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti sunt.

Lectio v.

JACOBUS, frater Dómini, cognoménto Justus, ab ineúnte ætáte vinum et síceram non bibit, carne abstínuit, nunquam tonsus est, nec unguénto, nec bálneo usus, cui étiam assidúitas orándi ita callum génibus obdúxerat, ut durítie caméli pellem imitarétur. Ab Apóstolis post Ascensiónem Dómini Jerosolymórum Epíscopus ordinátus est.

℟. v. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa princípum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur.

Lectio vj.

CUM plures annos illi Ecclésiæ sanctíssime præfuísset, Christum Dei Fílium constantíssime prædicans, lapídibus primum appetítus, mox in altíssimum templi locum addúctus, inde præcipitátur. Qui cum confráctis crúribus adhuc semivívus, tendens in cælum manus, díceret, Dómine ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt; fullónis fuste gráviter in cápite percússus, ánimam Deo réddidit, séptimo Nerónis anno.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, *Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, et in me crédite. In domo Patris mei mansiónes multæ sunt. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 67. in Joann.)

ERIGENDA est nobis, fratres, ad Deum major inténtio, ut verba sancti Evangélii, quæ modo in nostris áuribus sonuérunt, étiam mente cápere utcúmque possímus. Ait enim Dóminus Jesus : Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, et in me crédite. Ne mortem tamquam hómines timérent, et ídeo turbaréntur, consolátur eos, étiam se Deum esse contéstans. Créditis, inquit, in Deum, et in me crédite. Cónsequens est enim, ut si in Deum créditis, et in me crédere debeátis : quod non esset cónsequens, si Christus non esset Deus.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam. * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

Lectio viij.

CREDITIS in Deum, et in eum crédite, cui natúra est, non rapína, esse æquálem Deo : semetípsum enim exinanívit, non tamen formam Dei amíttens, sed formam servi accípiens. Mortem metúitis huic formæ servi? Non turbétur cor vestrum : suscitábit illam forma Dei. Sed quid est, quod séquitur, In domo Patris mei mansiónes multæ sunt : nisi quia et sibi metuébant? Unde audíre debuérunt : Non turbétur cor vestrum. Quis enim eórum non metúeret, cum Petro dictum esset fidentióri atque promptióri, Non cantábit gallus, donec ter me neges?

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ.

Lectio ix.

TAMQUAM ergo essent ab illo peritúri, mérito turbabántur. Sed cum áudiunt, In domo Patris mei mansiónes multæ sunt : si quo minus dixíssem vobis : quia vado paráre vobis locum : a perturbatióne recreántur, certi ac fidéntes, étiam post perícula tentatiónum, se apud Deum cum Christo esse mansúros. Quia etsi álius est álio fórtior, álius álio sapiéntior, álius álio jústior, et álius álio sánctior : in domo Patris mei mansiónes multæ sunt. Nullus eórum alienábitur ab illa domo, ubi mansiónem pro suo quisque acceptúrus est mérito.

℟. ix. Tanto témpore vobíscum sum : et non cognovístis me!* Philíppe, qui videt me, videt et Patrem : non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? ℣. Dómine osténde nobis Patrem, et súfficit nobis. — Philíppe. Glória. Philíppe.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Dómine osténde nobis Patrem, et súfficit nobis. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Philíppe, qui videt me videt et Patrem meum.

3. Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me! Philíppe, qui videt me videt et Patrem meum.

4. Si cognovissétis me, et Patrem meum útique cognovissétis : et ámodo cognoscétis eum, et vidístis eum.

5. Si diligerétis me, gauderétis útique, quia vado ad Patrem : quia Pater major me est.

Capitulum Jam non estis hóspites., Hymnus Ætérna Christi múnera Apostolórum glóriam. et ℣. Annuntiavérunt., pag. 33*.

Ad Benedictus Aña. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque petiéritis fiet vobis.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua Apostolórum tuórum Philíppi et Jacóbi solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus, ut quorum gaudémus méritis instruámur exémplis. Per.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi Apostolorum, pag. 33*.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Dómine osténde nobis Patrem, et súfficit nobis. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris ut in ij. Vesperis de Communi Apostolorum, pag. 34*.

Capitulum Jam non estis hóspites., Hymnus Exsúltet cælum láudibus. et ℣. In omnem terram., ut in j. Vesperis de Communi Apostolorum, pag. 26*.

Ad Magnificat Aña. Non turbétur cor vestrum, neque formídet : créditis in Deum, et in me crédite : in domo Patris mei mansiónes multæ sunt.

DIE II. MAII.

S. ATHANASII

EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Athanásium minístrum tribuísti : præsta, quæsumus, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

ATHANASIUS Alexandrínus, cathólicæ religiónis propugnátor acérrimus, ab Alexándro Episcopo Alexandríno, cui póstea succéssit, Diáconus factus, eum secútus est ad Nicænum concílium : ubi cum Arii impietátem repressísset, tantum ódium Arianórum in se concitávit, ut ex eo témpore ei insídias molíri nunquam destíterint. In exsílium subínde actus, apud Tréveros mansit. Grávibus deínceps ac diutúrnis, sub Constántio imperatóre Arianórum fautóre, tempestátibus jactátus, et incredíbiles calamitátes perpéssus, magnam orbis terræ partem peragrávit : ac sæpe a sua Ecclésia ejéctus, sæpe étiam in eámdem restitútus est.

Lectio v.

SED Ariánis illi semper infénstis, summum vitæ discrímen fúgiens, in sicca cistérna quinque ferme annis ad óbitum usque Constántii delítuit. Sub Juliáno primum ad Ecclésiam revérsus, ac non multo post ab eódem quæsítus ad mortem, divína ope evásit. Exstíncto Juliáno, cum Alexandríæ ália esset exórta tempéstas, quátuor menses in patérno sepúlcro se cóndidit.

Lectio vj.

TANDEM postquam Alexandrínam Ecclésiam inter máximos rerum túrbines, quadragínta et sex annis sanctíssime gubernásset, Alexandríæ in léctulo sub Valénte imperatóre móriens, de prostráta impietáte clarissimis eréctis trophæis, labórum corónas perceptúrus conscéndit in cælum, in vita et in morte magnis nobilitátus miráculis, ingeniique ac admirándæ doctrínæ multis post se relictis immortálibus monuméntis. Innúmeræ plane sunt laudes, quibus eum sancti Patres celebrárunt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homília sancti Athanásii Episcopi.

(In Apolog de fuga sua, ante med.)

IN lege præcéptum erat, ut constitueréntur civitátes refugiórum; ut qui quomodocúmque ad necem quæreréntur, servári possent. In consummatióne porro sæculórum, cum advenísset illud ipsum

Verbum Patris, quod Móysi ántea locútum fúerat, rursus hoc præcéptum dedit : Cum vos, inquiens, persecúti fúerint in civitáte ista, fúgite in áliam. Paulóque post súbjicit : Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est per Daniélem prophétam, stantem in loco sancto (qui legit, intélligat), tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes : et qui in tecto est, ne descéndat tóllere áliquid de domo sua : et qui in agro est, non revertátur tóllere túnicam suam.

Lectio viij.

Hæc cum scirent Sancti, ejúsmodi tenuérunt suæ conversatiónis institútum. Quæ enim nunc præcépit Dóminus, éadem quoque ante suum in carne advéntum locútus est in Sanctis : et hoc institútum hómines ad perfectiónem ducit. Nam quod Deus jússerit, id omníno faciéndum est. Ideóque et ipsum Verbum, propter nos homo factum, non indígnum putávit, cum quæreréretur, quemádmodum et nos, abscóndere se; et cum persecutiónem paterétur, fúgere, et insídias declináre : cum autem a se definítum tempus ipse adduxísset, in quo corporáliter pro ómnibus pati volébat, ultro seípsum trádidit insidiántibus.

Lectio ix.

At vero sancti hómines, cum hanc quoque formam a Salvatóre didicíssent, (ab ipso enim et ántea et semper omnes docebántur) advérsus persecutóres ut legítime certárent, fugiébant, et ab illis quæsíti, se abscondébant. Cum enim præstitúti sibi a divína providéntia témporis finem ignorárent, nolébant insidiántibus se témere trádere : sed contra, cum scirent quod scriptum est, In mánibus Dei esse hóminum sortes, et Dóminum mortificáre et vivificáre; pótius in finem usque perseverábant, circumeúntes, ut ait Apóstolus, in melótis, et péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, in solitudínibus errántes, et in spelúncis et cavérnis terræ laténtes, quoad vel definítum mortis tempus veníret, vel qui tempus ipsum definíerat Deus cum eis loquerétur, et insidiántes cohibéret, aut certe persecutóribus eos tráderet, utcúmque illi placuísset.

DIE III. MAII.

IN INVENTIONE S. CRUCIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. O Crux admirábilis, evacuátio vúlneris, restitútio sanitátis! Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Gal. 6.

Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

℟. Per tuam Crucem salva nos Christe Redémptor, qui mortem nostram moriéndo destruxísti, * Et vitam resurgéndo reparásti. ℣. Miserére nostri Jesu benígne, qui passus es cleménter pro nobis. — Et vitam. Glória. Et vitam.

Hymnus.

SALVE Crux sancta, salve mundi glória,
Vera spes nostra, vera ferens gáudia,
Signum salútis, salus in periculis,
Vitále lignum vitam ferens ómnium.
TE adorándam, te Crucem vivíficam,
Per te redémpti, dulce decus sæculi,
Semper laudámus, semper tibi cánimus:
Per lignum servi, per te sumus líberi.
SIT Deo Patri laus in Cruce Fílii,
Sit coæquális laus sancto Spirítui :
Cívibus summis gáudium sit ángelis,
Honor sit mundo Crucis hæc Invéntio.
Amen.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit.

Ad Magnificat Aña. O Crux benedícta, quæ sola fuísti digna portáre Regem cælórum et Dóminum! Oratio.

DEUS, qui in præclára salutíferæ Crucis Inventióne Passiónis tuæ mirácula suscitásti : concéde ut vitális ligni prétio ætérnæ vitæ suffrágia consequámur. Qui vivis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Dóminum, qui per Crucis mystérium redémit mundum, * Veníte adorémus.

Hymnus Salve Crux sancta., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Omnia fiant sicut in primo Nocturno Exaltationis sanctæ Crucis, die xiv. Septembris.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. ut in secundo Nocturno Exaltationis sanctæ Crucis.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

HELENA Constantíni imperatóris mater, in somnis admónita, conquiréndæ Dominicæ Crucis stúdio Jerosólymam venit : ubi marmóream Véneris státuam, in Crucis loco a Géntibus collocátam ad tolléndam Christi Dómini Passiónis memóriam, post centum círciter octogínta annos everténdam curávit.

℟. iv. Ecce Crucem Dómini : fúgite partes advérsæ : vicit Leo de tribu Juda, * Radix David. ℣. Crux benedícta, in qua triumphávit Rex angelórum. — Radix David.

Lectio v.

ITAQUE loco Crucis purgáto, alte defóssæ tres cruces érutæ sunt, repertúsque seórsum ab illis Crucis Dominicæ títulus : qui cum ex tribus, cui affíxus fuísset, non apparéret, eam dubitatiónem sústulit miráculum. Nam recens hóminis cadáver affértur, jacénti una, et áltera de crúcibus admovétur : sed eárum ligna mors sprevit. Adhibétur Crux Dominica, et statim homo surréxit vivus.

℟. v. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis : nulla silva talem profert fronde, flore, gérmine : * Dulce lignum dulces clavos, dulce pondus

sustínuit. ℣. Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior. — Dulce lignum.

Lectio vj.

HELENA ígitur, salutári Cruce invénta, magnificentíssimam ibi exstrúxit eccléſiam, in qua partem Crucis relíquit thecis argénteis inclúsam, partem Constantíno fílio détulit : quæ Romæ repósita fuit in ecclésia sanctæ Crucis in Jerúsalem. Clavos étiam áttulit fílio, quibus sanctíssimum Jesu Christi corpus fixum fúerat. Céterum insígne illud in ligno vivíficæ Crucis miráculum divínitus fíeri sólitum, ut quamvis ex eo plures partículæ scinderéntur, nullam inde diminutiónem jacturámve sentíret, beátus Cyríllus Jerosolymitánus, et sanctus Paulínus Nolánus Epíscopi mérito admirántur.

℟. vj. Tuam Crucem adorámus Dómine, tuam gloriósam recólimus Passiónem : * Miserére nostri, qui passus es pro nobis. ℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi, quia per Crucem tuam redemísti mundum. — Miserére nostri. Glória. Miserére nostri.

IN III. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. ut in tertio Nocturno Exaltationis sanctæ Crucis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 3.

IN illo témpore : Erat homo ex Pharisæis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 11. in Joannem, post initium.)

NICODEMUS ex his erat, qui credíderant in nómine Jesu, vidéntes signa et prodígia, quæ faciébat. Supérius enim hoc dixit : Cum autem esset Jerosólymis in Pascha in die festo, multi credidérunt in nómine ejus. Quare credidérunt in nómine ejus? Séquitur, et dicit : Vidéntes signa ejus, quæ faciébat. Et de Nicodémo quid dicit? Erat princeps Judæórum, nómine Nicodémus. Hic venit ad eum nocte, et ait illi : Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster. Et iste ergo credíderat in nómine ejus. Et ipse unde credíderat? Séquitur : Nemo enim potest hæc signa fácere, quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo.

℟. vij. O Crux benedícta, * Quæ sola fuísti digna portáre Regem cælórum ac Dóminum! ℣. O Crux admirábilis, evacuátio vúlneris, restitútio sanitátis! — Quæ sola fuísti digna.

Lectio viij.

SI ergo Nicodémus de illis multis erat, qui credíderant in nómine ejus, jam in isto Nicodémo attendámus, quare Jesus non se credébat eis. Respóndit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuo, non potest vidére regnum Dei. Ipsis ergo se credit Jesus, qui nati fúerint dénuo. Ecce illi credíderant in eum, et Jesus non se credébat eis. Tales sunt omnes catechúmeni : ipsi jam credunt in nómine Christi,

sed Jesus non se credit eis. Inténdat, et intélligat cáritas vestra : Si dixérimus catechúmeno, Credis in Christum? respóndet, Credo, et signat se Cruce Christi : portat in fronte, et non erubéscit de Cruce Dómini sui. Ecce credit in nómine ejus. Interrogémus eum : Mandúcas carnem Fílii hóminis, et bibis sánguinem Fílii hóminis? Nescit quid dícimus, quia Jesus non se crédidit ei.

℟. viij. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi,* Quia per Crucem tuam redemísti mundum. ℣. Tuam Crucem adorámus Dómine : tuam gloriósam recólimus Passiónem. — Quia per Crucem tuam.

Lectio ix.

Cum ergo ex eo número Nicodémus esset, venit ad Dóminum : sed nocte venit : et hoc forte ad rem pértinet. Ad Dóminum venit, et nocte venit : ad lucem venit, et in ténebris venit. Renáti autem ex aqua, et Spíritu, quid áudiunt ab Apóstolo? Fuístis aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino : sicut fílii lucis ambuláte. Et íterum : Nos autem, qui diéi sumus, sóbrii simus. Qui ergo renáti sunt, noctis fuérunt, et diéi sunt : ténebræ fuérunt, et lumen sunt. Jam credit se illis Jesus, et non nocte véniunt ad Jesum, sicut Nicodémus.

℟. ix. Per tuam Crucem salva nos Christe Redémptor, qui mortem nostram moriéndo destruxísti, * Et vitam resurgéndo reparásti. ℣. Miserére nostri Jesu benígne, qui passus es cleménter pro nobis. — Et vitam. Glória. Et vitam.

Ante Laudes ℣. Dícite in natiónibus. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. O magnum pietátis opus! Mors mórtua tunc est, in ligno quando mórtua Vita fuit. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Ecce Crucem Dómini : fúgite partes advérsæ : vicit Leo de tribu Juda, Radix David, allelúia.

3. Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi.

4. O Crux admirábilis, evacuátio vúlneris, restitútio sanitátis!

5. Crux benedícta nitet, Dóminus qua carne pepéndit, atque cruóre suo vúlnera nostra lavit.

Capitulum. Gal. 6.

Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Hymnus.

Originale crimen necans in Cruce,
Nos a privátis Christe munda máculis :
Humanitátem miserátus frágilem,
Per Crucem sanctam lapsis dona véniam.
Protege, salva, bénedic, sanctifica
Pópulum cunctum Crucis per signáculum :
Morbos avérte córporis et ánimæ :
Hoc contra signum nullum stet perículum.

SIT Deo Patri laus in Cruce Fílii,
Sit coæquális laus sancto Spirítui :
Cívibus summis gáudium sit ángelis,
Honor sit mundo Crucis hæc Invéntio.
Amen.

℣. Tuam Crucem adorámus Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem.

Ad Benedictus Aña. Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior, in qua Vita mundi pepéndit, in qua Christus triumphávit, et mors mortem superávit, allelúia. Oratio.

DEUS, qui in præclára salutíferæ Crucis Inventióne Passiónis tuæ mirácula suscitásti : concéde ut vitális Ligni prétio ætérnæ vitæ suffrágia consequámur. Qui vivis.

In Laudibus Memoria SS. Alexandri, Eventii et Theoduli Martyrum. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Alexándri, Evéntii et Theodúli natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Mihi autem absit., ut in Laudibus.

℟. Hoc signum Crucis erit in cælo, * Allelúia, allelúia. Hoc signum Crucis. ℣. Cum Dóminus ad judicándum vénerit. Allelúia. Glória. Hoc signum Crucis.

℣. Per signum Crucis de inimícis nostris. ℟. Líbera nos Deus noster.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. Cor. 1.

VERBUM Crucis pereúntibus stultítia est : iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est.

℟. Per signum Crucis de inimícis nostris, * Allelúia, allelúia. Per signum Crucis. ℣. Líbera nos Deus noster. Allelúia. Glória. Per signum Crucis.

℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Cor. 1.

NOS autem prædicámus Christum crucifíxum : Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam.

℟. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi, * Allelúia, allelúia. Adorámus te Christe. ℣. Quia per Crucem tuam redemísti mundum. Allelúia. Glória. Adorámus te Christe.

℣. Tuam Crucem adorámus Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem.

AD II. VESPERAS.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, et super Psalmos Aña O magnum. ut in ij. Vesperis Exaltationis sanctæ Crucis, pag. 783. et pag. 784.

Capitulum Mihi autem absit. et Hymnus Salve Crux sancta. ut in j. Vesperis hujus Festi pag. 437. et pag. 438.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit.

Ad Magnificat Aña. O Crux splendídior cunctis astris, mundo célebris, homínibus multum amábilis, sánctior univérsis, quæ sola fuísti digna portáre taléntum mundi, dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera, salva præséntem catérvam, in tuis hódie láudibus congregátam. Oratio.

DEUS, qui in præclára salutíferæ Crucis Inventióne Passiónis tuæ mirácula suscitásti : concéde ut vitális Ligni prétio ætérnæ vitæ suffrágia consequámur. Qui vivis.

DIE IV. MAII.

S. MONICÆ VIDUÆ.

DUPLEX.

Omnia de Communi unius nec Virginis nec Martyris pag. 104* et sequentibus, præter hic posita. Oratio.

DEUS mæréntium consolátor et in te sperántium salus, qui beátæ Mónicæ pias lácrimas in conversióne fílii sui Augustíni misericórditer suscepísti : da nobis utriúsque intervéntu peccáta nostra deploráre, et grátiæ tuæ indulgéntiam inveníre. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MONICA sancti Augustíni duplíciter mater, quia eum et mundo et cælo péperit, maríto mórtuo, quem senectúte conféctum Jesu Christo conciliávit, castam et opéribus misericórdiæ exércitam viduitátem agébat. In assíduis vero ad Deum oratiónibus pro fílio, qui in Manichæórum sectam incíderat, lácrimas effundébat: quem étiam Mediolánum secúta est, ubi ipsum frequénter hortabátur ut ad Epíscopum Ambrósium se conférret. Quod cum ille fecísset, ejus et públicis conciónibus, et privátis colóquiis cathólicæ fídei veritátem edóctus, ab eódem baptizátus est.

Lectio v.

MOX in Africam redeúntes, cum ad Ostia Tiberína constitíssent, incidit in febrem. Quo in morbo cum eam quodam die ánima defecísset, ut se collégit : Ubi, inquit, eram? Et astántes íntuens : Pónite hic matrem vestram : tantum vos rogo, ut ad altáre Dómini meminéritis mei.

Lectio vj.

NONO autem die, beáta múlier ánimam Deo réddidit. Ejus corpus ibi in ecclésia sanctæ Aureæ sepúltum est : quod póstea, Martíno Quinto Summo Pontífice, Romam translátum, in ecclésia sancti Augustíni honorífice cónditum est.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 7.

IN illo témpore : Ibat Jesus in civitátem, quæ vocátur Naim : et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 44. de verb. Domini, circa init.)

DE júvene illo resuscitáto gavísa est mater vídua: de

homínibus quotídie in spíritu resuscitátis gaudet mater Eccl̃sia. Ille quidem mórtuus erat córpore: illi autem mente. Illíus mors visíbilis visibíliter plangebátur : illórum mors invisíbilis nec quærebátur, nec videbátur. Quæsívit ille, qui nóverat mórtuos. Ille solus nóverat mórtuos, qui póterat fácere vivos.

Lectio viij.

NISI enim ad mórtuos suscitándos venísset, Apóstolus non díceret : Surge, qui dormis : et exsúrge a mórtuis, et illuminábit te Christus. Tres autem mórtuos invenímus a Dómino resuscitátos visibíliter, míllia invisibíliter. Quot autem mórtuos visibíliter suscitáverit, quis novit? Non enim ómnia, quæ fecit, scripta sunt. Joánnes hoc dixit: Multa ália signa fecit Jesus; quæ si scripta essent, árbitror totum mundum non posse libros cápere.

Lectio ix.

MULTI sunt ergo álii sine dúbio suscitáti, sed non frustra tres commemoráti. Dóminus enim noster Jesus Christus ea, quæ faciébat corporáliter, étiam spiritáliter volébat intélligi. Neque enim tantum mirácula propter mirácula faciébat : sed ut illa, quæ faciébat, mira essent vidéntibus, vera essent intelligéntibus. Qui vidérunt Christi mirácula, et non intellexérunt, miráti sunt tantum, quia facta sunt : álii vero et facta miráti, et intelléctu assecúti. Tales nos in schola Christi esse debémus.

DIE V. MAII.

S. PII QUINTI

PAPÆ ET CONF. ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Felix Domínici plaude família, Pio Quinto accéndens lúmina : plaude pia mater Eccl̃sia, Babylónis sedens ad flúmina : tota plaude cæléstis cúria, et festívum Pio redúplica Allelúia. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Baruch. 5.

CIRCUMDABIT te Deus diplóide justítiæ, et impónet mitram cápiti honóris ætérni : osténdet splendórem suum in te omni qui sub cælo est. Nominábitur enim tibi nomen a Deo : Pax justítiæ, et honor pietátis.

℟. Dum novus hic Móyses in colle pansis mánibus Deum precabátur, ad Naupáctum Amalech Israéli pérfidus mari profligátur : * Pártaque victória Pio revelátur. ℣. Dum exténdit virgam Rosárii, demergúntur hostes nefárii. — Pártaque victória. Glória. Pártaque victória.

Hymnus.

PIO beáto júbilos
Canóra pangant órgana,
Nimbósque pellant núbilos
Sacræ diéi gáudia.

HIC Míchael certámine
Fregit dracónis ímpetum :
Piíque sumpto nómine,
Hostem représsit ímpium.

ECCLESIÆ perícula
Umbóne firmo dépulit :
Sectariórum spícula
Mucróne forti méssuit.

Ab incolátu dæmonum
Obséssa purgans córpora :
A retiáclo críminum
Solvit reórum péctora.
Quanto magis nunc dúplices
Sibi favóres spóndeant
Nomen Pii qui súpplices
Votis frequénter ínvocant!
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pie.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Pii nomen comprobárunt piæ operatiónes, et ex hoc beátum dicent omnes generatiónes.

Oratio.

Deus qui, ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes, et ad divínum cultum reparándum, beátum Pium Pontíficem Máximum elígere dignátus es : fac nos ipsíus deféndi præsídiis, et ita tuis inhærére obséquiis, ut ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace lætémur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum in Pio fámulo rite collaudémus : * Pium in Christo Dómino pie celebrémus.

Hymnus.

Noctis fuget calíginem
Pii corúsca glória :
Depéllat et formídinem
Tanti ducis victória.
Is a tenéllis únguibus
Christi jugo se súbdidit :
Mox igne sancti Spíritus
Totis medúllis férbuit.
Adhæsit innocéntiæ
Candor Pii virtútibus,
Nitórque consciéntiæ
Letális expers críminis.
Intacta carnis púritas
Monstrátur in fragrántia :
Infrácta mentis fírmitas
In péctoris constántia.
Tantis gradátim dótibus
Parátur ad sublímia :
Donec subit divínitus
Apostolátus cúlmina.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Fidem zelans in cáthedra ætérnæ Sapiéntiæ, forti contrívit déxtera cáthedram pestiléntiæ. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68*.

Aña. Spe loricátus prævalet, cum fremuérunt gentes : fregit in virga férrea meditántes ináni a, Christúmque persequéntes.

Aña. Pii cáritas orántis dum præstat auxília, pópuli me circumdántis non timébo míllia.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 50.

Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conver-

satióne gentis : et ingréssum domus, et átrii amplificávit. Quasi cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis. In ascénsu altáris sancti, glóriam dedit sanctitátis amíctum. Et circa illum coróna fratrum : quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ.

℟. j. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : Intra in gáudium dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. — Intra in gáudium.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.
Lectio ij. Cap. 3.

FIDELIS sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Episcopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum : non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum : ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. ij. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit in ætérnum.

De Epístola ad Titum.
Lectio iij. Cap. 1.

OPORTET Episcopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum : sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere.

℟. iij. Ad ceram Agni cándidi, a Pio benedícti, captant salútem lánguidi, resíliunt pyróboli, * Sclopos evádunt icti. ℣. Dat farínis increménta, sedat ígnium torménta, tranquillántur mária. — Sclopos evádunt icti. Glória. Sclopos evádunt icti.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. de Communi unius Confessoris, pag. 70*.

Lectio iv.

PIUS in óppido Insúbriæ, quod Boscum vocant, natus, sed e Bonónia oriúndus ex nóbili Ghisleriórum família, cum quatuórdecim esset annórum, Ordinem Prædicatórum ingréssus est. Erat in eo admirábilis patiéntia, profúnda humílitas, summa vitæ austéritas, contínuum oratiónis stúdium, et reguláris observántiæ, ac divíni honóris ardentíssimus zelus.

Philosophíæ vero ac theologíæ incúmbens, ádeo in iis excélluit, ut illas docéndi munus magna cum laude per multos annos exercúerit. Sacras conciónes plúribus in locis cum ingénti auditórum fructu hábuit. Inquisitóris offícium inviolábili ánimi fortitúdine diu sustínuit : multásque civitátes, non sine vitæ discrímine, ab hæresi tunc grassánte immúnes servávit.

℟. iv. Magnificávit eum in conspéctu regum, * Et dedit illi corónam glóriæ. ℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum, et beatificávit illum in glória. — Et dedit illi corónam glóriæ.

Lectio v.

A Paulo Quarto, cui ob exímias virtútes caríssimus erat, ad Nepesínum et Sutrínum Episcopátum promótus, et post biénnium inter Románæ Ecclésiæ Presbyteros Cardináles adscríptus fuit. Tum ad Ecclésiam Montis Regális in Subalpínis a Pio Quarto translátus, cum plures in eam abúsus irrepsísse cognovísset, totam diœcésim lustrávit : rebúsque compósitis Romam revérsus, gravíssimis expediéndis negótiis applicátus, quod justum erat, apostólica libertáte et constántia decernébat. Mórtuo autem Pio, præter ómnium exspectatiónem eléctus Póntifex, nihil in vitæ ratióne, excépto exterióri hábitu, immutávit. Fuit in eo religiónis propagándæ perpétuum stúdium, in ecclesiástica disciplína restituénda indeféssus labor, in exstirpándis erróribus assídua vigilántia, in sublevándis egéntium necessitátibus indefíciens beneficéntia, in Sedis Apostólicæ júribus vindicándis robur invíctum.

℟. v. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas Paradísi coronávit eum.

Lectio vj.

Selymum Turcárum tyránnum multis elátum victóriis, ingénti comparáta classe, ad Echinadas insulas non tam armis, quam fusis ad Deum précibus devícit. Quam victóriam ea ipsa hora, qua obténta fuit, Deo revelánte cognóvit, suísque familiáribus indicávit. Dum vero novam in ipsos Turcas expeditiónem molirétur, in gravem morbum incídit : et acerbíssimis dolóribus patientíssime tolerátis, ad extréma devéniens, cum Sacraménta de more suscepísset, ánimam Deo placidíssime réddidit, anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo, ætátis suæ sexagésimo octávo: cum sedísset annos sex, menses tres, dies vigínti quátuor. Corpus ejus in basílica sanctæ Maríæ ad Præsépe summa fidélium veneratióne cólitur, multis a Deo ejus intercessióne patrátis miráculis. Quibus rite probátis, a Clemente Undécimo Pontífice Máximo Sanctórum número adscríptus est.

℟. vj. Priscos agónes Mártyrum osténtans Romanórum, ingens edit miráculum * In turba populórum. ℣. Oratóri christiáno dans e campo Vaticáno cruentátos púlveres. —

In turba populórum. Glória. In turba populórum.

IN III. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. de Communi unius Confessoris, pag. 73*.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. Et réliqua.

Homilia venerábilis Bedæ Presbyteri.

(In Luc. 3. cap. 42.)

UT in audiéndo quisque, vel spernéndo Evangélii prædicatóre, non viles quasque persónas, sed Dóminum Salvatórem, immo ipsum Patrem spérnere se, vel audíre dísceret, ait : Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Quia procul dúbio in discípulo magíster audítur, et in fílio pater honorátur. Potest et ita intélligi : Qui non facit misericórdiam uni de frátribus meis mínimis, nec mihi facit; quia et ipse pro his formam servi, et páuperis hábitum suscépi.

℟. vij. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi. — In átriis.

Lectio viij.

REVERSI sunt Septuagínta duo cum gáudio, dicéntes: Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Bene quidem conféssi sunt, deferéntes honórem nómini Christi; sed quia infírma adhuc fide gaudébant in virtútibus, vide quid áudiunt : Et ait illis : Vidébam Sátanam sicut fulgur de cælo cadéntem. Non modo vídeo, sed prius vidébam quando córruit. Quod autem ait, Sicut fulgur : vel præcípitem de supérnis in ima lapsum significat, vel quia dejéctus, adhuc transfigúrat se in ángelum lucis.

℟. viij. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum :* Honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus: quia apud Deum nota est, et apud hómines. — Honestávit illum.

Lectio ix.

ECCE dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes, et scorpiónes : hoc est, omne genus immundórum spirítuum de obséssis corpóribus ejiciéndi. Quamvis et ad lítteram rectíssime possit áccipi : síquidem et Paulus a vípera invásus nihil advérsi pátitur. Hoc sane inter serpéntes, qui dente, et scorpiónes, qui cauda nocent, distáre árbitror : quod serpéntes apérte sæviéntes, scorpiónes clánculo insidiántes vel hómines vel dæmones significent. Serpéntes, qui inchoándis virtútibus venéna pravæ persuasiónis objíciunt; scorpiónes, qui consummátas virtútes ad finem vitiáre conténdunt. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére : quia spíritus ejícere, sicut et virtútes álias fácere,

intérdum non est ejus mériti, qui operátur, sed invocátio nóminis Christi hoc agit.

℟. ix. Christi plantas osculári fixas cruci géstiit : sed pro vita sui cari pedes ista rétrahit : * Tóxico imbútis dari óscula prohíbuit. ℣. Absit mihi gloriári, absit óscula venári, nisi in cruce Dómini. — Tóxico imbútis dari. Glória. Tóxico imbútis dari.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Pie. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Pie, secúndum nomen tuum ita et laus tua sit : laudat grex pastórem suum, nec laudáre súfficit. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Pii vigil prudéntia firmávit Sedem Petri, monstra fugans horréntia, ut rádius fulgétri.

3. Æqua Pii justítia, rectificans statéram, mundi depréssit vítia, lancem tenens sincéram.

4. Constans Pii fortitúdo hæresim compéscuit, animíque magnitúdo toti orco réstitit.

5. Pii temperántia in carnis fragrántia cælitus monstrátur: rigor abstinéntiæ dono continéntiæ pie coronátur.

Capitulum. Baruch. 5.

CIRCUMDABIT te Deus diplóide justítiæ, et impónet mitram cápiti honóris ætérni : osténdet splendórem suum in te omni, qui sub cælo est. Nominábitur enim tibi nomen a Deo : Pax justítiæ, et honor pietátis.

Hymnus.

AURORA cæli púrpura
Aspérge rorem flóribus :
Pii triúmphos éxplica
Circúmdatos fulgóribus.

ZELOSUS iste Phínees
Sacris stetit pro mœnibus,
Ut bárbaros acínaces
Arcéret a fidélibus.

HIC disciplínam móribus
Cura revéxit sédula,
Et ímpiis erróribus
Objécit hic repágula.

PII talénta lárgitas
Non vinxit in sudário,
Necessitátes públicas
Toto juvans ærário.

PATER benígnus páuperum,
Manus habens tornátiles,
Pavit greges famélicos
Effusióne múnerum.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. Pie, pastor mirífice, tuárum memor óvium, sta coram summo Júdice pro pártibus fidélium.

Oratio.

DEUS qui, ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes, et ad divínum cultum reparándum, beátum Pium Pontíficem Máximum elígere dignátus es: fac nos ipsíus defénsi præsídiis, et ita tuis inhærére obséquiis, ut ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace lætémur. Per

AD TERTIAM.

Capitulum Circúmdabit te Deus., ut in Laudibus.

¶ ℟℟. et ℣℣. Horarum de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 49.

IPSE est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis : princeps fratrum, firmaméntum gregis, stabiliméntum pópuli.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 47.

DE omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum : et dedit illi contra inimícos poténtiam.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Pie, secúndum nomen tuum ita et laus tua sit : laudat grex pastórem suum, nec laudáre súfficit. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Circúmdabit te Deus., Hymnus Pio beáto júbilos. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 443. et pag. 444.

Ad Magnificat Aña. Qui exáltat húmiles Pium exaltávit, et in Apostólica Sede collocávit.

PER OCTAVAM S. PII.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Pius instar facis sæculum illúminat, ut in viam pacis pedes nostros dírigat.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Exsúltat Pii spíritus in Deo salutári, qui jussit piis rítibus Pium magnificári.

IN OCTAVA S. PII.

SIMPLEX.

Ad Memoriam in utrisque Vesperis et Laudibus Antiphonæ, ℣℣. et Oratio ut in Festo.

DIE VI. MAII.

S. JOANNIS EVANGELISTÆ ANTE PORTAM LATINAM.

DUPLEX.

Omnia de Communi unius Evangelistæ, pag. 36*. præter hic posita.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat Aña. In ferventis ólei dólium missus Joánnes Apóstolus, divína se protegénte grátia, illæsus exívit.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis quia nos úndique mala nostra pertúrbant : præsta, quæsumus, ut beáti Joánnis Apóstoli tui et Evangelístæ intercéssio gloriósa nos prótegat. Per.

IN I. NOCTURNO.

Ex libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

EGO Joánnes frater vester, et párticeps in tribulatióne, et regno et patiéntia in Christo Jesu : fui in ínsula, quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei, et testimónium Jesu : fui in spíritu in Domínica die, et audívi post me vocem magnam tamquam tubæ, dicéntis : Quod vides, scribe in libro : et mitte septem Eccléssiis, quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ, et Pérgamo, et Thyatíræ, et Sardis, et Philadelphíæ, et Laodicíæ.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo.

Incipit Epístola prima beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio ij. Cap. 1.

QUOD fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, et manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ : et vita manifestáta est, et vídimus, et testámur, et annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, et appáruit nobis : quod vídimus et audívimus, annuntiámus vobis, ut et vos societátem habeátis nobíscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Fílio ejus Jesu Christo.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

Lectio iij.

ET hæc scríbimus vobis ut gaudeátis, et gáudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiátio, quam audívimus ab eo, et annuntiámus vobis : Quóniam Deus lux est, et ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus, quóniam societátem habémus cum eo, et in ténebris ambulámus, mentímur, et veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, sicut et ipse est in luce, societátem habémus ad ínvicem, et Sanguis Jesu Christi Fílii ejus emúndat nos ab omni peccáto.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri contra Joviniánum.

Lectio iv. Lib. 1.

JOANNES Apóstolus, unus ex discípulis Dómini, qui mínimus natu tráditur fuísse inter Apóstolos, et quem fides Christi vírginem repérerat, virgo permánsit : et ídeo plus amátur a Dómino, et recúmbit super pectus Jesu : et quod Petrus, qui uxórem habúerat, interrogáre non audet, illum rogat ut intérroget : et post Resurrectiónem, nuntiánte Maria Magdaléna quod Dóminus resurrexísset, utérque cucúrrit ad sepúlcrum, sed ille prævénit : cumque essent in navi, et piscaréntur in lacu Genésareth, Jesus stabat in lítore, nec sciébant Apóstoli quem vidérent : solus virgo vírginem agnóscit, et dicit Petro : Dóminus est.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

FUIT autem Joánnes et Apóstolus, et Evangelísta, et Prophéta. Apóstolus, quia scripsit ad Ecclésias ut magíster : Evangelísta, quia librum Evan-

gélii cóndidit, quod, excépto Matthæo, álii ex duódecim Apóstolis non fecérunt : Prophéta, vidit enim in Patmos insula, in quam fúerat a Domitiáno príncipe ob Dómini martyrium relegátus, Apocalypsim, infiníta futurórum mystéria continéntem. Refert autem Tertulliánus, quod Romæ missus in fervéntis ólei dólium, púrior et vegétior exíverit quam intráverit.

℟. v. Isti sunt triumphatóres, et amici Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : *Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur.

Ex Tractátu S. Augustíni Epíscopi in Joánnem.

(Tract. 36. in Joan.)

Lectio vj.

In quátuor Evangéliis, vel pótius quátuor libris uníus Evangélii, sanctus Joánnes Apóstolus, non immérito secúndum intelligéntiam spiritálem áquilæ comparátus, áltius, multóque sublímius áliis tribus eréxit prædicatiónem suam : et in ejus erectióne étiam corda nostra érigi vóluit. Nam céteri tres Evangelístæ, tanquam cum hómine Dómino in terra ambulántes, de divinitáte ejus pauca dixérunt.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus,* Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis, et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

In illo témpore : Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans, et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 1. Comm. in Matth. Cap. 20.)

Quia díxerat Dóminus, Et tértia die resúrget; putávit eum múlier post Resurrectiónem íllico regnatúrum, et hoc, quod in secúndo advéntu promíttitur, in primo esse compléndum. Et aviditáte femínea præséntia cupit, immemor futurórum. Póstulat autem mater filiórum Zebedæi, erróre muliebri, et pietátis affléctu, nésciens quid péteret. Nec mirum, si ista arguátur imperítiæ, cum de Petro dicátur, quando tria vult fácere tabernácula : Nésciens quid díceret. Respóndens autem Jesus, dixit eis : Nescítis quid petátis.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Eccléśia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

Lectio viij.

MATER póstulat, et Dóminus discípulis lóquitur : intélligens preces ejus ex filiórum descéndere voluntáte. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Cálicem in Scriptúris divínis intellígimus Passiónem, juxta illud : Pater, si possíbile est, tránseat a me calix iste. Et in Psalmo : Cálicem salutáris accípiam. Statímque infert quis sit iste calix : Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Ait illis : Cálicem quidem meum bibétis.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix.

QUÆRITUR : quómodo cálicem martyrii Zebedæi fílii, Jacóbus vidélicet, et Joánnes bíberint, cum Scriptúra narret Jacóbum tantum Apóstolum ab Heróde cápite truncátum, Joánnes autem própria morte vitam finíerit. Sed si legámus ecclesiásticas históriας, in quibus fertur quod et ipse propter martyrium sit missus in ferventis ólei dólium, et inde ad suscipiéndam corónam Christi athléta procésserit : statímque relegátus in Patmos ínsulam sit : vidébimus martyrio ánimum non defuísse, et bibísse Joánnem cálicem confessiónis.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. — Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

DIE VIII. MAII.

IN APPARITIONE S. MICHAELIS ARCHANGELI.

TOTUM DUPLEX.

Omnia quæ hic notata non sunt fiant sicut in præcipuo festo S. Michaelis, die xxix. Septembris.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

GELASIO Primo Pontífice Máximo, in Apúlia in vértice Gargáni montis, ad cujus radíces incolunt Sipontíni, Archángeli Michaélis fuit illústris apparítio. Factum est enim, ut ex grégibus armentórum Gargáni, cujúsdam taurus longe discéderet : quem diu conquisítum, in áditu spelúncæ hæréntem invenérunt. Cum vero quidam ex illis, ut taurum confígeret, sagíttam emisísset, retórta sagítta in ipsum récidit sagittárium.

℟. iv. Venit Míchael Archángelus cum multitúdine Angelórum, cui trádidit Deus ánimas Sanctórum : * Ut perdúcat eas in Paradísum exsultatiónis. ℣. Data est potéstas Archángelo Michaéli super ánimas Sanctórum. — Ut perdúcat eas.

Lectio v.

QUÆ res cum præséntes, ac deínceps céteros tanto timóre affecísset, ut ad eam spelúncam própius accédere nemo audéret, Sipontíni Epíscopum cónsulunt : qui, indícto trium diérum jejúnio, et oratióne, rem a Deo respóndit quæri oportére. Post tríduum Míchael Archángelus Epíscopum monet in sua tutéla esse eum locum, eóque indício demonstrásse, velle ibi cultum Deo in sui et Angelórum memóriam adhibéri.

℟. v. Archángeli Michaélis interventióne suffúlti, te Dómine deprecámur * Ut quos honóre proséquimur contingámus et mente. ℣. Perpétuum nobis Dómine tuæ miseratiónis præsta subsídium, quibus et angélica præstitísti suffrágia non deésse. — Ut quos honóre proséquimur.

Lectio vj.

QUARE Epíscopus una cum cívibus ad eam spelúncam ire pergit. Quam cum in templi cujúsdam similitúdinem conformátam vidíssent, locum illum divínis offíciis celebráre cœpérunt : qui multis póstea miráculis illustrátus est. Hodiérnus ígitur dies Archángeli Michaélis Apparitióni consecrátus est.

℟. vj. Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus : Míchael Archángelus pugnávit cum diábolo : * Grátia Dei ille victor in cælis éxstitit, Et illi hosti antíquo pátuit ruína magna. ℣. Gaudent Angeli, lætántur Archángeli, et colláudant in cælis Fílium Dei. — Grátia Dei. Glória. Et illi hosti antíquo.

DIE IX. MAII.

S. GREGORII NAZIANZENI

EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT. DUPLEX.

Oratio

DEUS, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Gregórium minístrum tribuísti: præsta, quæsumus, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir, qui in sapiéntia morábitur. de Communi unius Doctoris, pag. 79*.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

GREGORIUS, nóbilis Cáppadox, ex singulári divinárum litterárum sciéntia Theólogi cognómen consecútus, Naziánzi natus, Athénis in omni disciplinárum génere una cum sancto Basilío erudítus, cum eódem sacris lítteris in cœnóbio se per áliquot annos exércuit. Domum revérsus, primum Sasimórum Epíscopus creátus est : deínde Nazianzénam Ecclésiam ad breve tempus administrávit. Ad Ecclésiam Constantinopolitánam regéndam accersítus, eam civitátem, hæresum purgátam erróribus, ad cathólicam fidem tradúxit.

Lectio v.

SED cum, exardescénte invídia, propter eum inter Epíscopos magna esset exórta sedítio, sponte cessit Episcopátu, ac Naziánzum revérsus est : cui Ecclésiæ cum Eulálium præficiéndum curásset, totum se ad contemplatiónem, et scriptiónem divinárum rerum cóntulit.

Lectio vj.

SCRIPSIT autem multa, et solúta oratióne et cármine, mirábili pietáte et eloquéntia. Consubstantialitátis Fílii fuit acérrimus propugnátor : illibátam a puerítia virginitátem ad óbitum usque servávit. Demum sénio et labóribus fractus, imperatóre Theodósio, ad cæléstem vitam evolávit : splendidíssimum sciéntiæ et doctrínæ jubar semper hábitus.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Vos estis sal terræ. de Communi unius Doctoris, pag. 80*.

DIE X. MAII.

S. ANTONINI

EPISC. ET CONF. ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. O virgo, o doctor, o vigil et bone pastor, vota nostra et voces ne déspice: sed qui te láudibus éfferunt pietátis sinu compléctere. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 44.

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

℟. Vir Dei Antonínus, cum bonum certámen certásset, cursum consummásset, fidem servásset, in agóne mortis pósitus lætánter dixit : * Servíre Deo regnáre est. ℣. De réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. — Servíre Deo. Glória. Servíre Deo.

Hymnus.

UT Antonini glóriam
Concinámus ubérius,
Affláre nunc pectóribus
Nostris, Deus omnípotens.

Is, téneris ab únguibus
Sacros edóctus cánones,
Mundi spretis illécebris,
Christi se jugo súbdidit.

PRÆDICATORUM Ordinem
Delégit inter céteros,
Ut lítteris et móribus
Incúmberet ardéntius.

SED non bene sub módio
Lumen ardens occúlitur :
Ad præsulátum tráhitur,
Lucens, inflámmans pópulos.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Antoníne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Te Vírginum chorus laudat. te Doctórum cœtus prædicat, te unánimi voce sancti Præsules Præsulem admirántur : o beáte Antoníne, nos te quoque laudántes patérnis semper óculis intuére. Oratio.

SANCTI Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adjuvémur : ut sicut te in illo mirábilem prædicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria SS. Gordiani et Epimachi Martyrum. Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beatórum Mártyrum tuórum Gordiáni et Epímachi solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Adorémus Sacerdótem magnum Christum, * In solemnitáte sancti Præsulis Antoníni.

Hymnus.

ATRÆ noctis obscúritas
Antoníni fulgóribus
Fugátur, qui prodígiis
Vitæ et signórum rádiat :
VIRGINITATE níveus,
Doctrínæ luce spléndidus,
Præsul et pastor óptimus,
Clarum virtútis spécimen.
PAUPER amávit páuperes,
In míseros misércors,
Intrépidus in pérditos,
Plusquam mitis in húmiles.
QUAM potens apud Dóminum,
Qui mortis jura súbruit,
In hanc lucem dum révocat
Mortis revínctum néxibus!
DEO Patri sit glória
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Beátus Antonínus, a puerítia in Prædicatórum Ordine plantátus, fructum póstea sanctitátis et doctrinæ dedit. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68*. et sequentibus.

Aña. Dum non posset a se projícere jugum præsulátus, prædicávit præcéptum Dómini, constitútus in monte sancto ejus.

Aña. Non dormívit neque soporátus est, cum Dóminus ad sacerdótium caput ejus exaltávit.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

FIDELIS sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, unius uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum : non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum : fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum : ne in supérbiam elátus in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. j. Beátus Antonínus, terréna spernens et amans cæléstia, adhuc puer et mitis, * Secútus est Dóminum vocántem se. ℣. Tóllite jugum meum super vos, et díscite quia mitis sum et húmilis corde. — Secútus est Dóminum.

De Epístola ad Titum.

Lectio ij. Cap. 1.

OPORTET Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum : sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos qui contradícunt argúere.

℟. ij. Adoléscens generósus et dócilis, sacrárum perítiam litterárum integritáti morum miro fœdere copulávit : *Quibus ille armis in salútem suam et proximórum utebátur. ℣. Bonitátem et disciplínam et sciéntiam dócuit me Dóminus : quia mandátis ejus crédidi. — Quibus.

Lectio iij. Cap. 2.

Tu autem lóquere quæ decent sanam doctrínam : Senes, ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : anus simíliter in hábitu sancto, non criminatrices, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei.

℟. iij. Virgo virginitátem ab infántia ad extrémum usque vitæ términum ut sponsam suam adamávit : * Quam et in ipso mortis agóne pósitus salutávit. ℣. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio. — Quam et in ipso. Glória. Quam et in ipso.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Succénsus zelo, ac reprehéndens in fáciem magistrátus, irátus est et non peccávit.

Aña. Mane astans et orans ad te Dómine raptus in áerem, domum tuam introíbat.

Aña. Minuísti Dómine Antonínum paulo minus ab ángelis, glória virginitátis decorátum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

(Ex Bulla canonizat.)

Lectio iv.

Antoninus, Floréntiæ honéstis paréntibus natus, ab ipsa jam puerítia egrégium futúræ sanctitátis spécimen exhíbuit. Annum agens sextumdécimum, Religiónem Prædicatórum ampléxus, cœpit exínde máximis clarére virtútibus. Otio perpétuum bellum indixit. Post noctúrnum brevem somnum, primus matutínis précibus áderat : quibus persolútis, réliquum tempus noctis oratiónibus, aut certe lectióni et scriptióni librórum tribuébat. Et si quando importúnior fessis membris somnus obréperet, ad paríetem páululum declináto cápite, ac tantísper discússo somno, mox sacras vigílias avídius repetébat.

℟. iv. Elégit eum Deus de plebe, et pósuit super sólium excélsum, * Ut bonus pastor fruménta pópulis partirétur. ℣. Intrávit enim per óstium in ovíle óvium, et non ascéndit aliúnde. — Ut bonus.

Lectio v.

Disciplinæ reguláris severíssimus observátor, carnes, nisi in gravi ægritúdine, nunquam edit. Humi, aut in nudo tabuláto cubábat : cilício semper usus, et intérdum zona férrea ad vivam cutem incíctus, virginitátem integérrime semper cóluit. In explicándis consíliis tantæ dexteritátis

fuit : ut commúni elógio Antonínus Consiliórum dicerétur. Adeo autem in eo humílitas enítuit : ut étiam cœnóbiis ac provínciis præféctus, abjectíssima monastérii offícia demissíssime obíret. Ab Eugénio Quarto Florentínus Archiepíscopus renuntiátus, ægérrime tandem, nec nisi Apostólicis minis perterrefáctus, ut Episcopátum accíperet acquiévit.

℟. v. Beátus Antonínus, pusíllus córpore, virtúte magnus, ab omni hóminum génere colebátur : * Nam et Pontífices Summos suæ hábuit probitátis præcónes. ℣. Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. — Nam.

Lectio vj.

In eo múnere, vix dici potest quantum prudéntia, pietáte, caritáte, mansuetúdine, et sacerdotáli zelo excellúerit. Illud mirándum, tantum ingénio valuísse, ut omnes ferme sciéntias per se, nullo adhíbito præceptóre, absolutíssime didícerit. Tandem, post multos labóres, multis étiam éditis insígnis doctrínæ libris, sacra Eucharístia et Unctióne percépta, compléxus Crucifíxi imáginem, mortem lætus adspéxit, sexto Nonas Máii, anno salútis millésimo quadringentésimo quinquagésimo nono. Miráculis vivens et post mortem conspícuus, Sanctórum número adscríptus est ab Hadriáno Sexto, anno Dómini millésimo quingentésimo vigésimo tértio.

℟. vj. Justítia indútus sum et vestívi me sicut vestiménto, et diadémate judício. * Pater eram páuperum, óculus fui cæco et pes claudo. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in sæculum sæculi. — Pater eram páuperum. Glória. Pater eram páuperum.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Pecúniam suam non dedit ad usúram; sed ómnia in páuperes erogávit.

Aña. In sancto Antoníno, Dómine, psalléndo cánimus virtútes tuas; quóniam posuísti in cápite ejus corónam dúplicem.

Aña. O quam gloriósus ascéndit Antonínus in montem Dómini : qui virgo, doctor et pastor, nunc stat in loco sancto ejus!

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Episcopi.

(Comment. in Matth. cap. 26. in fine.)

Ut ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus : vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére.

Furem enim esse osténdit zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, et córporum nostrórum dómibus insidiántem : ut ea, incuriósis nobis et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat.

℟. vij. O virum mirábilem, quem tanta signórum potestáte Dóminus decorávit, * Ut étiam unigénitum patris ad vitam revocáverit! ℣. Erat enim magnus in ópere et sermóne, et rerum mirabílium patrátor. — Ut étiam.

Lectio viij.

PARATOS ígitur esse nos cónvenit : quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinem suspénsæ exspectatiónis exágitat. Quisnam est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indefessam vigilántiæ curam adhortétur : speciálem tamen pópuli princípibus, id est Epíscopis, in exspectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat.

℟. viij. Anhelábas ad Sponsum tuum, et cum tanto esses Dei amóre succénsus, étiam caritáte tibi commíssi gregis æstuábas : * Qui ad mortem non pavébas, nec vitam recusábas. ℣. Dum et última ægritúdine tenerétur, intrépidus dixit : Fiat volúntas Dei. — Qui ad mortem.

Lectio ix.

HUNC enim servum fidélem, atque prudéntem, præpósitum famíliæ significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, et præcéptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte et veritáte infírma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, et verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens hisque ímmorans deprehendátur; glóriam a Dómino tamquam dispensátor fidélis et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur, id est, in Dei glória collocábitur : qua nihil sit ultra, quod mélius sit.

℟. ix. Vir Dei Antonínus, cum bonum certámen certásset, cursum consummásset, fidem servásset, in agóne mortis pósitus lætánter dixit: * Servíre Deo regnáre est. ℣. De réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. — Servíre Deo regnáre est. Glória. Servíre Deo regnáre est.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Antoníne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Beátus Antonínus, ad præsulátum quasi ad cruciátum raptus, doctrína et móribus gregem suum pavit. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Pater eram páuperum : óculus fui cæco, et pes claudo.

3. Constánti péctore pro lege Dei advérsus ímpios murum se válidum oppósuit.

4. Accépi disciplínam, et non pecúniam : doctrínam magis quam aurum elégi.

5. In humilitáte magnus, in paupertáte dives, in córpore ángelus : o beáte Antoníne ora pro nobis, quæsumus.

Capitulum. Eccli. 44.

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

CUM sol ad cursum próperat,
Ad te Præsul confúgimus :
Qui tuas laudes cánimus
Tuas sub alas prótege.

TU, qui tot a corpóribus
Morbos depéllis hóminum,
Casus afflíctos míserans,
Eménda nostras ánimas.

TOT jam malis attérimur,
In tot lapsus incídimus,
Ut pene spes nos déserat,
Dextram nisi porréxeris.

VIRGO perpúrga córpora,
Doctor ánimos instrue,
Pastor egénos réfice :
Tibi cuncta debébimus.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. Sanctus Antonínus vere est glorificándus, cui morbi cedunt, eleménta parent, et mors inexorábilis ad ejus nutum tremit. Oratio.

SANCTI Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adjuvémur : ut sicut te in illo mirábilem prædicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per.

Ad Memoriam SS. Gordiani et Epimachi MM. Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beatórum Mártyrum tuórum Gordiáni et Epímachi solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Ecce sacérdos., ut in Laudibus.

¶ ℟℟. et ℣℣. Horarum de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 45.

DEDIT illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ : et beatificávit illum in glória.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 50.

CURAVIT gentem suam, et liberávit eam a perditióne: et adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Beátus Antonínus, ad præsulátum quasi ad cruciátum raptus, doctrína et móribus gregem suum pavit. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Ecce sacérdos., Hymnus Ut Antoníni glóriam. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 454.

Ad Magnificat Aña. Dux fídei, pietátis doctor, mundi lampas, sacerdótum decor, fecísti quæ docébas, despíciens carnem, adhærens Deo permanénti : beáte Antoníne, cum ascendénte Christo cælos ascendísti : ne derelínquas nos órphanos in hoc exsílio.

PER OCTAVAM S. ANTONINI.

Invitatorium et reliqua quæ hic notata non sunt dicantur sicut in Festo, servato modo dierum infra Octavam Simplicem.

Lectio j. et Lectio ij. de Scriptura currente, vel de Homilia Dominicali, si nondum lecta fuerit. Lectio iij. una ex infra positis.

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Pater eram páuperum : óculus fui cæco, et pes claudo. Oratio.

SANCTI Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adjuvémur : ut sicut te in illo mirábilem prædicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per.

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. In humilitáte magnus, in paupertáte dives, in córpore ángelus: o beáte Antoníne ora pro nobis, quæsumus.

PRIMA DIE
INFRA OCTAVAM S. ANTONINI.
(Ex Bulla canonizationis.)
Lectio iij.

CUM annum décimum tértium agens beátus Antonínus Ordinis Prædicatórum hábitum in convéntu Fæsuláno summa humilitáte depósceret, ob teneriórem ætátem, exilémque córporis formam, feréndo Religiónis jugo impar est hábitus. Verum ne pii adolescéntis ánimum apérta præcipitíque repúlsa Prior offénderet, quæsíto specióso divertículo, respóndit factúrum se pro votis, cum univérsum Decrétum, cui jam tunc studébat, memóriæ commendásset. Respónso bona fide accépto, Decretórum lectióni totis víribus cœpit incúmbere : tantúmque assídua lectióne, seduláque oratióne profécit, ut ejúsdem anni spátio Decrétum íntegrum memóriæ mandáverit, quod, præ sui magnitúdine, tam brevi témpore a quoquam vix legi potest. Priórem Fæsulánum subínde convénit, enixe rogans, ut, expléta conditióne, promíssi fidem liberáret. Qui, facto memóriæ períclo, reíque veritáte compérta, totum miráculo ducens, divíno Númine vocátum júvenem intellexit: eumdémque ad hábitum Religiónis admísit.

SECUNDA DIE
INFRA OCTAVAM S. ANTONINI.
(Ex Bulla Canonizationis.)
Lectio iij.

INSIGNIUM beáti Antoníni virtútum fama permótus Eugénius Quartus abséntem illum, ac pénitus ínscium, Ecclésiæ Florentínæ Archiepíscopum designávit. Inopinátæ rei núntium tristis accépit : atque, ut onus angélicis húmeris formidándum declináret, tum suis, tum amicórum lítteris Románo Pontífici supplicávit, ut álterum Ecclésiæ viduátæ præfíceret; interímque Sardíniam pétere constítuit, ac ibi eo usque delitéscere, donec álius ejus loco sufféctus esset. Verum providénte Deo res áliter cessit : quippe Cosmi Medicéi précibus inclinátus, censurarúmque ecclesiasticárum timóre percúlsus, non ultra reluctándum judicávit. Ea vero gregem sibi créditum fide, pietáte, ac religióne pavit, qua eum fácile omnes agnóscerent, divíno pótius quam humáno consílio Ecclésiæ regímini ad pópuli salútem admótum.

TERTIA DIE
INFRA OCTAVAM S. ANTONINI.

(Ex Bulla Canonizationis.)
Lectio iij.

CUM primum Archiepíscopus inaugurátus est beátus Antonínus, virtútum ómnium exémplar commísso sibi gregi se præbuit. Nihil prorsus de ténui illo, ac símplici victu, quo per quadragínta quátuor annos in Religióne usus fúerat, immutávit. Ipsámque paupertátem, quam véluti sponsam caríssimam semper diléxerat, constantíssime retínuit : quin étiam sibi semper de necessáriis áliquid detráxit, ut lárgior erga páuperes, ac liberálior esse posset. Instituéndis xenodochiis, erigendísque piis sodalítiis ad erogánda paupéribus verecúndis secréta subsídia, Cosmo Medicéo auctor fuit, et in expensárum partem venit.

IN OCTAVA S. ANTONINI.
SIMPLEX.

Quæ hic notata non sunt fiant ut in Festo, servato modo Octavæ diei Simplicis.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

Duæ Lectiones ex propositis pro diebus infra Octavam, quæ lectæ non fuerint.

(Ex Bulla Canonizationis.)
Lectio vj.

BEATUS Antonínus pravos commíssi sibi gregis mores studióse emendávit : ludos prohíbitos ac damnátos sústulit, supérfluos mulíerum ornátus restrínxit, omniúmque fere córdibus devotiónem ac pietátem inséruit. His exímiis ánimi virtútibus annis quadragínta quátuor Ordinem suum, Ecclésiam vero Florentínam annis trédecim ornávit. Demum suscéptis de more summa cum devotióne Sacraméntis, bonis ómnibus, si qua tunc illi supérerant, inter Christi páuperes distribútis, ampléxa cum lácrimis Christi crucifíxi imágine, ac sæpius iis repetítis verbis : Servíre Deo regnáre est : orántibus ac fléntibus circumquáque frátribus suis, immaculátam ánimam réddidit Conditóri.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Dominicæ præcedentis, si nondum lecta fuerit : secus, ut in die.

DIE XI. MAII.
S. STANISLAI
EPISC. ET MART.
DUPLEX. Oratio.

DEUS, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit : præsta, quæsumus, ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)
Lectio iv.

STANISLAUS Polónus, apud Cracóviam nóbili génere natus, ac paréntibus, qui per trigínta annos stériles fúerant,

divínitus datus, vitæ monásticæ desidério amplum patrimónium paupéribus distríbuit. Sed Dei providéntia primum Canónicus, deínde Epíscopus Cracoviénsis elígitur; quo in múnere ómnium pastorálium virtútum laude, et præcípue misericórdia in páuperes enítuit. Cum Bolesláum regem ob libídinem árguens offendísset, in judícium coram eo vocátur, tamquam pagum occupáret, quem Ecclésiæ suæ nómine coémerat. Quod cum neque tábulis probáre posset, et testes veritátem dícere timérent, spondet Epíscopus se Petrum pagi venditórem, qui triénnio ántea obíerat, intra dies tres in judícium adductúrum.

Lectio v.

CONDITIONE cum risu accépta, Vir Dei toto tríduo jejúniis et oratióni incúmbit. Ipso sponsiónis die, post oblátum Missæ sacrifícium, Petrum e sepúlcro súrgere jubet : qui statim redivívus, Epíscopum ad régium tribúnal eúntem séquitur; ibíque rege, et céteris stupóre attónitis, de agro a se véndito, et prétio rite sibi ab Epíscopo persolúto testimónium dicit : atque íterum in Dómino obdormívit.

Lectio vj.

AT Bolesláum frustra sæpe admónitum, Stanisláus tandem a fidélium communióne rémovet. Ille iracúndia furens, Sacerdótem Dei, Hóstiam immaculátam ad altáre offeréntem, sua manu obtrúncat. Corpus membrátim concísum, et per agros projéctum Canónici Cracoviénses, noctúrni de cælo splendóris indício, cólligunt, et suis locis apte membra dispónunt : quæ súbito ita inter se copuláta sunt, ut nulla vúlnerum vestígia exstárent. Multis deínde miráculis Virum Dei coruscántem, Innocéntius Quartus in sanctórum Mártyrum número rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Ego sum vitis vera. de Communi unius Martyris, pag. 51*.

DIE XII. MAII.

B. JOANNÆ LUSITANÆ VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui inter regáles delícias et mundi illécebras beátam Joánnam Vírginem tuam virtúte constántiæ roborásti : quæsumus ut ejus intercessióne fidéles tui terréna despíciant, et ad cæléstia semper aspírent. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria SS. Nerei, Achillei et Pancratii Martyrum.

Oratio.

SEMPER nos Dómine Mártyrum tuórum Nérei, Achíllei atque Pancrátii fóveat, quæsumus, beáta solémnitas, et tuo dignos reddat obséquio. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNA, Alphónsi Quinti Lusitániæ regis fília, tanta divini amóris flamma prævénta fuit, ut ab ipsa puerítia, rerum caducárum pertæsa, solo cæléstis Pátriæ desidério flagráret. Erga Dominicæ Passiónis mystérium mirífice affécta, vix áliquid de illo loqui vel audíre sine lácrimis póterat : cumque in ejúsdem meditatióne fere semper defíxa viderétur, Majóris tamen hebdómadæ dies, omnésque sextas Férias solo pane et aqua conténta, in oratiónibus et vigíliis devotíssime transigébat. Mira fuit in páuperes pietáte et liberalitáte : bis in die per fidéles administros de illis diligentíssime inquírens. Adolescéntiam ingréssa, ut in Dei láudibus et caritátis offíciis magis se rédderet expedítam, carnem suam contínua ferme abstinéntia, et cruéntis flagellatiónibus afflígere cœpit. Nonnísi duro léctulo ad brevem somnum utebátur, ac pretiósis véstibus ásperum tegens cilícium, láneam étiam et rudem intérulam ne quidem in ferventióribus calóribus depónere consuévit. Hanc insólitam ádeo in régia Vírgine vivéndi ratiónem non modo Joánna prudénti dissimulatióne celáre conabátur, ut secúrius retinéret, sed étiam Deus ipse, aucto in dies insígnis formæ, decóre comprobáre visus est.

Lectio v

A PRÆCIPUIS Europæ princípibus expetíta, terrénas núptias constantíssime réspuit, frustra illam urgéntibus Alphónso patre et Joánne fratre, quorum moléstam nimis importunitátem, accépta divínitus, ut fertur, futúri sponsi morte, felíciter superávit. Carnis ígitur et sánguinis victrix in Aveyrénse monastérium Ordinis sancti Domínici se recépit, ubi, relíctis ómnibus, ad pedes Priorissæ provolúta, religiósum hábitum supplíciter pétiit. Voti compos effécta, quibus ante virtútibus inter aulæ blandiéntis illécebras ádeo florúerat, multo magis in cœnóbio eminére visa fuit, eo progréssu, ut in ipso tirocínio provectióribus esset exémplo. Reguláris Institúti observantíssima, ne a vilióribus quidem Sorórum exercítiis abstinébat, tam perfécta obediéntia et humilitáte, ut régii sánguinis prorsus oblíta viderétur. Licet autem Superiórum consílio solémnem professiónem invíta distúlerit, advérsa plerúmque valetúdine, ac obniténtibus una cum fratre regni totíus ordínibus, ab incépto nihilóminus dimovéri nunquam pótuit.

Lectio vj.

QUOD oratióni supérerat tempus, áliis pietátis impendébat offíciis : et animárum zelo flagrans, non modo Soróres omnes verbo et exémplo ad perfectiónem accéndere satagébat, sed éxteris quoque prodésse non désitit, assíduas ad Deum preces ac voluntários ófferens córporis cruciátus pro peccatórum conversióne. Africanórum captivórum plúrimos, adhíbitis verbi Dei ministris, Ecclésiæ aggregávit;

quorum ipsa non paucos imbuit christiánæ fídei præcéptis. Vitæ dénique asperitáte, corporísque afflictiónibus confécta, diutúrnum ac molestíssimum morbum in contemplatióne Domínicæ Passiónis invícta patiéntia tólerans, susceptis devotíssime Sacraméntis, innocéntem ánimam Deo réddidit, quarto Idus Maii, anno salútis millésimo quadringentésimo nonagésimo, ætátis vero suæ trigésimo nono. Ejus sanctitátis opínio longe latéque diffúsa, miraculórum étiam fama statim post óbitum claréscere cœpit. Tandem Innocéntius Duodécimus, ut in toto Portugálliæ regno, ac univérso Prædicatórum Ordine possit de beáta Joánna anniversária ejus dormitiónis die Offícium recitári, ac Missa celebrári de Commúni Vírginum, indúlsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE XIII. MAII.

B. ALBERTI A BERGOMO

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui in húmili vitæ génere beátum Albértum Confessórem tuum exímia sanctitáte claréscere voluísti : fac nos ita ejus sectári vestígia, ut ássequi mereámur et præmia. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ALBERTUS Villæóneæ, qui est pagus Bergoménsis, agrícolis paréntibus natus est: a quibus pie educátus, non obscúris a púero cláruit sanctitátis indíciis. Nam septénnis divínis rebus veheménter afficiebátur, terque síngulis hebdómadis jejúnans, subdúctum sibi cibum in páuperes dispertiébat. Adoléscens patérno ruri excoléndo admótus, dum corpus agrésti exercitatióne subigeret, contemplatiónis stúdio in cælo versabátur. Paréntum consílio et voluntáte matrimónio junctus, ob profúsam in páuperes liberalitátem graves ab uxóre moléstias tulit, quas patiéntia et miráculis superávit. Nam parátum aliquándo prándium cum egénis distribuísset, mox divínitus sibi in mensa restitútum accépit. A potentióribus nonnúllis, patérnum ejus agrum usurpáre moliéntibus, diu vexátus, relícta pátria Cremónam secéssit; ubi corporáli labóre víctitans, misericórdiæ et pietátis opéribus impénsius vacávit.

Lectio v.

CUM autem per ea témpora late propagarétur Tértius Ordo sancti Domínici, primum Militiæ Jesu Christi, deinde Fratrum de Pœniténtia nuncupátus, qui própriis in dómibus sub certis régulis ab Apostólica Sede approbátis religiósam vitam agébant, evangélicæ

perfectiónis stúdio eúmdem ampléxus est. Virtútes omnes in eo vitæ institúto diligentíssime cóluit, caritátem præsértim in ægrotántes, mendícos et peregrínos, quos paupérrimus ipse omni officiórum género amantíssime complectebátur. Várias ad Loca sancta religiósas peregrinatiónes suscépit. Ab Jerosolymitána Cremónam redux, cum ad Padum constitísset, trajectiónem a naucléro humíliter rogans, quod naulo solvéndo non esset, illiberáliter repúlsus, imploráto divíno Númine sese undis commisísse, ac flumen sicco pede trajecísse perhibétur.

Lectio vj.

POST vitam dénique labóribus ac méritis plenam, in suprémum incidit morbum, quo se moritúrum intélligens, sacris Mystériis ardénter flagitátis, religioséque suscéptis, Nonis Maii, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo nono, sanctíssime excéssit. Ærea urbis campána, pulsánte némine, in ejus tránsitu sonuísse fertur; quo signo admóniti cives catervátim ad ejus funus convenére. Ejus córpori in ecclésiæ cœmetério condéndo cum fossa designarétur, nusquam terra pérfodi pótuit. Quare intra chorum ejúsdem ecclésiæ, ubi oráre consuéverat, summa celebritáte illátum est, totque cœpit inclaréscere miráculis, ut eórum fama excitáti Insúbriæ Æmiliæque pópuli, incredíbili frequéntia ipsíus sepúlcrum adírent, eique Sanctórum cultum deférrent : quem deínceps auctum, et constánter propagátum, Benedíctus Décimus quartus Póntifex Máximus Apostólica auctoritáte probávit, ejúsque Offícium cum Missa ab univérso Prædicatórum Ordine, et Cremonénsi ac Bergoménsi Clero celebrári concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Confiteor tibi Pater. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 82*.

DIE XIV. MAII.

B. ÆGIDII

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

MISERICORDIAM tuam Deus súpplices implorámus : ut sicut ea præveniénte beátum Ægídium in viam justítiæ et sanctitátis redíre fecísti, ita nos e servitúte ac morte peccáti in perféctam tránsferas libertátem et vitam. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ÆGIDIUS Vaozélæ Visénsis diœcésis óppidi, in Lusitánia claris paréntibus natus, primis a puerítia litterárum stúdiis imbútus, ad philosophíam et medicínam totum se cóntulit, neque exíguam in iis sibi nóminis famam comparávit. Nova subínde arcána rerum sciéndi cupidíssimus, ad Parisiénsem académiam profectus est : ubi effréni licéntia vitæ abréptus, in omne sese vítium, et voluptátem effúdit.

Dum vero própriæ salútis ímmemor, in ætérnam perníciem plane cæcus agerétur et præceps, tanto divínæ grátiæ lúmine collustrátus est, ut repénte in virum álterum sit commutátus. Véterem itaque hóminem statim éxuens cum áctibus suis, re doméstica in familiáres et páuperes distribúta, Prædicatórum Ordinem ampléxus est.

Lectio v.

In ipso novæ vitæ tirocínio magnum advérsus vítia et concupiscéntias certámen instítuit. Quo prístinam in carne sua indulgéntiam vindicáret, corpus inédia, vigíliis, cilício, caténa férrea ad mortem usque lumbis injécta, omníque pœnárum génere impénse afflictávit. Dies noctésque a lácrimis sibi nunquam temperábat : et qui humánæ laudis et glóriæ appetentíssimus fúerat, humilióra contémptus sui arguménta semper est consectátus. Gravíssimis tentatiónibus a dæmone appetítus, insígnes ex diutúrna colluctatióne victórias tulit. Sacris stúdiis diligénter exáctis, apostólicæ prædicatióni óperam in Lusitánia ferventíssimam dedit. Univérsis in Hispánia sui Ordinis cœnóbiis præfuit magno disciplínæ increménto. Eo tamen múnere mox abdicáto, quo soli Deo víveret, in Scallabitánum cœnóbium sénio gravis secéssit.

Lectio vj.

Divinæ contemplatiónis stúdio, æternorúmque desidério ita afficiebátur, ut nihil jam in votis habéret ardéntius quam dissólvi et esse cum Christo. Miríficas et diutúrnas in oratióne éxtases patiebátur, córpore aliquándo e terra sublato : ac vel solo audito nómine Jesu ineffábili suavitáte perfúsus, sénsibus excidébat. Supérnis visiónibus, prophetiæ dono, miraculórum frequéntia late conspícuus, adhuc vivens exímiæ cláruit fama sanctitátis. Revelátum sibi divínitus mortis diem exsultabúndus prospéxit, ac levi morbo tentátus, Sacraméntis Ecclésiæ summa religióne percéptis, in cilício sterni vóluit : mærentésque Fratres verbis suavíssimis allocútus, octogenário major placidíssime excéssit, anno salútis millésimo ducentésimo sexagésimo quinto. Ejus corpus suavíssime olens, multísque statim miráculis clarum, Lusitanórum cultum nunquam intermíssum obtínuit : quem Benedictus Décimus quartus rite probávit, ejúsque Officium et Missam in Ecclésia Lisbonénsi ac Visénsi, et Prædicatórum Ordine celebrári concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XV. MAII.

IN CONVERSIONE S. AUGUSTINI EPISCOPI, CONF. ET ECCL. DOCT.

DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Lætáre mater nostra Jerúsalem, quia Rex tuus dispensatórem strénuum et civem fidelíssimum

de servitúte Babylónis tibi redémit Augustínum.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória sanctórum.

℟. Volébat enim conferénti æstus suos ut proférrét quis esset aptus modus vivéndi sic affécto, ut ipse erat, ad ambulándum in via Dei, * In qua álius sic, álius sic ibat. ℣. Displicébat ei quidquid agébat in sæculo præ dulcédine Dei et decóre domus ejus, quam diléxit. — In qua. Glória. In qua.

Hymnus.

MAGNE Pater Augustíne
Preces nostras súscipe,
Et per eas Conditóri
Nos placáre sátage,
Atque rege gregem tuum
Summum decus præsulum.

AMATOREM paupertátis
Te colláudant páuperes :
Assertórem veritátis
Amant veri júdices :
Frangis nobis favos mellis,
De Scriptúris dísserens.

QUÆ obscúra prius erant
Nobis plana fáciens,
Tu de verbis Salvatóris
Dulcem panem cónficis,
Et propínas potum vitæ
De Psalmórum néctare.

TU de vita Clericórum
Sanctam scribis Régulam,
Quam qui amant et sequúntur
Viam tenent régiam,
Atque tuo sancto ductu
Rédeunt ad Pátriam.

REGI regum salus, vita,
Decus et impérium :
Trinitáti laus et honor
Sit per omne sæculum :
Qui concíves nos adscríbat
Supernórum cívium. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Augustíne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Augustíni mater devotíssima, quem carne prius pepérerat mundo, caritátis viscéribus póstmodum multo sémine lacrimárum génuit Christo. Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Augustínum ab errórum ténebris ad lucem evangélicæ veritátis adduxísti : da nobis, quæsumus, ut qui ejus hódie Conversiónem cólimus, ejúsdem ad te précibus actus nostros in mélius reformémus. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Magnus Dóminus et laudábilis valde, * Qui de ténebris Géntium lumén Eccléstæ suæ vocávit Augustínum.

Hymnus Magne Pater Augustine., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Apéruit Augustínus códicem Apostólicum, et conjéctis óculis ad primum capítulum legit : Induímini Dóminum Jesum Christum : et statim, quasi infúsa luce securitátis, ab eo omnes dubietátis ténebræ diffugérunt. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68*. et sequentibus.

Aña. Insinuávit ergo per lítteras sancto viro Ambrósio præsens votum suum, ut monéret quid sibi de libris sanctis legéndum esset, quo percipiéndæ christiánæ grátiæ áptior fíeret atque parátior.

Aña. At ille jussit Isaíam prophétam : quod præ céteris Evangélii vocationísque Géntium sit prænuntiátor apértior.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 7.

SCIMUS enim quia lex spirituális est : ego autem carnális sum, venúmdatus sub peccáto. Quod enim óperor, non intélligo : non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud fácio. Si autem quod nolo, illud fácio : conséntio legi, quóniam bona est. Scio enim quia non hábitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, ádjacet mihi : perfícere autem bonum, non invénio.

℟. j. Invénit se Augustínus longe esse a Deo in regióne dissimilitúdinis, tamquam audíret vocem Dei de excélso : Cibus sum grándium : * Cresce, et manducábis me. ℣. Nec tu me mutábis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutáberis in me. — Cresce, et manducábis me.

Lectio ij.

CONDELECTOR enim legi Dei secúndum interiórem hóminem : vídeo autem áliam legem in membris meis, repugnántem legi mentis meæ, et captivántem me in lege peccáti, quæ est in membris meis. Infélix ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? Grátia Dei per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. ij. Sensit ígitur, et expértus est non esse mirum quod paláto non sano pœna est panis, qui sano est suávis, * Et óculis ægris odiósa lux, quæ puris est amábilis. ℣. Propter iniquitátem corripuísti hóminem, et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus. — Et óculis ægris.

Lectio iij. Cap. 13.

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus : non in comessatiónibus, et ebrietátibus, non in cubílibus, et impudicítiis, non in contentióne, et æmulatióne : sed induímini Dóminum Jesum Christum, et carnis curam ne fecéritis in desidériis.

℟. iij. Tum vero invisibília Dei per ea quæ facta sunt intellécta conspéxit, sed áciem fígere non váluit : * Quia non secum ferébat, nisi amántem memóriam, Et quasi olfácta desiderántem quæ comédere nondum posset. ℣. Quid autem sacraménti habéret, Verbum caro factum est, nec suspicári póterat. — Quia non secum ferébat. Glória. Et quasi olfácta desiderántem.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Verúmtamen primam hujus lectiónem non intélligens, totúmque tale árbitrans, dístulit repeténdum exercitátior in Domínico elóquio.

Aña. Inde ubi tempus advénit, quo nomen eum dare oportéret, relícto rure, Mediolánum rémeans, baptizátus est a beáto Ambrósio : fugítque ab eo sollicitúdo vitæ prætéritæ.

Aña. Nec satiabátur illis diébus dulcédine mirábili considerare altitúdinem consílii divíni super salútem géneris humáni.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Lectio iv.

AUGUSTINUS, dum adhuc adoléscens esset, Carthágine in Manichæórum hæresim íncidit. Póstea Romam profectus, inde Mediolánum missus, ut rhetóricam docéret; cum ibi frequens Ambrósii Episcopi esset auditor, ejus ópera ad cathólicam fidem sério ánimum adjécit. Suscéptum tamen consílium morabántur sæculi blandiménta. Audíta póstmodum vita Antónii Magni, tenére se non pótuit, quin exclamáret : Quid est hoc? Surgunt indócti, et cælum rápiunt; et nos cum doctrínis nostris sine corde, ecce ubi volutámur in carne et sánguine.

℟. iv. Itaque avidíssime légere cœpit præ céteris Apóstolum Paulum : * Et periérunt illæ quæstiónes, in quibus aliquándo visus est ei adversári testimóniis Legis et Prophetárum textus sermónum ejus. ℣. Et appáruit ei una fácies eloquiórum castórum : et exsultáre cum tremóre dídicit. — Et periérunt.

Lectio v.

MOX adjéctum ædibus hórtulum ingréssus, sub ficu stratus, cum véterum voluptátum memória ánimum pertentáret, vocem quasi de vicína domo cum cantu dicéntem, et crebro repeténtem audívit : Tolle, lege : tolle, lege. Quod ille sibi divínitus dictum intérpretans, cóncitus surgens, sacrárum Litterárum códicem in próximo apéruit, ac in ea Apóstoli verba íncidit : Induímini Dóminum Jesum Christum, et carnis curam ne fecéritis in desidériis.

℟. v. Misit ergo Dóminus in mentem ejus, visúmque est bonum in conspéctu ejus pérgere ad Simpliciánum, qui ei bonus apparébat servus Dei, * Et lucébat in eo grátia divína. ℣. Audíerat enim quod a juventúte sua devotíssime Deo víveret : et vere sic erat. — Et lucébat in eo.

Lectio vj.

TUNC vero quasi infúsa ejus cordi securitátis luce, omnis ab eo dubitatiónis ténebræ diffugérunt : totúsque ad Deum ex íntimis præcórdiis convérsus, spem omnem, quam habébat in sæculo, derelíquit. Abdicáto ítaque docéndi múnere, una cum matre et nonnúllis amícis rus concédens, cum ibi per áliquot menses ardéntius sacris lectiónibus, meditatiónibus, et précibus incubuísset, adveniéntibus Paschálibus diébus, Mediolánum revérsus, baptizátus est a beáto Ambrósio, matre Mónica sibi adhærénte, ac de illíus conversióne mirabíliter exsultánte.

℟. vj. Volébat enim conferénti æstus suos ut proférret quis esset aptus modus vivéndi sic affécto, ut ipse erat, ad ambulándum in via Dei, * In qua álius sic, álius sic ibat. ℣. Displicébat ei quidquid agébat in sæculo præ dulcédine Dei et decóre domus ejus, quam diléxit. — In qua álius sic. Glória. In qua álius sic.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Flebat autem ubérrime, in hymnis et cánticis, suavesonántis Ecclésiæ vócibus vehemènter affféctus.

Aña. Voces ígitur illæ influébant áuribus ejus : et eliquabátur véritas in cor ejus, et fluébant lácrimæ, et bene illi erat cum eis.

Aña. Adjúnctus inde Nebrídio et Evódio remeábat ad Africam, quærens quis eos ad bene vivéndum locus habéret utílior : sed cum esset apud Ostia Tiberína, pia mater ejus defúncta est.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo témpore : Erant appropinquántes ad Jesum publicáni, et peccatóres ut audírent illum. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 34. in Evang.)

CONSIDERANDUM nobis est, fratres caríssimi mei, cur Dóminus plus de convérsis peccatóribus quam de stántibus justis in cælo gáudium esse fateátur. Unde hoc? nisi quod ipsi per quotidiánum visiónis experimentum nóvimus, quia plerúmque ii, qui nullis se oppréssos peccatórum mólibus sciunt, stant quidem in via justítiæ, nulla illícita pérpetrant, sed tamen ad cæléstem Pátriam ánxie non anhélant : tantóque sibi in rebus lícitis usum præbent, quanto se perpetrásse nulla illícita meminérunt : et plerúmque pigri rémanent ad exercénda bona præcípua : quia valde sibi secúri sunt, quod nulla commiserunt mala gravióra.

℟. vij. Vulneráverat cáritas Christi cor ejus, et gestábat verba ejus in viscéribus quasi sagíttas acútas, * Et exémpla servórum Dei, quos de mórtuis vivos fécerat, tamquam carbónes vastatóres. ℣. Ascendénti a conválle ploratiónis, et cantánti Cánticum gráduum déderat sagíttas acútas. — Et exémpla.

Lectio viij.

AT contra nonnúnquam ii, qui se áliqua illícita egísse meminérunt, ex ipso suo dolóre compúncti, inardéscunt in amórem Dei, seséque in magnis virtútibus exércent, et cuncta difficília sancti certáminis áppetunt : ómnia mundi derelínquunt, honóres fúgiunt, accéptis contuméliis lætántur, flagrant desidério, ad cæléstem Pátriam anhélant. Et quia se errásse a Deo considerant, damna præcedéntia lucris sequéntibus recompénsant.

℟. viij. Accépta Baptísmi grátia, pósitus apud Ostia Tiberína cum matre sua, colloquebántur soli valde dúlciter : et inhiábant ore cordis páriter in supérna fluénta fontis vitæ : * Vilescebátque mundus iste inter verba cum delectatiónibus suis. ℣. Tunc ait illa fílio : Nulla re jam deléctor in hac vita, cum te, contémpta felicitáte terréna, vídeam servum Christi. — Vilescebátque.

Lectio ix.

MAJUS ergo de peccatóre convérso quam de stante justo gáudium fit in cælo : quia et dux in prœlio plus eum mílitem díligit, qui post fugam revérsus, hostem fórtiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, et nunquam áliquid fórtiter gessit. Sic agrícola illam ámplius terram amat, quæ post spinas úberes fruges profert, quam eam, quæ nunquam hábuit spinas, et nunquam fértilem messem produxit.

℟. ix. Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Augustíni : * De cujus Conversióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Tenuísti manum déxteram meam : et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me. — De cujus Conversióne. Glória. De cujus Conversióne.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Augustíne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Læténtur omnes qui sperant in te Dómine, memóriam recoléntes quam exsultántis Pastóris húmeris reportétur ovis, quæ erráverat. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Lácrimas éxcutit gáudium solemnitátis domus tuæ : cum légitur in domo tua de minóre fílio, quod mórtuus erat, et revixit; perierat et invéntus est.

3. Pater enim misércors plus gaudet de uno pœniténte quam de nonagínta novem justis, quibus non est opus pœniténtia.

4. Misísti Dómine manum tuam ex alto, et de profúnda calígine Augustíni ánimam eruísti : cum pro eo fleret ad te mater ejus, fidélis tua.

5. Exaudísti eam, nec despexísti lácrimas ejus : quæ profluéntes rigábant terram in conspéctu tuo in omni loco oratiónis ejus.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus.

CÆLI cives appláudite,
Et vos fratres concínite :
Patris nostri solémnia
Solis redúxit órbita.

QUOD lingua foris pérsonat
Intus affléctus séntiat :
Nec imitári pígeat
Quod laudáre mens ápprobat.

HUNC post mundi curricula
Cæli suscépit cúria :
Quem cum suis fidélibus
Jam coronávit Dóminus.

CONEMUR totis víribus,
Jungámus preces précibus,
Ut Augustíni méritis,
Cæli fruámur gáudiis.

PRÆSTA Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. Accépta Baptísmi grátia, pósitus Augustínus apud Ostia Tiberína cum matre sua, colloquebántur soli valde dúlciter, et inhiábant ore cordis páriter in supérna fluénta fontis vitæ : vilescebátque mundus iste inter verba cum delectatiónibus suis.

Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Augustínum ab errórum ténebris ad lucem evangélicæ veritátis adduxísti : da nobis, quæsumus, ut qui ejus hódie Conversiónem cólimus, ejúsdem ad te précibus actus nostros in mélius reformémus. Per.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Læténtur omnes qui sperant in te Dómine, memóriam recoléntes quam exsultántis Pastóris húmeris reportétur ovis, quæ erráverat. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Diléctus Deo., Hymnus Magne Pater Augustíne. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 467.

Ad Magnificat Aña. Lætáre mater nostra Jerúsalem, quia Rex tuus dispensatórem strénuum et civem fidelíssimum de servitúte Babylónis tibi redémit Augustínum.

DIE XVI. MAII.

S. JOANNIS NEPOMUCENI MARTYRIS.

DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium, nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodíre, ac ómnia pótius mala quam ánimæ detriméntum in hoc sæculo toleráre. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES Nepomúci Bohémiæ óppido, unde Nepomucéni cognómen duxit, a paréntibus ætáte provéctis, non sine futúræ sanctitátis præságio, flammis supra nascéntis domum mirabíliter collucéntibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidísset, beátæ Vírginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitæ perículo evásit incólumis. Egrégia índole, piáque institutióne cæléstibus indíciis obsequénte, inter sanctas religiosásque exercitatiónes puerítiam egit : nam ecclésiam frequénter adíre, ac Sacerdótibus ad aras operántibus minístráre in delíciis habébat. Zatécii politióribus lítteris ad humanitátem informátus, Pragæ vero gravióribus disciplínis excúltus, philosophíæ, theologíæ, sacrorúmque cánonum magistérium et láuream eméruit. Sacerdótio initiátus, atque sciéntia sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum ígitur in vítiis

exstirpándis, et revocándis in viam salútis errántibus, eloquéntia et pietáte úberes éderet fructus, inter Canónicos metropolitánæ Ecclésiæ Pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram rege Venceslão Quarto prædicándi provínciam suscépit, eo succéssu, ut Joánnis suásu multa rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille óbtulit, dignitátes, Dei servus, ne a divíni verbi præcónio avocarétur, constantíssime recusávit.

Lectio v.

Regiis illum elecmósynis in páuperes erogándis præféctum, Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem adscívit. Cum autem Vencesláus ab offício institutóque decessísset, atque in vítia præceps abriperétur, piæ autem cónjugis obtestatiónes et mónita graváte ferret, conténdere ausus est ut in sacramentáli judício Sacerdóti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei miníster blandítiis primum, torméntis deínde et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditáti fórtiter óbstitit. Furéntem tamen Venceslái ánimum cum ab exsecrándo propósito nec humána, nec divína jura deterrérent, suprémum agónem, quem instáre sibi Athléta Christi nóverat, pópulo in concióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre prænuntiávit. Mox Boleslávíam profectus, ad beátæ Vírginis imáginem antíquo cultu célebrem, cæléste præsídium ad certándum bonum certámen effúsis précibus implorávit. Inde véspere reverténtem in pervigílio Domínicæ Ascensiónis rex e fenéstra conspicátus arcéssit; cumque veheméntius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta constántia terróres minásque refutávit. Itaque regis império in Moldávam flumen Pragam intérfluens noctu dejéctus, illústrem martyrii corónam est consecútus.

Lectio vj.

Sacrilegum fácinus clam patrátum et Mártyris glóriam insígne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurréntes apparuérunt. Quam ob rem ex aréna prostrídie mane corpus elátum, Canónici deínde, regis iram nihil timéntes, in metropolitánam Ecclésiam solémni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárunt. Cum autem in dies invícti Sacerdótis memória miráculis, et máxima fidélium, eórum præcípue, qui fama periclitántur, veneratióne crésceret, post annos demum ámplius tercéntos, in juridica recognitióne córporis, quod sub humo támdiu jacúerat, lingua ejus incorrúpta et vívida repérta est; quæ sexto post anno judícibus a Sede Apostólica delegátis exhíbita, novo prodígio repénte intúmuit, et subobscúrum rubórem in purpúreum commutávit.

His ítaque, aliísque signis rite probátis, Benedictus Décimus tértius Póntifex Máximus, die décima nona mensis Mártii anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc sacramentális Sigílli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem, sanctórum Mártyrum catálogo adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum, quod non revelábitur : et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(Comment. in Matth. cap. 10. post med.)

DOMINUS diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet : et ea, quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuénda : quia dies judícii nulla hæc fuísse, atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse : sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

Lectio viij.

ITAQUE id, quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quæ in ténebris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine : ut quæ secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínæ evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis Apostólicæ revelándum : non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est : sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et córporis sit potéstas.

Lectio ix.

NOLITE timére eos, qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus est dolor : quando pro natúræ suæ atque orígnis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam, étiam conditiónem, qua tenerémur, adjécit : negatúrum se eum Patri in cælis, qui se homínibus in terra negásset : eum porro, qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in cælis confiténdum : qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

DIE XVII. MAII.

B. ANDREÆ ABELLONII CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beáto Andreæ Confessóri tuo Evangélium pacis ópere ac sermóne

prædicáre tribuísti : ejus, quæsumus, intercessióne fac nos legem tuam corde perfécto suscípere, et sanctis móribus adimplére. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 10.

FINIS Legis Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam, quæ ex Lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justítia, sic dicit : Ne díxeris in corde tuo : Quis ascéndet in cælum? id est, Christum dedúcere : Aut quis descéndet in abyssum? hoc est, Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fídei, quod prædicámus.

Lectio ij.

OMNIS enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine quis crédidit auditui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi.

Lectio iij.

SED dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem : in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me : palam appárui iis, qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANDREAS Abellónius in óppido sancti Maximíni Diœcésis olim Aquénsis, nunc autem Forojuliénsis, honéstis paréntibus natus est. Ætáte prima innocénter exácta, in ipso loco Frátribus Prædicatóribus, qui sacras beátæ Maríæ Magdalénæ custodiébant exúvias, accenséri obtínuit. Inter sodáles, non pietáte modo, sed ingénio quoque ad omne disciplinárum genus felicíssime comparáto mox enítuit. Unde, absolúto tirocínio, primúmque humánis ártibus ac divínis lítteris impénsa ópera, ad celebrióres Galliárum Académias ab Ordinis sui moderatóribus missus est, tantámque doctrínæ laudem sibi proméruit, ut sacræ Páginæ Magíster adhuc júvenis fúerit salutátus.

Lectio v.

IN cœnóbium redux, ubi Prædicatórum Ordini nomen déderat, a rectóribus in partem sollicitúdinis primum vocátus,

et subínde ómnium eligéntium suffrágio frátribus suis præpósitus est. Sed eórum régimen, quod pontifícii ac régii diplómatis auctoritáte toto vitæ témpore retinére potuísset, bis sibi concréditum, paucis annis elápsis, sua sponte bis dimísit. A Bartholomæo Texério, suprémo Ordinis Magístro, disciplínam regulárem in Arelaténsi domo promovére jussus, longanimitáte pótius et virtútum suárum exémplo quam præpróperis agéndi ratiónibus, subditórum ánimos ad sanctióra duxit inclinándos. Jugum porro Régulæ, quod áliis nondum imponébat, ab inítio súbiit alácriter, ab usu cárnium prorsus ábstinens, et vitæ austeritátem cum assíduo prædicatiónis múnere conjúngens.

Lectio vj.

VINCENTII Ferrérii, cujus recens in Gálliis fervébat memória, zelum æmulátus, sacri verbi ministério per Província, máximo ubíque audiéntium emoluménto, ad provectíssimam ætátem usque functus est. Nec sermóne tantum, verum étiam, uti erat pingéndi perítus, piis imagínibus fidélium mentes ad cæléstia tráhere satagébat. Extréma tandem ægritúdine finem dicéndi et operándi fácere coáctus, cum Aquas Séxtias vocátus esset ad consolándos cives immáni lue afflíctos, Dómini sui advéntum férvidus exspectávit. Cóntigit ejus beáta mors in eádem civitáte Aquénsi, ídibus Maji, anno reparátæ salútis supra millésimum quatercentésimo. Miráculis ab óbitu ádeo cláruit, ut ei contínuo tribúti sint cælitum honóres. Quem cultum, háctenus perseveránte, Leo Décimus tértius, ex sacri Consílii tuéndis Ecclésiæ rítibus senténtia, probávit et confirmávit anno millésimo nongentésimo secúndo, suprémi Pontificátus vigésimo quinto: facta Ordini Prædicatórum ac Diœcésibus Aquénsi, Forojuliénsi et Massiliénsi potestáte Offícium et Missam in beáti Andréæ honórem celebrándi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XVIII. MAII.

S. VENANTII

MARTYRIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui hunc diem beáti Venántii Mártyris tui triúmpho consecrásti, exáudi preces pópuli tui: et præsta ut qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

VENANTIUS Camers, quíndecim annos natus, cum christiánæ religiónis accusarétur apud Antíochum, qui sub Décio imperatóre Camerino præerat, in porta civitátis præsidi se óbtulit: quem ille pollicitatiónibus ac terróribus diu tentátum, flagris cædi, et vínculis astringi jussit: sed iis mirabíliter ab Angelo solútus, lampádibus póstea adúritur, atque invérso ore, fumo suppósito,

suspénditur. Ejus constántiam in torméntis demirátus Anastásius Corniculárius, et quod eum, ab Angelo íterum solútum, cándida veste supra fumum ambulántem vidísset, in Christum crédidit, et a beáto Porphyrio Presbytero cum família baptizátus, paulo post martyrii palmam cum eódem proméruit.

Lectio v.

At Venántius præsidi sístitur, et ab eo íterum frustra tentátus ut Christi fidem deséreret, in cárcerem conjícitur : quo Attalus præco míttitur, qui ei dicat se quoque Christiánum fuísse, et ei nómini proptérea renuntiásse, quod cognovísset ináne esse fídei comméntum, quo Christiáni præséntibus se ábdicant ob vanam futurórum spem. Verum nóbilis Christi Athléta cállidi hostis insídias non ignórans, diáboli minístrum a se pénitus rejécit. Quare ad præsidem íterum addúcto omnes contúsi sunt dentes, maxillæque confráctæ : atque ita cæsus in sterquilínium dejícitur. Sed inde ab Angelo quoque eréptus, rursus stetit ante júdicem : qui, Venántio adhuc loquénte, e tribunáli cécidit, et in ea voce, Verus est Venántii Deus; nostros deos destrúite, exclámans, exspirávit.

Lectio vj.

Quod cum præsidi nuntiátum esset, extémplo Venántium leónibus óbjici jussit, qui, naturáli feritáte omíssa, ad ejus se pedes abjecérunt. Interim ille pópulum Christi fidem edocébat. Quare inde amótus, íterum in cárcerem tráditur. Cumque postrídie præsidi referret Porphyrius, se per visum noctu pópulos, quos Venántius aqua tingébat, clarissima luce fulgéntes, ipsum vero præsidem obscurissima calígine opértum vidísse; præses ira incénsus, eum íllico cápite plecti imperat : deínde Venántium per loca vépribus et cárduis cónsita trahi usque ad vésperam. Is cum semiánimis relíctus esset, mane se íterum præsidi præsentávit, cujus jussu statim e rupe præcipitátur : sed inde étiam divínitus eréptus, dénuo per loca áspera ad mille passus tráhitur, ubi milítibus siti æstuántibus in próxima conválle ex lápide, in quo et génuum formam relíquit, sicut étiam nunc in ejus ecclésia vidére licet, Crucis signo a Venántio facto, aquæ manárunt. Eo miráculo plures permóti, in Christum credidérunt, quos omnes præses eo loci una cum Venántio cápite feríri jussit. Fúlgura et terræmótus eo témpore ita magni fuére, ut præses aufúgeret : qui paucis tamen post diébus, divínam haud valens effúgere justítiam, turpíssimam mortem oppétiit. Christiáni ínterim Venántii et aliórum córpora honorífico loco sepeliérunt, quæ Cameríni in ecclésia Venántio dicáta cóndita adhuc sunt.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Ego sum vitis vera. de Communi unius Martyris, pag. 51*.

DIE XIX. MAII.

S. PETRI CÆLESTINI

PAPÆ ET CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum Cælestínum ad summi Pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti : concéde propítius ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus præmia pervenire felíciter mereámur. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Pudentianæ Virginis. Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ Pudentiánæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur affléctu. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS a nómine, quo Póntifex est appellátus, Cælestínus dictus, honéstis catholicísque paréntibus Æsérniæ in Samnítibus natus, adolescéntiam vix ingréssus, ut ánimum a mundi illécebris custodíret, in solitúdinem secéssit. Ibi contemplatiónibus mentem nútriens, corpus in servitútem rédigens, férream caténam ad nudam carnem adhibébat. Congregatiónem, quæ póstea Cælestinórum dicta est, sub régula sancti Benedícti instítuit. Hinc quasi lucérna super candelábrum pósita, cum abscóndi nequíret, (Romána Ecclésia diu viduáta pastóre) in Petri cáthedram ignórans et absens adscítus, magna novitátis admiratióne, non minus quam repentíno gáudio cunctos affécit. Cum autem in Pontificátus sublimitáte collocátus, váriis disténtus curis, assuétis incúmbere meditatiónibus vix posse cognósceret, óneri páriter et honóri voluntárie cessit. Indeque priscam vitæ ratiónem répetens, obdormívit in Dómino. Ejúsque pretiósam mortem crux, præfúlgens in áere ante cubículi óstium, réddidit ámplius gloriósam. Miráculis multis tam vivens, quam post óbitum cláruit : quibus rite examinátis, Clemens Quintus anno, post quam decéssit, undécimo, Sanctórum número adscrípsit.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 10. c. 16. in c. 12. Job.)

Lectio v.

DERIDETUR justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre : quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, hæc a púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur : quia ab eis hæc éadem duplicitátis iníquitas æquitátis nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere : cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere : cum virtútis possibílitas deest, quidquid

explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

Lectio vj.

At contra, sapiéntia justórum est, nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre quam fácere, nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur, quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim, quod innocénter ágitur, ab eis procul dúbio stultum putátur : et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxillam præbére?

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Ecce nos relíquimus ómnia., ut in Communi unius Abbatis, pag. 85*.

DIE XX. MAII.

B. COLUMBÆ

VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

Deus, qui beátam Colúmbam Vírginem tuam, puritáte et innocéntia cándidam, supérnis fulgóribus illustráre dignátus es : concéde, quæsumus, ut ejus intercessióne puris tibi méntibus serviéntes in terris, splendóre glóriæ tuæ pérfrui mereámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Columba, Reáte in Umbria honéstis orta paréntibus, a colúmba, quæ super caput ejus, dum baptizarétur, appáruit, nomen accépit. In ipsis cunis réliquæ vitæ suæ felíciter prælúdens, interália, quæ futúræ sanctitátis indícia præbuit, síngulis sextis Fériis matérnum lac non nisi semel sugébat. Crescénte dein ætáte, virtútes quoque crevérunt, et ópera. Pietáti ac oratiónibus addícta, virginitátem suam adhuc decénnis vírginum Sponso consecrávit. Núptias sibi a paréntibus oblátas intrépide recúsans, eórum moléstias patiénter sustínuit. Dæmones étiam, qui obscénis speciébus objéctis, illam a propósito retráhere conabántur, impávide profligávit. Dénique post multa superáta certámina, hábitum Tértii Ordinis sancti Patris Dominici, quem diu expetíerat, summa cum exsultatióne suscépit.

Lectio v.

Sacro Religiónis hábitu indúta, et cælésti rore perfúsa, unius Christi amóribus vacáre stúduit. Ex pátria Perúsium véniens, monastérium sub invocatióne sanctæ Catharínæ Senénsis, ad erudiéndas

nóbiles puéllas fundávit. Hic Dilécto suo se árctius illigáre cúpiens, ásperum cilícium, círculos férreos, atque caténas córpori astrínxit. Super nudam humum, aut tábulas, ac intérdum spinas, étiam dum fébribus urerétur, módicum somnum carpébat. Flagro férreo ter síngulis nóctibus corpúsculum cruentábat. Loca sacra nudis pédibus, étiam hibérno témpore, frequénter invisébat. Oratióni diu noctúque insístens, Passiónem Dómini assídue meditabátur. In pane et aqua jejunáre consuéverat, donec pénitus abdicáto panis usu, immatúris dumtáxat frúctibus, et acérbis uvis, nonnísi parce vescerétur.

Lectio vj.

DIVINÆ contemplatiónis capta dulcédine, atque in éxtasim sæpius rapta, visiónibus cæléstibus recreabátur. Singulis diébus ánimum suum sacra Communióne reficiébat : tantáque suavitáte perfundebátur, ut vel præ gáudio lácrimis inundáret, vel præ nímio amóris æstu languéret. Vírginis hujus probitátem Deus ipse vóluit esse mundo conspícuam : nunc eam stellis supérne fulgéntibus índicans, nunc flámmeo ignitóque rádio caput ejus exórnans. Spíritu prophético futúra multa prædíxit : vitæque suæ términum, Dómino revelánte, cognóvit. Tandem virtútibus ac méritis plena, die vigésima Maii, anno salútis millésimo quingentésimo primo, ætátis vero suæ ineúnte trigésimo quarto, Perúsii migrávit ad Dóminum. Plúribus in vita et post mortem claruísse miráculis perhibétur. Ejus cultum approbávit Urbánus Papa Octávus. Ut autem festum ejus cum Offício et Missa tam in univérso Prædicatórum Ordine quam in civitátibus Perusína et Reatína a toto illárum clero possit celebrári, Benedíctus Décimus tértius Ordinis Prædicatórum benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE XXI. MAII.

S. BERNARDINI SENENSIS CONFESSORIS.

SIMPLEX. Oratio.

DOMINE Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne spíritum nobis tuæ dilectiónis benígnus infúnde. Qui vivis.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BERNARDINUS Albizésca nóbili Senénsi família ortus, ab ineúnte ætáte non obscúra sanctitátis dedit indícia. Nam a piis paréntibus honéste educátus, negléctis puerilibus ludis, inter prima grammáticæ stúdia pietátis opéribus ánimum inténdit, jejúniis. oratióni, et beatíssimæ Vírginis cúltui præcípue addíctus. Misericórdia vero in páuperes fuit insígnis. Quæ quidem ómnia, procedénte témpore quo

mélius posset excólere, eórum número adscríbi vóluit, qui Senis in hospitáli domo beátæ Maríæ de Scala Deo insérviunt, unde complúres sanctitáte célebres viri prodiérunt. Ibi córporis afflictatióne, et ægrotántium cura, dum atrox pestiléntia grassarétur, incredíbili caritáte sese exércuit. Inter céteras autem virtútes castitátem, egrégia forma repugnánte, sanctíssime custodívit : ádeo ut, eo præsénte, nemo unquam, ne impudentíssimus quidem, verbum minus honéstum proférre audéret.

Lectio v.

GRAVI morbo tentátus, eóque ad quátuor menses patientíssime toleráto, demum incólumis de religiósæ vitæ institúto capesséndo deliberáre cœpit : quo ut sibi viam muníret, ædículam in extréma urbe condúxit; in quam cum sese abdidísset, aspérrimam omni ex parte vitam trahébat, Deum assídue orans, ut quid sibi sequéndum esset osténderet : quare divínitus factum est ut beáti Francisci Ordinem præ céteris optáret, in quo humilitáte, patiéntia, aliísque religiósi hóminis virtútibus excélluit. Id cum cœnóbii Rector animadvérteret, jamque ántea Bernardíni doctrínam et sacrárum Litterárum perítiam perspéctam habéret, prædicándi onus eídem impósuit : quo humíllime suscépto, cum se minus idóneum agnósceret ob vocis exilitátem ac raucitátem, Dei ope imploráta, non sine miráculo ejúsmodi impedimento liberátus est.

Lectio vj.

CUMQUE ea témpora vítiis criminibúsque redundárent, et cruéntis factiónibus in Itália, divína humánaque ómnia permísta essent, Bernardínus urbes atque óppida concúrsans, in nómine Jesu, quem semper in ore et in péctore gerébat, collápsam pietátem, morésque verbo et exémplo magna ex parte restítuit : quo factum est ut præclárae civitátes eum sibi Episcopum a Summo Pontífice postulárent : quod ille munus invícta humilitáte constantíssime rejécit. Dénique Vir Dei imménsis labóribus exháustus, multis magnísque éditis miráculis, libris étiam pie doctéque conscríptis, cum vixísset annos sex ac sexagínta, in Urbe Aquila in Vestínis beáto fine quiévit. Quem novis in dies coruscántem signis, anno post óbitum sexto, Nicoláus Quintus Póntifex Máximus in Sanctórum número rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Ecce nos reliquimus ómnia., ut in Communi unius Abbatis, pag. 85*.

DIE XXII. MAII.

S. SERVATII

EPISC. ET CONF.

TOTUM DUPLEX.

Oratio.

EXAUDI, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Servátii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : ut qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólvas peccátis. Per.

IN I. NOCTURNO.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 15.

NICANOR autem, ut cómperit Judam esse in locis Samáriæ, cogitávit cum omni ímpetu die sábbati committere bellum. Judæis vero, qui illum per necessitátem sequebántur, dicéntibus, Ne ita feróciter, et bárbare féceris, sed honórem tríbue diéi sanctificatiónis, et honóra eum, qui univérsa cónspicit : ille infélix interrogávit, si est potens in cælo, qui imperávit agi diem sabbatórum. Et respondéntibus illis, Est Dóminus vivus ipse in cælo potens, qui jussit agi séptimam diem. At ille ait : Et ego potens sum super terram, qui ímpero sumi arma, et negótia regis impléri. Tamen non óbtinuit ut consílium perfíceret.

Lectio ij.

MACHABÆUS autem semper confidébat cum omni spe auxílium sibi a Deo adfutúrum. Et hortabátur suos ne formidárent ad advéntum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi a Deo facta. Síngulos autem illórum armávit sermónibus óptimis, expósito digno fide sómnio, per quod univérsos lætificávit. Erat autem hujuscémodi visus : Oníam, qui fúerat summus sacérdos, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum : post hoc apparuísse et álium virum ætáte, et glória mirábilem, et magni decóris habitúdine circa illum : respondéntem vero Oníam dixísse : Hic est fratrum amátor, et pópuli Israel : hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte, Jeremías prophéta Dei.

Lectio iij.

EXHORTATI ítaque Judæ sermónibus bonis valde, de quibus extólli posset ímpetus, et ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre : eo quod cívitas sancta, et templum periclitaréntur. Sed et eos, qui in civitáte erant, non mínima sollicitúdo habébat pro his, qui congressúri erant. Nicánor autem, et qui cum ipso erant, cum tubis et cánticis admovébant. Judas vero, et qui cum eo erant, invocáto Deo, per oratiónes congréssi sunt : manu quidem pugnántes, sed Dóminum córdibus oránte, prostravérunt non minus trigínta quinque míllia, præséntia Dei magnífice delectáti. Omnes ígitur cæli benedixérunt Dóminum, dicéntes : Benedíctus, qui locum suum incontaminátum servávit. Itaque omnes commúni consílio decrevérunt nullo modo diem istum absque celebritáte præteríre.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SERVATIUS e generósa virórum stirpe éditus, nobíliter natus, nobiliúsque conversátus est. Tungrénsis Epíscopus creátus, sanctitáte et doctrína suo témpore flóruit. Intérfuit concílio Sardicénsi, ubi fides Nicænæ synodi confirmáta est, et in Ariminénsi constantíssimus est hábitus. Missus a Magnéntio tyránno, una cum sancto Maximíno Treverénsi Epíscopo, ad Constántium im-

peratórem legátus, cum Alexandríam appulísset, a sancto Athanásio honorífice excéptus est. Rédiens in Gállias, oves Domínicas ab insidiatóre lupo protéxit : et pro eísdem, etsi gládius persecutóris défuit, parátus tamen erat perférre martyrium. Nam ex quo erat, ut testátur Gregórius Turonénsis, exímiæ sanctitátis Epíscopus, vigíliis et jejúniis vacans, crebro lacrimárum imbre perfúsus Dómini misericórdiam precabátur, ne unquam bárbaras gentes in Gálliam veníre permítteret.

Lectio v.

HUNNORUM advéntum áudiens, simúlque de irruptióne suæ civitátis métuens, multis lácrimis et córporis afflictatiónibus misericórdiam Dei deprecabátur, ut pópulum suum a proditórum nequítia tuerétur : sed séntiens per spíritum, peccátis pópuli præpediéntibus, id nullo modo posse concédi, Tungrénsibus Dei justítiam apéruit, et ita eos allóquitur : Post breve tempus corpúsculum hoc sum relictúrus; verúmtamen certos vos esse cúpio, quod si corpóribus salvándis prodésse néqueo, animábus saltem vestris incolumitátem semper impetráre curábo. Hinc módica pulsátus febre, frágile corpus deséruit.

Lectio vj.

QUOD sancti Præsulis singuláre patrocínium étiam Ordini Prædicatórum, postquam in Beatórum collégio adscríptus fuit, mirábili plane modo pátuit. Nam cum Ludovícus Bávarus, Ecclésiæ ac eídem Ordini infensíssimus, certiorátus esset de Frátribus in suis ditiónibus convocátis pro capítulo generáli habéndo: ut eos interfíceret, molítus est insídias. Servátius, in somnis cuídam ex nostris appárens, uti monuménta testántur, admónitos Fratres vóluit, ut ad áliam fúgerent civitátem, atque ita illos ab inevitábili cæde liberávit. Unde ob vindicátum Ordinem ab imminénti tanto perículo, Patres decrevérunt, ut de sancto Servátio Offícium perpétuis futúris haberétur tempóribus. Verum quia ejus institútio sub ritu trium Lectiónum, prout ab initio ordináta fúerat, ob multitúdinem festivitátum majóris solemnitátis occurréntium, fere jam obsoléta remanébat, ne tanti benefícii memória ab ómnium Fratrum Prædicatórum córdibus excíderet, Leo Duodécimus Póntifex Máximus benígne indúlsit, ut sub ritu Toto Dúplici ab univérso Ordine deínceps celebrarétur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homília sancti Brunónis Epíscopi.

TALIA sunt prædmia Christi, tália sunt bella novi Testaménti. Sic Christi fidéles pugnáre novérunt. Dixerat eis Dóminus supérius : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Præcéperat eis,

ut essent prudéntes sicut serpéntes : nunc autem dicit eis ut fúgiant, et persecutóribus se persequéntibus non resístant. Fugérunt Israelítæ Ægyptios, et vicérunt; fugit et David, et rex a Deo constitútus est. Hanc autem fugam Jacob Patriárcha significávit, qui post magnam et longam servitútem, cum uxóribus et líberis, omníque possessióne sua Laban sócerum suum fugísse légitur.

Lectio viij.

QUID ígitur Jacob simul cum uxóribus et fíliis, omníque possessióne sua Laban fugísse légitur? Hoc significáre vidétur, ut nos quoque mundum istum fugiámus : et amícos, et propínquos, et quoscúmque póssumus, de ejus servitúte eripiámus. Septem diébus Laban séquitur Jacob, quia quámdiu vívimus, mundus iste pérsequi nos non cessat. Non enim sunt dies nisi septem : ígitur qui septem diébus nos persequitur, nullo témpore a persecutióne quiéscit. Quo ígitur fugiémus? Fugiámus ad montem Gálaad, ibíque tentória figámus.

Lectio ix.

IPSE Dóminus discípulis ait : Si de mundo fuissétis, mundus quod suum erat dilígeret : vos autem de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus. Tália, et his simília audiúntur in monte Gálaad. Illuc ígitur fugiámus, et Dóminum dicéntem audiámus. Ubíque patiéntiam et innocéntiam Dóminus docet : non resístere, sed fúgere ádmonet. Fúgite, inquit, malos : fúgite persecutóres : fúgite in áliam civitátem : non enim déerunt vobis civitátes, ad quas fúgere possítis. Prius enim véniet Fílius hóminis, prius ad judícium revertétur quam vos omnes civitátes Israel consummétis, et ad fidem convertátis. Mea exémpla vos dóceant : ad me respícite; quod in me fíeri vidétis, hoc in vobis ne formidétis.

DIE XXIII. MAII.

B. LUDOVICI MARIÆ GRIGNON DE MONTFORT

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Ludovícum Maríam Confessórem tuum Crucis mystérii et sanctíssimi Rosárii præcónem exímium effecísti, ac nova per eum família Ecclésiam fecundásti : ejus méritis et intercessióne concéde ut per unigéniti Fílii tui vitam, mortem, ac resurrectiónem, salútis ætérnæ præmia consequámur. Per eúmdem.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LUDOVICUS María Grignon in Británniæ Minóris pago Montfort, a quo nomen sumpsit, anno millésimo sexcentésimo septuagésimo tértio, prídie Kaléndas Februárii, ex nobílibus piísque paréntibus natus est. Duodécimum annum agens, in Rhedonénsi col-

légio Societátis Jesu collocátus, talem sese júgiter præbuit, ut non raro ab ipsis magístris in exémplum pietátis ac sedulitátis discípulis darétur. Eménso philosophiæ currículo, et in minóri sancti Sulpícii seminário Lutétiæ Parisiórum recéptus, ómnium virtútum magíster habéri cœpit. Sacerdótio initiátus, sacris expeditiónibus óperam dedit, et quam plúrima Nannétis, Parísiis, ac Pictávii, caritátis et apostólici zeli monuménta édidit.

Lectio v.

GRAVIORUM labórum cúpidus, cum infidélibus pópulis Christum prædicáre constituísset, Romam ádiit, et Cleménti Undécimo mentem suam apéruit. A quo tamen audívit se ad Gálliæ pótius quam ad barbarórum salútem curándam a Deo seléctum fuísse, ac potíssimum ut advérsus invalescéntes erróres dimicáret. Pontíficis verbis excitátus, et Missionárii apostólici múnere auctus, revérsus est in Gálliam, ubi sacro huic ministério, quoad vixit, se plane devóvit. Hoc in vitæ génere non perículis aut persecutiónibus detérritus, aut labóribus fractus, pestem Janseniánam strénue propulsávit, erga Domínicæ Passiónis augústa mystéria promóvit pietátem, cultúmque immaculátæ Vírginis Dei Matris, præsértim per Mariális Rosárii frugíferam consuetúdinem, late propagávit : qua quidem in re inter strénuos Gusmáni discípulos némini secúndus appáruit. Hos apostólicos labóres Deus ita fecundávit, ut peccatóres ad salútis trámitem, hæréticos ad Christi caulam, pios ad perfectiónis sémitam, cléricos ad sanctiórem disciplínam pene innúmeros perdúxerit.

Lectio vj.

UT vero labórum fructus, quos ubíque percéperat, júgiter permanérent, gémina instítuit sodalítia : unum Missionariórum Societátis Maríæ nuncupátum, qui sacris missiónibus impénderent óperam; álterum piárum vírginum, quibus a divína Sapiéntia nomen índidit, voluitque ut quibúslibet páuperum necessitátibus opem ferrent. Demum cum in vico sancti Laurentii ad Séparam, olim Rupellénsis, nunc Lucionénsis diœcésis, apostólici ministérii munus impléret, quadragésimum quartum ætátis annum jam ingréssus, mortálem vitam sanctíssimo clausit óbitu, quarto Kaléndas Maias, anno millésimo septingentésimo décimo sexto. Fama sanctitátis ejus, quæ, dum vitam ágeret, semper flóruit, post óbitum per univérsam Gálliam magis in dies diffúsa est; accedénte miraculórum glória, quibus divína omnipoténtia illíus sepúlcrum ad hæc usque témpora gloriósum réddidit. Quem proptérea Leo Décimus tértius, anno quinquagésimo Sacerdótii sui, solémni ritu Beatórum fastis adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Designávit Dóminus. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE XXIV. MAII.

B. MARIÆ VIRGINIS AUXILII CHRISTIANORUM.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 24.

AB initio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

℟. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est, flos Fílius ejus. — Et super hunc florem. Glória. Requiéscit Spiritus almus.

Hymnus

SÆPE dum Christi pópulus cruéntis
Hostis infénsi premerétur armis,
Venit adjútrix pia Virgo, cælo
Lapsa seréno.
PRISCA sic Patrum monuménta narrant,
Templa testántur spóliis opímis
Clara, votívo repetíta cultu
Festa quotánnis.
EN novi grates líceat Maríæ
Cántici lætis módulis referre
Pro novis donis, resonánte plausu.
Urbis et orbis.
O DIES felix, memoránda fastis,
Qua Petri Sedes fídei Magistrum
Triste post lustrum réducem beáta
Sorte recépit!
VIRGINIS castæ puerique puri,
Géstiens clerus populúsque grato
Corde Regínæ celebráre cæli
Múnera certent.
VIRGINUM Virgo, benedícta Jesu
Mater, hæc auge bona : fac, precámur,
Ut gregem Pastor pius ad salútis
Páscua ducat.
TE per ætérnos venerémur annos,
Trínitas summo celebránda plausu :
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine laudent. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Ecce María erat spes nostra, ad quam confúgimus in auxílium, ut liberáret nos : et venit in adjutórium nobis. Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui, ad defensiónem pópuli christiáni, in beatíssima Vírgine María perpétuum auxílium mirabíliter constituísti : concéde propítius ut tali præsídio muníti certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per.

AD UTRUMQUE COMPLETOR.

Super Psalmos Aña. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulieres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

In fine Hymni hæc duæ Strophæ dicantur :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣ Prædictæ Strophæ dicantur etiam in Hymnis ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam.

Ad Nunc dimittis Aña. Sub tuum præsídium confúgimus sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Sancta María Dei Génitrix Virgo * Intercéde pro nobis.

Hymnus Sæpe dum Christi. ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Psalmus Dómine Dóminus noster. cum ceteris ut in Festis B. Mariæ Virg., pag. 2* et sequentibus.

Aña. Sicut myrrha elécta odórem dedísti suavitátis sancta Dei Génitrix.

Aña. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

℣. Sancta Dei Génitrix Virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

De libro Proverbiórum.

Lectio j. Cap. 8.

EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me invénient me.

℟. j. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio : * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Quia quem cæli.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ij.

MECUM sunt divítiæ, et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in initio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant : necdum montes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar.

℟. ij. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum : quia cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. — Et de meis viscéribus.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iij. Cap. 8. et cap. 9.

BEATUS homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino : qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. iij. Beáta es Virgo María, quæ Dóminum portásti creatórem mundi : * Genuísti eum qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave María grátia plena : Dóminus tecum. — Genuísti eum qui te fecit. Glória. Genuísti eum qui te fecit.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Aña. Sicut lætántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

℣. Post partum Virgo inviolàta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

(Ex Sermone de 12. Stellis.)

Lectio iv.

VEHEMENTER quidem nobis, dilectíssimi, vir unus et múlier una nocuére : sed grátias Deo, per unum nihilóminus virum et mulíerem unam ómnia restaurántur, nec sine magno fénore gratiárum. Et quidem suffícere póterat Christus; síquidem et nunc omnis sufficiéntia nostra ex eo est : sed nobis bonum non erat esse hóminem solum. Cóngruum magis, ut adésset nostræ reparatióni sexus utérque. Jam ítaque nec ipsa Múlier benedícta in muliéribus vidébitur otiósa : inveniétur équidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim mediatóre ad mediatórem Christum; nec alter nobis utílior quam María. Crudélis nímium mediátrix Heva, per quam serpens antíquus pestíferum étiam ipsi viro virus infúdit : sed fidélis María, quæ salútis antídotum et viris et muliéribus propinávit. Illa enim minístra seductiónis, hæc propitiatiónis : illa suggéssit prævaricatiónem, hæc ingéssit redemptiónem. Quid ad Maríam ac-

cédere trépidet humána fragílitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile : tota suávis est, ómnibus ófferens lac et lanam. Revólve diligéntius evangélicæ históriæ sériem univérsam : et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel levis indignatiónis occúrrerit in María, de cétero suspéctam hábeas, et accédere vereáris.

℟. iv. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. — Dedi suavitátem odóris.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

QUOD si, ut vere sunt, plena magis ómnia pietátis et grátiæ, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent, invéneris : age grátias ei, qui talem mediatrícem benigníssima miseratióne provídit, in qua nihil possit esse suspéctum. Dénique ómnibus ómnia facta est, sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima caritáte debitrícem se fecit. Omnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi : captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam. Ipsa prætérita non discutit mérita : sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam præbet, ómnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserátur afféctu. Ipsa est quondam a Deo promíssa múlier, serpéntis antíqui caput virtútis pede contritúra; cujus plane calcáneo in multis versútiis insidiátus est, sed sine causa. Sola enim contrívit univérsam hæréticam pravitátem. Contríti sunt insidiántes, conculcáti supplantatóres, confutáti derogatóres : et beátam eam dicunt omnes generatiónes. Jam si Ecclésia lunæ intelligénda vidétur vocábulo, habes mediatrícem evidénter expréssam : Múlier, inquit, amícta sole, et luna sub pédibus ejus. Amplectámur Maríæ vestígia, et devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis : potens est enim.

℟. v. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. — Vidérunt eam.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

(Ex publicis monumentis.)

Lectio vj.

PRÆSENTISSIMUM Deíparæ auxílium ad religiónis hostes profligándos, sæpe pópulus christiánus mirum in modum expértus est. Ex quo factum, ut sanctíssimus Póntifex Pius Quintus post insígnem victóriam, intercedénte beatíssima Vírgine, a Christiánis de Turcárum tyránno apud Echínadas ínsulas reportátam,

in Litaníis Lauretánis eámdem Regínam cælórum interália præcónia Auxílium Christianórum appellári constitúerit. Sed illud in primis memorábile est, atque exploráti miráculi loco habéndum, quod cum Románus Póntifex Pius Séptimus impiórum consíliis et armis ex Apostólica Petri Sede exturbátus, et arcta custódia, præsértim Savónæ, per annos quinque eóque ámplius fuísset deténtus, viis ómnibus pénitus interclúsis, ne Dei Eccléstam régere posset, nullo símilis persecutiónis in priscis annálibus exémplo, inopináto et præter ómnium exspectatiónem cóntigit, ut ingénti plausu, ac véluti univérsi orbis mánibus pontifício sólio restituerétur. Quod et secúndo áccidit, dum íterum commóto túrbine, ab Urbe discédens sacro comitánte Cardinálium collégio, Ligúriam conténdit. Verum præsentíssimo Dei beneficio, cessánte procélla, quæ grave minabátur excídium, Romam, plaudéntibus præ novo gáudio pópulis, revérsus est. Antea tamen, quod in votis habúerat, et captivitáte deténtus éxsequi nequíverat, áurea coróna insígnem Savónæ imáginem Deíparæ Vírginis sub título Matris Misericórdiæ solémni ritu propriísque mánibus decorávit. Quam mirábilem rerum vicissitúdinem idem Póntifex Máximus Pius Séptimus, totíus evéntus íntime cónscius, cum intercessióne sanctíssimæ Dei Genitrícis, cujus poténtem opem et ipse impénse imploráverat, et ab ómnibus Christi fidélibus implorári curáverat, accéptam mérito referret : in ejúsdem Vírginis Matris honórem sub appellatióne Auxílii Christianórum solémne festum indíxit perpétuo celebrándum die mensis Maii vigésimo quarto, faustíssimi sui in Urbem réditus anniversário, approbáto étiam Offício próprio, ut tanti beneficii distincta et perénnis exstet memória, et gratiárum áctio.

℟. vj. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regina a dextris tuis in vestítu deauráto : circúmdata varietáte. — Et vidéntes eam. Glória. Unguéntum effúsum.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Gaude María Virgo : cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Aña. Dignáre me laudáre te Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Aña. Post partum Virgo inviolata permansísti : Dei Génitrix intercéde pro nobis.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

In illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi : Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

(In Nativitate B. M. V.)

INTUERE, o homo, consílium Dei : agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cælésti rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit. Redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Altius ergo intuémini, quanto devotiónis affféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María : ut proínde, si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quæ ascéndit deliciis áffluens. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum affféctibus et votis ómnibus Maríam hanc venerémur : quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. vij. Stirps Jesse virgam produxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est, flos Fílius ejus. — Et super hunc florem.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María.

℟. Amen.

Lectio viij.

IN ómnibus síquidem, et per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere; solo auditu térritus, ad fólia fugiébas : Jesum tibi dedit mediatórem. Quid non apud talem Patrem Fílius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia sua : Pater enim díligit Fílium. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod, licet factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis et ad ipsum? Ad Maríam recúrre. Pura síquidem humánitas in María : non modo pura ab omni contaminatióne, sed et pura singularitáte natúræ. Nec dúbius díxerim. Exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique Matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater.

℟. viij. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna, qui potens est : et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia fecit mihi.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum.

℟. Amen.

Lectio ix.

FILIOLI, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ. Quid enim? Potéstne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam? Non audíre, aut non audíri Fílius potest? Neutrum plane. Invenísti, ait Angelus, grátiam apud Deum. Felíciter. Semper hæc invéniet grátiam, et sola est grátia, qua egémus : nimírum sola est grátia, qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus, fratres? Quærámus grátiam,

et per Maríam quærámus: quia quod quærit ínvenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiam, sed grátiam apud Deum : nam apud hómines grátia fallax. Quærant álii méritum; nos invenire grátiam studeámus. Quid enim? Non grátiæ est, quod hic sumus? Profécto misericórdiæ Dómini est, quod non sumus consúmpti nos.

℟. ix. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque tuum sanctum implórant auxílium. — Quia ex te ortus est. Glória. Christus Deus noster.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

3. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem : ídeo diléxit me rex, et introdúxit me in cubículum suum.

4. Jam hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit : surge amíca mea, et veni.

5. Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capitulum. Eccli. 24.

Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

Te Redemptóris Domínique nostri
Dícimus Matrem, speciósa Virgo,
Christianórum decus et levámen
Rebus in arctis.
Sæviant portæ licet inferórum,
Hostis antíquus fremat, et mináces,
Ut Deo sacrum populétur agmen,
Súscitet iras :
Nil truces possunt fúriæ nocére
Méntibus castis, prece quas vocáta
Annuens Virgo fovet, et supérno
Róbore firmat.
Tanta si nobis fáveat Patróna,
Béllici cessat scéleris tumúltus,
Mille sternúntur fugiúntve turmæ,
Mille cohórtes.
Tollit ut sancta caput in Sióne
Turris, arx firmo fabricáta muro
Cívitas David, clypeis et acri
Mílite tuta :
Virgo sic, fortis Dómini poténti
Déxtera, cæli cumuláta donis,
A piis longe fámulis repéllit
Dæmonis ictus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas summo celebránda plausu :
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine laudent. Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus Aña. Ad te o sancta Dei Génitrix clamávimus, et per te venit Dómini auxílium nobis. Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui, ad defensiónem pópuli christiáni, in beatíssima Vírgine María perpétuum auxílium mirabíliter constituísti : concéde propítius ut tali præsídio muníti certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM.

Capitulum Ab inítio., ut in Laudibus.

℟. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María, * Allelúia, allelúia. Sancta Dei Génitrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Allelúia. Glória. Sancta Dei Génitrix.

℣. Post partum Virgo inviolàta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24.

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta similiter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Post partum Virgo inviolàta permansísti, * Allelúia, allelúia. Post partum Virgo. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Allelúia. Glória. Post partum Virgo.

℣. Speciósa facta es, et suávis. ℟. In delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

SICUT cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. Speciósa facta es, et suávis, * Allelúia, allelúia. Speciósa. ℣. In delíciis tuis, sancta Dei Génitrix. Allelúia. Glória. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II. VESPERAS.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Super Psalmos Aña Dum esset rex., Capitulum Ab inítio., Hymnus Sæpe dum Christi. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 486.

Ad Magnificat Aña. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque sanctum tuum implórant auxílium.

DIE XXV. MAII.

IN TRANSLATIONE S. P. N. DOMINICI CONFESSORIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Gaude felix parens Hispánia, novæ prolis dans mundo gáudia : sed tu magis plaude Bonónia, tanti Patris dotáta glória : lauda tota mater Ecclésia, novæ laudis agens solémnia. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 50.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis, et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei.

℟. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple Pater quod dixísti, nos tuis juvans précibus. ℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. — Imple Pater. Glória. Imple Pater.

Hymnus.

GAUDE mater Ecclésia,
Lætam agens memóriam,
Quæ novæ prolis gáudia
Mittis ad cæli cúriam.

PRÆDICATORUM Ordinis
Dux et Pater Domínicus
Mundi jam fulget términis,
Civis efféctus cælicus.

CARNIS liber ergástulo,
Cæli potítur glória :
Pro paupertátis cíngulo
Stola dotátur régia.

FRAGRANS odor de túmulo
Cum virtútum frequéntia,
Clamat pro Christi fámulo
Summi Regis magnália.

TRINO Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Magne Pater sancte Domínice mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat incremèntis. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis.

Oratio.

DEUS virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da ut quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per.

Item in j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Urbani Papæ et Martyris. Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium Adsunt Domínici. et Hymnus Novus athléta Dómini., ut in festo præcipuo S. P. Dominici, die iv. Augusti.

IN I. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. ut in festo præcipuo S. P. Dominici; Lectiones vero et ℟℟. ut infra.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 48.

SURREXIT Elías Prophéta, quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in illos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt. Non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verbo Dómini contínuit cælum, et dejécit de cælo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis. Et quis potest simíliter sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis in verbo Dómini Dei.

℟. j. Mundum vocans ad Agni núptias, hora cenæ paterfamílias servum mittit, * Promíttens vária vitæ delícias. ℣. Ad hoc convívium tam permagníficum, elégit núntium sanctum Domínicum. — Promíttens vária vitæ delícias.

Lectio ij.

QUI dejecísti reges ad perníciem, et confregísti fácile poténtiam ipsórum, et gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina judícium, et in Horeb judícia defensiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, et prophétas facis successóres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini : conciliáre cor patris ad fílium, et restitúere tribus Jacob.

℟. ij. Datum mundo pro mundi glória mira Christi præsignat grátia : * Cujus ortum præcúrrunt núntia veri præságia. ℣. Stella micans in fronte párvuli novum jubar præmónstrat sæculi. — Cujus ortum.

Lectio iij.

BEATI sunt, qui te vidérunt, et in amicítia tua decoráti sunt : nam nos vita vívimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum. Elías quidem in túrbine tectus est, et in Eliséo complétus est spíritus ejus : in diébus suis non pertímuit príncipem, et poténtia nemo vicit illum. Nec superávit illum verbum áliquod, et mórtuum prophetávit corpus ejus. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.

℟. iij. Verbum vitæ dum palam prómitur, surgunt hostes, liber conscríbitur, favent omnes : * Sic error víncitur, Fides extóllitur. ℣. Ter in flammas libéllus tráditus ter exívit illæsus pénitus. — Sic error víncitur. Glória. Fides extóllitur.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. ut in festo præcipuo S. P. Dominici; Lectiones vero et ℟℟. ut infra.

(Ex S. Antonino, Theodorico de Apoldia, et aliis.)

Lectio iv.

SANCTISSIMI Patriárchæ Dominici ánima ad ætérnum glóriæ regnum commigránte, corpus illius candóre virginitátis purissimum in arcam ligneam illátum, et húmili sepúlcro Bonóniæ cónditum fuit.

Sed cum felíces illæ relíquiæ innúmeris miráculis coruscárent, de transferéndis in celsiórem atque decentiórem locum ab ómnibus certátim in senténtiam itum est : ac dies tantæ rei perficiéndæ præstitúta.

℟. iv. Paupertátis ascéndens cúlmina, clamat mundi detéstans crímina, frangit hostes et fugat ágmina : * Nulla Sanctum frangunt discrímina. ℣. Nocte cæli perlústrans límina, die terris dat verbi sémina. — Nulla Sanctum frangunt discrímina.

Lectio v.

ADFUIT præter venerábilem Jordánum secúndum Ordinis Magístrum, Archiepíscopus Ravénnas, et Magistrátus Bononiénsis, innumeraque tum clericórum, tum cívium e vicínis étiam úrbibus multitúdo. Patefácto sepúlcro, suavíssimus odor ómnium súbito nares et ánimos tanta voluptáte complévit, ut non defúncti córporis bustum, sed præstantissimórum unguentórum apothéca patuísse viderétur.

℟. v. Panis oblátus cælitus Fratrum supplet inópiam : * Vitæque natus rédditus matris pellit tristítiam. ℣. Signo crucis obédit plúvia, lingua verba transfórmat vária. — Vitæque natus rédditus.

Lectio vj.

TUNC vir admirándus Jordánus, et álii cum illo Fratres, perfúsi lácrimis, sacras relíquias, summa cum veneratióne e prióre arca edúctas, in nova ália reposuérunt, et in marmóreo sepúlcro condidérunt : ubi quoque Deus Virum apostólicum innúmeris divinórum prodigiórum ornávit honóribus. Facta est hæc Translátio anno salútis millésimo ducentésimo trigésimo tértio.

℟. vj. Granum excússum pálea, nexu solúto lúteo, de paupertátis área cæli locátur hórreo : * Cum mercéde virgínea Doctórum fulgens cúneo. ℣. Flos in florum virens aréola bina gaudet sortis auréola. — Cum mercéde virgínea. Glória. Doctórum fulgens cúneo.

IN III. NOCTURNO.

Omnia ut in festo præcipuo S. P. Dominici, die iv. Augusti.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo Júdice pro tuo cœtu páuperum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Pauper in pecúlio, dives vita pura, paupertátis prétio cæli tenet jura.

3. Scala cælo próminens Fratri revelátur, per quam Pater tránsiens sursum ferebátur.

4. Linguæ, manus stúdio scalam hanc eréxit, quam Virgo cum Fílio Mater sursum vexit.

5. Fulget in choro Vírginum Doctor veritátis, sertum honóris géminum gerens cum beátis.

Capitulum. Eccli. 50.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis, et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei.

Hymnus.

HYMNUM novæ lætítiæ,
Dulci prodúctum cántico,
Noster deprómat hódie
Chorus sancto Domínico.
VERGENTE mundi véspere,
Novum sidus exóritur,
Et clausis culpæ cárcere
Præco salútis míttitur.
DOCTRINAM evangélicam
Spargens per orbis cárdinem,
Pestem fugat hæréticam
Novum prodúcens Ordinem.
HIC est fons ille módicus
Crescens in flumen máximum,
Qui mundo jam mirificus
Potum largítur óptimum.
TRINO Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia. Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. Carnis viror, mentis martyrium, mundum replens linguæ prædcónium, pauper Christi, post cursus stádium, vitæ tibi mercántur præmium.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis: concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per.

Ad Memoriam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis.

Oratio.

DEUS virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti: da ut quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per.

Ad Memoriam S. Urbani Papæ et Martyris.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus: ut qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Quasi stella matutína., ut in Laudibus.

℟. ℟℟. et ℣℣. Horarum de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isa. 59.

SPIRITUS meus, qui est in te, et verba mea, quæ pósui in ore tuo, non recédent de ore tuo, et de ore séminis tui, dicit Dóminus, ámodo et usque in sempitérnum.

AD NONAM.

Capitulum. Malach. 2.

LEX veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace et æquitáte ambulávit mecum, et multos avértit ab iniquitáte.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo Júdice pro tuo cœtu páuperum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Quasi stella matutína., Hymnus Gaude mater Ecclésia. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 494.

Ad Magnificat Aña. O lumen Ecclésiæ, doctor veritátis, rosa patiéntiæ, ebur castitátis, aquam sapiéntiæ propinásti gratis: prædicátor grátiæ nos junge Beátis.

DIE XXVI. MAII.

S. PHILIPPI NERII
CONFESSORIS.

TOTUM DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Philippum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti : concéde propítius ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PHILIPPUS Nérius piis honestísque paréntibus Florentiæ natus, ab ipsa ineúnte ætáte, non obscúra dedit futúræ sanctitátis indícia. Adoléscens, ampla pátrui hereditáte dimíssa, Romam se cóntulit : ubi philosophía ac sacris lítteris erudítus, totum se Christo dicávit. Ea fuit abstinéntia, ut sæpe jejúnus tríduum permánserit. Vigíliis et oratiónibus inténtus, septem Urbis Ecclésias frequénter vísitans, apud cœmetérium Callísti in cæléstium rerum contemplatióne pernoctáre consuévit. Sacérdos ex obediéntia factus, in animárum salúte procuránda totus fuit, et in confessiónibus audiéndis ad extrémum usque diem persevérans, innúmeros pene fílios Christo péperit : quos verbi Dei quotidiáno pábulo, Sacramentórum frequéntia, oratiónis assiduitáte, aliísque piis exercitatiónibus enutríri cúpiens, Oratórii Congregatiónem instítuit.

Lectio v.

CARITATE Dei vulnerátus languébat júgiter : tantóque cor ejus æstuábat ardóre, ut cum inter fines suos continéri non posset, illíus sinum, confráctis atque elátis duábus cóstulis, mirabíliter Dóminus ampliáverit. Sacrum vero fáciens, aut fervéntius orans, in áera quandóque sublátus, mira úndique luce fulgére visus fuit. Egénos et páuperes omni caritátis offício prosequebátur : dignus, qui et Angelo in spécie páuperis eleemósynam erogáret, et dum egéntibus noctu panem deférret, in fóveam lapsus, inde páriter ab Angelo incólumis eriperétur. Humilitáti addíctus, ab honóribus semper abhórruit, atque ecclesiásticas dignitátes étiam primárias, non semel ultro delátas, constantíssime recusávit.

Lectio vj.

PROPHETIÆ dono fuit illústris, et in animórum sénsibus penetrándis mirífice enítuit. Virginitátem perpétuo illibátam servávit : idque assecútus est, ut eos, qui puritátem cólerent, ex odóre, qui vero secus, ex fœtóre dignósceret. Abséntibus intérdum appáruit, iísque periclitántibus opem tulit. Ægrótos plúrimos, et morti próximos sanitáti restítuit. Mórtuum quoque ad vitam revocávit. Cæléstium spirituum, et ipsíus Deíparæ Vírginis frequénter fuit apparitióne dignátus : ac plurimórum ánimas splendóre circumfúsas in cælum conscéndere vidit. Dénique anno salútis millésimo quingentésimo nonagésimo quinto, octávo Kaléndas Júnias, in quem diem incíderat festum Córporis Christi, Sacro máxima spíritus exsultatióne perácto, ceterísque functióni-

bus explétis, post médiam noctem, qua prædíxerat hora, octogenárius obdormívit in Dómino. Quem Gregórius Décimus quintus miráculis clarum in Sanctórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XXVII. MAII.

BB. PETRI SANZ EPISCOPI ET SOCIORUM MARTYRUM ORD. PRÆD.

DUPLEX.

In utrisque Vesperis et ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Petre cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Oratio.

DEUS, qui beátos Mártyres tuos Petrum Pontíficem ejúsque Sócios, ad fidem géntibus prædicándam, pari firmitáte et caritáte donásti : præsta, quæsumus, eórum exémplo et intercessióne nos in tua fide permanére constántes. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Exístimo. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 55*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HISPANI fídei púgiles Petrus Martyr Sanz Episcopus Mauricastrénsis, Franciscus Serráno Episcopus eléctus Tipasitánus, Joánnes Alcober, Joachímus Royo et Franciscus Diaz, Sacerdótes, ínclytæ Fratrum Prædicatórum in insulis Philippínis provínciæ alúmni, sæculo décimo octávo, luculentíssimum sánguine suo divíni nóminis glóriæ testimónium præbuérunt. Fortíssimi enim Jesu Christi Athlétæ, religiónis provehéndæ incénsi stúdio votíque cómpotes effécti, divérsis licet annis, in Sinas se cónferunt. Nullísque ibi curis, nullis parcéntes labóribus, intérea tamen legum sui Ordinis tenacíssimi, alacritáte summa, apostolátus múnere fungúntur; complúres, in urbe Fo-gan, veræ doctrínæ aures præbéntes, piaculáribus aquis ábluunt, sollertíque indústria fidélibus, ac præcípue ægrótis, religiónis subsídia áfferunt : ante omnes venerábilis Dei fámulus Petrus Martyr, qui Missiónis totíus régimen, sibi ab Apostólica Sede commíssum, egrégia prudéntiæ consiliíque laude moderátur.

Lectio v.

AT strénuos milites suos Christus ad potióra vocábat. Anno enim millésimo septingentésimo quadragésimo sexto, ácrior advérsus fidéles tempéstas obóritur. In satéllites primus íncidit beátus Joánnes Alcober, postrémus beátus Joachímus Royo : qui cum diu delituísset, consílio tandem Epíscopi Mauricastrénsis jam in víncula conjécti, ultro se tortóribus óbtulit, ne sævior in Christiános furor infidélium eváderet. Mox ad urbem Focheu, longo itínere ac fame prorsus enécti, caténis constricti deducúntur : ibíque plúries ad tribúnal addúcti, plúries diris cruciátibus in quæstiónem vocáti, confessiónem fídei magno invictóque ánimo íterant;

et qui ad eos inviséndos accéderent, ceterósque captívos et satéllites ipsos ad veræ religiónis professiónem flexánimis verbis hortántur, donec, anno fere elápso, senténtia pronuntiétur, qua Petrus Sanz cápite íllico plectátur : céteri vero, morte mulctándi, in carcéribus decrétum exspéctent.

Lectio vj.

CONFIRMATA ab imperatóre senténtia, Petrus Epíscopus, bráchiis post tergum vinctis, e cárcere ad supplícii locum séptimo Kaléndas Júnias addúctus, cœptas preces absólvit, lictórem, ut cito munus suum éxpleat, monet, ultro cervícem secúri præbet. Quátuor álii supérstites Dei fámuli novum in custódiis decrétum erécto ánimo ac flecti néscio exspéctant, Deúmque júgiter óbsecrant, ne desideráta martyrii palma privéntur; cum intérea Francíscus Serráno accéptis Lítteris Apostólicis Epíscopus Tipasitánus et Coadjútor Petri Mártyris Sanz Vicariátui Apostólico Fo-Kiénsi regéndo renuntiátur. Sed ad gloriósum pastorálium labórum finem Viri magnánimi próperant. Dum enim in vulgus jam manat rumor, ab imperatóre cápitis pœnam in exsílium commutándam, prorex, feráli christiánum in nomen ódio accénsus, ínito cum civitátis ac provínciæ procéribus consílio, servos Dei in carcéribus clam enecándos edícit. Intempésta ígitur nocte diri satéllites in Beatórum cellas irrúmpunt, ac primum Francíscum Serráno et Joachímum Royo, qui veniéntes cómiter excéperant, occlúsis fáucibus intérimunt; póstea Francísco Diaz et Joánni Alcober intórtis collo fúnibus spíritum elídunt. Ad istórum Mártyrum laudem luculénter asseréndam plura accessérunt cæléstia signa : quorum veritáte perspécta, Leo Tértius décimus Póntifex Máximus, ex sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto, intérritos Evangélii præcónes, quarto décimo Kaléndas Maias, anno millésimo octingentésimo nonagésimo tértio, in Beatórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Videns Jesus turbas. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 65*.

DIE XXVIII. MAII.

B. MARIÆ BARTHOLOMÆÆ DE BAGNESIIS

VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

AMATOR animárum Deus, qui in beáta María Bartholomæa Vírgine tua miram ægritúdinum tolerántiam pari cum innocéntia sociásti : concéde ut qui ex mérito nostræ actiónis afflígimur, tuæ grátiæ consolatióne respirémus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MARIA Bartholomæa nóbili Bagnesiórum stirpe Floréntiæ nata, Vírginum Sponsi

amóre prævénta, sacro ejus thálamo inter ipsa vocis primórdia se pródidit deputátam. De ineúndis enim cum Jesu núptiis tanto devóti ánimi sensu loquebátur, ut si quis puéllulæ eam spem desperátam crédere simuláret, ubérrimis ipsa lácrimis ánxie difflúeret. Postquam matri moriénti hortátrix efficacíssima ástitit, domus curam præcóci prudéntia ímpigre gessit, piis æque officiis, precibúsque inténta, et de religióso ínterim statu cógitans. A patre mónita ut terréno connúbio consentíret, totis repénte ártubus contrémuit válida háctenus et præcláræ formæ adolescéntula : ac facto morbórum véluti ágmine, febri, membrórum distensióne, propriísque singulárum pártium dolóribus, una sæpe, aut per vices occurréntibus, ita ad annos ferme quadragínta quinque excruciáta fuit, ut zelótes Vírginis Sponsus intentándam deínde ejus fidem perénni visus sit martyrio consecrásse. In léctulo ígitur dolóris per dies noctésque quæsívit illa Diléctum. Is vero, qui líliis delectátur et myrrha, Sponsæ non défuit, quam invícta patiéntia laborántem, larvis quoque dæmonum térritam, et hóminum dictériis onerátam, suis refécit ineffabílibus gáudiis : cui et mentem a supernórum contemplatióne inter mortáles angústias indivúlsam raro múnere tríbuit.

Lectio v.

DIU expetíto Sorórum de Pœniténtia sancti Domínici hábitu trigésimo tértio ætátis anno donáta, eumdémque Ordinem post tirocínium profécssa, brévibus recreáta est indúciis martyrii sui, ut casti amóris víctima Religiónis amíctu palam redimíta prodíret ad ædes sacras, sui máxime Ordinis. Statim autem morbis graváta prióribus, et donis potióribus aucta, e lecto solabátur afflíctos, infírma sanábat ægros, subsídio erat egénis, dissidéntes paci, virtúti errántes, Deóque reddébat. Arcána cernens, futúra prædicens, voce ac scripto caritátis ignículos córdibus inserébat. Sui laudes horrébat, obséquia vitábat, celábat éxtases, seque amarissimi cálicis fæcibus vere dignam commiserántibus prædicábat. Immúndæ labis ignára prorsus, et lethális culpæ ádeo expers, ut vel ipso peccáti nómine stratum et cubículum decumbéntis frémitu quaterétur : adhíbitis tamen pœnárum instruméntis, ac vix cessánte jejúnio, afflictiónem afflícto córpori júgiter addébat. Sacram étiam expiatiónis Hóstiam coram se domi offérri sátagens, quod ei ex privilégio licébat, Eucharistíam plerúmque, confessióne præmíssa, æstuánti desidério sumébat.

Lectio vj.

PULCHRÆ dilectiónis Matrem Maríam præcípuo semper affféctu prósequens, et Sanctórum cúltui atque imitatióni incúmbens, Senénsis cum primis Catharínæ patiéntiam, obediéntiam, virtútes céteras pie æmuláta, jam ócties infirmórum sancto óleo inúncta, Domínica Passióne perlécta,

consummáto ægritúdinum martyrio, repósitam sibi in cælis justítiæ corónam accépit, quinto Kaléndas Júnii anno millésimo quingentésimo septuagésimo séptimo. Corpus Vírginis, sicut frater Timótheus sanctæ Catharínæ de Ricciis germánus, cœnóbii sanctæ Maríæ Novéllæ Præses, rogánti ante concésserat, ad sanctæ Maríæ Angelórum sanctimoniáles Carmelítas Maríæ Bartholomææ caríssimas, frequénti pópulo plaudénte, Fratrum Prædicatórum gestiéntibus húmeris delátum est : in quarum cœnóbio non intermíssa veneratióne cólitur, et íntegrum adhuc a viris princípibus Ecclesiæque Præsúlibus ósculo, múnere, et devóto obséquio donátum, præsens ægris remédium habétur : testimónio præsértim sanctæ Mariæ Magdalénæ de Pazzis, quæ, visitándi sacri córporis voto facto, ab imminénti tabe repénte sanáta, Maríæ Bartholomææ ánimam Christi throno recéptam vidit, et seráphicæ Catharínæ parem, summéque poténtem ac beatíssimam prædicávit, et in militánti Eccléisia sublímius tandem exaltándam. Quod Pius Séptimus Póntifex Máximus pie ac benígne præstans, de beáta María Bartholomæa recitándi Offícii, et Missæ anniversário ejus dormitiónis die celebrándæ Prædicatórum Ordini et Florentíno utríque clero fecit potestátem.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE XXIX. MAII.

BB. GUILLELMI ORD. PRÆD. ET SOCIORUM MARTYRUM.

DUPLEX.

In utrisque Vesperis et ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Guillélme cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Oratio.

DEUS, pro cujus amóre ac fídei tuéndæ zelo, beáti Guillélmus et Sócii gládiis impiórum occubuére : præsta, quæsumus, ut eórum suffrágiis in fide stábiles, te semper ex ánimo diligámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Exístimo. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 55*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

QUO témpore Tolosána diœcésis letífera labe Albigénsium inficiebátur, immortális memóriæ Póntifex Gregórius Nonus Christifidélium salúti prospíciens, Inquisitóres illuc misit lectíssimos viros tum ex Prædicatórum, tum ex Minórum Ordine. Ex primis erant Guillélmus Arnáldi, ejúsque Sócii Bernárdus de Rupe Forti et Gárcias de Aura : ex áliis vero Stéphanus de Narbóna et Raymúndus de Carbonériis. Hisce et caritáte et múnere sex álii adjungebántur, nimírum Prior monastérii ex Ordine sancti Benedícti in óppido Avenionéti, Mónachus

Clusínus nuncupátus, Raymúndus Tolosánæ Ecclésiæ Archidiáconus, Bernárdus ejúsdem cléricus, Fortanérius et Ademárus item clérici, qui nuntiórum munus explébant, láicus demum tabéllio Petri nómine. Hosce úndecim, una fídei et múneris societáte conjúnctos, pari glóriæ triúmphi immortalísque vitæ Deus reservávit.

Lectio v.

NAM cum eo, quo par erat, stúdio et indústria, missi a Pontífice Inquisitóres suo múnere fungeréntur, Albigénsium ira et livor aspérius desæviit. Raymúndus ab Alfaro vir scelestíssimus, et Albigénsium doctrínis imbútus, qui nómine Tolosáni cómitis óppido Avenionéti præféctus erat, quod óppidum a civitáte Tolósæ non longe distat, Inquisitóres eorúmque sócios in ædes dynástæ arcessívit. Ingens patébat aula juri dicéndo comparáta. Eo cum ingréssi essent Inquisitóres eorúmque cómites supramemoráti, e látebris dispósiti satéllites erúmpunt. Adoriúntur illos, non solum inérmes, sed ultro alacritérque mori parátos. Nulli ígitur exaudíti gémitus aut ejulátus moriéntium, sed læta cántica ex occumbéntium ore personábant, cum Ambrosiánum Hymnum canéntes, voce concórdi grátias ætérno Deo persólverent. Cóntigit autem eórum beáta mors anno Dómini millésimo ducentésimo quadragésimo secúndo, quarto Kaléndas Júnii, nocte vidélicet Ascensiónis Dómini nostri Jesu Christi.

Lectio vj.

INFANDUM scelus, ac illústris Servórum Dei óbitus diu latére non póterant. Vel étiam homínibus tacéntibus, rem gestam signa et osténta insólita prædicárunt, quorum plura réferunt coævi ac posterióres históricí. Omnium ergo ore tamquam vere Christi Mártyres hábiti sunt, et ecclesiásticus cultus statim illis exhibitus, tum in Tolosána civitáte tum in óppido Avenionéti, ubi eórum festum quotánnis ad hæc usque témpora recólitur. Hunc autem immemorábilem cultum Pius Nonus Póntifex Máximus, audíta prius sacræ Rítuum Congregatiónis sententia, approbávit octávo Idus Septémbris anni millésimi octingentésimi sexagésimi sexti.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Cum audiéritis prœlia. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 60*.

DIE XXXI. MAII.

B. JACOBI SALOMONII

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui nos beáti Jacóbi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ut cujus natalítia cólimus étiam actiónes imitémur. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Petronillæ Virginis. Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ Petronillæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur affféctu. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 10.

FINIS legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam, quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justítia, sic dicit : Ne díxeris in corde tuo : Quis ascéndet in cælum? id est, Christum dedúcere : Aut quis descéndet in abyssum? hoc est, Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fídei, quod prædicámus.

Lectio ij.

OMNIS enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaias enim dicit : Dómine quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi.

Lectio iij.

SED dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem : in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me : palam appárui iis, qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JACOBUS Salomónius Vénetus, nobilíssima família natus, in ipso ineúntis ætátis flore paréntibus orbátus, sub áviæ disciplína mirífico in lítteris ac pietáte progréssus fecit. Evangélico accépto consílio, ut nudus nudum Christum sequerétur, património in páuperes distribúto, Prædicatórum Ordinem elégit : in quo sexagínta sex annis sanctíssime vixit, sola contemptióne voluptátis, contentióne virtútis, ad sancti Patris Domínici exémplar totum in sese expriméndum aspírans.

Lectio v.

HUMILITATEM ádeo cóluit, ut virtútes omnes, ac miracula, quæ ex divína liberalitáte patrábat, diligénter abscónderet : caritáte in Deum et próximos, præcípue páuperes, ita ardébat, ut Pater páuperum sólito dicerétur. In assídua divinárum rerum meditatióne summa ánimi voluptáte perfundebátur, ac sæpe in éxtasim raptus, immóbilis omníno subsistébat. In ore ejus nonnísi Deus, ac divína versabántur : hinc sæpe illud sancti Hierónymi usurpábat : Felix lingua, quæ nonnísi de divínis

novit téxere sermónem. Virginitátem perpétuo illæsam custodívit, totámque vitam ab omni letális peccáti labe imúnem duxit.

Lectio vj.

Sui óbitus diem divína revelatióne prædíxit : qua adveniénte, íllico ex úlcere, quo pectus ejus gráviter affligebátur, ita conváluit, ut ne exíguum quidem ejus vestígium in eo ámplius apparéret. Ecclesiásticis deínde Sacraméntis munítus, dum una cum céteris frátribus, altérnis vícibus, defíxis in cælum lumínibus, Deo psálleret, ex corpóreis vínculis lætíssimus ánimus ad Súperos evolávit, anno salútis millésimo trecentésimo quarto décimo, ætátis suæ octuagésimo tértio. Tríduo corpus ejus ob adveniéntis pópuli concúrsum inhumátum, mirificum odórem spirávit, piis fidélium mánibus Beáti véstium partículas decerpéntibus.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE I. JUNII.

BB. ALPHONSI NAVARRETE ORD. PRÆD. ET SOCIORUM MARTYRUM.

DUPLEX.

In utrisque Vesperis et ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Alphónse cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Oratio.

Deus, qui nos beatórum tuórum Alphónsi et Sociórum ejus triúmpho lætíficas : da nobis, quæsumus, eórum méritis et intercessióne, eámdem in fide constántiam, et in ópere efficáciam. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Exístimo. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 55*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Tot inter Mártyres, quos província sanctíssimi Rosárii in ínsulis Philippínis ab inítio suæ institutiónis ad nostra usque témpora Ordini Prædicatórum et cælo prótulit, primum mérito locum óbtinet invíctum illud virórum apostolicórum agmen, qui, sæculo décimo séptimo ineúnte, in Japónia fuso sánguine de christiáni nóminis hóstibus triumphárunt. Horum dux éminet Alphónsus Navarréte, qui cum sacram Missiónem moderarétur, ingravescénte persecutióne, videns Vómuræ res Christianórum in detérius agi, státuit semetípsum hóstiam offérre, ut non tam verbis, quam re ipsa ac morte sua fidélium ánimos erígeret. Collátis ítaque consíliis una cum Ferdinándo a sancto Josépho ex Ordine sancti Augustíni, imploratáque divína ope, ambo suórum Ordinum indúti véstibus, illuc palam adeúntes, dum religiónis nostræ mystéria prædicant et Sacraménta adminístrant, ab infidélibus capti et cápite mulctáti, palmam martyrii eo vel magis gloriósam meruére, quod eórum exémplo excitáti céteri, qui prius tímidi hæserant, non

ámplius dubitárint suam fidem maniféste profitéri, et próprio sánguine obsignáre. Navarrétum in agónem secúti sunt ex eádem província úndecim álii, quorum áliqui a plúribus annis in Japóniam vénerant, et christiánæ institutiónis fundaménta posúerant, uti Francíscus Moráles ómnium primus, Alphónsus de Mena, Thomas Zumarrága, Hyacínthus Orfanel, et Joseph a sancto Hyacíntho; nec non álii, qui in ipso persecutiónis æstu laborántibus frátribus opitularéntur, uti Angelus Orsúcci, Joánnes a sancto Domínico, Ludovícus Flores. Quibus deínde successérunt plures álii, quos inter Petrus Vasquez, Ludovícus Bertrándus, sancti Ludovíci Bertrándi nepos, ac Domínicus Castellet, viri omnígena virtúte præditi, in oratióne assídui, zelum domus Dei habéntes : quibus nil optátius quam per martyrium Christo crucifíxo confórmes fieri.

Lectio v.

INCREDIBILE dictu, quot difficultátes et ærúmnas in illa plantánda ac excolénda vínea passi sint. Indícta enim superióri labénte sæculo a Taicoxáma persecútio nunquam plene cessáverat. Xongusáma vero, patérnam immanitátem longe prætergréssus, legem tulit, ut omne in suo regno christiánæ religiónis vestígium abolerétur, sacerdótes religiosíque omnes, indícta extrémi supplícii pœna, exsulárent, et si quæ eos domus recepísset, delerétur. Inde servi Dei, ne fidélium necessitátibus deéssent, adigebántur diu noctúque inter máxima versári perícula, hac illac errántes, in fame et nuditáte, in plagis supra modum, et in mórtibus frequénter. Sed ea caritáte acti, quæ novit fácere de tentatióne proventum, copiósum ádeo fructum in hórrea Dómini congessérunt, ut in passióne sócios habúerint ex vernáculis centum círciter ad nostrum Ordinem pertinéntes : novem nimírum clericórum conversorúmve hábitu indútos, atque institútum ipsum profésSos, quibus in tradénda catéchesi, vel Sacraméntis administrándis, adjutóribus usi fúerant; ceterósque Tértii Ordinis, una cum eórum fíliis, nec non confrátres in Rosárii societátem adscítos, quorum plerique erant régio sánguine prognáti, qui avítæ nobilitáti Crucis humilitátem præferéntes, pro summo ducébant honóre fidei magístris, vel catechistárum múnia, vel quódpiam áliud christiánæ caritátis offícium impléntes, sédulo deservíre.

Lectio vj.

PASSI sunt ínclyti Dei Mártyres partim Nangasáchi et partim Vómuræ, et una cum illis plures álii Japonénses utriúsque sexus, cujúsque conditiónis ac ætátis Christifidéles, quos inter púeri ac puéllæ quátuor et trium étiam annórum recensémtur. Huic exsultánti Mártyrum cohórti præíbant álii vigínti novem Viri apostólici ex Ordínibus sancti Francísci, Eremitárum sancti Augustíni, et Societátis Jesu. Stetérunt ítaque fortes

Athlétæ Christi, et suis tortóribus inexpugnábilem fidem opposuérunt. Pérperam tyránnicus furor exquisitíssima quæque torménta in eos adhíbuit, quæ meminísse ánimus, nedum enarráre, reformídat. Aliis enim in crucem actis transverberátum ferro latus fuit; álii invérso cápite cruce affíxi; plures fœdíssime dilaniáti, ac membrátim cæsi; pleríque lento igne combústi; non pauci sulphúreis vel gélidis demérsi aquis mortem obiérunt pœnárum diuturnitáte acerbíssimam; álii dénique fame, siti, verbéribus, et squalóre cárceris afflícti, enécti mortálem hanc vitam cum immortáli ac beáta commutárunt. Tantam vero suppliciórum atrocitátem ánimo sic erécto atque álacri perpéssi sunt, ut priscórum Ecclésiæ Mártyrum robur ac firmitátem plane retúlerint. Mérito ígitur Pius Nonus Póntifex Máximus tantam demirátus virtútem, causam hanc, quam felícis memóriæ Benedíctus Décimus quartus celebérrimam vocáverat, ex sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto felíciter absólvit, atque inclytos Christi Mártyres número biscéntum et quinque, quorum plusquam dimídia pars ad Ordínem Prædicatórum attinébat, die séptima Júlii anni millésimi octingentésimi sexagésimi séptimi, a martyrio beáti Petri Apóstoli sæculo décimo octávo, solémni decréto Beatórum albo accénsuit, facta quátuor memorátis Ordínibus Offícium et Missam in eórum honórem recitándi potestáte.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo témpore : Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes : Dic nobis quando hæc erunt? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(Com. in Matth. cap. 24.)

DISCIPULI Dóminum intérrogant quando hæc fíerent, quodve signum et advéntus sui, et consummatiónis sæculi nóscerent. Et quia tria hæc in unum quæsíta sunt, distínctis et témporis et intelligéntiæ significatiónibus separántur. Respondétur ígitur primum de civitátis occásu : et confirmántur veritáte doctrínæ, ne quis fallax ignorántibus posset obrépere. Ventúri enim erant étiam eórum témpore, qui se Christum essent nuncupatúri. Ut ígitur fides pestífero mendácio détrahi posset, admonítio prævéssit.

Lectio viij.

CONFIRMAT ígitur eos ad toleréntiam passiónum, fugæ, verberatiónis, intéritus, et públici in eos ódii propter nomen ejus. Atque his quidem vexatiónibus multi turbabúntur, et tantis insurgéntibus malis scandalizabúntur, et usque in mútuum ódium excitabúntur. Et falsi prophétæ erunt (ut Nicoláus, unus ex septem Diacónibus fuit) multósque ementíta veritáte pervértent : et, abundánte nequítia, cáritas refrigéscet.

Lectio ix.

SED usque in finem perseverántibus salus reserváta est: ac tum per omnes orbis partes viris apostólicis dispérsis, Evangélii véritas prædicábitur. Et cum univérsis fúerit cognítio sacraménti cæléstis invécta, tum Jerúsalem occásus et finis incúmbet: ut prædicatiónis fidem et infidélium pœna et metus civitátis érutæ consequátur. Hæc ígitur in eam, ut fúerant prædícta, perfécta sunt: et lapidátis, fugátis, peremptis Apóstolis, fame, bello, captivitáte consúmpta est. Ac tum fuit digna non esse, cum ejéctis prædicatóribus Christi, indignam Dei prædicatióne se præbuit.

DIE II. JUNII.

BB. SADOC ET SOCIORUM XLVIII MARTYRUM ORD. PRÆD.

DUPLEX.

In utrisque Vesperis et ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Sadoc cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Oratio.

OSTENDAT te nobis Dómine Jesu, post hoc exsílium, clemens et pia Virgo María Mater tua: quam beáti Sadócus et Sócii inter hostíles infidélium ímpetus incessánti voce salutántes, præoptátam martyrii palmam a te recípere meruérunt. Qui vivis.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria SS. Marcellini Presbyteri et Petri Exorcistæ Martyrum.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni et Petri solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus, ut quorum gaudémus méritis provocémur exémplis. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Exístimo. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 55*.

IN II. NOCTURNO.

(Ex actis sinc. et prob. auct.)

Lectio iv.

CUM sanctíssimus Pater Domínicus, comítiis Bonóniæ secúndo celebrátis satóres fídei, et sui Ordinis propagatóres in várias orbis partes dirígeret, beátus Sadoc adhuc júvenis, vir tamen máximæ perfectiónis, in Pannóniam cum sóciis missus est. Patris benedictióne percépta, duce Paulo Húngaro Cumanórum apóstolo, et provínciæ ejúsdem Ordinis in Hungária fundatóre, egréssi præcónes fídei, in ipso itínere álios ad vitæ evangélicæ tirocínia aggregárunt. Sadoc autem, divínis præstans munéribus, noctu vidit dæmones crescéntis famíliæ sanctitáte turbátos, ac de animárum ad Christum conversióne prævísa cum ejulátu doléntes audívit. Qua re in fídei propagatiónem vitiorúmque reprehensiónem alácrius incénsus, viam indefessus cucúrrit mandatórum Institutóris sui, et nullis térritus perículis vel ærúmnis, Evangélii sparsit respersítve sémina in Hungarórum vicinorúmque terris, quæ in id sibi fúerant

demandátæ. Sandomíriæ dehinc in Polónia regéndis frátribus admótus, a verbi tamen ministério mínime cessans, disciplínis eos reguláribus, prout a sancto Præceptóre audierat, sédulo instítuit, exemplísque salutáribus pavit.

Lectio v.

HIS pie ímmorans Vir beátus, ab immaníssimis Tártaris fídei ódio pércitis trucidátur cum Sóciis octo et quadragínta, qui sanctórum Patrum, Hyacínthi præsértim non ante triénnium humánis rebus exémpti, vestígiis instábant. Prídie autem, ut tráditum est, suis inténtos láudibus præmonúerat Deus, áureis in Martyrológio apparéntibus lítteris, futúri certáminis victoriæque prænúntiis. Tam insuéta lectióne stupéntes, ad gloriósam pro Christo mortem hortátur devotíssimus præses, Sacrísque expiátos martyrii sic cúpidos cernit, ut veniéntis diéi moras únice non amárent. Dum tandem misericórdiæ Matrem, more Ordinis, rite salutárent, irruéntium impiórum frámeis interémpti, quod solémniter in sancti Jacóbi templo cœperant, cánticum læti perfícere meruérunt ante sedem Dei et Agni, cujus fuérunt sánguine dealbáti.

Lectio vj.

SIC moriéntes Athlétæ Christi piam cœnobiórum complúrium præconsecravére consuetúdinem, qua Salve Regína in agóne moriéntium decantátur: oráre autem existimándi mérito sunt, ut Jesum benedíctum ventris sui fructum devótis fíliis et cliéntulis dulcíssima Mater osténdat. Quaprópter Pius Séptimus Póntifex Máximus, ut Fratrum Prædicatórum corda ea spe váleant recreári, ac contra ómnia advérsa patrocínio muniántur, exemplóque Mártyrum, quos Deus signis, ut ferunt, mirabílibus decorávit, et pópuli scriptorésque Sanctos appéllant, ac religióso cultu, Apostólicæ étiam Sedis concessiónibus aucto, Sandomíria venerátur, de beátis Sadóco et Sóciis Officium in univérso eórum Ordine recitári, et Missam celebrári cleménter indúlsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Cum audiéritis prœlia. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 60*.

DIE IV. JUNII.

IN TRANSLATIONE S. PETRI

MARTYRIS ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Collætétur turba fidélium triumphántis Athlétæ gáudio, qui consérvans pudóris lílium, et corúscans doctrínæ rádio, dum pro fide subit martyrium, trino felix potítur brávio. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. Dum Samsónis vulpes quærit, ab iníquis cæditur : caput sacrum lictor ferit, justi sanguis fúnditur : * Sic triúmphi palmam gerit dum pro fide móritur. ℣. Stat invíctus pugil fortis : constans profert hora mortis fidem, pro qua pátitur. — Sic triúmphi. Glória. Sic triúmphi.

Hymnus.

MAGNÆ dies lætítiæ
Nobis illúxit cælitus :
Petrus ad thronum glóriæ
Martyr pervénit ínclytus.

PUER in fide cláruit,
Paréntum carens nébula :
Deo servíre stúduit,
Sub paupertátis régula.

CARNEM afflíxit júgiter
In labóre multíplici,
Viam sequens humíliter
Patris sui Domínici.

VITA, mors, signa vária,
Cælum frequénti lúmine,
Dant Petro testimónia
De sanctitátis cúlmine.

LAUS et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Petre. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magníficat Aña. O Petre Martyr ínclyte, Prædicatórum glória, virginitáte prædite, verbo, signis, et grátia, concéssa nobis sólitæ pietátis cleméntia, transácto mundi trámite, nos transfer ad cæléstia.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro ejúsdem fidei dilatatióne martyrii palmam méruit obtinére. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Cæléstis exércitus Regem adorémus : * Et pro palma mílitis ejus jubilémus.

Hymnus.

ADEST triúmphus nóbilis,
Festúmque cæli cúriæ,
Quo rosa delectábilis
Offértur Regi glóriæ.

PETRUS flos pulchritúdinis,
Et virtútum sacrárium,
Nullum mortális críminis
Sensit unquam contágium.

ROBORARE cum nítitur
Fidem verbi præcónio,
Pro fide tandem cæditur
Hæreticórum gládio.

DUM sic in petra fidei
Petri tenet vestígia,
Ad Petram Christum próvehi
Merétur cum victória.

LAUS et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. De fumo lumen óritur, et rosæ flos de séntibus : doctor et martyr náscitur Petrus de infidélibus. Psalmi ex primo Nocturno de Communi unius Martyris, pag. 39*.

Aña. Prædicatórum Ordinis mílitans in ácie, nunc conjúnctus est ágmini cæléstis milítiæ.

Aña. Mens fuit angélica, lingua fructuósa, vita apostólica, mors quam pretiósa!

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 20.

AMILETO Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu ecclésiæ. Qui cum veníssent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingréssus sum in Asíam, quáliter vobíscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrimis, et tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum : quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárem vobis, et docérem vos públice, et per domos, testíficans Judæis, atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum.

℟. j. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus. — Fundátus enim.

Lectio ij.

ET nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans : nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens : quóniam vincula, et tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor : nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et minístérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei.

℟. ij. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso : vitam pétiit a te, et tribuísti ei : * In sæculum sæculi. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo : glóriam, et magnum decórem impónes super eum.— In sæculum sæculi.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio iij. Cap. 3.

TU autem assecútus es meam doctrinam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes : quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris : quales persecutiones sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines, et seductóres proficient in pejus, errántes, et in errórem mitténtes. Tu vero pérmane in iis, quæ didicísti, et crédita sunt tibi : sciens a quo didíceris. Et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.

℟. iij. O Petre, sidus áureum, summi vas honóris, candórem servans níveum dono Creatóris, * Decus habes virgíneum in supérnis choris. ℣. Tu spéculum mundítiæ, tu custos innocéntiæ, tu sancti flos pudóris. — Decus habes. Glória. Decus habes.

IN II. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. ex secundo Nocturno de Communi unius Martyris, pag. 41*.

Lectio iv.

SANCTUS Petrus Martyr, fervens amátor fídei, ejusdémque præcípuus cultor et propagátor, cum de civitáte Coménsi pro exsequénda inquisitióne contra hæréticos, sibi ab Apostólica Sede commíssa, Mediolánum pérgeret, ab ipsis hæréticis, sicut in pública prædicatióne prædíxerat, iterátis mucrónis íctibus interféctus est. Corpus ejus vulnéribus confóssum, postridie Mediolánum translátum, et in templo sancti Eustórgii húmili loco cónditum, multis cœpit coruscáre miráculis; quibus permóta magna hæreticórum multitúdo, ad ipsíus lucem fídei de sui erróris núbilo convérsa est. Proptérea non adhuc elápso anno ab ejus martyrio, Innocéntius Quartus gloriósum Christi Athlétam sanctórum Mártyrum catálogo adscrípsit Perúsii, anno millésimo ducentésimo quinquagésimo tértio.

℟. iv. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, * Quam repromísit Deus diligéntibus se. ℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam. — Quam repromísit Deus.

Lectio v.

POST solémnem invícti Mártyris canonizatiónem, ejus sacrum corpus e prióri loco edúctum, atque incorrúptum invéntum, per íntegrum diem veneratióni confluéntium fuit expósitum : subínde astánte Archiepíscopo Mediolanénsi, in arcam marmóream honorífice translátum. Crescénte autem in dies prodigiórum número, et populórum devotióne, solémnior facta fuit sacrárum exuviárum translátio. Anno síquidem millésimo trecentésimo quadragésimo, quo témpore sub Magístro generáli Ordinis fratre Hugóne, in convéntu sancti Eustórgii celebrabántur comítia generália, Joánnes Vicécomes, Medioláni Archiepíscopus et dóminus, univérso Ordinis Prædicatórum capítulo, et omni pópulo Mediolanénsi inspectántibus, sacrum corpus in nova arca, ex alabastríte lápide áffabre exstrúcta, summa religióne cóndidit. Caput autem e córpore divísum, et similiter incorrúptum, in pretiósa theca, argénto et auro perfúlgida, fuit collocátum.

℟. v. Dómine prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus * Corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei Dómine. — Corónam de lápide pretióso.

Lectio vj.

CONSTRUCTO in honórem sancti Mártyris altári, solémnis facta fuit ad illud sacri cápitis translátio, anno millésimo sexcentésimo quinquagésimo primo. Nobílius póstmodum exornáto templo, ut una cum cápite sacrum corpus eódem loco individua veneratióne colerétur, anno millésimo septingentésimo trigésimo sexto idem sacrum corpus, prius recógnitum, et adhuc post quátuor sæcula, potíssimum a péctore deórsum cum ventre

usque ad plantas pedum incorrúptum et palpábile mirabíliter repértum, ad præfátum altáre, elegántius instaurátum, religióse translátum est. Deinde sacrum caput ítidem incorrúptum, ac in novam thecam splendidióri forma compósitam illátum, amplíssima præmíssa per urbem supplicatióne, cum delatióne ejúsdem sacri cápitis, magna solemnitáte et devotióne, plaudéntibus ómnibus, in eódem altári repósitum est, die vigésima nona Aprílis anno millésimo septingentésimo trigésimo nono. Ut autem perénnis harum translatiónum memória subsístat, et populórum devótio erga sanctum Mártyrem pro impetrándo ejus patrocínio magis augeátur, Benedíctus Papa Décimus quartus Officium Translatiónis ejúsdem sancti Petri Mártyris, in univérso Prædicatórum Ordine, die quarta Júnii in pósterum celebrándum benígne concéssit.

℟. vj. Prædicátor férvidus, fídei zelátor, círcuit intrépidus hæresum damnátor : vitiórum rígidus semper expugnátor, * Veritátis lúcidus doctor et amátor. ℣. Verbo, vita prædicat, signis crebris émicat legis æmulátor. — Veritátis lúcidus. Glória. Veritátis lúcidus.

IN III. NOCTURNO.

Antiphonæ, Psalmi et ℣. ex tertio Nocturno de Communi unius Mártyris, pag. 43*.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 32. in Evang.)

AD se nobis veniéntibus Dóminus præcépit ut renuntiémus nostris. Nec tamen súfficit nostra relínquere, nisi relinquámus et nos. Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum : quia nisi quis a semetípso defíciat, ad eum, qui super ipsum est, non appropínquat : nec valet apprehéndere quod ultra ipsum est, si nescíerit mactáre quod intra est. Sic ólerum plantæ transponúntur, ut proficiant, atque, ut ita dicam, eradicántur, ut crescant. Sic rerum sémina in terræ admistióne defíciunt, ut in reparatióne sui géneris ubérius assúrgant.

℟. vij. Stolam jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. — Et corónam pulchritúdinis.

Lectio viij.

SED qui jam se a vitiis ábnegat, exquiréndæ ei virtútes sunt, in quibus crescat. Nam cum dictum est, Qui vult post me veníre ábneget semetípsum, prótinus ádditur : Et tollat crucem suam quotídie, et sequátur me. Duóbus étenim modis crux tóllitur: cum aut per abstinéntiam afflígitur corpus; aut per compassiónem próximi afflígitur ánimus.

Utróque modo crucem suam túlerat qui dicébat : Castígo corpus meum, et in servitútem rédigo. Ecce in afflictióne córporis crucem carnis; nunc in compassióne próximi crucem mentis : ait enim : Quis infirmátur, et ego non infirmor? Quis scandalizátur, et ego non uror? Perféctus quippe prædicátor, ut exémplum daret abstinéntiæ, crucem portábat in córpore : et quia in se trahébat damna infirmitátis aliénæ, crucem portábat in corde suo.

℟. viij. Coróna áurea super caput ejus expréssa signo sanctitátis, glória honóris, * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et opus fortitúdinis.

Lectio ix.

SEQUITUR : Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam : et qui perdíderit ánimam suam propter me, salvam eam fáciet. Sic dícitur fidéli, ac si agrícolæ dicátur, Fruméntum, si servas, perdis; si séminas, rénovas. Quis enim nésciat quod fruméntum, cum in sémine míttitur, perit ab óculis, et in terra déficit? Sed unde putréscit in púlvere, inde virésci in renovatióne. Ad sanctórum Mártyrum córpora consístimus, fratres mei. Ecce miráculis corúscant : ad exstincta namque eórum córpora vivéntes ægri véniunt, et sanántur; perjúri véniunt, et a dæmónio vexántur; dæmoníaci véniunt, et liberántur. Quómodo ergo vivunt illic, ubi vivunt, si in tot miráculis vivunt hic, ubi mórtui sunt!

℟. ix. Dum Samsónis vulpes quærit, ab iníquis cæditur : caput sacrum lictor ferit, justi sanguis fúnditur : * Sic triúmphi palmam gerit, dum pro fide móritur. ℣. Stat invíctus pugil fortis : constans profert hora mortis fidem, pro qua pátitur. — Sic triúmphi. Glória. Sic triúmphi.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Petre. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Petrus novus íncola cælos laureátus ascéndit, auréola triplici dotátus. Psalmus Dóminus regnávit, cum ceteris, pag. 17.

2. Turbæ currunt languéntium, signa corúscant vária, et in Petri præcónium crebra crescunt prodígia.

3. Bolus digne suffocat guttur detrahéntis : sed mox ipsum révocat votum pœniténtis.

4. Motu, sensu córporis júvenis privátur : tactu sacri púlveris vitæ restaurátur.

5. Ad sancti Petri túmulum frequens lux descéndit, in cujus laudis títulum lámpades accéndit.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

EXSULTET claro sídere
Fulgens mater Ecclésia :
Petrus Martyr in æthere
Nova profúdit gáudia.

PAUPER, pudícus, húmilis,
Christo se totum dédicat :
In lege Dei dócilis,
Verbis, exémplis prædicat.
TRIUMPHAT per martyrium
Christi fortis in ácie :
Consérvans semper lílium
Virgínális mundítiæ.
LUX cæli, vitæ méritum,
Cum signórum frequéntia,
Petri comméndant éxitum,
Et prædicant magnália.
LAUS et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Benedictus Aña. Summa pollens Petrus mundítia et præfúlgens doctrínæ grátia, martyrii clarus victória, trinæ fulget corónæ glória.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro ejúsdem fídei dilatatióne martyrii palmam méruit obtinére. Per.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Martyris, pag. 46*.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Petrus novus íncola cælos laureátus ascéndit, auréola tríplici dotátus. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Martyris, pag. 47*.

Capitulum Beátus vir, qui suffert tentatiónem. et Hymnus Magnæ dies lætítiæ. ut in j. Vesperis, pag. 510.

℣. Ora pro nobis beáte Petre. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. O Martyr egrégie, doctor veritátis, puritátis vásculum, norma sanctitátis, tua per suffrágia véniam peccátis, et vitam in glória præsta cum beátis.

DIE V. JUNII.

S FRANCISCI CARACCIOLO CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Francíscum, novi Ordinis institutórem, orándi stúdio et pœniténtiæ amóre decorásti : da fámulis tuis in ejus imitatióne ita profícere, ut semper oántes et corpus in servitútem redigéntes, ad cæléstem glóriam pervenire mereántur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FRANCISCUS, dictus ántea Ascánius, ex nóbili família Caracciolo in óppido sanctæ Maríæ de Villa in Aprútio ortus, a primis annis exímio enítuit pietátis cultu. Adoléscens, gráviter ægrótans státuit sese prorsus Dei proximíque mancipáre servítio. Neápolim proféctus, sacerdótio initiátus, sacróque adscríptus sodalítio, contemplatióni lucrandísque animábus se totum devóvit, ac extrémo supplício damnátis hortatórem se præbuit assíduum. Cóntigit autem ut epistólium álteri destinátum ei per errórem redderétur, quo a piíssimis viris Joánne Augustíno Adórno, et Fabrício Caracciolo ad novi

religiósi Instituti fundatiónem vocabátur. Rei novitáte captus, et divínæ voluntátis demirátus consília, álacri ánimo sese illis adjúnxit. Cónditis autem in Camaldulénsium erémo, quo secésserant, novi Ordinis légibus, inde Romam simul profécti, confirmatiónem a Sixto Quinto impetrárunt, qui eósdem Cléricos Regulares Minóres appellári vóluit, áddito ad tria consuéta áltero de non ambiéndis dignitátibus voto.

Lectio v.

SOLEMNI emíssa professióne, ob singulárem ejus in divum Francíscum Assisinátem cultum, Francísci nomen assúmpsit. Adórno biénnio post vita functo, ipse toti Religióni, quamquam invítus, præfícitur : quo in múnere virtútum ómnium præclára præbuit exémpla. Institúti amplificándi studiosíssimus, id assíduis oratiónibus, lácrimis et jugi córporis maceratióne enixe a Deo postulábat. Quam ob rem tértio in Hispániam se cóntulit peregríni hábitu indútus, victúmque ostiátim mendícans. In itínere aspérrima quæque perpéssus, Omnipoténtis auxílium mirum in modum expértus, navim, quam conscénderat, ab imminénti naufrágio oratiónis præsídio servávit incólumem. Ut in regnis illis voti compos fíeret, plúrimum laborávit; sed ejus sanctitátis fama prælucénte, amplissimáque Catholicórum regum Philíppi Secúndi et Philíppi Tértii munificéntia, adversariórum conátibus singulári ánimi fortitúdine superátis, plura sui Ordinis domicília fundávit : quod pari evéntu per Itáliam præstitit.

Lectio vj.

HUMILITATE ádeo excélluit, ut Romam véniens, in páuperum hospítio recéptus se lepróso sociáverit, et ecclesiásticas dignitátes a Paulo Quinto sibi oblátas constantíssime recusáverit. Illibátam perpétuo servávit virginitátem, effrontésque mulíeres ejus castimóniæ insidiántes Christo lucrifécit. Erga diviníssimum Eucharístiæ mystérium ardénti æstuans amóre, noctes pene íntegras in ejus adoratióne insómnes ducébat : quod pium exercítium, véluti sui Ordinis tésseram, in eo perpétuo servándum constítuit. Deíparæ Vírginis cultum impénse fovit. In próximum exímia exársit caritáte. Prophetíæ dono et córdium scrutatióne ditátus fuit. Quadragésimum quartum ætátis suæ annum agens, dum in sacra Lauretána æde in oratióne persísteret, sibi vitæ finem imminére agnóvit. Aprútium statim defléxit, et in óppido Agnóni apud alúmnos sancti Philíppi Nérii letáli febre corréptus, Sacraméntis Ecclésiæ devotíssime suscéptis, prídie Nonas Júnii anni millésimi sexcentésimi octávi, in pervigílio festi Córporis Christi, placidíssime obdormivit in Dómino. Sacrum ejus corpus Neápolim delátum, in ecclésia sanctæ Maríæ Majóris, ubi prima sui Ordinis jécerat fundaménta, honorífice cónditum fuit. Eum póstea miráculis clarum Clemens Décimus quartus Póntifex Máximus solémni ritu inter Beátos; Pius vero Sépti-

mus Póntifex Máximus, novis fulgéntem signis, anno millésimo octingentésimo séptimo Sanctórum albo adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE VI. JUNII.

S. NORBERTI

EPISC. ET CONF.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Norbértum, Confessórem tuum atque Pontíficem, verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fecundásti : præsta, quæsumus, ut ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit te adjuvánte exercére valeámus. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

NORBERTUS, nobilíssimis paréntibus natus, adoléscens liberálibus disciplínis eruditus, in ipsa póstea imperatóris aula, spretis mundi illécebris, ecclesiásticæ milítiæ adscríbi vóluit. Sacris initiátus, rejéctis móllibus ac splendídis véstibus, pellícea melóte indútus, prædicatióni verbi Dei se totum dedit. Abdicátis ecclesiásticis provéntibus satis amplis, et património in páuperes erogáto, semel in die sub vésperam solo cibo quadragesimáli utens, nudísque pédibus et lácera veste sub brumáli rigóre incédens, miræ austeritátis vitam est aggréssus. Potens ígitur ópere et sermóne innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, dissidéntes ad pacem et concórdiam revocávit.

Lectio v.

CUM Laudúni esset, ab Epíscopo rogátus ne a sua diœcési discéderet, desértum in ea locum, qui Prænonstrátus dicebátur, sibi delégit : ibique, trédecim sóciis aggregátis, Præmonstraténsem Ordinem instítuit, divínitus accépta per visum Régula a sancto Augustíno. Cum vero ejus fama sanctitátis in dies magis augerétur, ac plúrimi ad eum quotídie discípuli convenírent, idem Ordo ab Honório Secúndo, aliísque Summis Pontifícibus confirmátus, ac plúribus ab eo monastériis ædificátis, mirífice propagátus est.

Lectio vj.

ANTVERPIAM accersítus, in ea urbe Tanchelíni nefáriam hæresim profligávit. Prophético spíritu et miráculis cláruit. Archiepíscopus tandem (licet relúctans) Magdeburgénsis creátus, ecclesiásticam disciplínam, præsértim cælibátum, constánter propugnávit. Rhemis in concílio Innocéntium Secúndum egrégie adjúvit : et Romam cum áliis Epíscopis proféctus, schisma Petri Leónis compréssit. Postrémo Vir Dei méritis et Spíritu sancto plenus, Magdebúrgi obdormívit in Dómino, anno Salútis millésimo centésimo trigésimo quarto, die sexta Júnii.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 78*.

DIE VIII. JUNII.

S. ANGELÆ MERICIÆ VIRGINIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui novum per beátam Angelam sacrárum vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis ejus intercessióne angélicis móribus vívere; ut terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Medardi Episcopi et Confessoris. Oratio.

EXAUDI, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Medárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : ut qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólvas peccátis. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANGELA Merícia Decentiáni Veronénsis diœcésis óppido ad lacum Benácum in ditióne Véneta, piis orta paréntibus, a prima ætáte virginitátis lílium, quod perpétuo serváre statúerat, sédula sepsit. Ab omni muliébri ornátu abhórrens, egrégiam vultus formam pulchrámque cæsáriem studióse fœdávit, ut cælésti dumtáxat animárum Sponso placéret. In ipso autem adolescéntiæ flore paréntibus orbáta, austerióris vitæ desidério in desértum locum aufúgere tentávit; sed ab avúnculo prohibita, novit præstáre domi quod in solitúdine non licuit. Cilício ac flagéllis frequénter usa, carnem nonnísi infírma valetúdine, vinum in Nativitátis et Resurrectiónis Dominicæ tantum celebritáte, complúres vero dies nihil omníno degustávit. Oratióni dédita brevíssimum humi carpébat somnum. Dæmonem vero sub lucéntis ángeli forma sibi illúdere conántem agnóvit prótinus et conjécit in fugam. Tandem patérnis bonis abdicátis, et hábitum ac régulam Tértii Ordinis sancti Francísci ampléxa, evangélicam paupertátem virginitátis laudi conjúnxit.

Lectio v.

NULLUM pietátis offícium erga próximos omíttens, paupéribus quidquid sibi ex mendicáto victu superésset largiebátur. Libénter ministrábat ægrótis, plúraque cum magna sanctitátis fama peragrávit loca, ut vel solátio esset afflíctis, vel reis véniam impetráret, vel infénsos ínvicem reconciliáret ánimos, vel e vitiórum cœno sceléstos revocáret. Angelórum pane, quem únice esuriébat, frequentíssime refécta, tanta caritátis vi ferebátur in Deum, ut sæpius extra sensus raperétur. Sacra Palæstinæ loca summa cum religióne obívit : quo in itínere, et visum, quem ad Cydónias appúlsa oras amíserat, eódem regréssa recuperávit, et barbarórum captivitátem ac naufrágium imminens divínitus evásit. Romam dénique firmam Ecclésiæ Petram veneratúra, et amplíssimæ Jubilæi Véniæ percúpida, sedénte Cleménte Séptimo accéssit; quam Summus Póntifex allocútus, ejúsdem sanctimóniam suspéxit

et commendávit summópere; nec ab Urbe ipsam abíre ante permísit, quam álio cælitus vocátam agnóvit.

Lectio vj.

BRIXIAM ítaque, ubi domum ad sanctæ Aphræ templum condúxit, revérsa, novam ibi vírginum societátem, sicut cælésti voce ac visióne mandátum sibi fúerat, sub certa disciplína sanctísque vivéndi régulis constítuit, quam sanctæ Ursulæ invíctæ vírginum ducis patrocínio ac nómine insignívit : eam vero perénnem futúram morti próxima prædíxit. Tandem prope septuagenária dives méritis evolávit in cælum, sexto Kaléndas Februárii anni millésimi quingentésimi et quadragésimi; cujus cadáver per ipsos triginta dies inhumátum, flexibile ac vivo simíllimum perseverávit. Demum in sanctæ Aphræ templo inter céteras, quibus illud abúndat, Sanctórum Reliquias repósito, plúrima ad ejus sepúlcrum agi statim cœpére mirácula : quorum fama late diffúsa, non Brixiæ modo et Decentiáni, sed álibi étiam vulgo cœpit nuncupári Beáta, ejúsque imágo aris impóni; immo sanctus ipse Cárolus Borromæus non multis post annis dignam quæ ab Apostólica Sede in sanctárum Vírginum album referrétur, Brixiæ palam asséruit. Cultum vero illi jam diu a pópulis exhíbitum, et tum locórum Ordináriis probátum, tum plúribus étiam Summórum Pontíficum indúltis munítum, Clemens Papa Décimus tértius solémni decréto ratum hábuit, ac confirmávit. Eam tandem, novis miráculis rite probátis insígnem, Pius Papa Séptimus, solémni canonizatióne in Vaticána basílica perácta, die vigésima quarta Maii, anno millésimo octingentésimo séptimo, sanctárum Vírginum catálogo adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE IX. JUNII.

BB. DIANÆ, CÆCILIÆ ET AMATÆ

VIRGINUM ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Omnia de Communi unius Virginis non Martyris præter hic posita.

IN I. VESPERIS.

℣. Ora pro nobis beáta Diána cum Sodálibus tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

¶ Prædictus ℣. dicatur etiam ante Laudes et in ij. Vesperis.

Ad Magnificat Ana. Prudéntes Vírgines aptáte lámpades vestras : ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei. Oratio.

DEUS, qui beátam Diánam Vírginem tuam admirábili spíritus fortitúdine donásti, eíque in terénda evangélicæ perfectiónis via beátas Cæcíliam et Amátam cómites dedísti : concéde propítius ut eárum exémplo roborémur in árduis, et in advérsis protegámur auxílio. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria SS. Primi et Feliciani Martyrum. Oratio.

FAC nos, quæsumus Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári, et eórum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentíre. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus., ut in Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DIANA, patre Andalo seu Andréolo, a quo inter pósteros nóbilis Carbonésiæ stirpis Andalórum agnómen dícitur propagátum, Bonóniæ sub inítium sæculi décimi tértii orta est. Adolescéntula patri persuásit, ut primis Ordinis Prædicatórum sodálibus Bonóniam missis locum prope ecclésiam, quam obtinúerant, sancti Nicolái, et quæ póstea sancti Domínici est dicta, concéderet, ubi aptióres Frátribus ædes constrúere posset beátus Reginaldus Aurelianénsis, ad cujus prædicatiónem pius Puéllæ ánimus perfectiónis evangélicæ stúdio mirabíliter árserat. Hinc Bonóniam adveniénte sancto Patriárcha Domínico, tanto devotiónis affféctu ipsum cólere cœpit, ut mox spreta, qua erat, insigni formæ elegántia, ceterísque, quibus affluébat, natúræ ac fortúnæ donis, in mánibus ejus ad aram sancti Nicolái, non virginitátis solum, sed et religiónis votum fécerit, astántibus beátis Reginaldo et Guala, cum áliis Frátribus ac nonnúllis étiam urbis matrónis. Exínde durióres ipsas monásticæ vitæ asperitátes ultro domi ampléxa est; nam sub pretiósis véstibus férrea caténa lumbos cinxit, ac secréto clausa cubículo, ad plures quotídie horas piis meditatiónibus et oratiónibus óperam dabat.

Lectio v.

INTERIM, probánte sancto Domínico, de ædificándo Sorórum Ordinis Prædicatórum monastério impénse agébat. Repugnántibus vero obfirmáte paréntibus, Diána, ut emíssum religiónis votum utcúmque impléret, cóntulit se in propínquum Ronzáni collem, ceu antiquióris cujúsdam institúti sanctimoniáles illic degéntes in festo sanctæ Maríæ Magdalénæ visitatúra : at monastérium vix ingréssa, dimisso nóbili comitátu, eárum hábitum pétiit, et accépit. Re Bonóniæ nuntiáta, cogináti, amíci, populáres monastérium invádunt, eóque Diánam tam incleménter abrípiunt, ut costam ipsi perfrégerint. Ob hoc Dei serva annum fere jácuit infírma in doméstico pene cárcere, non consoláta, nisi lítteris idéntidem recéptis a benignióre patre sancto Domínico. Sed vix póterat assúrgere, et en acérbius éxcipit vulnus ob mortem, quæ tunc áccidit, sanctíssimi Viri. Nulli tamen cessit angóri Virgo fortíssima. Nam reparátis víribus, ad illud ipsum monastérium aufúgit íterum, ac tam invícta constántia demum obtínuit, ut de religióso statu amplecténdo líberum sibi arbítrium a consanguíneis permitterétur. Sic

Diána excipiéndis Ordinis Prædicatórum Soróribus monastérium sanctæ Agnétis apud Bonóniam fundáre pótuit, in quod anno sæculi vigésimo tértio, infra Octávam Ascensiónis Christi, cum nobílibus áliquot puéllis introdúcta est ab ínclyto sancti Domínici successóre beáto Jordáno, qui in próximo festo sanctórum Apostolórum Petri et Pauli hábitum Ordinis novis Soróribus índuit, eásque ad religiósam professiónem deínceps admísit, eísque e Román monastério sancti Xysti, triénnio ante a sancto Domínico fundáto, Summus Póntifex Honórius Tértius beátas Cæciliam et Amátam aliásque duas Soróres adjúnxit.

Lectio vj.

NOVUM Bononiénse ascetérium, hisce præsídiis et assídua beáti Jordáni cura diligénter excúltum, cito cláruit incolárum número et sanctimónia. Nam de beáta Cæcília memóriæ tráditum est, eam ex prænóbili Romána progénie ortam, ómnium primam ex Domínici Patris mánibus novi Institúti hábitum Romæ suscepísse, ejúsque gestórum fidelíssimam testem exstitísse. Hæc porro ac beáta Amáta ad multos annos cum magna sanctitátis laude in eo ascetério vixérunt. Præíbat Diána in ómnium virtútum exercítio et in rigidióre legum Ordinis custódia. Elúxit in ea singuláris humílitas, summum paupertátis stúdium, ac véhemens ádeo caritátis fervor, ut de divínis loquens, sæpius Soróres ad úberes devotiónis lácrimas provocáret. Tali modo cum ad omnem sanctitátem monastérium illud suum aliquándiu informásset, nihílque jam optáret ardéntius quam dissólvi, et esse cum Christo, migrávit ad Sponsum die décima Júnii, anno prædícti sæculi trigésimo sexto. Ejus corpus honorífice cónditum est in ecclésia monastérii ad latus altáris sanctæ Agnétis; quo étiam sepúlcro deínde beatárum Cæcíliæ et Amátæ córpora compósita sunt. Quanta autem veneratio sacris illis exúviis constánter adhíbita sit, patet ex secútis translatiónibus, máxime vero ex illa, quæ cóntigit anno millésimo quingentésimo décimo, et in qua Diánæ caput mirífico sudóre atque odóre manásse, vétera testántur monuménta. Cultum beátæ Diánæ ac Sociárum ejus, auctum subínde aliórum signórum fama et continénter propagátum, Leo Décimus tértius Póntifex Máximus rite probávit, earúmque festum cum Officio et Missa in univérso Prædicatórum Ordine, et in Archidiœcési Bononiénsi celebrári permísit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus., ut in Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

IN LAUDIBUS.

Post Hymnum ℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Benedictus Aña. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ.

DIE X. JUNII.

B. JOANNIS DOMINICI

EPISC. ET CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS largítor caritátis, qui beátum Joánnem Confessórem atque Pontíficem in conservánda Ecclésiæ unitáte instaurandáque regulári disciplína virtúte roborásti : per ipsíus intercessiónem tríbue nobis idípsum sentíre et fácere in Christo Jesu Dómino nostro: Qui tecum vivit.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 70*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES paupéribus piísque paréntibus Floréntiæ natus, a primis annis patris vestígiis insístens, cibos manu et arte quærébat. Adoléscens, expléto diúrno ópere, ecclésias invisébat, pia sua vota Dómino solutúrus. Décimo octávo ætátis anno, cæléstia inquírens, Prædicatórum Ordinem ingréssus, tirónibus exémplo præíbat demissíssima præsértim obediéntia. Solémnia vota nuncupátus, erat in victu módicus, jejúnio addictus, in oratióne assíduus, rudióribus véstibus usus, saccum pro lecto hábuit. Optima imbútus morum disciplína, ejúsmodi exercítiis litterárum stúdia conjúnxit, et licet ingenuárum ártium sciéntia et nómine apud omnes polléret, humilitátem tamen mirum in modum excóluit. Proximórum salúti omni stúdio insístens, prædicatióni étiam verbi Dei addíctus, singulári fuit grátia donátus, ádeo ut defléctere voluntátem, commovére ánimos, reformáre mores, adunáre plebes, continére pópulos facíllime posset.

Lectio v.

CURAS omnes étiam sédulo præstitit, ut tam Institúti sui quam aliórum Ordinum regulàris observántia revocarétur, primúsque in Itália fuit, qui spíritus sui fervóre ita ánimos accéndit, ut in primævam formam religiósæ famíliæ redigeréntur. His permótus Gregórius Duodécimus eum Ragusínæ Ecclésiæ Præsulem, et sanctæ Románæ Cardinálem títuli sancti Xysti, licet invitum, creávit. Joánnes vero hac dignitáte auctus, cum Ecclésia infándo laniarétur schísmate, Gregório persuásit ut pro bono Ecclésiæ Pontificátum céderet ; votíque compos factus, Constántiam ad generále concílium convolávit, perlectáque coram ómnibus Pontíficis renuntiatióne, dignitátem suam páriter ultro abdicávit. Concílii Patres huic voluntáti restitérunt, absolutóque concílio, Sigismúndus imperátor a Martíno Quinto ibídem elécto impetrávit ut Joánnes in Bohémiam, Polóniam et Hungáriam, ad exstirpándas hæreses, Legátus mitterétur; ac Budam advéniens, fervéntius cœpit divínis rebus incúmbere, vigíliis et oratiónibus semper inténtus.

Lectio vj.

ARDENTI febre intérea corréptus, vitæ sibi finem adésse prænóvit, et Ecclésiæ

Sacraméntis rite munítus, véniam ab ómnibus apprecátus est. Próprio functus offício, cum pública et priváta ómnia accuráte prosecútus esset, súbito véluti somno arréptus, angélicis, uti fertur, comitátus obséquiis obdormívit in Dómino. Fuit Joánnes potens in ópere et sermóne coram Deo et omni pópulo, qui sciéntiæ et sapiéntiæ sermóne effúlsit in Ecclésia Dei. Ad ejus funus commóta est univérsa cívitas, atque ex históricis monuméntis habétur, multas ad sepúlcrum exstáre imágines prodigiórum testimónia referéntes, quæ fidéles a Deo hujus beáti Viri méritis sunt assecúti. Quaprópter ecclesiásticum immemorábilem beáti Joannis cultum, quem illic, aliísque in locis proméruit, quique constánter usque ad nos devénit, Gregórius Décimus sextus Póntifex Máximus rite probávit, ejúsque festum in univérso Prædicatórum Ordine cum Offício et Missa celebrári indúlsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 78*.

DIE XI. JUNII.

S. BARNABÆ APOSTOLI.

TOTUM DUPLEX. Oratio.

QUÆSUMUS omnípotens Deus : ut beátus Bárnabas Apóstolus tuum pro nobis imploret auxilium; ut a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam periculis eruámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 13.

CUM dimíssa esset synagóga, secúti sunt multi Judæórum, et coléntium advenárum, Paulum, et Bárnabam : qui loquéntes suadébant eis ut permanérent in grátia Dei. Sequénti vero sábbato pene univérsa cívitas convénit audíre verbum Dei. Vidéntes autem turbas Judæi, repléti sunt zelo, et contradicébant his, quæ a Paulo dicebántur, blasphemántes.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo prudéntes.

Lectio ij.

TUNC constánter Paulus, et Bárnabas dixérunt : Vobis oportébat primum loqui verbum Dei : sed quóniam repéllitis illud, et indígnos vos judicátis ætérnæ vitæ, ecce convértimur ad Gentes. Sic enim præcépit nobis Dóminus : Posui te in lucem Géntium, ut sis in salútem usque ad extrémum terræ. Audiéntes autem Gentes gavísæ sunt, et glorificábant verbum Dómini : et credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

Lectio iij.

DISSEMINABATUR autem verbum Dómini per univérsam regiónem. Judæi autem concitavérunt mulíeres religiósas, et honéstas, et primos civitátis, et excitavérunt persecutiónem in Paulum, et Bárnabam : et ejecérunt eos de fínibus suis. At illi, excússo púlvere pedum in eos, venérunt Icónium. Discípuli quoque replebántur gáudio, et Spíritu sancto.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BARNABAS Levítes, Cyprius génere, qui et Joseph, cum Paulo Géntium Apóstolus ordinátus est ad prædicándum Jesu Christi Evangélium. Is, agro véndito, quem habébat, redáctam ex eo pecúniam áttulit Apóstolis. Missus autem Antiochíam prædicatiónis causa, cum ibi multos ad Christi Dómini fidem convérsos esse comperísset, incredibíliter lætátus, eos hortabátur ut in Christi fide permanérent. Qua cohortatióne multum proficiébat, quod ab ómnibus vir bonus et Spíritu sancto plenus habebátur.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

PROFECTUS inde Tarsum, ut quæreret Paulum, cum eo Antiochíam venit. In ejus urbis Ecclésia annum commoráti, christiánæ fídei et vitæ illis homínibus præcépta dedérunt : ubi étiam Jesu Christi cultóres primum Christiáni sunt appellláti. Discípuli autem Pauli et Bárnabæ suis facultátibus Christiános, qui in Judæa erant, sustentábant, eo mitténtes pecúniam per Paulum et Bárnabam. Qui perfúncti illo caritátis officio, adhíbito Joánne, cui cognómen erat Marcus, rediérunt Antiochíam.

℟. v. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur.

Lectio vj.

MULTAS deínde cum Paulo urbes regionésque, prædicans Evangélium, summa cum audiéntium utilitáte peragrávit : cujus præcláre res gestas sanctus Lucas Evangelísta divíno spíritu conscripsit. Postrémo Bárnabas, digréssus a Paulo, una cum Joánne, qui cognominátus est Marcus, navigávit in Cyprum : ibíque círciter séptimum Nerónis an-

num, tértio Idus Júnii ad apostólici múneris laudem martyrii corónam adjúnxit. Ejus corpus, Zenóne imperatóre, repértum est in ínsula Cypro: ad cujus pectus erat Evangélium Matthæi hebráicum, ipsíus Bárnabæ manu conscríptum. Vírginem ipsum fuísse pro certo tráditur.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus: * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Hom. 34. in Matth. post initium.)

Cum Dóminus omnem sollicitúdinem a discipulórum córdibus ejécerit, et ostensióne signórum armáverit, atque ab ómnibus negótiis sæculáribus alienátos, et ab omni temporálium rerum cura liberátos, férreos quodámmodo atque adamántinos fécerit, tum dénique eventúra illis advérsa prædícit. Primum, ut ejus præsciéntiæ vim edíscerent. Deínde, ut nemo suspicarétur ex Magístri infirmitáte tam grávia mala descéndere. Prætérea, ne qui ea passúri erant, súbito ac inopináto rerum eventu perturbaréntur.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

Lectio viij.

Jam vero, ut intélligant novum hoc esse belli genus, et insólitum prœliándi morem, cum illos nudos mítteret, una indútos túnica, sine cálceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipiéntibus ali jubéret: non fecit hic dicéndi finem; sed inexplicábilem virtútem suam próferens, Etiam sic eúntes, inquit, mansuetúdinem tamen óvium osténdite, quamvis ad lupos itúri, nec ad lupos dumtáxat, sed in médio lupórum.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix.

Nec vero óvium tantum mansuetúdinem habére jubet, sed étiam colúmbæ simplicitátem: Sic enim virtútem meam máxime osténdam, cum ab óvibus lupi superabúntur. Majus profécto, atque admirabílius est, mentem adversarióram commutáre, et ánimum in divérsum transférre, quam illos occídere: præsértim cum

duódecim tantum essent, et lupis plenus esset orbis univérsus. Erubescámus ígitur, qui longe divérsa faciéntes, tamquam lupi in adversários rúimus. Nam dum sumus oves, víncimus; si lupi, víncimur : quia pastóris auxílium abest, qui oves, non lupos pascit.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. — Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

DIE XII. JUNII.

B. STEPHANI BANDELLI

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui ad errántes fidéles in viam salútis revocándos beátum Stéphanum, Confessórem tuum, evangélicæ prædicatiónis exímium ministrum effecísti : ejus méritis et intercessióne concéde ut a peccátis ómnibus expediti, sémitam mandatórum tuórum semper currámus. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria SS. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii, Martyrum.

Oratio.

SANCTORUM Mártyrum tuórum Basílidis, Cyríni, Náboris atque Nazárii, quæsumus Dómine, natalítia nobis votíva respléndeant : et quod illis cóntulit excelléntia sempitérna fructibus nostræ devotiónis accréscat. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir., de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

STEPHANUS Bandéllus Insuber Castri Novi ad Scríbiam, Derthonénsis diœcésis óppido, honésto génere ortus est. Adoléscens mundi illécebras et blandiménta despíciens, suæ ac proximórum ætérnæ salúti procurándæ ómnia stúdia omnémque óperam dare constítuit. Religiósam ítaque vitam in Ordine Prædicatórum Placéntiæ profétsus, nihílque magis exóptans quam ut sanctíssimi Institúti partes omnes cumulatíssime expléret, oratióni imprímis ac virtútum ómnium exercítio sese addíxit : inque hoc stúdio tantum profécit, ut sancta ejus conversátio tamquam mirábilis pœniténtiæ ac religiósæ perfectiónis imágo proponerétur. Ad hæc humánas divinásque lítteras a prima ætáte sic cóluit, ut præstantíssimus theologíæ et sacrórum cánonum doctor eváserit.

Lectio v.

IPSIUS nóminis fama látius manánte, efféctum est, ut anno millésimo quadringentésimo vigésimo séptimo ad públice docéndum in Ticinénsi Universitáte evocarétur. Sed constat præcípua ejus laus divíni verbi prædicatióne : cui quidem per annos plures tali ac tanto caritátis fervóre obsecútus est, ut ipsi Paulo ab alíquibus compararétur. Hinc vero quocúmque divérteret, ut verbi ministérium obíret, in-

gens populórum multitúdo ad eum audiéndum confluébat : ipse autem divína grátia adjútus, innúmeros peccatóres e vitiórum cœno ad sincéram pœniténtiam revocávit, ac tepidiórum fidélium corda, ab amóre sæculi plénius avúlsa, ad cæléstis Pátriæ desidéria veheménter accéndit. In his apostólicæ vitæ labóribus cum ætátem omnem contrivísset, anno tandem millésimo quadringentésimo quinquagésimo, ætátis suæ octogésimo primo, apud Salútias, quæ Taurinénsis diœcésis fínibus per ea témpora adhuc continebántur, vitæ sanctitáte et miráculis illústris, tértio Idus Júnii, migrávit ad Dóminum.

Lectio vj.

BEATI Viri corpus honorífico sepúlcro in ecclésia sui Ordinis ibídem recónditum, multis benefíciis in sui veneratiónem fidélium ánimos ímpulit, uti céreæ imágines et tábulæ ad ejus olim túmulum appénsæ protestabántur. Istud vero speciáli commendatióne memóriæ próditum est de hoc sancto Viro, quod anno millésimo quadringentésimo octogésimo séptimo sublímis in áere una cum intemeráta Vírgine appárens, Salútias, dira obsidióne cinctas, ab imminénti excídio liberáverit. Post tam ingens a glorióso Dei Servo afflictæ urbi collátum munus, ipsíus memória máximis religiósæ veneratiónis significatiónibus a Salutiénsibus excúlta est, ac faustíssimus illíus liberatiónis dies pública quotánnis supplicatióne celebrátus, quæ ad nostram usque memóriam perseverávit. Hisce ómnibus rite probátis, Pius Nonus Póntifex Máximus delátos ei ab óbitu Beatórum honóres ratos hábuit et confirmávit, Officiúmque próprium cum Missa in ejus festivitáte recitándum univérso Prædicatórum Ordini, nec non Salutiénsis, Derthonénsis, ac Taurinénsis diœcésis Clero benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XIII. JUNII.

S. ANTONII DE PADUA

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

ECCLESIAM tuam Deus beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

ANTONIUS, Ulyssipóne in Lusitánia honéstis ortus paréntibus, et ab ipsis pie educátus, adoléscens Institútum Canonicórum Regulárium suscépit. Sed cum córpora beatórum quinque Mártyrum Fratrum Minórum, qui paulo ante apud Maróchium pro Christi fide passi erant, Conímbriam transferréntur, martyrii desidério incénsus, ad Franciscánum Ordinem transívit. Mox eódem ardóre impúlsus, ad Saracénos ire perréxit :

sed advérsa valetúdine afflíctus, et redíre coáctus, cum navi ad Hispániæ lítora ténderet, ventórum vi in Sicíliam delátus est.

Lectio v.

ASSISIUM e Sicília ad capítulum generále venit : inde in erémum montis Pauli in Æmília secéssit, ubi divínis contemplatiónibus, jejúniis et vigíliis diu vacávit. Póstea sacris Ordínibus initiátus, et ad prædicándum Evangélium missus, dicéndi sapiéntia et cópia tantum profécit, tantámque sui admiratiónem commóvit, ut eum Summus Póntifex aliquándo concionántem áudiens, Arcam Testaménti appellárit. Adeo promptus ac fácilis erat in exproméndis sacræ Scriptúræ testimóniis, ut ipsos utriúsque Testaménti libros memóriæ affíxos habére vidérétur. Hæréticum de Eucharístiæ sacraménto profáne sentiéntem públicо miráculo confúdit, cum ejus juméntum trídui inédia conféctum (ut condictum erat), neglécto pábulo, in reveréntiam Domínici Córporis, quod manu ipse gestábat, sponte sua procúbuit.

Lectio vj.

PRIMUS ex suo Ordine, ob doctrínæ præstántiam, Bonóniæ et álibi sacras Lítteras est interpretátus, Fratrúmque suórum stúdiis præfuit. Spíritu prophético quoque præditus, futúra multa prædíxit. Multis vero peragrátis provínciis,anno ante óbitum Patávium venit, ubi illústria sanctitátis suæ monuménta relíquit. Dénique magnis labóribus pro glória Dei perfúnctus, méritis et miráculis clarus, obdormívit in Dómino Idibus Júnii, anno Salútis millésimo ducentésimo trigésimo primo : quem Gregórius Nonus Póntifex Máximus sanctórum Confessórum número adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis,pag. 83*.

DIE XIV. JUNII.

S. BASILII MAGNI

EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Basílium minístrum tribuísti : præsta quæsumus, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

De libro Proverbiórum.

Lectio j. Cap. 4.

AUDITE fílii disciplínam patris, et atténdite ut sciátis prudéntiam. Donum bonum tríbuam vobis, legem meam ne derelinquátis. Nam et ego fílius fui patris mei, tenéllus, et unigénitus coram matre mea : et docébat me, atque dicébat : Suscípiat verba mea cor tuum, custódi præcépta mea, et vives.

Lectio ij.

POSSIDE sapiéntiam, pósside prudéntiam : ne obliviscáris, neque declínes a verbis oris mei. Ne dimíttas eam, et custódiet te : dílige eam, et conservábit te. Princípium sapiéntiæ, pósside sapiéntiam, et in

omni possessióne tua acquíre prudéntiam : árripe illam, et exaltábit te : glorificáberis ab ea, cum eam fúeris amplexátus. Dabit cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclyta próteget te.

Lectio iij.

AUDI fili mi, et súscipe verba mea, ut multiplicéntur tibi anni vitæ. Viam sapiéntiæ monstrábo tibi, ducam te per sémitas æquitátis : quas cum ingréssus fúeris, non arctabúntur gressus tui, et currens non habébis offendículum. Tene disciplínam, ne dimíttas eam : custódi illam, quia ipsa est vita tua.

IN II. NOCTURNO.

(Ex S. Gregorio Nazianzeno, S. Gregorio Nysseno, S. Ephrem Syro, et ex aliis bonis Auct.)

Lectio iv.

BASILIUS, nóbilis Cáppadox, Athénis una cum Gregório Nazianzéno, ejus amicíssimo, sæculáribus lítteris, deinde in monastério sacris mirabíliter erudítus, ab insígni doctrína et morum sanctitáte Magni cognómen consecútus est. Cæsáreæ factus Epíscopus, Fílium Patri consubstantiálem esse, in primis defendit : ac Valéntem imperatórem sibi exsílium intentántem miráculis detérruit. Nam et sella, in qua factúrus decrétum sedére volébat, confrácta est : et tribus cálamis ad scribéndum adhíbitis, nullus eórum réddidit atraméntum : et cum nihilóminus persísteret, ipsíus déxtera, dissolútis nervis, tota contrémuit: quibus commótus, chartam utráque manu conscídit.

Lectio v.

EA autem nocte, quæ ad deliberándum Basilío data est, Valéntis uxor íntimis est cruciáta dolóribus, et únicus fílius in gravem morbum íncidit. Quibus ille pertérritus, iniquitátem suam recognóscens, Basilíum accérsit : quo præsénte puer cœpit convaléscere : verum, vocátis a Valénte ad viséndum púerum hæréticis, paulo post móritur. Virginitátem perpétuo cóluit : in jejúnio et oratióne assíduus, in ea sæpe totam noctem consumébat : humi cubábat. Gravi fame regiónem Cæsariénsem devastánte, totum patrimónium in páuperes erogávit.

Lectio vj.

MONASTERIIS exstrúctis, et solitáriæ atque actuósæ vitæ simul conjúnctis utilitátibus, vetus monachórum institútum primus temperávit. Multa erudíte scripsit : ac nemo, teste sancto Gregório Nazianzéno, sacræ Scriptúræ libros ubérius explicávit, aut vérius. Ejus húmero déxtero, spécie cándidæ colúmbæ, insidéntem Spíritum sanctum aliquándo vidit sanctus Ephrem Syrus, et verba sapiéntiæ concionánti suggeréntem. Obiit Kaléndis Januárii, cum tantum spíritu vivens, nulla, præter ossa et pellem, parte córporis constáre viderétur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios,

et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homilía S. Basilíi Epíscopi.
(Lib. Regul. fusius explic. ad interrogat. 8.)

PERFECTA quidem renuntiátio in eo consístit, ut id assequámur, ne ad ipsíus étiam vitæ affectiónem propénsi simus, et respónsum mortis habeámus, ut non simus fidéntes in nobis ipsis. Hujúsmodi autem renuntiátio inítium sumit ab alienatióne rerum externárum, véluti a possessiónibus, ab ináni glória, a vivéndi consuetúdine, a rerum inutílium amóre : quemádmodum étiam suo exémplo nobis ostendérunt sancti Dómini nostri discípuli Jacóbus quidem et Joánnes, relícto patre Zebedæo, et ipsa quoque navícula, de qua omnis illórum victus rátio pendébat.

Lectio viij.

SED quid opus est nostris ratiónibus, aut sanctórum virórum exémplis id quod dícimus confirmáre? cum ipsa Dómini verba in médium líceat afférre, iísque ipsis religiósam ac Deum timéntem ánimam commovére, quibus ille perspícue et sine controvérsia protestátur, dicens : Sic ígitur quicúmque ex vobis non renuntiáverit ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Et álio in loco, cum prius dixísset, Si vis perféctus esse, vade, et vende ómnia quæ habes, et da paupéribus; póstea subjúnxit : Veni, séquere me.

Lectio ix.

EST ígitur renuntiátio, quemádmodum docúimus, vinculórum terrénæ hujus ac temporális vitæ solútio, atque ab humánis negótiis liberátio, per quam ad ineúndam viam, qua ad Deum pervenítur, aptióres et promptióres efficímur : et expedíta rátio ad acquisitiónem usúmque rerum, quæ super aurum et lápidem pretiósum multum longe sunt pretiosióres : et in summa, cordis humáni ad cæléstem conversatiónem translátio, ita ut dícere líceat, Nostra conversátio in cælis est : et (quod máximum est) inítium, unde ad Christi similitúdinem evádimus, qui cum dives esset, propter nos pauper est factus.

DIE XV. JUNII.

SS. VITI, MODESTI ET CRESCENTIÆ MARTYRUM.

TRES LECTIONES. Oratio.

DA Ecclésiæ tuæ, quæsumus Dómine, sanctis Martyribus tuis Vito, Modésto, atque Crescéntia intercedéntibus, supérbe non sápere, sed tibi plácita humilitáte profícere : ut prava despíciens, quæcúmque recta sunt líbera exérceat caritáte. Per.

IN NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio ij.

VITUS ádmodum puer, ínscio patre, baptizátus est : ab

eo póstea resciénte, ac frustra fidem dissuadénte, Valeriáno júdici tráditur, verbéribus castigándus. Judex in sententia persisténtem patri réddidit : qui dum eum grávius punire cógitat, Vitus Angeli mónitu, comítibus Modésto et Crescéntia ejus educatóribus, migrat in aliénas terras : ibíque eam sanctitátis laudem adéptus est, ut ejus fama ad Diocletiánum perláta, ipsum imperátor accérseret, ut fílium suum a dæmone vexátum liberáret : quo liberáto, cum ei amplíssimis præmiis ingrátus imperátor ut deos cóleret persuadére non potuísset, una cum Modésto et Crescéntia vínculis constrictum mittit in cárcerem.

Lectio iij.

POST, cum eos in fide constantióres esse reperísset, demitti jubet in ingens vas liquáto plumbo, fervénti resína, ac pice plenum : in quo cum trium Hebræórum Puerórum more divínos hymnos cánerent, inde extrácti, leóni objiciúntur, qui prostérnens se, eórum pedes lambébat. Quare inflammátus ira imperátor, quod multitúdinem vidébat miráculo commovéri, eos in catásta sterni jubet, et ita cædi eórum membra, atque ossa divélli. Quo témpore tonítrua, fúlgura, magníque terræmótus fuére, quibus templa deórum corruérunt, et multi oppréssi sunt. Tandem beáti Mártyres, cursu gloriósi certáminis perácto, cæléstes corónas accepérunt.

DIE XVI. JUNII.

S. MARTIALIS

EPISC. ET CONF.

TRES LECTIONES. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui beátum Martiálem, Confessórem tuum atque Pontíficem, Ecclésiæ tuæ sanctæ præésse voluísti : quæsumus ut ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per.

IN NOCTURNO.

(Ex Actis probatior. et Innocentio III. Extrav. de sacra Unctione in fine.)

Lectio iij.

MARTIALIS, unus de septuagínta Christi discípulis ac puer ille fuísse tráditur, qui quinque panes hordeáceos et duos pisces attulísse in Evangélio memorátur. Ex Oriénte cum sancto Petro Apóstolo Romam venit, et ab eódem in Gállias causa propagándi Evangélii missus, Lemovicénses, Tolosános, Burdegalénses, Cadurcénses, et Aquitános, atque álios pópulos christiánam religiónem edócuit : unde Galliárum est dictus Apóstolus. Admóto báculo sancti Petri, quem ab eo Romæ accéperat, mórtuum redúxit in vitam. Tandem post multa præclára sanctitátis et doctrínæ ópera, in cælum emigrávit.

In Laudibus Memoria SS. Quirici et Julittæ Martyrum.

Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Quírici et Julittæ natalítia cólere ; da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per.

DIE XVIII. JUNII.

B. OSANNÆ
VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ Osánnæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

OSANNA Mántuæ nobílibus orta paréntibus, grátia ætátem præveniénte, ádeo a téneris cæléstium virtútum divinarúmque rerum stúdio exársit, ut adhuc septénnis virginitátem Deo vóverit : quam póstea ad réliquum vitæ suæ tempus jejúniis, cilício, flagéllis, aliísque córporis cruciátibus illibátam custodíre satégit. Annos exínde quatuórdecim nata, Dominicánæ Tértii Ordinis famíliæ, quam vocant de Pœniténtia, nomen dedit, consuétam tamen professiónem, quod eídem se nunquam satis parem existimáret, in annos usque vitæ suæ extrémos dístulit, altiórem intérea perfectiorémque sanctitátem semper anhélans. In oratióne assídua erat, in qua sæpe étiam noctes dúcere consuévit. Contemplándis vero Christi dolóribus præcípue inténta, ita illis afficiebátur, ut eósdem in se ipsa intérdum experíri vidérétur : mirífica inde quoque suavitáte ádeo perfundebátur, ut ad sacrum crucifíxi Dómini latus, véluti ad perénnem consolatiónis fontem, confúgeret, quóties tribulatiónibus angerétur.

Lectio v.

TANTO divíni Sponsi amóre flagrábat, ut non raro post sumptam Eucharístiam, vel cum de illíus Passióne méntio fíeret, in éxtasim raperétur. Ardentíssima item caritáte próximum compléxa, non modo páuperes reficiébat, mæréntes consolabátur, invisébat ægrótos, sed aliéna étiam mala in se tranférri cúpiens, id ipsum ádeo enixis a Deo précibus efflagitábat. ut idéntidem voti compos effécta fúerit. Paréntibus orbáta, cum administrándæ domus curam suscepísset, domésticos et consanguíneos, quibus virtútum ómnium cælestísque conversatiónis exémplo prælucébat, religiósis móribus ímbuit, sanctísque mónitis in Dei timóre erudívit. Ejus autem virtútum fama látius manánte, cum ad illam tam cives quam éxteri conflúerent, mansuetúdine, humanitáte, piísque collóquiis ad christiánam pietátem, et máxime ad spem in Deum omnes excitábat, et nihilóminus de se ádeo demísse sentiébat, ut ómnium se scelestíssimam existimáret.

Lectio vj.

PROPHETIÆ dono fuísse a Deo insignítam constans hóminum opínio fuit, ac Isabéllæ Mántuæ príncipi virílem prolem diu exoptátam, non modo précibus a Deo impetrásse, sed étiam prædixísse. Cum per Padum aliquándo

cursum tenéret, fractóque navigio, tam ipsa quam céteri vectóres flúctibus abrépti ad certum exítium jactaréntur, divínam opem implórans, et Crucifixi imáginem manu tenens, incólumis, ut ferunt, una cum sóciis emérsit. Extrémo dénique oppréssa morbo, astántibus et collacrimántibus Mántuæ princípibus, ánimam Deo réddidit quartodécimo Kaléndas Júlii, anno Salútis millésimo quingentésimo quinto. Cujus corpus in ecclésia sancti Domínici honorífice cónditum, post tres autem annos incorrúptum invéntum, in sublimióri decentioríque sepúlcro collocátum est, et miraculórum étiam fama illustrátum. Quibus permótus Leo Décimus concéssit ut beátæ Osánnæ memória quotánnis in civitáte et diœcési Mantuána, Innocéntius vero Duodécimus ut in toto Prædicatórum Ordine cum Offício et Missa de Commúni Vírginum celebrarétur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris pag. 100*.

DIE XIX. JUNII.

SS. GERVASII ET PROTASII MARTYRUM.

SIMPLEX. Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii et Protásii solemnitáte lætíficas : concéde propítius ut quorum gaudémus méritis accendámur exémplis. Per.

IN II. NOCTURNO.
(Ex sincerioribus Actis et Romano Breviario.)
Lectio iv.

GERVASIUS et Protásius, Vitális et Valériæ fílii, quorum pater Ravénnæ, mater Medioláni pro Christi Dómini fide martyrium subiérunt, distribúto paupéribus património, domésticos servos libertáte donárunt. Quo facto Gentílium sacerdótes immáne in illos concéptum ódium habébant. Quare cum Astásius comes in bellum proficísci vellet, hanc occasiónem perdéndi pios fratres se nactos esse putavérunt.

Lectio v.

ITAQUE Astásio persuádent se a diis admónitos esse, nullo modo eum in bello victórem futúrum, nisi Gervásio et Protásio coáctis Christum negáre, eósdem ad sacra diis faciénda compélleret. Quod cum illi detestaréntur, Astásius imperávit Gervásium támdiu cædi, dum inter vérbera exspiráret : Protásium fústibus contúsum secúri pércuti jubet. Passi sunt Medioláni décimo tértio Kaléndas Júlii.

Lectio vj.

HORUM sanctórum Mártyrum córpora sanctus Ambrósius Dei mónitu invénit, et in sacro insignique loco collocánda curávit. De quibus ipse hæc ad sanctam Marcellinam sorórem scribit : Invénimus miræ magnitúdinis Viros duos, ut prisca ætas ferébat, ossa ómnia íntegra, sánguinis plúrimum. Qui étiam ingéntia tunc ad Sanctórum glóriam patráta fuisse mirácula narrat.

Sed et sanctus Augustínus : Tantæ, inquit, glóriæ Mártyrum étiam ego testis fui : ubi Medioláni eram, facta mirácula novi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Descéndens Jesus de monte. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 65*.

DIE XX. JUNII.

SS. MARCI ET MARCELLIANI MARTYRUM.

TRES LECTIONES. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Marci et Marcelliáni natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per.

IN NOCTURNO.

(Ex Actis S. Sebastiani et Romano Breviario.)

Lectio iij.

MARCUS et Marcelliánus fratres Románi, propter christiánam fidem a Fabiáno duce comprehénsi, ad stípitem alligáti sunt, pédibus clavis confixis. Ad quos cum ita loquerétur judex, Resipíscite míseri, et vos ipsos ab his cruciátibus erípite : respondérunt : Nunquam tam jucúnde epuláti sumus, quam cum hæc libénter Jesu Christi causa perférimus, in cujus amóre nunc fixi esse cœpimus : útinam támdiu nos hæc pati sinat, quámdiu hoc corruptíbili córpore vestíti érimus ! Qui diem noctémque in torméntis divínas laudes canéntes, dénique telis transfíxi, ad martyrii glóriam pervenérunt.

DIE XXII. JUNII.

B. INNOCENTII QUINTI PAPÆ ET CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Innocéntium Confessórem atque Pontíficem, sciéntiæ ac prudéntiæ donis decorátum, pacis et unitátis conciliatórem effecísti : ejus intercessióne nobis concéde cæléstia sápere, et ómnia bona concórdi stúdio sectári. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 70*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

INNOCENTIUS, ántea Petrus de Tarantásia dictus, anno supra millésimum círciter bis centésimo vigésimo quinto natus est. Dives æque ac nóbilis et elegantióris formæ, a ténera ætáte in Ordine Prædicatórum se súaque ómnia Deo mancipávit. Per annos ferme trigínta in cœnobio Parisiénsi religiósis móribus sacrísque lítteris appríme excúltus, sapiéntiæ ac sanctitátis culmen ascéndit. Ad theológicas disciplínas in Académia Parisiénsi tradéndas, et ad régimen Provínciæ sui Ordinis semel et íterum vocátus, egrégius fuit sacræ sciéntiæ magíster, et prælátus inter fratres acceptíssimus. Ubérrimo animárum fructu pópulos Gálliæ verbi Dei prædicatióne informávit, sibíque haud exíguam dicéndi laudem proméruit.

Lectio v.

A BEATO Gregório Décimo Pontífice Máximo Eccléſiæ Lugdunénsi regéndæ præpósitus, cleri populíque graves ac diutúrnas contentiónes brevi ac felíciter sedávit. In Senátum purpuratórum Patrum adscítus, œcuménicæ Synodo Lugdúni celebrándæ sollícite ómnia dispósuit: tum in ipsa Synodo, jussu Pontíficis, una cum sancto Bonaventúra, majóris moménti negótia moderátus est. Ejus præsértim ópera Græcórum conjúnctio cum Latínis probáta est; querélæ cleri sæculáris contra regulárem sublátæ, et Conclávis statúta ad futúras Romanórum Pontíficum electiónes sancíta.

Lectio vj.

ARETII beáto Gregório Décimo vita functo, cunctis Cardinálium suffrágiis ad Petri Cáthedram evéctus est. Magnánimi decessóris consília prosecútus, ímpigre stúduit ut Orientáles a jugo infidélium liberáret; Cárolum Sicíliæ regem cum Itálicis civitátibus amíce compósuit; Rodúlphum imperatórem Ecclésiæ Románæ ditióni ab Alpibus minitántem propulsávit; contra Saracénos, Hispániam invadéntes, celeritáte magna exércitum Cruce signatórum instrúxit; normas dedit, quibus religiósa Græcórum cum Latínis reconciliátio perficerétur, a successóribus sédulo reténtas. Hæc tanta operátus brevi quinque ménsium decúrsu, dum majóra adhuc ab eo sperábat Ecclésia, febri Romæ corréptus, anno ætátis suæ quinquagésimo primo ad Súperos piíssime evolávit. Multis in vita et post mortem miráculis cláruit. Quam ob rem statim ab éxitu cultus ecclesiásticus beáto Pontífici præstitus fuit: quem nunquam intermíssum, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, Leo Papa Décimus tértius confirmávit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 78*.

DIE XXIII. JUNII.

SS. DECEM MILLIUM MARTYRUM.

DUPLEX. Oratio.

DEUS qui, ad imitándum Passiónis tuæ exémplum, decem míllia Mártyrum crucis patíbulum subíre fecísti: concéde propítius ut qui Passiónem eórum venerámur in terris, Passiónis tuæ remédia cónsequi mereámur in cælis. Qui vivis.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Martyrol. Rom. et Græco Menol. et ex Serm. S. Ephrem in Laudibus omnium Mart. tom. 3.

Lectio iv.

DECEM míllium Mártyrum nóbile certámen, quo in monte Arméniæ Ararath pro christiánæ fídei confessióne crúcibus affíxi, claríssimum trophæum sánguinis cælo victóres intulérunt, Ecclésia Latína et Græca pari consénsu, públicis inscúlptum monuméntis, anniversário ritu ac virénti in sempitérnum memória dignis præcóniis célebrat.

Lectio v.

IN eórum sane laudes egrégias sancti Patris Ephrem verba mirifice cóncinunt, cum ita Mártyres prædicat: Quibus vos encómiis célebrem, o perfécti Púgiles Christi? aut quo vos nómine appéllem Viri ínclyti, ac ter quatérque beáti? Obstúpuit namque summórum oratórum eloquéntia et philosophórum sapiéntia, dum ádeo mirabília in Christi Servis fíeri cérnerent.

Lectio vj.

TYRANNIS atque judícibus verba defecérunt, sanctórum Christi Mártyrum fidem atque constántiam alacritatémque cum incredíbili tolerántia atque perseveránti intuéntibus. Quam ergo nos, quæso, dilectíssimi fratres, in die extrémi judícii excusatiónem apud Deum habébimus, qui absque ulla persecutiónis atrocitáte tormentorúmque vi, caritátem Dei vitámque nostram usque ádeo negléximus, atque tam profúndo torpóris atque desídiæ somno demérsi sumus?

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Cum audiéritis prœlia. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 60*.

DIE XXIV. JUNII.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Ingrésso Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriel Angelus, stans a dextris altáris incénsi. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Jerem. 1.

PRIUSQUAM te formárem in útero, novi te: et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te.

℟. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta: * Qui viam Dómino præparávit in erémo. ℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. — Qui viam. Glória. Qui viam.

Hymnus.

UT queant laxis resonáre fibris
Mira gestórum fámuli tuórum,
Solve pollúti lábii reátum
Sancte Joánnes.

NUNTIUS celso véniens Olympo
Te patri magnum fore nascitúrum,
Nomen et vitæ sériem geréndæ
Ordine promit.

ILLE, promíssi dúbius supérni,
Pérdidit promptæ módulos loquélæ :
Sed reformásti génitus perémptæ
Organa vocis.
VENTRIS obstrúso pósitus cubíli,
Sénseras Regem thálamo manéntem :
Hinc parens nati méritis utérque
Abdita pandit.
LAUDIBUS cives célebrent supérni
Te Deus simplex paritérque trine :
Súpplices et nos véniam precámur :
Parce redémptis. Amen.

℣. Fuit homo missus a Deo.
℟. Cui nomen erat Joánnes.

Ad Magnificat Aña. Pro eo quod non credidísti verbis meis, eris tacens, et non póteris loqui usque in diem nativitátis ejus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Joánnis Prædicatóris hortaménta sectándo, ad eum, quem prædíxit, secúra pervéniat : Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit...

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Prædicatóris Dóminum, * Veníte adorémus.

Hymnus.

ANTRA desérti téneris sub annis,
Cívium turmas fúgiens, petísti,
Ne levi saltem maculáre vitam
Fámine posses.
PRÆBUIT hirtum tégumen camélus
Artubus sacris, stróphium bidéntes :
Cui latex haustum, sociáta pastum
Mella locústis.
CETERI tantum cecinére Vatum
Corde præságo jubar affutúrum :
Tu quidem mundi scelus auferéntem
Indice prodis.
NON fuit vasti spátium per orbis
Sánctior quisquam génitus Joánne :
Qui nefas sæcli méruit lavántem
Tíngere lymphis.
LAUDIBUS cives célebrent supérni
Te Deus simplex paritérque trine :
Súpplices et nos véniam precámur :
Parce redémptis. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de ventre, sanctificávi te. Psalmus Beátus vir. cum ceteris de Communi unius Martyris, pag. 39*. et seq.

Aña. Ad ómnia, quæ mittam te, dicit Dóminus, ibis, ne tímeas : et quæ mandávero tibi, loquéris ad eos.

Aña. Ne tímeas a fácie eórum : quia ego tecum sum, dicit Dóminus.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est verbum Dómini ad me, dicens : Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te. Et dixi, A a a, Dómine Deus : ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me : Noli dícere : Puer sum : quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis : et univérsa, quæcúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum : quia tecum ego sum ut éruam te, dicit Dóminus.

℟. j. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes : * Hic venit ut testimónium perhibéret de lúmine, et paráret Dómino plebem perféctam. ℣. Erat Joánnes in desérto prædicans baptísmum pœniténtiæ. — Hic venit.

De Isaía Prophéta.

Lectio ij. Cap. 49.

AUDITE ínsulæ, et atténdite pópuli de longe : Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei. Et pósuit os meum quasi gládium acútum : in umbra manus suæ protéxit me, et pósuit me sicut sagíttam eléctam : in pháretra sua abscóndit me. Et dixit mihi : Servus meus es tu Israel, quia in te gloriábor. Et nunc dicit Dóminus, formans me ex útero servum sibi, ut redúcam Jacob ad eum, et Israel non congregábitur : et glorificátus sum in óculis Dómini, et Deus meus factus est fortitúdo mea.

℟. ij. Elísabeth Zachariæ magnum virum génuit, Joánnem Baptístam, Præcursórem Dómini : * Qui viam Dómino præparávit in erémo. ℣. Erat quidem infecúnda córpore, sed serváta mystério : caruítque sterilitátis oppróbrio, gignéndo fílium de cælo promíssum. — Qui viam Dómino.

Lectio iij. Cap. 40.

CONSOLAMINI, consolámini pópule meus, dicit Deus vester. Loquímini ad cor Jerúsalem, et advocáte eam : quóniam compléta est malítia ejus, dimíssa est iníquitas illíus : suscépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccátis suis. Vox clamántis in desérto : Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et erunt prava in directa, et áspera in vias planas.

℟. iij. Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de ventre, sanctificávi te, * Et prophétam in géntibus dedi te. ℣. Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te super gentes et regna. — Et prophétam. Glória. Et prophétam.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et prophétam in géntibus dedit me Dóminus.

Aña. Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te super gentes et regna.

Aña. Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 20. de Sanctis.)

Lectio iv.

POST illum sacrosánctum Dómini Natális diem, nullius hóminis Nativitátem légimus celebrári, nisi solíus beáti Joánnis Baptístæ. In áliis Sanctis et eléctis Dei nóvimus illum diem coli, quo illos, post consummatiónem labórum et devíctum triumphatúmque mundum, in perpétuas ætérnitátes præsens hæc vita partúriit : in áliis, inquam, consummáta últimi diéi mérita celebrántur : in hoc étiam prima dies et ipsa Joánnis inítia consecrántur : pro hac absque dúbio causa, quia per hunc Dóminus advéntum suum, ne súbito insperátum hómines non agnóscerent, vóluit esse testátum.

℟. iv. Descéndit Angelus Dómini ad Zacharíam, dicens : Accipe púerum in senectúte tua : * Et habébit nomen Joánnes Baptísta. ℣. Ne tímeas Zacharía, quóniam exaudíta est orátio tua : et Elísabeth uxor tua páriet tibi fílium. — Et habébit nomen Joánnes Baptísta.

Lectio v.

JOANNES autem figúra fuit Véteris Testaménti, et in se prætulit formam Legis : et ideo prænuntiávit Salvatórem, sicut Lex Grátiam præcucúrrit. Quod autem nondum natus de secréto matérni úteri prophetávit, et expers lucis jam testis est veritátis : hoc est intelligéndum, quod latens sub velámine et carne lítteræ, et Redemptórem mundo spíritu prædicávit, et nobis Dóminum Deum nostrum de quodam Legis útero proclamávit.

℟. v. Hic est Præcúrsor diléctus, et lucérna lucens ante Dóminum : ipse est enim Joánnes, qui viam Dómino præparávit in erémo : sed et Agnum Dei demonstrábat, * Et illumináhat mentes hóminum. ℣. Erat Joánnes in desérto baptízans, et prædicans baptísmum pœniténtiæ. — Et illumináhat.

Lectio vj.

ERGO quia Judæi erravérunt a ventre, id est, a Lege, quæ Christo grávida erat, erravérunt a ventre, locúti sunt falsa : ídeo hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine. Quod autem Joánnes in cárcere constitútus, ad Christum discípulos suos órdinat : Lex ad Evangélium transmíttit. Quæ Lex juxta typum Joánnis, quasi ignorántiæ clausa cárcere, in obscúro et in occúlto jacébat, et Judáicæ cæcitátis sensus intra lítteram tenebátur inclúsus.

℟. vj. Innuébant patri ejus, quem vellet vocári eum : * Et póstulans pugillárem scripsit, dicens : Joánnes est nomen ejus. ℣. Vicíni quoque, et cognáti ejus venérunt circumcídere púerum, et sciscitáti sunt eum quo nómine vocarétur. — Et póstulans. Glória. Joánnes est nomen ejus.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Pósuit os meum Dóminus quasi gládium acútum : sub umbra manus suæ protéxit me.

Aña. Formans me ex útero servum sibi Dóminus in lucem géntium, ut sim salus ejus ab extrémis terræ.

Aña. Reges vidébunt, et consúrgent príncipes, et adorábunt Dóminum Deum tuum, qui elégit te.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

ELISABETH implétum est tempus pariéndi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni, et cognáti ejus quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa, et congratulabántur ei. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 2. in Luc.)

PEPERIT fílium Elísabeth, et congratulabántur vicíni. Habet sanctórum edítio lætítiam plurimórum, quia commúne est bonum. Justítia enim commúnis est virtus : et ídeo in ortu justi, futúræ vitæ insígne præmíttitur, et grátia secutúræ virtútis, exsultatióne vicinórum præfiguránte, signátur. Pulchre autem tempus, quo fuit in útero Prophéta, descríbitur, ne Maríæ præséntia taceátur : sed tempus silétur infántiæ, eo quod infántiæ impedimenta nescívit.

℟. vij. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur: * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est enim prophéta, et plusquam prophéta : de quo Dóminus ait. — Nullus major.

Lectio viij.

ET ídeo in Evangélio nihil super eo légimus, nisi ortum ejus, et oráculum, exsultatiónem in útero, vocem in desérto. Neque enim ullam infántiæ sensit ætátem, qui supra natúram, supra ætátem, in útero pósitus matris, a mensúra perféctæ cœpit ætátis plenitúdinis Christi. Mire sanctus Evangelísta præmitténdum putávit, quod plúrimi infántem patris nómine Zachariam appellándum putárint : ut advértas, matri non nomen alicújus displicuísse degéneris, sed id ei sancto infúsum Spíritu, quod ab Angelo ante Zachariæ fúerat prænuntiátum.

℟. viij. Gábriel Angelus appáruit Zachariæ, dicens : Nascétur tibi fílius, nomen ejus Joánnes vocábitur : * Et multi in nativitáte ejus gaudébunt. ℣. Erit enim magnus coram Dómino : vinum, et síceram non bibet. — Et multi.

Lectio ix.

ET quidem ille mutus intimáre vocábulum fílii nequívit uxóri; sed per prophetíam dídicit Elísabeth quod non didícerat a maríto. Joánnes est, inquit, nomen ejus : hoc est, Non nos ei nomen impónimus, qui jam a Deo nomen accépit : habet vocábulum suum, quod agnóvimus, non quod elégimus. Habent hoc mérita sanctórum, ut a Deo nomen accípiant.

℟. ix. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta : * Qui viam Dómino præparávit in erémo. ℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes.— Qui viam Dómino. Glória. Qui viam Dómino.

Ante Laudes ℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Elísabeth Zacharíæ magnum virum génuit, Joánnem Baptístam Præcursórem Dómini. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Innuébant patri ejus, quem vellet vocári eum : et scripsit dicens : Joánnes est nomen ejus.

3. Joánnes est nomen ejus : vinum et síceram non bibet : et multi in nativitáte ejus gaudébunt.

4. Joánnes vocábitur nomen ejus : et in nativitáte ejus multi gaudébunt.

5. Iste puer magnus coram Dómino : nam et manus ejus cum ipso est.

Capitulum. Jerem. 1.

PRIUSQUAM te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te.

Hymnus.

OMNIS felix, meritíque celsi,
Nésciens labem nívei pudóris,
Præpotens Martyr, eremíque cultor,
Máxime Vatum !

SERTA ter denis álios corónant
Aucta creméntis, duplicáta quosdam ;
Trina, centéno cumuláta fructu,
Te sacer ornant.

NUNC potens nostri méritis opímis
Péctoris duros lápides repélle,
Asperum planans iter, et refléxos
Dírige calles :

UT pius mundi Sator et Redémptor,
Méntibus pulsa livióne puris,
Rite dignétur véniens sacrátos
Pónere gressus.

LAUDIBUS cives célebrent supérni
Te Deus simplex paritérque trine :
Súpplices et nos véniam precámur :
Parce redémptis. Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Benedictus Aña. Apértum est os Zacharíæ, et prophetávit, dicens : Benedíctus Dóminus Deus Israel.

Ultima verba hujus Antiphonæ, scilicet Benedíctus Dóminus Deus Israel. hodie omittuntur in Cantico Zachariæ, quod, præmissa dicta Antiphona, sic debet incipere : Quia visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ.

¶ In Octava tamen die, Canticum Benedíctus. incipit modo consueto.

Oratio.

DEUS, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per.

¶ Præcedens Oratio dicatur etiam ad Tertiam, Sextam, Nonam et ij. Vesperas.

AD TERTIAM.

Capitulum Priúsquam te formárem., ut in Laudibus.

¶ ℟℟. et ℣℣. Horarum ut in Communi unius Martyris, pag. 46*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isa. 49.

AUDITE ínsulæ, et atténdite pópuli de longe : Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei.

AD NONAM.

Capitulum. Isa. 49.

POSUIT os meum Dóminus quasi gládium acútum : in umbra manus suæ protéxit me : et pósuit me sicut sagíttam eléctam.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Elísabeth Zacharíæ magnum virum génuit, Joánnem Baptístam Præcursórem Dómini. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi unius Martyris, pag. 47*.

Capitulum Priúsquam te formárem., Hymnus Ut queant laxis. et ℣. Fuit homo., ut in j. Vesperis, pagg. 536-537.

Ad Magnificat Aña. Et posuérunt omnes, qui audíerant, in corde suo, dicéntes : Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Dómini erat cum illo. Et Zacharías pater ejus implétus est Spíritu sancto : et prophetávit dicens : Benedíctus Dóminus Deus Israel, quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ.

PER OCTAVAM
S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Ad Matutinum Invitatorium Regem Præcursóris...

¶ Sequentes Antiphonæ ad Benedictus et ad Magnificat vel ad Memoriam per Octavam quotidie dicantur, etiam infra Octavam Corporis Christi, si in ea occurrerit.

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis : præíbis ante Dóminum paráre vias ejus.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expressa signo sanctitátis.

Oratio Deus, qui præséntem diem. ut in Laudibus Festi.

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Oratio Deus, qui præséntem diem., ut in Laudibus Festi.

PRIMA DIE
INFRA OCT. S. JOANNIS BAPT.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(Serm. 21. de Sanctis.)
Lectio iij.

NATALEM sancti Joánnis, fratres caríssimi, hódie celebrámus: quod nulli unquam

Sanctórum légimus fuísse concéssum. Solíus enim Dómini et beáti Joánnis dies Nativitátis in univérso mundo celebrátur, et cólitur. Hunc enim stérilis péperit; illum Virgo concépit. In Elísabeth sterílitas víncitur : in beáta María conceptiónis consuetúdo mutátur. Elísabeth, virum cognoscéndo, fílium génuit; María Angelo crédidit, et concépit.

SECUNDA DIE
INFRA OCT. S. JOANNIS BAPT.

Homília sancti Basílii Magni. (Hom. 2. in Ps. 28. post init.)

Lectio iij.

VOX Dómini super aquas. Qualis vox? Super quas aquas? Velut prophetíam accipiámus, quod dictum est. Memineris Joánnis, qui interrogátus a Judæis, Tu quis es? quod respónsum dábimus iis, qui misérunt nos? respóndit : Ego vox clamántis in desérto. Ígitur vox Dómini est Joánnes, Angelus a Deo missus ante fáciem Dómini, ut paráret Dómino plebem perféctam. Hæc ígitur vox super aquas erat super Jordánem, in quo baptizábat prædicans pœniténtiæ baptísmum.

DIE XXVI. JUNII.
SS. JOANNIS ET PAULI
MARTYRUM.
SIMPLEX.

AD I. VESPERAS.

Capitulum Sancti per fidem, et Hymnus Sanctórum méritis. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 52*.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magníficat Aña. Astitérunt justi ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti : cálicem Dómini bibérunt, et amici Dei appellati sunt. Oratio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut nos geminàta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat: quæ de beatórum Joánnis et Pauli glorificatióne procédit, quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per.

¶ Ubi vero festum SS. Joannis et Pauli Duplex fuerit aut Totum Duplex, sic dicantur primæ Vesperæ :

Super Psalmos Aña. Hi sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Capitulum. Hebr. 11.

SANCTI per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Isti sunt duæ olívæ et duo candelábra lucéntia ante Dóminum : * Habent potestátem cláudere cælum núbibus, et aperíre portas ejus : Quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt. ℣. Isti sunt duo fílii splendóris, qui assístunt Dominatóri univérsæ terræ. — Habent potestátem. Glória. Quia linguæ eórum.

Hymnus Sanctórum méritis., pag. 52*; ℣. Lætámini., Aña Astitérunt, et Oratio Quæsumus., ut supra.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus de Communi plurimorum Martyrum pag. 53*.

¶ In tribus Nocturnis Psalmi Antiphonæ et Versiculi de eodem Communi; reliqua ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

℟. j. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. — Quóniam prióra transiérunt.

℟. ij. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua : * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus, et una fides erat in eis. — Et ídeo.

℟. iij. Beáti Mártyres Christi Joánnes et Paulus dixérunt Juliáno : Nobis álius non est nisi unus Deus : * Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus. ℣. Una fides, unum baptísma, unus spíritus erat in eis. — Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus. Glória. Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

JOANNES et Paulus fratres Románi, cum facultátibus a Constántia Constantíni fília, cui pie fidelitérque servíerant, sibi relíctis, Christi páuperes álerent, a Juliáno Apóstata in númerum familiárium suórum invitáti, líbere negavérunt se apud eum esse velle, qui a Jesu Christi fide defecísset. Quibus ille ad deliberándum decem dies præfínit, ut nisi ad eam diem ei adhærére, et Jovi sacrificáre constitúerint, sibi moriéndum esse certo sciant.

℟. iv. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, * Ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : terra appáruit árida, et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Victrícem manum tuam laudavérunt páriter, et decantavérunt Dómine nomen sanctum tuum. — Ut inveniréntur illæsi.

Lectio v.

ILLI intra id tempus réliqua sua bona distribuérunt paupéribus, quo expeditióres ad Dóminum migráre possent, et plures juvárent, a quibus in ætérna tabernácula reciperéntur. Die décima, Terentiánus prætóriæ cohórtis præféctus, ad eos missus, cum alláta Jovis effígie, ut eam veneraréntur, imperatóris mandátum eis expónit, ut nisi Jovi cultum adhíbeant, moriántur. Qui, ut erant oránte, respondérunt se pro Christi fide, quem Deum mente et ore venerabántur, non dubitánter mortem subitúros.

℟. v. Vérbera carnífícum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut herédes fierent.

Lectio vj.

AT Terentiánus, véritus ne si públice interficeréntur, pópulus commoverétur, domi,

ubi tunc erant, abscíssis eórum capítibus, sexto Kaléndas Júlii, secréto eos sepeliéndos curávit : rumorémque sparsit, Joánnem et Paulum in exsílium ejéctos esse. Verum eórum mors a spirítibus immúndis, qui multórum córpora vexábant, pervulgáta est: in quibus Terentiáni fílius, et ipse oppréssus a dæmone, ad sepúlcrum Mártyrum perdúctus, liberátus est. Quo miráculo et is in Christum crédidit, et ejus pater Terentiánus, a quo étiam horum beatórum Mártyrum vita scripta dícitur.

℟. vj. Hæc est vera fratérnitas, quæ nunquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, Pervenérunt ad regna cæléstia. ℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum.— Contemnéntes. Glória. Pervenérunt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a ferménto Pharisæórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

(Lib. 4. in Luc. cap. 52.)

DE hoc ferménto Apóstolus præcipit : Itaque epulémur : non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ et nequítiæ : sed in ázymis sinceritátis et veritátis. Nam sicut módicum ferméntum totam farínæ, cui injícitur, massam corrúmpit, universámque mox conspersiónem suo sapóre commáculat : sic nimírum simulátio, cujus semel ánimum imbúerit, tota virtútum sinceritáte et veritáte fraudábit.

℟. vij. In circúitu tuo Dómine lumen est, quod nunquam defíciet, ubi constituísti lucidíssimas mansiónes : * Ibi requiéscunt Sanctórum ánimæ. ℣. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. — Ibi requiéscunt.

Lectio viij.

EST ergo sensus : Atténdite ne æmulémini simulatóres: quia véniet profécto tempus, in quo et vestra virtus ómnibus, et eórum revelétur hypócrisis. Verum quod séquitur, Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur : non solum in futúro, quando cuncta córdium abscóndita proferéntur ad lucem; sed et in præsénti témpore potest congruénter áccipi : quóniam quæ inter ténebras quondam pressurárum carcerúmque umbras, vel locúti vel passi sunt Apóstoli, nunc clarificáta per orbem Ecclésia, lectis eórum áctibus públice prædicántur.

℟. viij. Sancti mei, qui in isto sæculo certámen habuístis, * Mercédem labórum ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem labórum ego reddam vobis.

Lectio ix.

DICO autem vobis amícis meis : Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent quid fáciant. Si persecutóres Sanctórum, occísis corpóribus,

non habent ámplius quid contra illos agant, ergo supervácua furunt insánia, qui mórtua mártyrum membra feris avibúsque discerpénda projiciunt: cum nequáquam omnipoténtiæ Dei, quin ea resuscitándo vivíficet, obsístere possint. Et quia duo sunt génera persecutórum, unum palam sæviéntium, álterum ficte fraudulentérque blandiéntium: contra utrúmque nos munire volens Salvátor, et ab hypócrisi Pharisæórum atténdere, et a cæde carnificum præcipit non timére.

℟. ix. Isti sunt duæ olívæ, et duo candelábra lucéntia ante Dóminum: * Habent potestátem cláudere cælum núbibus, et aperíre portas ejus: Quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt. ℣. Isti sunt duo fílii splendóris, qui assístunt Dominatóri univérsæ terræ. — Habent potestátem. Glória. Quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt.

Ante Laudes ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Paulus et Joánnes dixérunt Juliáno: Nos unum Deum cólimus, qui fecit cælum et terram. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Paulus et Joánnes dixérunt ad Terentiánum: Si tuus dóminus est Juliánus, habéto pacem cum illo: nobis álius non est, nisi Dóminus Jesus Christus.

3. Joánnes et Paulus cognoscéntes tyránnidem Juliáni, facultátes suas paupéribus erogáre cœpérunt.

4. Sancti spíritus et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo in ætérnum.

5. Joánnes et Paulus dixérunt ad Gallicánum: Fac votum Deo cæli, et eris victor mélius quam fuísti.

Capitulum, Hymnus et ℣. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 61*.

Ad Benedictus Aña. Beáti Mártyres Christi Joánnes et Paulus dixérunt Juliáno: Nobis álius non est nisi unus Deus, Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus, allelúia.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut nos geminàta lætitia hodiérnæ festivitátis excípiat: quæ de beatórum Joánnis et Pauli glorificatióne procédit, quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per.

AD TERTIAM,
SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 61*.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Paulus et Joánnes dixérunt Juliáno: Nos unum Deum cólimus, qui fecit cælum et terram. Psalmus Dixit Dóminus, cum ceteris de Communi plurimorum Martyrum, pag. 62*.

Capitulum Sancti per fidem. et Hymnus Sanctórum méritis. de eodem Communi, pag. 52*.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat Aña. Isti sunt duæ olívæ, et duo candelábra lucéntia ante Dóminum : habent potestátem cláudere cælum núbibus, et aperíre portas ejus : quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt, allelúia.

DIE XXVIII. JUNII.

IN VIGILIA SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio j. Cap. 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus Simóni Petro : Simon Joánnis díligis me plus his ? Et réliqua.

Homília sancti Cyrílli Episcopi.

(In Comm. Joann. 21.)

MERITO Petrum Christus interrogávit, si plus eum céteris dilígeret, et id tértio. Petrus autem amáre se fatétur : et amóris sui non álium, sed Christum ipsum in testem citat. In síngulis autem confessiónibus, variátis parúmper verbis, audívit rationálium óvium curam sibi esse habéndam. Altius quiddam hæc orátio certe párturit. Nam quóniam ter in témpore Passiónis negávit, jure nunc ab eo terna dilectiónis conféssio pétitur: ut terna negátio æquáli confessiónis número compensétur.

Lectio ij.

PETIIT autem ab eo, si plus céteris dilígeret. Nam qui majórem cleméntiam in se Dómini fuit expértus, majóri amóre áffici jure debébat. Cui enim plus remíttitur, plus amáre debet : ut ipse álibi dicit. Hinc Ecclésia régulam tértio interrogándi eos accépit, qui ad Baptísmum accédunt, ut terna Christi confessióne fidélibus connumeréntur. Doctóres étiam Ecclésiæ discunt non áliter se Christo posse conjúngi, nisi omni cura stúdeant ut rationáles oves recte pascántur.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

(Hom. 2. de S. Joann. Bapt.)

Lectio iij.

QUAM mirábile est (Joánnis) prædicónium : de cujus ore primum absolutiónem suam mundus audívit ! Hic est, caríssimi, de quo prophética annuntiatióne prædictum est : Vox clamántis in desérto : Paráte viam Dómini. Clamatúrus erat enim, sicut et clamávit : ut vociferánte salútis prædicóne, obturátas diu aures mortálium prædicátio cæléstis aperíret. Quid autem de continéntiæ ejus virtúte, quid de amóre justítiæ loquar, cui, sicut légitur, inimitábilis victus, et luce ipsa clárior véritas fuit ?

In Laudibus Memoria S. Leonis Secundi Papæ et Confessoris. Oratio.

DEUS, qui beátum Leónem Pontíficem, Sanctórum tuórum méritis coæquásti : concéde propítius, ut qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per.

DIE XXIX. JUNII.

SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Ańa. Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? dixit Jesus discípulis suis. Respóndens Petrus dixit : Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Psalmus Laudáte puéri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Act. 12.

PETRUS quidem servabátur in cárcere. Oratio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. Cornélius centúrio, vir religiósus ac timens Deum, vidit maniféste Angelum Dei dicéntem sibi : *Cornéli mitte, et accérsi Simónem, qui cognominátur Petrus : Hic dicet tibi quid te opórteat fácere. ℣. Cum orásset Cornélius nondum in Christo renátus, appáruit ei Angelus dicens. — Cornéli. Glória. Hic dicet tibi quid te opórteat fácere.

Hymnus.

AUREA luce et decóre róseo,
Lux lucis, omne perfudísti sæculum,
Décorans cælos ínclyto martyrio
Hac sacra die, quæ dat reis véniam.
JANITOR cæli, Doctor orbis páriter,
Júdices sæcli, vera mundi lúmina,
Per crucem alter, alter ense triúmphans,
Vitæ senátum laureáti póssident.
OLIVÆ binæ pietátis únicæ,
Fide devótos, spe robústos máxime,
Fonte replétos caritátis gémmæ,
Post mortem carnis impetráte vívere.
SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Ad Magnificat Ańa. Beátus Petrus Apóstolus vidit sibi Christum occúrrere, et adórans eum ait : Dómine quo vadis? Vénio Romam íterum crucifígi.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut nullis nos permíttas perturbatiónibus cóncuti, quos in Apostólicæ confessiónis petra solidásti. Per.

Ad Memoriam de Octava S. Joannis Baptistæ Aña. Inter natos mulierum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Fuit homo missus a Deo.

℟. Cui nomen erat Joánnes.

Oratio.

DEUS, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem regum adorémus Dóminum, * Qui martyrio crucis beátum glorificávit Petrum Apóstolum.

Hymnus.

AUREA luce et decóre róseo,
Lux lucis, omne perfudísti sæculum,
Décorans cælos ínclyto martyrio
Hac sacra die, quæ dat reis véniam.
JANITOR cæli, Doctor orbis páriter,
Júdices sæcli, vera mundi lúmina,
Per crucem alter, alter ense triúmphans,
Vitæ senátum laureáti póssident.
SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. In platéis ponebántur infírmi in léctulis, ut veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, et liberaréntur ab infirmitátibus suis. Psalmus Cæli enárrant glóriam Dei. cum ceteris de Communi Apostolorum, pag. 27*. et sequentibus.

Aña. Ait Petrus princípibus sacerdótum : Jesum, quem vos interemístis, suspendéntes in ligno, hunc Deus suscitávit : et Príncipem et Salvatórem exaltávit ad dandam pœniténtiam in remissiónem peccatórum.

Aña. Petrus Apóstolus dixit paralytico : Ænéa, sanet te Dóminus Jesus Christus : surge, et sterne tibi. Qui contínuo surréxit : et omnes, qui vidérunt, convérsi sunt ad Dóminum.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 3.

PETRUS autem et Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur : quem ponébant quotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is cum vidísset Petrum, et Joánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joánne, dixit : Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis.

℟. j. Simon Petre, ántequam de navi vocárem te, novi te : et super plebem meam príncipem te constítui, * Et claves regni cælórum trádidi tibi. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum et in cælis : et quodcúmque sólveris super terram erit solútum et in cælis. — Et claves regni cælórum trádidi tibi.

Lectio ij.

PETRUS autem dixit : Argéntum et aurum non est mihi : quod autem hábeo, hoc tibi do : In nómine Jesu Christi Nazaréni surge, et ámbula. Et apprehénsa manu ejus déxtera, allevávit eum, et prótinus consolidátæ sunt bases ejus, et plantæ. Et exsíliens stetit, et ambulábat : et intrávit cum illis in templum ámbulans, et exsíliens, et laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem, et laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi : et impléti sunt stupóre et éxtasi in eo, quod contígerat illi.

℟. ij. Si díligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Dómine, tu nosti quia amo te : * Et ánimam meam pono pro te. ℣. Si oportúerit me mori tecum, non te negábo. — Et ánimam meam pono pro te.

Lectio iij.

CUM tenéret autem Petrum, et Joánnem, cucúrrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, quæ appellátur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus, respóndit ad pópulum : Viri Israelítæ quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostra virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis, et negástis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimítti. Vos autem sanctum et justum negástis, et petístis virum homicídam donári vobis : Auctórem vero vitæ interfecístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nóminis ejus, hunc, quem vos vidístis, et nostis, confirmávit nomen ejus : et fides, quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrum.

℟. iij. Cornélius centúrio, vir religiósus ac timens Deum, vidit maniféste Angelum Dei dicéntem sibi : * Cornéli mitte, et accérsi Simónem, qui cognominátur Petrus : Hic dicet tibi quid te opórteat fácere. ℣. Cum orásset Cornélius nondum in Christo renátus, appáruit ei Angelus dicens. — Cornéli. Glória. Hic dicet tibi quid te opórteat fácere.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Factum est autem, ut quædam discípula, nómine Tabítha, plena opéribus bonis et eleemósynis, infirmáta morerétur : misérunt autem discípuli ad Petrum, rogántes : Ne pigritéris veníre usque ad nos.

Aña. Adveniénte Petro, circumstetérunt illum omnes víduæ flentes, et ostendéntes túnicas et vestes, quas faciébat illis Dorcas.

Aña. Ponens Petrus génua sua orávit : et convérsus ad corpus dixit : Tabítha surge. At illa apéruit óculos : et viso Petro resédit : dansque illi manum eréxit eam, et sanctis ac víduis assignávit vivam.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Sermo sancti Leónis Papæ.
(Serm. I. in natali Apost. Petri et Pauli.)

Lectio iv.

OMNIUM quidem sanctárum solemnitátum, dilectíssimi, totus mundus est párticeps : et unius fídei pietas éxigit ut quidquid pro salúte universórum gestum recólitur, commúnibus ubíque gáudiis celebrétur. Verúmtamen hodiérna festívitas, præter illam reveréntiam, quam toto terrárum orbe proméruit, speciáli et própria nostræ Urbis exsultatióne veneránda est : ut ubi præcipuórum Apostolórum glorificátus est éxitus, ibi in die martyrii eórum sit lætítiæ principátus. Isti enim sunt Viri, per quos tibi Evangélium Christi, Roma, respléndui : et quæ eras magístra erróris, facta es discípula veritátis.

℟. iv. Dómine, si tu es, jube me veníre ad te super aquas. Et exténdens manum apprehéndit eum : * Et dixit Jesus : Módicæ fídei, quare dubitásti? ℣. Cumque vidísset ventum válidum veniéntem, tímuit : et cum cœpísset mergi, clamávit dicens : Dómine salvum me fac. — Et dixit Jesus.

Lectio v.

ISTI sunt patres tui veríque pastóres, qui te regnis cæléstibus inseréndam multo mélius multóque felícius condidérunt, quam illi, quorum stúdio prima mœnium tuórum fundaménta locáta sunt : ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fratérna te cæde fœdávit. Isti sunt, qui te ad hanc glóriam provexérunt, ut gens sancta, pópulus eléctus, cívitas sacerdotális et régia, per sacram beáti Petri Sedem Caput orbis effécta, látius præsidéres religióne divína quam dominatióne terréna. Quamvis enim, multis aucta victóriis, jus impérii tui terra maríque protúleris; minus tamen est, quod tibi béllicus labor súbdidit, quam quod pax christiána subjécit.

℟. v. Tu es Pastor óvium, Princeps Apostolórum : tibi trádidit Deus ómnia regna mundi : * Et ídeo tráditæ sunt tibi claves regni cælórum. ℣. Tibi enim a Dómino colláta est potéstas ligándi atque solvéndi. — Et ídeo.

Lectio vj.

DISPOSITO namque divínitus óperi máxime congruébat, ut multa regna uno confœderaréntur império, et cito pérvios habéret pópulos prædicátio generális, quos unius teneret régimen civitátis. Hæc autem cívitas, ignórans suæ provectiónis Auctórem, cum pene ómnibus dominarétur géntibus, ómnium géntium serviébat erróribus : et magnam sibi videbátur assumpsísse religiónem, quia nullam respuébat falsitátem. Unde,

quantum erat per diábolum tenácius illigáta, tantum per Christum est mirabílius absolúta.

℟. vj. Surge Petre, et índue vestiménta tua : áccipe fortitúdinem ad salvándas gentes : * Quia cecidérunt caténæ de mánibus tuis. ℣. Angelus Dómini ástitit : et lumen refúlsit in habitáculo cárceris : percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens : Surge velóciter. — Quia cecidérunt caténæ. Gloria. Quia cecidérunt caténæ.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Cornélius centúrio, vir religiósus ac timens Deum, vidit maniféste Angelum Dei dicéntem sibi : Cornéli mitte, et accérsi Simónem, qui cognominátur Petrus : hic dicet tibi quid te opórteat fácere.

Aña. Apériens Petrus os suum dixit : In veritáte cómperi quóniam non est personárum accéptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum et operátur justítiam accéptus est illi.

Aña. Adhuc loquénte Petro, cécidit Spíritus sanctus super omnes, qui audiébant verbum: et erant loquéntes linguis et magnificántes Deum. Tunc Petrus jussit eos baptizári in nómine Dómini Jesu Christi.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Cæsáreæ Philíppi : et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 3. Comm. in Matth. cap. 16.)

PULCHRE intérrogat, Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? quia qui de Fílio hóminis loquúntur, hómines sunt: qui vero divinitátem ejus intélligunt, non hómines, sed dii appellántur. At illi dixérunt : Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam. Miror quosdam intérpretes causas errórum inquírere singulórum, et disputatiónem longíssimam téxere quare Dóminum nostrum Jesum Christum álii Joánnem putáverint, álii Elíam, álii Jeremíam, aut unum ex prophétis : cum sic potúerint erráre in Elía et Jeremia, quómodo Heródes errávit in Joánne, dicens, Quem ego decollávi Joánnem, ipse surréxit a mórtuis, et virtútes operántur in eo.

℟. vij. Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? dixit Jesus discípulis suis. Respóndens Petrus dixit : Tu es Christus Fílius Dei vivi. * Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Beátus es Simon Bar Jona : quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. — Et ego dico tibi.

Lectio viij.

VOS autem quem me esse dícitis? Prudens lector atténde, quod ex consequéntibus textúque sermónis, Apó-

stoli nequáquam hómines, sed dii appellántur. Cum enim dixísset, Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? subjécit: Vos autem quem me esse dícitis? Illis, quia hómines sunt, humána opinántibus, vos, qui estis dii, quem me esse existimátis? Petrus ex persóna ómnium Apostolórum profitétur: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Deum vivum appéllat, ad distinctiónem eórum deórum, qui putántur dii, sed mórtui sunt.

℟. viij. Ego pro te rogávi, Petre, * Ut non defíciat fides tua: et tu aliquándo convérsus confírma fratres tuos. ℣. Simon, ecce Satan expetívit vos ut cribráret sicut tríticum: ego autem rogávi pro te. — Ut non defíciat.

Lectio ix

RESPONDENS autem Jesus dixit ei: Beátus es Simon Bar Jona. Testimónio de se Apóstoli reddit vicem. Petrus díxerat, Tu es Christus, Fílius Dei vivi: mercédem recépit vera conféssio: Beátus es Simon Bar Jona. Quare? Quia non revelávit tibi caro et sanguis: sed revelávit Pater. Quod caro et sanguis reveláre non pótuit, Spíritus sancti grátia revelátum est. Ergo ex confessióne sortítur vocábulum, quod revelatiónem ex Spíritu sancto hábeat, cujus et fílius appellándus sit. Síquidem Bar Jona in nostra lingua sonat, Fílius colúmbæ.

℟. ix. Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum et in cælis: * Et quodcúmque sólveris super terram erit solútum et In cælis. ℣. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. — Et quodcúmque. Glória. In cælis.

Ante Laudes ℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo ecclésiam meam.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Petrus et Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Argéntum et aurum non est mihi: quod autem hábeo, hoc tibi do.

3. Dixit Angelus ad Petrum: Circumda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

4. Petre amas me? Pasce oves meas. Tu scis Dómine quia amo te.

5. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Capitulum. Act. 12.

PETRUS quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

Hymnus.

OLIVÆ binæ pietátis únicæ,
Fide devótos, spe robústos máxime,
Fonte replétos caritátis gémi-næ,
Post mortem carnis impetráte vívere.
SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus Aña. Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum et in cælis : et quodcúmque sólveris super terram erit solútum et in cælis : dixit Dóminus Simóni Petro. Oratio.

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per.

¶ Hæc Oratio dicatur etiam ad Tertiam, Sextam, Nonam et ij. Vesperas.

Ad Memoriam S. Joannis Baptistæ Aña. Tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis : præíbis ante Dóminum paráre vias ejus.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis. Oratio.

DEUS, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Petrus quidem., ut in Laudibus.

℟. In omnem terram exívit sonus eórum, * Allelúia, allelúia. In omnem terram. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Allelúia. Glória. In omnem terram.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 12.

ANGELUS Dómini ástitit : et lumen refúlsit in habitáculo : percussóque látere Petri excitávit eum, dicens : Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus ejus.

℟. Constítues eos príncipes super omnem terram, * Allelúia, allelúia. Constítues eos. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Allelúia. Glória. Constítues eos.

℣. Nimis honoráti sunt amici tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 12.

NUNC scio vere quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

℟. Nimis honoráti sunt amici tui Deus, * Allelúia, allelúia. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Allelúia. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Petrus et Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi Apostolorum, pag. 34*.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus.

AUREA luce et decóre róseo,
Lux lucis, omne perfudísti sæculum,
Décorans cælos ínclyto martyrio
Hac sacra die, quæ dat reis véniam.
JANITOR cæli, Doctor orbis páriter,
Júdices sæcli, vera mundi lúmina,
Per crucem alter, alter ense triúmphans,
Vitæ senátum laureáti póssident.
OLIVÆ binæ pietátis únicæ,
Fide devótos, spe robústos máxime,
Fonte replétos caritátis géminæ,
Post mortem carnis impetráte vívere.
SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat Aña. Gloriósi Príncipes terræ quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

Oratio.

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per.

Ad Memoriam de Octava S. Joannis Baptistæ Aña. Inter natos mulierum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Oratio.

DEUS, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per.

PER OCTAVAM SS. APOST. PETRI ET PAULI, NISI ALITER NOTETUR.

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor Géntium ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio.

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per.

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Gloriósi Príncipes terræ quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio Deus, qui hodiérnam diem., ut supra.

DIE XXX. JUNII.
IN COMMEMORATIONE S. PAULI APOSTOLI.
DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

¶ Si contingat hoc festum habere j. Vesperas, dicatur super Psalmos Aña. Ego plantávi, Apóllo rigávit : Deus autem increméntum dedit, allelúia.

Capitulum. Philipp. 1.

MAGNIFICABITUR Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

℟. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis et Doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum, * Qui te elégit. ℣. Ut digni efficiámur grátia Dei. — Qui te elégit. Glória. Qui te elégit.

Hymnus Doctor egrégie., ut ad Matutinum.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo.

Ad Magnificat Aña. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis et Doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit. Oratio.

DEUS, qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quæsumus, ut cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per.

¶ Quod si contingat hoc Festum transferri immediate post aliud habens ij. Vesperas integras, fiat de illo Memoria per Antiphonam, ℣. et Orationem supra designatam pro j. Vesperis.

¶ Si tamen infra Octavam Apostolorum Festum hoc vel habuerit j. Vesperas, vel fieret de illo Memoria, ut dictum est, fiet tunc quoque propter Octavam Memoria de S. Petro per Antiphonam Petre amas me., ℣. Tu es Petrus. et Orationem Deus, qui beáto Petro. ut in Laudibus, pag. 560. et pag. 561.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum * In solemnitáte Apóstoli Pauli.

Hymnus.

DOCTOR egrégie Paule mores ínstrue,
Et mente polum nos transférre sátage :
Donec perféctum largiátur plénius,
Evacuáto quod ex parte gérimus.

SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Qui operátus est Petro in Apostolátum operátus est et mihi inter Gentes : et cognovérunt grátiam, quæ data est mihi a Christo Dómino. Psalmus Cæli enárrant glóriam Dei. cum ceteris de Communi Apostolorum, pag. 27*.

Aña. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem justus Judex.

Aña. Mihi vívere Christus est, et mori lucrum : gloriári me opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 13.

ERANT autem in ecclésia, quæ erat Antiochíæ, prophétæ, et doctóres, in quibus Bárnabas, et Simon, qui vocabátur Niger, et Lúcius Cyrenénsis, et Mánahen, qui erat Heródis Tetrárchæ collactáneus, et Saulus. Ministrántibus autem illis Dómino, et jejunántibus, dixit illis Spíritus sanctus : Segregáte mihi Saulum, et Bárnabam in opus, ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes, et oránte, imponentésque eis manus, dimisérunt illos. Et ipsi quidem missi a Spíritu sancto abiérunt Seléuciam, et inde navigavérunt Cyprum.

℟. j. Qui operátus est Petro in Apostolátum operátus est et mihi inter Gentes : et cognovérunt grátiam Dei, * Quæ data est mihi. ℣. Grátia Dei in me vácua non fuit : et grátia ejus semper in me manet. — Quæ data est mihi.

Lectio ij.

ET cum veníssent Salamínam, prædicábant verbum Dei in synagógis Judæórum. Habébant autem et Joánnem in ministério. Et cum perambulássent univérsam ínsulam usque Paphum, invenérunt quemdam virum magum pseudoprophétam, Judæum, cui nomen erat Bárjesu, qui erat cum procónsule Sérgio Paulo viro prudénte. Hic, accersítis Bárnaba, et Saulo, desiderábat audíre verbum Dei. Resistébat autem illis Elymas magus, (sic enim interpretátur nomen ejus) quærens avértere procónsulem a fide.

℟. ij. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre * In illum diem. ℣. Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus. — In illum diem.

Lectio iij.

SAULUS autem, qui et Paulus, replétus Spíritu sancto, intuens in eum, dixit : O plene omni dolo, et omni fallácia, fili diáboli, inimíce omnis justítiæ, non désinis subvértere vias Dómini rectas. Et nunc ecce manus Dómini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et conféstim cécidit in eum calígo, et ténebræ, et circúiens quærébat qui ei manum daret. Tunc procónsul cum vidísset factum, crédidit admírans super doctrína Dómini. Et cum a Papho navigássent Paulus, et qui cum eo erant, venérunt Pergen Pamphyliæ. Joánnes autem discédens ab eis, revérsus est Jerosólymam.

℟. iij. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : * Ideóque repósita est mihi Coróna justítiæ. ℣. Grátia Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit. — Ideóque. Glória. Coróna justítiæ.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi.

Aña. Tu es vas electiónis sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo.

Aña. Magnus sanctus Paulus, vas electiónis, vere digne est glorificándus : qui et méruit thronum duodécimum possidére.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
(Homilia 8. de Laud. Pauli.)
Lectio iv.

Sæpe fúlgido cæli globo delectátus óculus, ad spectáculum oppósiti e regióne lúminis sese violénter intendit : et licet séntiat áciem suam ímparem radiórum esse certámini, desidério tamen illíus pulchérrimi lúminis intuéndi, libénter inaccessíbili radiántis orbis reluctátur corúsco. Tale ígitur quídpiam ego ipse perpétior, qui cum vídeam própriæ mentis óculos ex rádiis Apostólici splendóris hebetári, cúpio tamen Pauli ánimam, miro fulgóre virtútum rutilántem, velut éminus intuéri, et contra importábiles solis micátus contentiósa subíre certámina. Sol enim quidam est homínibus Paulus, qui totum prorsus orbem fulgéntibus linguæ suæ rádiis illuminávit : quique univérsas circumeúndo gentes, cursum omníno solis imitátus est.

℟. iv. Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus * In illum diem justus judex. ℣. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre. — In illum diem justus judex.

Lectio v.

Judices, in prædicatiónem Evangélii sæviéntes, suæ astábant catérvæ. Reges júgiter idípsum bellum gerébant. Audítam Crucem cuncti abominabántur exércitus, quam sapiéntes recípere nesciébant, quasi signum útique damnáti. Sed Paulo totíus hoc mundi bellum omni erat pace jucúndius. Delectábat enim, quicúmque illum propter Evangélium vulnerábat. Hinc est quod ille Græciam atque Barbáriam cum illátis sibi vulnéribus álacer circuíbat, non minus plagis suis gaudens quam régiis triúmphis : haud áliter delectátus naufrágiis quam céteri acquisítis solent gaudére thesáuris.

℟. v. Grátia Dei sum id quod sum, * Et grátia ejus in me vácua non fuit, sed semper in me manet. ℣. Qui operátus est Petro in Apostolátum operátus est et mihi inter Gentes. — Et grátia ejus.

Lectio vj.

Livoribus, quos ei vérbera sæpius inferébant, quasi quibúsdam gloriabátur corónis, tribulatiónibus ut delíciis utebátur, squalóre cárceris ut paradísi amœnitáte gaudébat. Cui te, o beáte Paule, justórum Véteris Testaménti vel Novi áudeam comparáre? Omnium quippe virtútem, quasi in arca quadam, sed cum multo prorsus cúmulo, condidísti. Déinque, étiam si totum contra te áliquis sigillátim justórum appéndat chorum, invéniet trútinam virtútum pondéribus a tua parte depréssam.

℟. vj. Mihi vívere Christus est, et mori lucrum :* Gloriári me opórtet In Cruce Dómini nostri Jesu Christi. ℣. Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. — Gloriári me opórtet. Glória. In Cruce.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium pértuli pro Christo Dómino.

Aña. Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illum diem justus judex.

Aña. Ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ ángelus Sátanæ, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi ut auferrétur a me : et dixit mihi Dóminus : Súfficit tibi Paule grátia mea. ℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Homilia 34. in Matth.)

SIC dícere vidétur : Nolíte turbári, si cum vos inter lupos mitto, tamquam oves et colúmbas esse júbeo. Nam etsi possum contrárium quoque præstáre, et non permíttere ut grave quid patiámini, nec lupis tamquam oves subjécti sitis, sed effícere ut leónibus terribilióres evadátis : tamen sic éxpedit fíeri. Hoc et vos quoque illustrióres fáciet, et meam declarábit virtútem. Sic enim póstea dixit Paulo : Súfficit tibi grátia mea : nam virtus mea in infirmitáte perfícitur. Ipse ígitur vos, ut tales essétis, feci.

℟. vij. Damásci præpósitus gentis Arétæ regis vóluit me comprehéndere : a frátribus per murum * Submíssus sum in sporta, et sic evási manus ejus in nómine Dómini. ℣. Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi scit quia non méntior. — Submíssus sum.

Lectio viij.

SED inspiciámus quam prudéntiam éxigit : serpéntis certe. Nam quemádmodum serpens totum seípsum tradit, nec mínimum curat, si ipsum quoque corpus incídi necésse sit, dúmmodo caput suum íntegrum servet : eódem tu quoque modo, præter fidem, cétera pérdere non cures, sive pecúnias, sive corpus, sive étiam vitam ipsam profúndere necésse sit. Fides enim caput est, et radix, qua serváta, étiam si ómnia perdas, ómnia tamen rursus majóre cum glória recuperábis.

℟. viij. Tu es vas electiónis sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo : * Per quem omnes Gentes cognovérunt grátiam Dei. ℣. Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.—Per quem.

Lectio ix.

IDCIRCO nec símplices solum jussit esse, nec prudéntes solum ; sed ambo hæc in unum míscuit, ut ea in virtútem convertántur. Quod si rebus ipsis id ita fíeri vidére desíderas,

lege Actuum Apostolórum librum : perspícies profécto, cum sæpe Jŭdæórum pópulus in Apóstolos insurréxerit ac dentes exacúerit, illos, colúmbæ simplicitátem imitándo, et cum decénti modéstia respondéndo, iram ipsórum superásse, furórem exstinxísse, ímpetum retardásse.

℟. ix. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis et Doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum, *Qui te elégit. ℣. Ut digni efficiámur grátia Dei. — Qui te elégit. Glória. Qui te elégit.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Ego plantávi, Apóllo rigávit : Deus autem incremèntum dedit, allelúia. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Libénter gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

3. Grátia Dei in me vácua non fuit : sed grátia ejus semper in me manet.

4. Damásci præpósitus gentis Arétæ regis vóluit me comprehéndere : a frátribus per murum submíssus sum in sporta, et sic evási manus ejus in nómine Dómini.

5. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis et Doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

Capitulum. Philipp. 1.

MAGNIFICABITUR Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

ECCLESIARUM príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

DEVOTA sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

IN his patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

TE nunc Redémptor quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus Aña. Ego enim jam delíbor, et tempus meæ resolutiónis instat : bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : súperest mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex. Oratio.

DEUS, qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quæsumus, ut cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per.

Fiat Memoria S. Petri (nisi contingat hoc Festum transferri extra Octavam SS. Apostolorum) :

Aña. Petre amas me? Pasce oves meas. Tu scis Dómine quia amo te.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Oratio.

DEUS, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cæléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti: concéde ut intercessiónis ejus auxílio a peccatórum nostrórum néxibus liberémur. Qui vivis.

¶ Extra Octavam sanctorum Apostolorum de S. Petro nihil fiat.

Deinde (nisi hoc Festum transferatur) fiat Memoria de S. Joanne Baptista:

Aña. Tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis: præíbis ante Dóminum paráre vias ejus.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio.

DEUS, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Magnificábitur Christus. ut in Laudibus.

℟. In omnem terram exívit sonus eórum, * Allelúia, allelúia. In omnem terram. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Allelúia. Glória. In omnem terram.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Tim. 1.

SCIO cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem

℟. Constítues eos príncipes super omnem terram, * Allelúia, allelúia. Constítues eos. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Allelúia. Glória. Constítues eos.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Capitulum. 2. Tim. 4.

BONUM certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus, * Allelúia, allelúia. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Allelúia. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

¶ Si contingat hoc Festum transferri extra Octavam Solemnem, prædicta ℟℟. dicantur absque Allelúia.

AD II. VESPERAS.

¶ Si Commemoratio S. Pauli propria die xxx. Junii celebretur, sic dicantur ij. Vesperæ:

Super Psalmos Aña. Ego plantávi, Apóllo rigávit: Deus autem increméntum dedit, allelúia. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi Apostolorum, pag. 34*.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites et ádvenæ: sed estis cives sanctórum et doméstici Dei: superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus.

AUREA luce et decóre róseo,
Lux lucis, omne perfudísti sæculum,
Décorans cælos ínclyto martyrio
Hac sacra die, quæ dat reis véniam.
JANITOR cæli, Doctor orbis páriter,
Júdices sæcli, vera mundi lúmina,
Per crucem alter, alter ense triúmphans,
Vitæ senátum laureáti póssident.
OLIVÆ binæ pietátis únicæ,
Fide devótos, spe robústos máxime,
Fonte replétos caritátis gémmæ,
Post mortem carnis impetráte vívere.
SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat Aña. Isti sunt duæ olívæ, et duo candelábra lucéntia ante Dóminum : habent potestátem cláudere cælum núbibus, et aperíre portas ejus : quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per.

Memoria de Octava die S. Joannis Baptistæ per Añam Pro eo., ℣. Fuit homo. et Orationem Deus, qui præséntem diem., ut in j. Vesperis ejusdem Octavæ diei, pag. 563. notatum est.

¶ Si vero contingat Commemorationem S. Pauli transferri, hoc modo dicantur ij. Vesperæ.

Super Psalmos Aña. Ego plantávi, Apóllo rigávit : Deus autem increméntum dedit, allelúia. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi Apostolorum, pag. 34*.

Capitulum. Philipp. I.

MAGNIFICABITUR Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

Hymnus.

DOCTOR egrégie Paule mores ínstrue,
Et mente polum nos transférre sátage :
Donec perféctum largiátur plénius,
Evacuáto quod ex parte gérimus.
SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo.

Ad Magnificat Aña. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis et Doctor Géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit. Oratio.

DEUS, qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quæsumus, ut cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per.

De S. Petro nihil fiat, nisi Commemoratio S. Pauli in diem iv. Julii transferatur. Tunc enim, propter Octavam, de S. Petro fiat Memoria per Añam Petre amas me., ℣. Tu es Petrus. et Orationem Deus, qui beáto Petro. ut in Laudibus, pag. 560. et pag. 561.

DIE I. JULII.

IN OCTAVA S. JOANNIS BAPTISTÆ.

SIMPLEX.

IN I. VESPERIS.

Ad Memoriam Aña. Pro eo quod non credidísti verbis meis, eris tacens, et non póteris loqui usque in diem natívitátis ejus.

℣. Fuit homo missus a Deo.
℟. Cui nomen erat Joánnes.

Oratio.

DEUS, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus ut in Festo, pag. 537.

¶ In tribus Nocturnis omnia etiam ut in Festo præter hic posita.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente (vel de Apostolo, si Dominica fuerit).

℟. j. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes : *Hic venit, ut testimónium perhibéret de lúmine, et paráret Dómino plebem perféctam. ℣. Erat Joánnes in desérto prædicans baptísmum pœniténtiæ. — Hic venit.

℟. ij. Elísabeth Zacharíæ magnum virum génuit, Joánnem Baptístam, Præcursórem Dómini : * Qui viam Dómino præparávit in erémo. ℣. Erat quidem infecúnda córpore, sed serváta mystério : caruítque sterilitátis oppróbrio, gignéndo fílium de cælo promíssum. — Qui viam Dómino.

℟. iij. Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de ventre, sanctificávi te, * Et prophétam in géntibus dedi te. ℣. Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te super gentes et regna. — Et prophétam. Glória. Et prophétam.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Máximi Episcopi.

(Homil. 3. in Nativ. S. Joan. Baptistæ.)

Lectio iv.

FESTIVITATEM præséntis diéi, fratres carissimi, venerándi Joánnis Baptístæ genuina Natívitas consecrávit, qui idcirco in hoc sæculo supérna dispensatióne diréctus est, ut non solum ipse prophetáli sublimarétur glória, sed ut ómnium etiam per eum Prophetárum præcónia firmaréntur. Nec

immérito illum præcípuo honóre nunc venerámur, qui speciáli quadam grátia, ob hoc Redemptórem mundi novíssimus prophetávit, ut osténderet eum primus.

℟. iv. Descéndit Angelus Dómini ad Zacharíam, dicens : Accipe púerum in senectúte tua : *Et habébit nomen Joánnes Baptísta. ℣. Ne tímeas Zacharía, quóniam exaudíta est orátio tua : et Elísabeth uxor tua páriet tibi fílium. — Et habébit nomen Joánnes Baptísta.

Lectio v.

Hic enim solus est prophetárum, qui Dóminum nostrum Jesum Christum, quem álii in longa témpora futúrum præsciérunt, própriis óculis vidére méruit, et annuntiáre præséntem. Hic est ille quem, inspiránte Deo, præscius annúntiat Isaías, dicens : Vox clamántis in desérto : Paráte viam Dómini. Quam cóngrue, fratres caríssimi, beátus Joánnes prædicátus est Vox, qui cæléstis Verbi et præco mittebátur, et testis.

℟. v. Hic est præcúrsor diléctus, et lucérna lucens ante Dóminum : ipse est enim Joánnes, qui viam Dómino præparávit in erémo : sed et Agnum Dei demonstrábat : * Et illuminábat mentes hóminum. ℣. Erat Joánnes in desérto baptízans, et prædicans baptísmum pœniténtiæ. — Et illuminábat mentes hóminum.

Lectio vj.

Hic est ille, cujus per Angelum Gabriélem prænuntiátur natívitas, et nomen, et méritum. Hic est, qui judício cæléstis senténtiæ, cunctis mortálibus anteférтur, dicénte Dómino : Non surréxit inter natos mulíerum major Joánne Baptísta. Quam pulchre dictum est, inter natos mulíerum non esse majórem ! quia ille omnímode major erat Joánne, qui de Vírgine nascebátur. Quibus prospéctis, advértite, dilectíssimi, quantam huic reveréntiam, quantum devotiónis debeámus impéndere : qui, ut honorábilis sit, a sancto est Spíritu prophetátus, promíssus ab Angelo, laudátus a Dómino, et perpétua sanctæ mortis glória consecrátus.

℟. vj. Innuébant patri ejus, quem vellet vocári eum : * Et póstulans pugillárem scripsit dicens : Joánnes est nomen ejus. ℣. Vicíni quoque et cognáti ejus venérunt circumcídere púerum, et sciscitáti sunt eum, quo nómine vocarétur. — Et póstulans pugillárem. Glória. Joánnes est nomen ejus.

IN III. NOCTURNO.

¶ Homilia Dominicæ (si legenda fuerit); secus, Homilia et ℟℟. ut in Festo, pag. 540.

℟. vij. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur : * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est enim prophéta, et plus quam prophéta : de quo Dóminus ait : — Nullus major.

℟. viij. Gábriel Angelus appáruit Zacharíæ, dicens : Nascétur tibi fílius, nomen ejus Joánnes vocábitur : * Et multi in nativitáte ejus gaudébunt. ℣. Erit enim magnus coram

Dómino : vinum, et síceram non bibet. — Et multi in nativitáte ejus gaudébunt.

℟. ix. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta : * Qui viam Dómino præparávit in erémo. ℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. — Qui viam Dómino. Glória. Qui viam Dómino.

Ante Laudes ℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

AD LAUDES ET HORAS.

Omnia ut in Festo, pag. 541. servato modo Octavæ diei Simplicis infra Octavam Solemnem.

IN II. VESPERIS.

Ad Memoriam Aña. Et factum est in die octávo, venérunt pater et mater et cognáti ejus ad circumcisiónem púeri, et vocábant eum nómine patris sui Zachariam. Et dixit mater ejus : Nequáquam, sed vocábitur Joánnes.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Oratio.

DEUS, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per.

DIE II. JULII.
IN VISITATIONE
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.
TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hæc est Regina vírginum, quæ génuit Regem, velut rosa decóra Virgo. Dei Génitrix, per quam repérimus Deum et hóminem, alma Virgo intercéde pro nobis ómnibus. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Cant. 2.

SURGE, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra.

℟. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est : flos Fílius ejus. — Et super. Glória. Requiéscit Spíritus almus.

Hymnus.

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

AVE maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.
SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.
SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis :
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
MONSTRA te esse matrem :
Sumat per te preces,
Qui pro nobis Natus
Tulit esse tuus.
VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.
VITAM præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Visitatiónem devotíssime celebrémus : ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, majestátem tuam supplíciter exorámus : ut sicut Unigénitum tuum per Visitatiónem et salutatiónem Genitrícis ejus púero clauso in útero revelásti, ita, méritis ejúsdem Genitrícis et précibus, ipsum nos fácias reveláta fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit.

Ad Memoriam de Octava die S. Joannis Baptistæ Aña Et factum est. etc. ut in ij. Vesperis ejusdem Octavæ diei, pag. 565. notatum est.

AD UTRUMQUE COMPLETORIUM.

Super Psalmos Aña. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

In fine Hymni hæ duæ Strophæ dicantur :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

Ad Nunc dimittis Aña. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Visitatiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus Quem terra, pontus, æthera., ut in Festis B. Mariæ V., pag. 2*.

¶ In tribus Nocturnis Antiphonæ, Psalmi et Versiculi ut in Festis B. Mariæ V., pag. 2*. et sequentibus; cetera vero ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

De Cánticis canticórum.

Lectio j. Cap. 2.

EGO flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam viníariam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℟. j. Hódie visitávit Elísabeth beáta Virgo María ex progénie David, per quam salus mundi credéntibus appáruit : * Cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Visitatiónem devotíssime celebrémus. — Cujus vita gloriósa.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix.

℟. Amen.

Lectio ij.

ADJURO vos fíliæ Jerúsalem per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles : símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos.

℟. ij. Gloriósæ Vírginis Maríæ Visitatiónem digníssimam recolámus : * Cujus Dóminus humilitátem respéxit : quæ Angelo nuntiánte concépit Redemptórem mundi. ℣. Hódie visitávit Elísabeth beáta Virgo María ex progénie David. — Cujus Dóminus.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María.

℟. Amen.

Lectio iij.

EN diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

℟. iij. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est : flos Fílius ejus. — Et super hunc florem. Glória. Requiéscit Spíritus almus.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Apud Metaphr. mense Julio.)

Lectio iv.

CUM ad nos advenísset Redémptor nostri géneris, venit prótinus ad suum amícum Joánnem, dum adhuc esset in ventre matris. Quem cum ex útero in útero aspexísset Joánnes, términos natúræ concútiens, exclámat : Vídeo Dóminum, qui natúræ impósuit términos, et non exspécto tempus nascéndi : novem ménsium tempus mihi non est hic necessárium : in me est enim, qui est ætérnus : egrédiar ex hoc tenebróso tabernáculo, rerum admirabílium compendiósam prædicábo cognitiónem.

℟. iv. Visitátio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David : * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Regáli ex progénie María exórta refúlget. — Cujus vita ínclyta.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

SUM signum : significábo Christi advéntum. Sum tuba : próferam Fílii Dei in carne dispensatiónem. Tuba canam, eo ipso patérnæ linguæ benedícam, et eam traham, ut loquátur. Tuba canam, et úterum matérnum vivificábo. Vides, o dilécte, quam sit novum et admirábile mystérium. Nondum náscitur, et sáltibus lóquitur : nondum appáret, et minas inténtat : nondum ei permíttitur clamáre, et per facta audítur : nondum ducit vitam, et Deum prædicat : nondum áspicit lucem, et Solem índicat.

℟. v. Visitátio tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : * Ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Felix namque es, quæ sola Genitrícis dignitátem obtinuísti, et virginálem pudicítiam non amisísti. — Ex te enim ortus est.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis.

℟. Amen.

Lectio vj.

NONDUM páritur, et próperat præcúrrere : non fert enim, præsénte Dómino, contineri : non sústinet natúræ exspectáre términos; sed conténdit rúmpere cárcerem ventris, et studet præsignificáre veniéntem Salvatórem. Accéssit, inquit, qui solvit víncula : et quid ego sédeo vinctus, et retíneor, ut máneam? Venit Verbum, ut ómnia constítuat : et ego adhuc máneo deténtus? Exíbo, præcúrram, et prædicábo ómnibus : Ecce Agnus Dei, qui tollit peccáta mundi.

℟. vj. Ad nutum Dómini nostrum ditántis honórem, * Sicut spina rosam génuit Judæa Maríam. ℣. Ut vítium virtus operíret, grátia culpam. — Sicut spina rosam. Glória. Sicut spina rosam.

IN III. NOCTURNO.

Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio.

℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

IN illo témpore : Exsúrgens María, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda. Et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. I. Comm. in Luc. cap. I.)

CONTUENDUM est quia supérior venit ad inferiórem, ut inférior adjuvétur : María ad Elísabeth, Christus ad Joánnem. Dénique, étiam póstea, ut sanctificáret baptísmum Joánnis, Dóminus venit ad baptísmum. Cito quoque advéntus Maríae, et præséntiæ Domínicæ benefícia declarántur. Vide distinctiónem, singulorúmque verbórum proprietátem. Vocem prior Elísabeth audívit, sed Joánnes prior grátiam sensit. Illa natúræ órdine audívit, iste exsultávit ratióne mystérii. Illa Maríæ, iste Dómini sensit advéntum.

℟. vij. Regáli ex progénie María exórta refúlget : * Cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus. ℣. Corde et ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. — Cujus précibus.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María.

℟. Amen.

Lectio viij.

ISTÆ grátiam loquúntur, illi intus operántur, pietatísque mystérium matérnis adoriúntur profféctibus : duplicíque miráculo prophétant matres spíritu parvulórum. Exsultávit infans, et repléta mater est. Non prius mater repléta quam fílius : sed cum fílius esset replétus Spíritu sancto, replévit et matrem. Et unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me? Hoc est, Quantum bonum mihi áccidit, ut Mater Dómini mei véniat ad me? Miráculum séntio, cognósco mystérium : Mater Dómini, Verbo feta, Deo plena est.

℟. viij. Corde et ánimo Christo canámus glóriam, * In hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. ℣. Cum jucunditáte Visitatiónem sanctæ Maríæ celebrémus. — In hac sacra solemnitáte.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum.

℟. Amen.

Lectio ix.

MANSIT autem María cum illa quasi ménsibus tribus, et revérsa est in domum suam. Bene indúcitur sancta María et exhibuísse offícium, et mysticum número custodísse. Non enim sola familiaritátis est causa, quod diu mansit; sed étiam tanti Vatis profféctus. Nam si primo ingréssu tantus profféctus éxstitit, ut ad salutatiónem Maríæ exsultáret infans in útero, replerétur Spíritu sancto mater infántis; quantum putámus, usu tanti témporis sanctæ Maríæ addidísse præséntiam? Ungebátur ítaque, et quasi bonus athléta exercebátur in útero matris Prophéta. Amplíssimo enim virtus ejus certámini parabátur.

℟. ix. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam Visitatiónem. — Quia ex te ortus est. Glória. Christus Deus noster.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Visitátio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Visitátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Eccléssias.

3. Regáli ex progénie María exórta refúlget : cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.

4. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

5. Cum jucunditáte Visitatiónem sanctæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. Cant. 2.

SURGE, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra.

Hymnus.

O GLORIOSA Dómina,
Excélsa supra sídera,
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

QUOD Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

TU Regis alti jánua
Et porta lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣ Duæ ultimæ Strophæ María Mater. et Glória tibi. dicantur etiam in fine Hymnorum ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus Aña. Visitatiónem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

Oratio.

OMNIPOTENS et misércors Deus, majestátem tuam supplíciter exorámus : ut sicut Unigénitum tuum per Visitatiónem et salutatiónem Genitrícis ejus púero clauso in útero revelásti, ita, méritis ejúsdem Genitrícis et précibus, ipsum nos fácias reveláta fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM.

Capitulum Surge, própera., ut in Laudibus.

℟. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María, * Allelúia, allelúia. Sancta Dei Génitrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Allelúia. Glória. Sancta Dei Génitrix.

℣. Post partum Virgo inviolata permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Cant. 2.

ECCE diléctus meus venit sáliens in móntibus, transíliens colles : símilis est cápreæ, hinnulóque cervórum.

℟. Post partum Virgo inviolata permansísti, * Allelúia, allelúia. Post partum Virgo. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Allelúia. Glória. Post partum Virgo.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

AD NONAM.

Capitulum. Cant. 2.

OSTENDE mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

℟. Speciósa facta es et suávis, * Allelúia, allelúia. Speciósa. ℣. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix. Allelúia. Glória. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Visitátio glorióssæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Surge, própera., Hymnus Ave maris stella. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 565.

Ad Magníficat Aña. Visitátio tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

PER OCT. VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. María Virgo semper lætáre, quæ meruísti Christum portáre cæli et terræ Conditórem : quia de tuo útero protulísti mundi Salvatórem.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, majestátem tuam supplíciter exorámus : ut sicut Unigénitum tuum per Visitatiónem et salutatiónem Genitrícis ejus púero clauso in útero revelásti, ita, méritis ejúsdem Genitrícis et précibus, ipsum nos fácias reveláta fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Sancta María, vírginum piíssima, súscipe vota servulórum assídua : lapsos érige, errántes córrige, treméntes corróbora, pusillánimes confórta : ut tibi semper referámus laudes, quam Dei summi cólimus Genitrícem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Oratio Omnípotens et miséricors., ut supra.

DIE III. JULII.

B. MARCI MUTINENSIS

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui per beátum Marcum, Confessórem tuum, permúltos errántes in viam justítiæ redíre fecísti : concéde ut ejus intercessióne nos quoque a vítiis absolúti ad ætérna gáudia pervenire felíciter valeámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BEATUS Marcus, Mútinæ ortus, statim ac divíno lúmine terrenárum rerum vanitátem perspéxit, mundo núntium remíttere státuit : ac quo útius ætérnæ suæ salúti consúleret, Prædicatórum Ordinem ingréssus est. Religiósæ famíliæ in pátrio cœnóbio, Deo favénte, adscríptus, in id omne stúdium curámque convértit, ut paréntem ac magístrum suum divum Domínicum, pro suárum ratióne vírium, in se ipso exprímeret. Quocírca oratióni rerúmque divinárum contemplatióni vacáre, vota sua Deo pie fidelitérque réddere, Institúti a se suscépti leges examússim implére, carnem suam afflígere, omniúmque virtútum génere ánimum exornáre nunquam déstitit. Et quóniam Ordinis, quem profétsus fúerat, finis potíssimus est, non própriam tantum, sed proximórum quoque salútem ardénti amóre deperíre : ut id facílius pleniúsque assequerétur, cum morum innocéntia ac vitæ sanctitáte, litterárum præsértim divinárum stúdium amíco fœdere sociávit. Quo factum est ut magnos in doctrína ac virtúte profectus fécerit, atque ad apostólici viri munus rite obeúndum brevi témpore idóneus apparúerit.

Lectio v.

EVANGELIZANDI verbi Dei munus sibi a Superióribus concréditum álacri libentíque ánimo suscépit : quo quidem magno cum animárum fructu in complúribus Itáliæ úrbibus perfúnctus est. Nam cum sanctitátis et doctrínæ laude præstáret, divínæ eloquéntiæ vi, ac præcláris illibátæ vitæ exémplis, voce ipsa validióribus, et ingéntem hóminum multitúdinem a vítiis revocátam ad veram christiánæ vitæ ratiónem tradúxit, et plúrimos ad melióra æmulánda charísmata inflammávit. Multa quoque et insígnia ópera plúribus in locis ad fidélium utilitátem confécit. Pisaurénsi Ordinis sui cœnóbio Præses datus, súbditis sibi frátribus clarissimárum splendóre virtútum prælúxit, ac sanctitátis suæ opiniónem in ómnium cívium ánimis ita excitávit, ut eum tamquam Sanctum venerári cœperint.

Lectio vj.

POST imménsos labóres pro Dei glória, Ecclésiæ proximorúmque salúte exháustos, sénio tandem morbóque confféctus, Pisáuri anno millésimo quadringentésimo nonagésimo octávo, mensis Septémbris die vigésima prima, sanctitáte, méritis illustribúsque opéribus conspícuus, in Christi crucifíxi ampléxu, in quem præcípuo semper ac singulári dum víveret ferebátur affféctu, pie sanctéque decéssit. Corpus ejus humilióri primum loco tumulátum, dein ad sacratíssimi Rosárii sacéllum, ac sub ejus ara recónditum fuit. Qua quidem in translatióne, quem ab óbitu obtinúerat, christiáni pópuli cultus erga eum est auctus et in dies propagátus, atque ad hæc usque témpora tradúctus. Quem cultum nunquam intermíssum Pius Nonus

Póntifex Máximus ex sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto probávit, atque ut beáti Marci festum cum Offício et Missa in toto Prædicatórum Ordine, nec non in diœcési Mutinénsi et Nonantulána celebrarétur benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

In Laudibus Memoria SS. Processi et Martiniani Martyrum.

Oratio.

DEUS, qui nos sanctórum Mártyrum tuórum Procéssi et Martiniáni confessiónibus gloriósis circumdas et prótegis : da nobis et eórum imitatióne proficere, et intercessióne gaudére. Per.

DOMINICA INFRA OCTAVAM SS. PETRI ET PAULI.

Die iv. Julii, si Dominica fuerit, hoc modo fiat Officium :

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Gaudéte et exsultáte, * Quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

Hymnus.

AUREA luce et decóre róseo,
Lux lucis, omne perfudísti sæculum,
Décorans cælos ínclyto martyrio
Hac sacra die, quæ dat reis véniam.
JANITOR cæli, Doctor orbis páriter,
Júdices sæcli, vera mundi lúmina,
Per crucem alter, alter ense triúmphans,
Vitæ senátum laureáti póssident.
SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣ In tribus Nocturnis Psalmi, Antiphonæ et Versiculi de Communi Apostolorum, pag. 27*. et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Apostolo ex secundo Nocturno Dominicæ occurrentis.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo prudéntes.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.
Sermo Sancti Maximi
Epíscopi.
(Hom. 5. de SS. Apost. Petro et Paulo post initium.)
Lectio iv.

NON sine causa factum putémus, fratres caríssimi, quod gloriosíssimi christiánæ fídei príncipes Petrus et Paulus una die, uno in loco, uníus tyránni toleravére senténtiam. Una die passi sunt, ut ad Christum páriter pervenírent : uno in loco, ne álteri Roma deésset : sub uno persecutóre, ut æquális crudélitas utrúmque constríngeret. Dies ergo, puto, pro mérito, locus pro glória, persecútor decrétus est pro virtúte. Et in quo tandem loco martyrium pertulérunt ? In Urbe Roma, quæ principátum et caput óbtinet natiónum : scílicet ut ubi caput superstitiónis erat, illic caput quiésceret sanctitátis : et ubi Gentílium príncipes habitábant, illic Ecclesiárum príncipes moraréntur.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

CUJUS autem mériti sint beatíssimi Petrus et Paulus hinc póssumus intellígere, quod cum Dóminus Oriéntis regiónem própria illustráverit Passióne, Occidéntis plagam, ne quid minus esset, vice sui, Apostolórum sánguine illumináre dignátus est. Et licet illius Pássio nobis suffíciat ad salútem, tamen étiam horum martyrium nobis cóntulit ad exémplum. Hodiérna ígitur die beáti Apóstoli sánguinem profudérunt. Sed videámus causam quare ista perpéssi sunt : scílicet quod, inter cétera mirabília, étiam magum illum Simónem oratiónibus suis de áeris vácuo præcípiti ruína prostravérunt.

℟. v. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. -- Modo coronántur.

Lectio vj.

CUM enim idem Simon se Christum díceret, et tamquam Fílium ad Patrem asséreret volándo se posse conscéndere, atque elátus súbito mágicis ártibus voláre cœpísset : tunc Petrus fixis génibus precátus est Dóminum, et precatióne sancta vicit mágicam levitátem. Prior enim ascéndit ad Dóminum orátio quam volátus, et ántea pervénit justa petítio quam íniqua præsúmptio : ante Petrus in terris pósitus obtínuit quod petébat quam Simon perveníret in cæléstibus quo tendébat. Tunc ígitur Petrus velut vinctum illum de sublími áere depósuit, et quodam præcipítio in saxo elídens ejus crura confrégit : et hoc in oppróbrio facti illius, ut qui paulo ante voláre tentáverat, súbito ambuláre non posset, et qui pennas assúmpserat, plantas amítteret.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus : *Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Dominicæ occurrentis.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. — Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES.

Antiphonæ, Psalmi et Capitulum de Communi Apostolorum, pag. 32*. et pag. 33*.

Hymnus.

OLIVÆ binæ pietátis únicæ,
Fide devótos, spe robústos máxime,
Fonte replétos caritátis gémi-næ,
Post mortem carnis impetráte vívere.
Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus Aña. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor Géntium ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine.

Oratio.

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per.

Memoria Dominicæ et Visitationis.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. (addito Allelúia.) et ℣℣. de Communi Apostolorum, pag. 33*.

Oratio Deus qui hodiérnam diem., ut supra.

IN VESPERIS.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, et super eos Aña Hoc est præcéptum meum. de Communi Apostolorum, pag. 34*. et pag. 35*.

Ad Memoriam Aña. Gloriósi Príncipes terræ quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio Deus, qui hodiérnam diem., ut supra.

DIE INFRA OCTAVAM SS. APOST. PETRI ET PAULI, SI DOMINICA NON FUERIT.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Gaudéte. et Hymnus Aurea luce., ut ad Matutinum Dominicæ infra Octavam, pag. 573.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos sola Aña. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum. Psalmi novem de Communi Apostolorum, pag. 27* et sequentibus.

Versiculus et tria Responsoria de eodem Communi secundum Feriam.

¶ Si vero Feria secunda aut Feria quinta fuerit, dicatur ℣. Constítues eos.

Lectio j. et Lectio ij. de Scriptura currente, vel de Homilia Dominicali, si nondum lecta fuerit.

De Sermóne sancti Leónis Papæ.
(Ex Serm. 1. in natali SS. Apost. Petri et Pauli.)
Lectio iij.

PRETIOSA est in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus : nec ullo crudelitátis génere déstrui potest sacraménto Crucis Christi fundáta relígio. Non minúitur persecutiónibus Ecclésia, sed augétur : et semper Domínicus ager ségete ditióri vestítur, dum grana, quæ síngula cadunt, multiplicáta nascúntur. Unde duo ista præclára divíni séminis gérmina in quantam sóbolem germinárint, beatórum míllia Mártyrum protestántur, qui Apostolicórum æmuli triumphórum, Urbem nostram purpurátis, et longe latéque rutilántibus pópulis ambiérunt, et quasi in multárum honóre gemmárum consérto uno diadémate coronárunt.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES.

Super Psalmos sola Aña. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum Jam non estis., Hymnus Olívæ binæ., ℣. Annuntiavérunt., ad Benedictus Aña Petrus Apóstolus., pag. 575.

Oratio Deus, qui hodiérnam diem., pag. 575.

AD PRIMAM.

Aña Hoc est præcéptum meum., ut in Laudibus.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Omnia de Communi Apostolorum, pag. 33*.

Oratio Deus, qui hodiérnam diem., pag. 575.

IN VESPERIS.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, et super eos Aña Hoc est præcéptum meum. de Communi Apostolorum, pag. 34*.

Ad Memoriam Aña. Gloriósi Príncipes terræ quómodo in in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio Deus, qui hodiérnam diem., pag. 575.

DIE V. JULII.

S. ANTONII MARIÆ ZACCARIA

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

FAC nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam spíritu Pauli Apóstoli ediscere : qua beátus Antónius María mirabíliter eruditus, novas in Ecclésia tua Clericórum et Vírginum famílias congregávit. Per eúmdem.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANTONIUS María Zaccaría, Cremónæ in Insúbria nóbili génere natus, jam a púero qua futúrus esset sanctitáte porténdere visus est. Eximiárum enim in eo virtútum significatiónes matúre eluxérunt, pietátis in Deum ac beátam Vírginem; insígnis præsértim in páuperes misericórdiæ, quorum inópiæ sublevándæ, vel pretiósa veste sibi detrácta, haud semel præsto fuit. Humanióribus lítteris in pátria excúltus, Ticíni philosophíæ, Patávii medicínæ addiscéndæ óperam dedit : utque ómnibus vitæ integritáte, ita et æquálibus acúmine ingénii fácile antecélluit. Láuream adéptus ac domum revérsus, confessário sibi ex Ordine Prædicatórum delécto, intelléxit se Dei voluntáte ad animórum magis quam córporum morbis medéndum vocári, ac sub illíus magistério in sacras disciplínas addiscéndas totus incúbuit. Intérea ægrótos vísere, púeros christiána doctrína informáre, júvenum cœtus pietáte excólere, ætáte étiam provéctos ad mores emendándos frequénter hortári non déstitit. Sacris initiátus cum primo litáret, cælésti obórto lúmine, Angelórum coróna circúmdatus stupénti pópulo apparuisse tráditur. Exínde animárum salúti impénsius consúlere, depravátis móribus summa ope obsístere curæ fuit; ad hæc ádvenas, egénos, afflictos patérno compléxus afféctu, piis allóquiis atque subsídiis recreátos ita solári, ut ejus domus miserórum perfúgium haberétur, ípseque Pater pátriæ atque Angelus merúerit a suis cívibus appellári.

Lectio v.

MEDIOLANI, cum secum agitáret uberióres in rem christiánam manáre posse fructus, si in vínea Dómini sibi labórum sócios adscísceret, re communicáta cum Bartholomæo Ferrário et Jacóbo Morígia nobilíssimis et sanctíssimis viris, Sodalitátis Clericórum Regulárium fundaménta jecit; quam, ob suum in Géntium Apóstolum amórem, a sancto Paulo nuncupávit : quæ, Clemente Séptimo Pontífice Máximo approbánte, et Paulo Tértio confirmánte,

brevi per complúres regiónes propagáta est. Sanctimoniálium quoque Angelicárum Societas ipsum Antónium Maríam paréntem et auctórem hábuit. Qui tamen ádeo de se submísse sentiébat, ut nullo pacto præésse suo Ordini unquam volúerit. Tanta vero fuit patiéntia, ut formidolosíssimas tempestátes in suos commótas constánti ánimo perférret; tanta caritáte, ut piis adhortatiónibus religiósos viros ad Dei amórem inflammáre, sacerdótes ad apostólicam vivéndi normam revocáre, patrúmque famílias sodalítia ad bonam frugem institúere numquam intermíserit; imo intérdum præláta Cruce per cómpita plateásque cum suis progréssus, férvida ac veheménti oratióne aberrántes improbósque hómines ad salútem redúceret.

Lectio vj.

ILLUD étiam memorándum, quod in Jesum Crucifíxum amóre flagrans, Crucis mystérium ab ómnibus, ad statum æris campáni indícium, sexta quaque Féria sub vésperas, recoléndum curávit. Sanctíssimum Christi nomen in suis scriptis passim usurpábat et in ore semper habébat: ejusdémque cruciátus, vere Pauli discípulus, in córpore suo præseferébat. In sacram Eucharístiam singulári caritáte ferebátur: cujus et frequénter percipiéndæ consuetúdinem instaurávit, et morem e sublími throno públice in tríduum adorándæ invexísse perhibétur. Pudicítiam ádeo cóluit, ut étiam in exsángui córpore, revivíscere visus, ejus amórem testarétur. Accessére cæléstia dona écstasis, lacrimárum, futurórum eventuum cognitiónis, scrutatiónis córdium, virtútis in humáni géneris hostem. Tandem magnis labóribus ubique exantlátis, Guastállæ, quo pacis sequéster accítus fúerat, gravi morbo corréptus est. Cremónam addúctus, inter suórum fletus, et compléxus piíssimæ matris, quam próxime obitúram prædíxit, supérna Apostolórum visióne recreátus, Sodalitátis suæ increménta prænúntians, tértio Nonas Júlii anno millésimo quingentésimo trigésimo nono, sanctíssime óbiit, annos natus sex supra trigínta. Cultum tanto Viro, ob exímiam ejus sanctitátem et signórum cópiam, a christiáno pópulo statim exhíbitum Leo Décimus tértius Póntifex Máximus ratum hábuit et confirmávit, eumdémque anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, in festo Ascensiónis Domínicæ, solémni ritu Sanctórum fastis adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud. Et cum egréssus esset in viam, procúrrens quidam, genu flexo ante eum, rogábat eum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Sermo 47. de diversis.)

DURUM vidétur et grave quod Dóminus imperávit:

ut si quis eum vult sequi, ábneget seipsum : sed non est durum nec grave quod ille ímperat, qui ádjuvat ut fiat quod ímperat. Nam illud verum est quod ei dícitur in Psalmo : Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Quidquid enim durum est in præcéptis, ut sit lene cáritas facit. Nóvimus quanta ipse amor facit. Quid autem est, Neget se? Non præsúmat de se, séntiat se hóminem, et respíciat dictum prophéticum, Maledíctus omnis qui spem suam ponit in hómine. Subdúcat se sibi, sed non deórsum versus; subdúcat se sibi, ut hæreat Deo.

Lectio viij.

QUO sequéndus est Dóminus? Quo iit, nóvimus: resurréxit enim et ascéndit in cælum : illo sequéndus est. Plane desperándum non est, quia ipse promísit, non quia homo áliquid potest. Jam quare desperémus, si membra illíus cápitis sumus? Bonum est illo eum sequi. Sed vidéndum est qua. Etenim verba ista Dóminus Jesus non tunc dicébat quando a mórtuis jam resurréxerat : nondum erat passus, ventúrus erat ad crucem, ventúrus ad exhonoratiónem, ad contumélias, ad flagélla, ad spinas, ad vúlnera, ad insultatiónes, oppróbria, mortem. Quasi exasperáta est via : pigrum te facit, non vis sequi. Séquere. Nam quis non velit ire ad exaltatiónem? Omnes deléctat celsitúdo, sed humílitas gradus est.

Lectio ix. (Ex Epist. 38. ad Lætum.)

TOLLE crucem tuam, et séquere Dóminum. Crux enim nostra, quam Dóminus portári a nobis jubet, ut eum expeditíssimi sequámur, quid áliud quam mortalitátem carnis hujus significat? Ipsa enim nos crúciat, donec absorbeátur mors in victóriam. Crux ergo hæc ipsa crucifigénda est, et transfigénda est clavis timóris Dei, ne solútis et líberis membris reluctántem portáre non possis. Sequi enim Dóminum, nisi eam portans, omníno non vales. Nam quómodo eum sequéris, si non es ejus? Qui autem Jesu Christi sunt, ait Apóstolus, carnem suam crucifixérunt cum passiónibus et desidériis.

DIE VI. JULII.

IN OCTAVA SS. APOST. PETRI ET PAULI.

SOLEMNE.

AD I. VESPERAS.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus.

AUREA luce et decóre róseo,
Lux lucis, omne perfudísti sæculum,
Décorans cælos ínclyto martyrio
Hac sacra die, quæ dat reis véniam.

JANITOR cæli, Doctor orbis páriter,
Júdices sæcli, vera mundi lúmina,
Per crucem alter, alter ense triúmphans,
Vitæ senátum laureáti póssident.

OLIVÆ binæ pietátis únicæ,
Fide devótos, spe robústos máxime,
Fonte replétos caritátis géminæ,
Post mortem carnis impetráte vívere.

SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat Aña. Gloriósi Príncipes terræ quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

Oratio.

DEUS, cujus déxtera beátum Petrum, ambulántem in flúctibus, ne mergerétur eréxit; et Coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde ut ambórum méritis ætérnitátis glóriam consequámur. Qui vivis.

Memoria de Octava Visitationis B. Mariæ Virginis (nisi transferenda fuerit):

Aña. Sancta María, vírginum piíssima, súscipe vota servulórum assídua: lapsos érige, errántes córrige, treméntes corróbora, pusillánimes confórta: ut tibi semper referámus laudes, quam Dei summi cólimus Genitrícem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

OMNIPOTENS et misércors Deus, majestátem tuam supplíciter exorámus: ut sicut Unigénitum tuum per Visitatiónem et salutatiónem Genitrícis ejus púero clauso in útero revelásti, ita méritis ejúsdem Genitrícis et précibus, ipsum nos fácias reveláta fácie perpétuo contemplári: Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Gaudéte et exsultáte, * Quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

Hymnus.

AUREA luce et decóre róseo,
Lux lucis, omne perfudísti sæculum,
Décorans cælos ínclyto martyrio
Hac sacra die, quæ dat reis véniam.

JANITOR cæli, Doctor orbis páriter,
Júdices sæcli, vera mundi lúmina,
Per crucem alter, alter ense triúmphans,
Vitæ senátum laureáti póssident.

SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣ In tribus Nocturnis Psalmi, Antiphonæ et Versiculi de Communi Apostolorum, pag. 27*. et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et discite a me quia mitis sum et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur. Glória. Dábitur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Apud Metaphr. mense Jun.)

Lectio iv.

QUASNAM vobis, o beáti Apóstoli, referémus grátias, qui tantum pro nobis laborástis? Mémini tui Petre, et obstupésco : recórdor tui Paule, et excédens mente, ópprimor lácrimis. Quid enim dicam, aut quid loquar, vestras contémplans afflictiónes, néscio. Quot cárceres sanctificástis, quot caténas decorástis, quot torménta sustinuístis, quot maledícta tolerástis! Quómodo Christum portástis, quómodo prædicatióne Ecclésias lætificástis! Sunt benedícta vestræ linguæ instruménta : sánguine conspérsa sunt membra vestra propter Ecclésiam.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

GAUDEAS Petre, cui datum est ut ligno Crucis Christi frueréris. Et ad Magístri quidem similitúdinem voluísti crucifígi, non recta quidem figúra, ut Christus Dóminus, sed cápite in terram verso, tamquam qui a terra in cælum iter fáceres. Beáti clavi, qui sancta illa membra penetrárunt. Tu cum omni fidúcia in manus Dómini ánimam tradidísti, qui assídue ei, et ejus sponsæ Ecclésiæ servísti, qui fervénti spíritu Dóminum dilexísti, ómnium Apostolórum fidelíssimus.

℟. v. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur.

Lectio vj.

GAUDEAS et tu beáte Paule, cui caput fuit ense amputátum, cujus virtútes nullis verbis explicári possunt. Quisnam gládius sanctum guttur tuum pervásit, Domínicum, inquam, instruméntum, quod a cælo habétur in admiratióne, et quod terra reverétur? Quisnam locus tuum sánguinem excépit, lactis spécie in ejus, qui te percússit, túnica apparéntem? Qui ánimam illíus bárbari supra modum dulciórem reddens, fidélem effécit cum sóciis. Sit mihi gládius ille pro coróna, et clavi Petri pro gemmis infíxis in diadémate.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore : Cómpulit Jesus discípulos ascéndere in navículam, et præcédere eum trans fretum, donec dimítteret turbas. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 14. de verbis Domini.)

CUM sanctum Evangélium legerétur, audívimus navículam periclitántem, Christum periclitántibus subveniéntem, Petrum veniénti Christo occurréntem. In quibus ómnibus miráculum spectávimus, mystérium requirámus. Quando enim póssumus de divínis opéribus, quæ legúntur, intellectum alicújus mysticæ significatiónis exscúlpere, quasi de abstrúsis favórum cellis mella producímus : vel Christi discípulos imitántes, spicas mánibus confricámus, ut ad laténtia grana perveniámus.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exivit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna.

Lectio viij.

ASCENDIT ergo Dóminus noster Jesus Christus in montem solus oráre. Mons altitúdo est. Quid enim in hoc mundo áltius cælo? Quis vero in cælum ascéndit, novit óptime fides vestra. Cur autem solus ascéndit? Quia nemo ascéndit in cælum, nisi qui descéndit de cælo, Fílius hóminis, qui est in cælo. Quamvis et in fine, cum vénerit, et nos omnes membra sua collégerit, ac leváverit in cælum, étiam tunc solus ascéndet : quia caput cum córpore suo unus est Christus.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix.

NUNC ipse ascéndit solus oráre, quia ascéndit ad Patrem pro nobis interpelláre. Verúmtamen, caríssimi, dum ille orat in excélso, navícula turbátur flúctibus in profúndo. Quia insúrgunt fluctus, potest illa navícula turbári : sed quia Christus orat, non potest mergi. Navículam istam, fratres, Ecclésiam cogitáte : turbuléntum mare, hoc sæculum. Quando áliquis ímpiæ voluntátis, máximæ potestátis, persecutiónem indícit Ecclésiæ, super navículam Christi grandis unda consúrgit. Sed in his tentatiónibus erigátur anténna, ut suspénsa árbori, Crucem figúret. Hanc Christiánus respíciat, ut non defíciat.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. — Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Hoc est præcéptum meum : ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

3. Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

4. Beáti pacífici, beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

5. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus.

OLIVÆ binæ pietátis únicæ
Fide devótos, spe robústos máxime,
Fonte replétos caritátis gémmæ,
Post mortem carnis impetráte vívere.

SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus Aña. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor Géntium ipsi nos docuérunt legem tuam Dómine.

Oratio.

DEUS, cujus déxtera beátum Petrum, ambulántem in flúctibus, ne mergerétur eréxit; et Coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit : exáudi nos propítius, et concéde ut ambórum méritis ætérnitátis glóriam consequámur. Qui vivis.

Memoria de Octava Visitationis B. Mariæ Virginis (nisi transferenda fuerit) :

Aña. María Virgo semper lætáre, quæ meruísti Christum portáre cæli et terræ Conditórem : quia de tuo útero protulísti mundi Salvatórem.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, majestátem tuam supplíciter exorámus : ut sicut Unigénitum tuum per Visitatiónem et salutatiónem Genitrícis ejus púero clauso in útero revelásti, ita, méritis ejúsdem Genitrícis et précibus, ipsum nos fácias reveláta fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit.

AD TERTIAM.

Capitulum Jam non estis hóspites., ut in Laudibus.

℟. In omnem terram exívit sonus eórum, * Allelúia, allelúia. In omnem terram. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Allelúia. Glória. In omnem terram.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Oratio.

DEUS, cujus déxtera beátum Petrum, ambulántem in flúctibus, ne mergerétur eréxit; et Coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit : exáudi nos propítius, et concéde ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur. Qui vivis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 5.

PER manus autem Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe.

℟. Constítues eos príncipes super omnem terram, * Allelúia, allelúia. Constítues eos príncipes. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Allelúia. Glória. Constítues eos príncipes.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Oratio Deus cujus déxtera.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 5.

IBANT Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus, * Allelúia, allelúia. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Allelúia. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio Deus cujus déxtera.

AD II. VESPERAS.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, et super eos Aña Hoc est præcéptum meum. de Communi Apostolorum, pag. 34* et pag. 35*.

Capitulum Jam non estis hóspites. et Hymnus Aurea luce. ut in j. Vesperis, pag. 579.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat Aña. Isti sunt duæ olívæ et duo candelábra lucéntia ante Dóminum : habent potestátem cláudere cæ-

lum núbibus, et aperíre portas ejus : quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt, allelúia.

Oratio Deus cujus déxtera.

Memoria de Octava Visitationis B. Mariæ Virginis (nisi transferenda fuerit) :

Aña. Sancta María, vírginum piíssima, súscipe vota servulórum assídua : lapsos érige, errántes córrige, treméntes corróbora, pusillánimes confórta : ut tibi semper referámus laudes, quam Dei summi cólimus Genitrícem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, majestátem tuam supplíciter exorámus : ut sicut Unigénitum tuum per Visitatiónem et salutatiónem Genitrícis ejus púero clauso in útero revelásti, ita, méritis ejúsdem Genitrícis et précibus, ipsum nos fácias reveláta fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit.

DIE VII. JULII.

B. BENEDICTI UNDECIMI

PAPÆ ET CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Benedíctum Pontíficem benedictiónis tuæ grátia ad cælum sublevásti : pópulum tuum, quæsumus, nova benedictióne sanctífica, et a cunctis malis imminéntibus, ejus méritis et précibus, tua virtúte defénde. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 70*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BENEDICTUS Undécimus, ex honésta Boccasinórum família Tarvísii natus, anno ætátis décimo quarto Prædicatórum Institútum ampléxus est : in quo humánis divinísque stúdiis quatuórdecim annis impénse vacávit, totidémque summa cum eruditiónis laude privátim ac públice dócuit. Sanctitátis et prudéntiæ fama conspícuus, per vários gradus et dignitátes Ordinis ad supremum ejus Magistérium evéctus est : quo in múnere céteris exémplo prælúcens, disciplínam mirífice fovit, ac brevi témpore Ordinem ipsum amplificávit. Illíus ópera Bonifácius Octávus in pacificándis Galliárum et Británniæ régibus felíciter usus, lustrándis commíssis sibi provínciis in Gállia peregrinántem, sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálem Presbyterum creávit, atque ad Urbem accítum, in Pannóniam Legátum designávit : ubi tres príncipes de regni illíus successióne contendéntes, mira dexteritáte compósuit.

Lectio v.

PACATA Hungária, Romam revérsus, Bonifácio Anágniæ circumvénto, inter hóstium minas et invasiónes fórtiter ástitit, hæsítque indivúlse réliquis ferme ómnibus ab eo fugiéntibus. Mox eódem Pontífice humánis rebus exémpto, in Petri Sedem mira Patrum consensióne suffféctus est. In eo dignitátis fastígio, ab omni fastu prorsus aliénus, demissiónem ádeo cóluit, ut addúctam

ad se matrem adhuc supérstitem, paulo splendídius, ut decére videbátur, ornátam, a se dimíserit tamquam non suam: mox vero nativo atque humilióre cultu vestítam peramánter amplexátus, honorífice hábuit. Violátæ in prædecessóre suo Pontifíciæ dignitátis auctóres anathémate mulctávit; ab illo autem sevérius hábitos, prístinis honóribus restitútos, in véniam et grátiam recépit. Pacándis Itáliæ provínciis, Guelphórum et Gibellinórum, Albórum et Nigrórum factiónibus miserrime divexátis, Nicoláum Cardinálem Praténsem Ordinis Prædicatórum a látere Legátum creávit: eumdémque in Angliam, Scótiam, et Hibérniam ad conciliándos reges et príncipes ire jussit.

Lectio vj.

PACIS studiosíssimus, eam náviter promóvit, tum in Germánia, cui intestínis dissídiis laboránti præsto fuit, cum in Sicília, quam, subláto interdícto, communióni restítuit. Sed et Galliárum regni cum Apostólica Sede concórdiam, paulo ántea gravíssime læsam, felíciter instaurávit. In Oriéntem étiam, aliásque schismaticórum províncias, Apostólicæ mentis curas porréxit, et Martíno Archiepíscopo Antibarénsi disciplínæ ecclesiásticæ restauratiónem impénse commendávit. Sérviæ regem Orósium ad ejurándum schisma lítteris amantíssimis excitávit. Syriæ demum ac Palæstínæ recuperándæ inténtum, aliaque ad religiónis increméntum cogitántem atque moliéntem, commúnis necéssitas prævénit. Mórtuus est Perúsii anno millésimo trecentésimo quarto, nono Pontificátus mense nondum expléto: humilíque, ut ipse jússerat, loco apud Fratres suos Prædicatóres ibi cónditus est, miráculis statim post óbitum clarus. Cultum ab immemorábili témpore ei delátum Clemens Duodécimus approbávit: utque ejus festum cum Offício et Missa sub ritu Dúplici in univérso Prædicatórum Ordine, atque a Clero Tarvisíno et Perusíno celebrarétur indúlsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 78*.

UNICA DIE
INFRA OCTAV. VISITATIONIS.

Sermo sancti Petri Chrysólogi.

Lectio iij. Serm. 91.

SEXTO mense suæ matris exsúltat in útero Joánnes, et in úterum Vírginis venísse núntiat Christum. Fervens núntius, qui ante gestívit nuntiáre quam vívere. Impátiens dux, qui ántequam perveníret ad corpus, pervénit ad regem: ante rápuit arma quam membra: ante áciem pétiit quam lucem: et ut vínceret mundum, vicit ante natúram: et quia tardábat corpus, solo spíritu implet evangelizántis offícium.

SI Visitatio B. Mariæ Virginis propria die (secunda scilicet Julii) celebrata fuerit, de

ejus Octava die fiat Memoria ad utrasque Vesperas et Laudes in festo sanctorum Martyrum Joannis et Sociorum, ut infra in Officio eorumdem die ix. Julii notatum est.

℣ Si autem Visitatio in diem quartam Julii translata fuerit, illo anno in Officio prædictorum SS. Martyrum Joannis et Sociorum, omissis Antiphonis de Octava die Visitationis ibidem signatis, de Visitatione fiat Memoria in utrisque Vesperis per Añam Sancta María Virginum piíssima., in Laudibus vero per Añam María Virgo semper lætáre., ut pag. 571.

℣ Quod si Visitatio in diem Octavam Julii translata fuerit, secundas Vesperas integras habebit; in Laudibus autem SS. Martyrum Joannis et Sociorum fiat Memoria de Visitatione per Añam María Virgo semper lætáre., in ij. autem Vesperis per Añam Sancta María vírginum piíssima.

DIE IX. JULII.
SS. JOANNIS ORD. PRÆD. ET SOCIORUM MARTYRUM.
TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Lauda Deum tuum Sion, quóniam benedíxit fíliis tuis in te : ecce vénient in vestiméntis justítiæ, et coróna áurea super caput eórum. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Apoc. 12.

SANCTI vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui : et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem.

℟. Audíta est quasi vox turbárum multárum in cælo dicéntium : Allelúia : * Salus et glória et virtus Deo nostro In sæcula sæculórum. ℣. Quia vera et justa sunt judícia ejus, et vindicávit sánguinem servórum suórum. — Salus. Glória. In sæcula sæculórum.

Hymnus.

MARTYRUM virtus validúmque robur,
Palma victórum, decus et coróna,
Christe Rex, tanti mémorum triúmphi
Vócibus adsis.

HAC die sacra pópulus fidélis
Mílites Christi, fídei colúmnas,
Agmen invíctum celebráre digno
Cármine gestit.

INTER hos noster júbilans triúmphum
Ordo præclári récolit Joánnis,
Qui suam pastor bonus immolávit
Pro grege vitam.

FERVIDI sacro pietátis igne,
Pábulum præbent pópulo salútis :
Nec minæ terrent : Deus ipse corda
Próvidus afflat.

SIT Patri virtus, honor et potéstas,
Fílio sit laus párilis per ævum,
Flámini sancto résonent perénni
Cántica voce. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Joánnes cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. In poténtia bráchii tui Dómine dispérgens supérbos, respexísti humilitátem Servórum tuórum: et ecce beátos eos dicent omnes generatiónes. Oratio.

DEUS, qui beatórum Mártyrum tuórum Joánnis et Sociórum ejus gloriósum pro fide tua certámen æternitátis láurea decorásti: concéde propítius ut eórum méritis et imitatióne certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in cælis. Per.

Memoria de Octava die Visitionis B. Mariæ Virginis, si hodie occurrerit: Aña. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Visitatiónem devotíssime celebrémus: ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, majestátem tuam supplíciter exorámus: ut sicut Unigénitum tuum per Visitatiónem et salutatiónem Genitrícis ejus púero clauso in útero revelásti, ita, méritis ejúsdem Genitrícis et précibus, ipsum nos fácias reveláta fácie perpétuo contemplári. Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Deum, qui suos Mártyres ætérnis corónis decorávit, * Veníte adorémus.

Hymnus.

HÆRESUM surgunt nova monstra: crescit
Mílitum Christi pietas et ardor,
Scútaque invictæ fídei tenéntes,
Fórtiter instant.

TU Deus, clamant, hómini parásti
Cælicum panem, solidaque in arce,
Christe, tu Petro Fídei dedísti
Esse Magístrum.

JAM phalanx pergit generósa morti
Obviam; Jesum vocat hic, Maríam
Alter implórat, moriénte Matrem
Ore salútans.

SIC diem fortes óbeunt supremum,
Hostis insáni fera vis triúmphat,
Membra spargúntur temeráta, terram
Sanguis inúndat.

SIT Patri virtus, honor et potéstas,
Fílio sit laus párilis per ævum,
Flámini sancto résonent perénni
Cántica voce. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Non abiérunt in consílio impiórum: sed in lege Dómini fuit volúntas eórum. Psalmi de Communi plurimorum Martyrum, pag. 54*. et sequentibus.

Aña. Super Sion montem sanctum Dómini prædicábant præcéptum ejus.

Aña. Oculi Dómini in páupere respíciunt: quóniam justus Dóminus et justítias diléxit.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 3.

JUSTORUM ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et

æstimáta est afflíctio éxitus illórum : et quod a nobis est iter, extermínium : illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur : quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. j. Obtulérunt hóstiam laudis semper Deo, fructum labiórum confiténtium nómini ejus : * Ideo in perpétuum coronáti triúmphant. ℣. Justórum sémita, quasi lux splendens, procédit et crescit usque in perfectam diem. — Ideo in perpétuum coronáti triúmphant.

Lectio ij. Cap. 5.

TUNC stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre : ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est. Ergo errávimus a via veritátis, et justítiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligéntiæ non est ortus nobis. Lassáti sumus in via iniquitátis et perditiónis, et ambulávimus vias difficíles, viam autem Dómini ignorávimus.

℟. ij. Viri sancti majóres divítias æstimavérunt thesáuro peccatórum impropérium Christi : * Aspiciébant enim in remuneratiónem. ℣. Magis eligéntes afflígi cum pópulo Dei quam temporális peccáti habére jucunditátem. — Aspiciébant enim in remuneratiónem.

Lectio iij.

TALIA dixérunt in inférno hi, qui peccavérunt : quóniam spes ímpii tamquam lanúgo est, quæ a vento tóllitur: et tamquam spuma grácilis, quæ a procélla dispérgitur : et tamquam fumus, qui a vento diffúsus est : et tamquam memória hóspitis unius diéi prætereúntis. Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini : quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos.

℟. iij. Ecce inimíci tui, Dómine, sonuérunt, et qui odérunt te, extulérunt caput advérsus sanctos tuos. * Si Deus pro nobis, quis contra nos? ℣. Confitébimur tibi Deus, confitébimur, et narrábimus nomen tuum. — Si Deus pro nobis, quis contra nos? Glória. Si Deus pro nobis, quis contra nos?

IN II. NOCTURNO.

Aña. Habitábunt in tabernáculo Dei, et requiéscent victóres in monte sancto ejus.

Aña. Dóminus pars hereditátis eórum, et cálicis eórum : ipse est qui restítuit hereditátem eis.

Aña. Ascéndent in montem Dómini, et stabunt in loco sancto ejus : et accípient benedictiónem a Dómino.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Lectio iv.

SÆCULUM décimum sextum, Calviniánæ pravitátis tumúltibus memorábile, insígne christiánæ fortitúdinis in Bélgio tulit exémplum. Novémdecim quippe Mártyres, vulgo Gorcomiénses ex passiónis loco dicti, pro asserénda reáli Córporis Christi in Eucharístia præséntia, ac Román Pontíficis primátu, glorióse certárunt. Hos inter enítuit beátus Joánnes, Germánus, Ordinis Prædicatórum, vitæ sanctitáte ac lítteris commendábilis. Cum enim Superiórum nutu Hornariénsem paróchiam in Hollándia administráret, ac pro múneris débito conjéctos in cárcerem pro causa fídei Párochos, Religiósos, aliósque curæ suæ commíssos fidéles inviseret, ac Sacraménta ministráret, in eúmdem ipse conjéctus est.

℟. iv. Accingímini, et estóte fílii poténtes, ut pugnétis * Advérsus natiónes, quæ convenérunt dispérdere nos et sancta nostra. ℣. Deus noster refúgium et virtus : in ipso sperávit cor nostrum, et adjúti sumus. — Advérsus natiónes.

Lectio v.

VARIIS subínde ludíbriis, torméntis, plagis atrocíssime per dies noctésque plúrimas exagitáta fuit ipsius et reliquórum piórum constántia, si quo modo addúci posset ad ejurándam præcípue Christi reálem in Eucharístia præséntiam, et Román Pontíficis obediéntiam sacrílege abdicándam. Sed ut pátuit his terriculaméntis frangi non posse Viri fortitúdinem, cum céteris ejúsdem agónis invíctis commilitónibus ligátus ac seminúdus Brilam addúcitur, ad martyrium extrémo supplício consummándum. In eo itínere una cum Sóciis incredibília passus a milítibus, nautis et hærética plebe, tandem appénsus trabi, hóstia Christi proméruit éffici victor gloriósus.

℟. v. In mortem trádimur propter Jesum, sed non angustiámur : id enim, quod in præsénti est momentáneum et leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte * Ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis. ℣. Non enim sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. — Ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

Lectio vj.

PASSI sunt præclári Mártyres nona Júlii circa noctis médium, anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo. In eorúmdem cadávera sævítum a carnifícibus, dissecuérunt costas, scrutáti sunt ádipem, sparsérunt víscera.

Sed Mártyrum suórum nóbilem triúmphum approbárunt Cæli miráculis. Inter hæc istud singuláre, quod e loco supplícii germinávit amœnus frutex, tótidem onústus candidíssimis flósculis, quot illic Mártyres certárant pro fídei coróna. Quibus rite examinátis, Clemens Décimus Póntifex Máximus Joánnem cum resíduis octódecim Sodálibus adscrípsit Beatórum catálogo, et anniversárium deínceps tantæ victóriæ festum solémniter celebrári concéssit. Sed horum Mártyrum causa íterum apud Apostólicam Sedem propósita, Pius Nonus Póntifex Máximus solémni ritu in Basílica Vaticána, die sacra Apostolórum Princípibus, ad cujus sæculária solémnia celebránda Cardináles atque Epíscopi ex toto cathólico orbe convénerant, Joánnem cum Sóciis Sanctórum albo accénsuit, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo.

℟. vj. Moriámur omnes in simplicitáte nostra :* Et testes erunt super nos cælum et terra quod injúste pérditis nos. ℣. Sicut autem fúerit volúntas in cælo, sic fiat. — Et testes erunt. Glória. Et testes erunt.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Oculi Dómini super justos, ut éruat a morte ánimas eórum.

Aña. Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, et húmiles spíritu salvábit : rédimet Dóminus ánimas servórum suórum.

Aña. Dóminus vírtútum nobíscum : suscéptor noster Deus Jacob.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Beáti éritis cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(De Sermone Domini.)

ANIMADVERTAT, quisquis delícias hujus sæculi et facultátes rerum temporálium quærit in nómine christiáno, intrínsecus esse beatitúdinem nostram : sicut ore prophético dícitur : Omnis pulchritúdo fíliæ regis intrínsecus. Nam extrínsecus maledícta et persecutiónes et detractiónes promittúntur : de quibus tamen magna merces est in cælis, quæ sentítur in corde patiéntium, eórum qui jam possunt dícere, Gloriámur in tribulatiónibus, sciéntes quóniam tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio vero spem: spes autem non confúndit, quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis. Non enim ista pérpeti, fructuósum est; sed ista pro Christi nómine, non solum æquo ánimo, sed étiam cum exsultatióne toleráre.

℟. vij. Exhibuérunt córpora sua hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem * In odórem suavitátis. ℣. Humiliavérunt in compédibus pedes suos, ferrum pertránsiit ánimam eórum. — In odórem suavitátis.

Lectio viij.

GAUDETE, inquit, et exsultáte : quóniam merces vestra multa est in cælo. Non hic cælos dici puto, superióres partes hujus visíbilis mundi. Non enim merces nostra, quæ inconcússa et ætérna esse debet, in rebus volubílibus et temporálibus collocánda est. Sed, In cælis dictum puto, In spiritálibus firmaméntis, ubi hábitat sempitérna justítia : in quorum comparatióne terra dicitur ánima iníqua, cui peccánti dictum est, Terra es, et in terram ibis. De his cælis dicit Apóstolus : Quóniam conversátio nostra in cælis est.

℟. viij. Scimus, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur,* Quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. ℣. Non contemplántibus quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. — Quod ædificatiónem.

Lectio ix.

SENTIUNT ergo jam istam mercédem qui gaudent spiritálibus bonis : sed tunc ex omni parte perficiétur, cum étiam hoc mortále indúerit immortalitátem. Ita enim persecúti sunt, inquit, et Prophétas, qui ante vos fuérunt. Nunc persecutiónem generáliter pósuit, et in maledíctis, et in dilaceratióne famæ : et bene exémplo adhortátus est : quia vera dicéntes solent persecutiónem pati; nec tamen ídeo Prophétæ antíqui timóre persecutiónis a veritátis prædicatióne defecérunt.

℟. ix. Audíta est quasi vox turbárum multárum in cælo dicéntium : Allelúia :* Salus et glória et virtus Deo nostro In sæcula sæculórum. ℣. Quia vera et justa sunt judícia ejus: et vindicávit sánguinem servórum suórum. — Salus. Glória. In sæcula sæculórum.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Joánnes cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Induit Dóminus Sanctos suos fortitúdine, et testimónia ejus credibília facta sunt nimis. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Oves páscuæ Dómini introiérunt portas ejus in confessióne et átria ejus in hymnis.

3. Lábiis exsultatiónis laudábunt Dóminum : obstrúctum est os loquéntium iníqua.

4. Benedícite sacerdótes Dómini Dóminum : laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

5. Exsultábunt Sancti in glória, et lætabúntur in cubílibus suis.

Capitulum. Apoc. 12.

SANCTI vicérunt propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui : et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem.

Hymnus.

NOCTE jam pulsa, rutilántis astri
Splendor illústrat púgilum triúmphos,
Qui modo in campo cecidére fortes
Gorcomiénsi.
ASTRA conscéndunt : Deus ipse lætos
Excipit cæli dómibus, supréma
Luce donándos, Deus ipse merces
Factus in ævum.
PLAUDIT et tellus celebrátque sanctum
Mártyrum nomen : vólitat per oras
Fama victórum, meritósque digna
Laude repéndit.
OTRIUMPHALI redimíta serto
Mártyrum Christi veneránda proles,
Huc tui adsis memor, ac poténti
Nos prece salva.
SIT Patri virtus, honor et potéstas,
Fílio sit laus párilis per ævum,
Flámini sancto résonent perénni
Cántica voce. Amen.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Ad Benedictus Aña. Dóminus Deus Israel visitávit et fecit redemptiónem Servórum suórum : glorificávit nomen eórum in ætérnum, et eréxit cornu salútis nobis. Oratio.

DEUS, qui beatórum Mártyrum tuórum Joánnis et Sociórum ejus gloriósum pro fide tua certámen ætérnitátis láurea decorásti : concéde propítius ut eórum méritis et imitatióne certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in cælis. Per.

Ad Memoriam de Octava die Visitationis B. Mariæ Virginis, si hodie occurrerit : Aña. Visitatiónem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, majestátem tuam supplíciter exorámus : ut sicut Unigénitum tuum per Visitatiónem et salutatiónem Genitrícis ejus púero clauso in útero revelásti, ita, méritis ejúsdem Genitrícis et précibus, ipsum nos fácias reveláta fácie perpétuo contemplári : Qui tecum.

AD TERTIAM.

Capitulum Sancti vicérunt., ut in Laudibus.

℟. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, * Allelúia, allelúia. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Allelúia. Glória. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 5.

JUSTI accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini : quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos.

℟. Exsúltent justi in conspéctu Dei, * Allelúia, allelúia. Exsúltent justi. ℣. Et delecténtur in lætítia. Allelúia. Glória. Exsúltent justi.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. 12.

ACCESSISTIS ad Sion montem, et civitátem Dei viéntis, Jerúsalem cæléstem, et multórum míllium angelórum frequéntiam, et ecclésiam primitivórum, qui conscripti sunt in cælis.

℟. Justi autem in perpétuum vivent, * Allelúia, allelúia. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. Allelúia. Glória. Justi autem.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Induit Dóminus Sanctos suos fortitúdine, et testimónia ejus credibília facta sunt nimis. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi plurimorum Martyrum, pag. 62*.

Capitulum Sancti vicérunt., Hymnus Mártyrum virtus. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 587.

Ad Magnificat Aña. Exaltávit Dóminus húmiles Servos suos, et suscépit eos in tabernácula sancta, recordátus misericórdiæ suæ.

Ad Memoriam de Octava die Visitationis B. Mariæ Virginis, si hodie occurrerit : Aña. Visitátio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio Omnípotens et miséricors Deus. ut ad Memoriam de Octava die in Laudibus, p. 593.

PER OCTAVAM SS. JOANNIS ET SOCIORUM.

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Dóminus Deus Israel visitávit et fecit redemptiónem Servórum suórum : glorificávit nomen eórum in ætérnum, et eréxit cornu salútis nobis.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

¶ Si tamen præcedens ℣. Mirábilis. post Hymnum jam dictus fuerit, ad Memoriam de Octava SS. Joannis et Sociorum in Laudibus dicatur ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Oratio.

DEUS, qui beatórum Mártyrum tuórum Joánnis et Sociórum ejus gloriósum pro fide tua certámen ætérnitátis láurea decorásti : concéde propítius ut eórum méritis et imitatióne certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in cælis. Per.

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Exaltávit Dóminus húmiles Servos suos, et suscépit eos in tabernácula sancta, recordátus misericórdiæ suæ.

℣. Ora pro nobis beáte Joánnes cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio Deus, qui beatórum Mártyrum tuórum. ut supra.

DIE X. JULII.

SS. SEPTEM FRATRUM MARTYRUM.

MEMORIA IN I. VESPERIS ET LAUDIBUS. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per.

DIE XI. JULII.

BB. IGNATII EP. ORD. PRÆD. ET SOCIORUM MARTYRUM.

DUPLEX.

In utrisque Vesperis et ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Ignáti cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Oratio.

DEUS, qui beatórum Pontíficum Ignátii et Domínici ac Sociórum sánguine Annamitárum terras rigári voluísti : intercedéntibus tantis Martyribus, fac eas christiána religióne florére. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Procopii Abbatis.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus Dómine, beáti Procópii Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus ejus patrocínio assequámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Exístimo. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 55*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CHRISTIANÆ res, quæ, décimo nono ineúnte sæculo, in Tunquíno orientáli sat próspere se habúerant, supra módum afflígi cœpérunt, cum ímpius Minh-Manh regno potítus est. Hic síquidem, vesáno in Christícolas abréptus ódio, eórum religiónem pénitus delére constítuit. Ratus porro rem cítius conféctum iri, si doctrínæ sacræ magístri una simul capti regno extórres fíerent, aut cápite plecteréntur, epíscopos et presbyteros convocávit, ipsórum perítia usúrum se méntiens, quo libri, seu scripta ex Europæórum linguis annamítice redderéntur. Sed invitántis pérfida mens Servos Dei non látuit, ipsíque regem adíre recusárunt : qui, astútiam in apértam vim convértens, Fidélium interneciónem absque mora jussit indíci.

Lectio v.

ECCLESIAS, eo témporis, in orientálibus regni pártibus moderabátur Ignátius Delgádo Epíscopus Mellipotaménsis, cui labórum consórtes se adjúnxerant Domínicus Henáres Epíscopus Fesseitténsis, et Joséphus Fernández. Hi tres, ex Hispánia oriúndi, Ordinis Prædicatórum in Província sanctíssimi Rosárii Insulárum Philippinárum sodáles erant, et Christi fidem in Tunquíno longe latéque diffúderant. Eos ímpigre juvábant indígenæ Sacerdótes partim eídem Ordini adscrípti, partim Fratrum Prædicatórum in Clero sæculári assídui familiáres, una cum

láicis, qui sanam doctrínam religiónis christiánæ candidátis et neóphytis tradébant. Máximo quoque emoluménto Evangélii præcónibus fuére viri piíssimi, Tértium sancti Patris Domínici Ordinem proféssi, vitæ integritáte et utriúsque misericórdiæ opéribus pópulo prælucéntes. Mox tyránni decrétis obtemperárunt minístri régii : qui missis exploratóribus, binos Epíscopos cum Josépho Fernández indigenísque vigínti tribus apprehendérunt. Quorum álii arctis cáveis more ferárum inclúsi, álii grávibus circa collum commíssis tábulis onústi, álii fústibus flagellísve cæsi, omnes dénique mánicis et compédibus vincti, inédia, squallóre cárceris variísque afflictatiónibus vexáti, Christum negáre, ejúsve imáginem pédibus térere frustra compúlsi sunt. Tanta constántia rex actus in rábiem, Dei Confessóres extrémo supplício puniéndos addíxit.

Lectio vj.

PRIMUS sánguinem fúndere méruit catechísta Francíscus nómine, qui anno Dómini millésimo octingentésimo trigésimo octávo, Júnii vero die vigésima quinta cápite truncátus est; statímque post eum, eódem mortis génere, Domínicus Henáres sæculi misériam cum ætérna beatitúdine mutávit. Paucis elápsis diébus, morbo et ærúmnis confectus, in cávea spíritum emísit Ignátius Delgádo : cujus venerándo cadáveri, jubénte præfécto, caput præcísum fuit, et in aquas projéctum, ubi, post menses tres, a piscatóre christiáno ita íntegrum repértum est, ac si recens abscíssum fuísset. Reliquórum Christi mílitum úndecim decolláti sunt, sex láqueo stranguláti, duo médii secti; unus ferro contúsus occúbuit, unus fame intériit, duo in cárcere ánimam egérunt. Mártyrum suórum glóriam prodígiis Deus ipse testátus est; eósque Leo Décimus tértius Póntifex Máximus una cum áliis quinquagínta et uno in Beatórum número rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Videns Jesus turbas. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 65*.

DIE XII. JULII.

S. JOANNIS GUALBERTI ABBATIS.

DUPLEX. Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus Dómine, beáti Joánnis Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus ejus patrocínio assequámur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES Gualbértus Florentiæ nóbili génere ortus, dum patri óbsequens rem militárem séquitur, Ugo, únicus ejus frater, occíditur a consanguíneo : quem cum solum et inérmem sancto Parascéves die Joánnes armis ac milítibus stipátus óbvium habéret, ubi neuter álterum póterat declináre, ob sanctæ Crucis reveréntiam, quam homicída supplex, mortem jamjam subitúrus, bráchiis

signábat, vitam ei cleménter indúlget. Hoste in fratrem recépto, próximum sancti Miniátis templum oratúrus ingréditur, ubi adorátam Crucifíxi imáginem caput sibi fléctere cónspicit. Quo mirábili facto permótus Joánnes, Deo exínde, étiam invíto patre, militáre decérnit, atque ibídem própriis sibi mánibus comam totóndit, ac monásticum hábitum índuit: adeóque piis ac religiósis virtútibus brevi corúscat, ut multis se perfectiónis spécimen ac normam præbéret; ita ut ejúsdem loci Abbáte defúncto, commúni ómnium voto in Superiórem eligerétur. At Dei fámulus, cúpiens subésse pótius quam præésse, ad majóra divína voluntáte servátus, ad Camaldulénsis erémi íncolam Romuáldum proficíscitur : a quo cælicum sui Institúti vaticínium áccipit. Tum suum Ordinem sub régula sancti Benedícti apud Umbrósam vallem instítuit.

Lectio v.

DEINDE plúrimis ad eum, ob ejus sanctitátis famam, úndique convolántibus, una cum iis in sócios adscítis, ad hæréticam et simoníacam pravitátem exstirpándam, et Apostólicam fidem propagándam sédulo incúmbit, innúmera proptérea in se et suis incómmoda expértus. Nam ut eum ejúsque sócios adversárii perdant, noctu sancti Sálvii cœnóbium repénte aggrediúntur, templum incéndunt, ædes demoliúntur, et mónachos omnes letáli vúlnere sáuciant; quos Vir Dei único Crucis signo incólumes prótinus reddit : et Petro ejus mónacho per imménsum ardentissimúmque ignem illæso mirabíliter transeúnte, optátam sibi et suis tranquillitátem óbtinet. Inde simoníacam labem ab Etrúria éxpulit, ac in tota Itália fidem prístinæ integritáti restítuit.

Lectio vj.

MULTA fúnditus eréxit monastéria, eadémque etália, ædifíciis ac regulári observántia instauráta, sanctis légibus communívit. Ad egénos aléndos sacram supelléctilem véndidit. Ad ímprobos coercéndos eleménta sibi famulári conspéxit. Ad dæmones compriméndos Crucem quasi ensem adhíbuit. Demum abstinéntiis, vigíliis, jejúniis, oratiónibus, carnis maceratiónibus ac sénio confectus, dum infírma valetúdine gravarétur, Davídica illa verba persæpe repetébat : Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? Jamque morti próximus, convocátos discípulos ad fratérnam concórdiam cohortátur, et in brevículo, cui consepelíri vóluit, jussit hæc scribi : Ego Joánnes credo et confíteor fidem, quam sancti Apóstoli prædicavérunt, et sancti Patres in quátuor Concíliis firmavérunt. Tandem triduáno Angelórum obséquio dignátus, septuagésimum octávum annum agens, apud Passiniánum, ubi summa veneratióne cólitur, migrávit ad Dóminum, anno Salútis millésimo septuagésimo tértio, quarto Idus Júlii. Quem Cælestínus Tértius, innúmeris miráculis clarum, in Sanctórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Audístis quia dictum est : Díliges próximum tuum, et ódio habébis inimícum tuum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 1. Comm. in Matth. c. 5.)

EGO autem dico vobis : Dilígite inimícos vestros : benefácite iis, qui odérunt vos. Multi præcépta Dei imbecillitáte sua, non sanctórum víribus æstimántes, putant esse impossibília, quæ præcépta sunt, et dicunt suffícere virtútibus, non odísse inimícos : céterum dilígere plus præcipi quam humána natúra patiátur. Sciéndum est ergo Christum non impossibília præcípere, sed perfécta. Quæ fecit David in Saul, et in Absalom : Stéphanus quoque Martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus est : et Paulus anáthema cupit esse pro persecutóribus suis. Hæc autem Jesus et dócuit, et fecit, dicens : Pater ignósce illis : quod enim fáciunt, nésciunt.

Lectio viij.

IN réliquis opéribus bonis interdum potest áliquis qualemcúmque excusatiónem præténdere : ad habéndam vero dilectiónem nullus se póterit excusáre. Potest mihi áliquis dícere, Non possum jejunáre : numquid potest dícere, Non possum amáre? Potest áliquis dícere, Virginitátem non possum serváre, non possum res totas véndere et paupéribus erogáre : numquid potest dícere, Non possum dilígere inimícos?

Lectio ix.

NON enim ibi aut pedes labórant curréndo, aures audiéndo, aut manus operándo laxántur, ut nos per ipsam excusatiónem liberáre conémur. Non nobis dícitur, Ite ad Oriéntem, et quærite caritátem : navigáte ad Occidéntem, et inveniétis dilectiónem. Intus in nostro corde est, ubi redire jubémur, dicénte Prophéta, Redíte prævaricatóres ad cor. Non enim in longínquis regiónibus invenítur quod a nobis pétitur.

DIE XIII. JULII.

B. JACOBI A VORAGINE

EPISC. ET CONF. ORD. PRÆD. DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Jacóbum, Confessórem atque Pontíficem, exímium veritátis præcónem et pacis conciliatórem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde ut pacem et veritátem diligámus, et ad te, in quo pax summa est et pura véritas, perveniámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 70*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JACOBUS a natáli solo, quod est óppidum diœcésis Savonénsis, a Vorágine dictus, ineúnte adolescéntia Génuæ

Prædicatórum Ordini nomen dedit, magnósque brevi in pietáte progréssus fecit. Singulárem vero doctrínam cum vitæ sanctitáte conjúnxit. Nam liberálibus disciplínis, et divínis máxime lítteris excúltus fuit, ut ómnibus admiratióni esset. Assídua sanctórum Patrum lectióne delectabátur, in primis sancti Augustíni, cujus illustrióres sententias memóriæ infíxas tenébat : plúrimum étiam álios doctrína sua adjúvit. Nam et de rebus divínis domi privátim scholam hábuit, et in præcípuis Itáliæ úrbibus concionatóris munus gessit, magnámque morum mutatiónem, Deo adjuvánte, in pópulo indúxit, multósque voluptáti déditos ad amórem virtútis inflammávit.

Lectio v.

DEINDE, cum Jacóbo præfectúra suæ provínciæ demandáta fuísset, ádeo laudabíliter se gessit, ut raro exémplo ad plures annos prorogáta illi fúerit. Ab ea autem administratióne expedítus, Génuam venit cum mandátis Honórii Quarti Románi Pontíficis, ibíque negótium sibi impósitum ita confécit, ut magnam a Genuénsibus inierit grátiam. Ipsis ígitur postulántibus, a Nicoláo Quarto, qui Honório succésserat, Archiepíscopus Genuénsis renuntiátus est. Nihil autem prius hábuit quam ut partes omnes perfécti pastóris expléret. Coácto provinciálium Episcopórum concílio, fractam superiórum témporum licéntia disciplínam reparávit. Sanctórum cultum summo stúdio amplificávit, sacrásque Relíquias honóre débito asservári provídit.

Lectio vj.

GENUENSES jam ab annis quinquagínta in géminas factiónes divísos, eloquéntia, pastorali sollicitúdine et dexteritáte ad concórdiam, interpósita juraménti religióne confirmátam, revocávit. Frugi ipse et sóbrius, Ecclésiæ patrimónium in páuperes erogábat, præsértim vero ut in magna annónæ caritáte eos áleret, et públici nosocomii necessitátibus succúrreret. Inter hæc et ália pietátis et religiónis offícia, ab ínito episcopátu annos sex, menses quátuor, dies quíndecim cum transegísset, Idibus Júlii, anno millésimo ducentésimo nonagésimo octávo, prope septuagenárius pretiósam justórum mortem óbiit : cujus sacræ exúviæ subtus aram máximam ecclésiæ sancti Domínici pósitæ fuérunt, et usque ad annum millésimum septingentésimum nonagésimum octávum asservátæ, póstea translátæ ad ecclésiam sanctæ Maríæ de Castéllo Ordinis Prædicatórum, ubi étiam nunc a fidélibus in summa veneratióne habéntur. Religiósum cultum et Beáti títulum, quem jam ab óbitu obtínuit, rite probátum Pius Séptimus Póntifex Máximus confirmávit; qui étiam indúlsit, ut ab univérso Prædicatórum Ordine, et a Clero tam sæculári quam regulári, cum diœcésis Genuénsis, tum Savonénsis, beáti Jacóbi festum cum Missa et Offício sub ritu Dúplici quotánnis celebrétur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 78*.

DIE XIV. JULII.

S. BONAVENTURÆ

EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

TOTUM DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bonaventúram minístrum tribuísti : præsta, quæsumus, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 39.

SAPIENTIAM ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu præsidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet : bona enim et mala in homínibus tentábit.

Lectio ij.

COR suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum : et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse díriget consílium ejus, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

Lectio iij.

IPSE palam fáciet disciplinam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit ecclésia. Si permánserit, nomen derelínquet plus quam mille : et si requiéverit, próderit illi.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Actis ejus integre conscriptis, et ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

BONAVENTURA, Balneorégii in Etrúria natus, cum infans incidísset in vitæ perículum, mater ejus vovit, si inde evasísset, se eum Religióni beáti Francísci dicatúram. Itaque adoléscens in Ordinem Fratrum Minórum adscríbi vóluit, ubi Alexándro de Ales magístro, ad eam doctrínæ perfectiónem brevi pervénit, ut séptimo post anno libros Sententiárum Parísiis públice, summa cum laude, sit interpretátus : quos étiam præcláris póstea commentáriis illustrávit.

Lectio v.

TANTÆ vero puritátis et innocéntiæ erat, ut præcéptor ejus Alexánder non dubitárit de illo dícere : Vere Israelíta, in quo Adam non peccásse vidétur. Post sex annos, sui Ordinis generális Minister Romæ factus, ea prudéntiæ ac

sanctitátis laude ministérium gessit, ut in ómnium ore et admiratióne esset. Multa scripsit, in quibus summam eruditiónem cum pari pietátis ardóre conjúngens, lectórem docéndo movet.

Lectio vj.

IPSUM Gregórius Décimus, ejus sanctimóniæ ac sapiéntiæ fama commótus, Cardinálem et Epíscopum Albanénsem creávit. Eúmdem adhuc vivéntem beátus Thomas Aquínas Sanctum appellávit. Cum enim vitam sancti Francísci scribéntem comperísset : Sinámus, inquit, Sanctum pro Sancto laboráre. Migrávit e vita prídie Idus Júlii, in concílio Lugdunénsi, quinquaginta tres annos natus, multis éditis miráculis. Quem Xystus Quartus Póntifex Máximus rétulit in Sanctórum númerum.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Vos estis sal terræ. de Communi unius Doctoris, pag. 80*.

DIE XV. JULII.

S. HENRICI IMPERATORIS

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui hodiérna die beátum Henrícum, Confessórem tuum, e terréni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulísti, te súpplices exorámus : ut sicut illum, grátiæ tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sæculi superáre fecísti, ita nos fácias ejus imitatióne mundi hujus blandiménta vitáre, et ad te puris méntibus pervenire. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HENRICUS cognoménto Pius, e duce Baváriæ rex Germániæ, ac póstmodum Romanórum imperátor, temporális regni non conténtus angústiis, pro adipiscénda immortalitátis coróna sédulam ætérno Regi exhíbuit servitútem. Adépto enim império, religióni amplificándæ studióse incúmbens, ecclésias, ab infidélibus destrúctas, magnificéntius reparávit, plurimísque largitiónibus et prædiis locupletávit. Monastéria, aliaque loca pia vel ipse ædificávit, vel assignátis redítibus auxit. Episcopátum Bambergénsem, hereditáriis ópibus fundátum, beáto Petro Romanóque Pontífici vectigálem fecit. Benedíctum Octávum, a quo impérii corónam accéperat, prófugum excépit, suæque Sedi restítuit.

Lectio v.

IN Cassinénsi monastério gravi deténtus infirmitáte, a sancto Benedícto, insígni miráculo, sanátus est. Románam Ecclésiam amplíssimo diplómate munerátus, eídem tuéndæ bellum advérsus Græcos suscépit, et Apúliam, diu ab illis possédsam, recuperávit. Nihil sine précibus ággredi sólitus, Angelum Dómini, sanctósque Mártyres tutelares pro se pugnántes ante áciem intérdum vidit. Divína autem protéctus ope, bárbaras natiónes précibus magis quam armis expugnávit. Pannóniam adhuc infidélem, trádita Stéphano regi soróre sua in uxórem, eóque baptizáto, ad Christi fidem perdúxit. Virginitátem, raro

exémplo, matrimónio junxit, sanctámque Cunegúndam cónjugem suam, propínquis ejus, morti próximus, illibátam restítuit.

Lectio vj.

DENIQUE rebus ómnibus, quæ ad impérii honórem et utilitátem pertinébant, summa prudéntia dispósitis, et illústribus per Gálliam, Itáliam, et Germániam religiósæ munificéntiæ vestígiis passim relíctis, postquam heróicæ virtútis suavíssimum odórem longe latéque diffúderat, sanctitáte quam sceptro clárior, ad Regni cæléstis præmia, consummátis vitæ labóribus, a Dómino vocátus est, anno Salútis millésimo vigésimo quarto. Cujus corpus in ecclésia beatórum Apostolórum Petri et Pauli Bambérgæ cónditum fuit, statímque ad ejus túmulum multa mirácula, Deo ipsum glorificánte, patráta sunt; quibus póstea rite probátis, Eugénius Tértius Sanctórum número illum adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XVI. JULII.

IN COMMEMOR. B. MARIÆ V. DE MONTE CARMELO.

TOTUM DUPLEX.

Omnia quæ hic notata non sunt fiant ut in Festis B. Mariæ V., pag. 1*. Oratio.

DEUS, qui beatíssimæ semper Vírginis et Genitrícis tuæ Maríæ singulári título Carméli Ordinem decorásti : concéde propítius ut cujus hódie Commemoratiónem solémni celebrámus officio, ejus muníti præsídiis ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Qui vivis.

In utrisque Vesperis et Laudibus Memoria de Octava die Simplici SS. Joannis Ordinis Prædicatorum et Sociorum Martyrum ut infra sub titulo Eadem die xvi. julii. pag. 603. notatum est.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Lectio iv.

CUM sacra Pentecóstes die, Apóstoli cælitus affláti váriis linguis loqueréntur, et invocáto augustíssimo Jesu nómine, mira multa patrárent: viri plúrimi, qui vestígiis sanctórum Prophetárum Elíæ et Eliséi instíterant, et Joánnis Baptístæ præcónio ad Christi advéntum comparáti fúerant, rerum veritáte perspécta atque probáta, evangélicam fidem confestim amplexáti sunt, ac peculiári quodam affectu beatíssimam Vírginem (cujus collóquiis ac familiaritáte felíciter frui potuére) ádeo venerári cœpérunt, ut primi ómnium in eo Montis Carméli loco, ubi Elías olim ascendéntem nébulam, Vírginis typo insígnem, conspéxerat, eídem purissimæ Vírgini sacéllum construxérint.

℟. iv. Solémnitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David : * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat ecclésias. ℣. Regáli ex progénie María exórta refúlget. — Cujus vita ínclyta.

Ben edictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

Ad novum ergo sacéllum sæpe quotídie convenientes, rítibus piis, precatiónibus ac láudibus beatíssimam Vírginem velut singulárem Ordinis tutélam colébant. Quam ob rem Fratres beátæ Maríæ de Monte Carmélo passim ab ómnibus appellári cœpérunt, eúmque títulum Summi Pontífices non modo confirmárunt, sed et Indulgéntias peculiáres iis, qui eo título vel Ordinem, vel Fratres síngulos nuncupárent, concessére. Nec vero nomenclatúram tantum magnificentíssima Virgo tríbuit et tutélam; verum et insígne sacri Scapuláris, quod beáto Simóni Anglico præbuit, ut cælésti hac veste Ordo ille sacer dignoscerétur, et a malis ingruéntibus protegerétur. Ac demum, cum olim in Európa Ordo esset ignótus, et ob id apud Honórium Tértium non pauci pro illíus exstinctióne instárent, ástitit Honório noctu piíssima Virgo María, planéque jussit ut Institútum et hómines benígne complecterétur.

℟. v. Solémnitas tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Felix namque es, quæ sola Genitrícis dignitátem obtinuísti, et virginálem pudicítiam non amisísti. — Ex te enim ortus est.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

Non in hoc tantum sæculo Ordinem sibi tam accéptum multis prærogatívis beatíssima Virgo insignívit; verum et in álio (cum ubíque et poténtia, et misericórdia plúrimum váleat) fílios in Scapuláris societátem relátos, qui abstinéntiam módicam, precésque paucas eis præscríptas frequentárunt, ac pro sui status ratióne castitátem coluérunt, matérno plane affféctu, dum igne purgatórii expiántur, solári, ac in cæléstem Pátriam obténtu suo quantócius pie créditur efférre. Tot ergo tantísque benefíciis Ordo cumulátus, solémnem beatíssimæ Vírginis Commemoratiónem ritu perpétuo ad ejúsdem Vírginis glóriam quotánnis celebrándam instítuit.

℟. vj. Ad nutum Dómini nostrum ditántis honórem, * Sicut spina rosam génuit Judæa María. ℣. Ut vítium virtus operíret, grátia culpam. — Sicut spina rosam. Glória. Sicut spina rosam.

EADEM DIE XVI. JULII.

IN OCTAVA SS. JOANNIS O. P. ET SOCIORUM MARTYRUM

SIMPLEX.

Ad Memoriam in j. Vesperis Aña. In poténtia bráchii tui Dómine dispérgens supérbos, respexísti humilitátem Servórum tuórum: et ecce beátos eos dicent omnes generatiónes.

℣. Ora pro nobis beáte Joánnes cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Oratio.

DEUS, qui beatórum Mártyrum tuórum Joánnis et Sociórum ejus gloriósum pro fide tua certámen æternitátis láurea decorásti : concéde propítius ut eórum méritis et imitatióne certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in cælis. Per.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Dóminus Deus Israel visitávit et fecit redemptiónem Servórum suórum : glorificávit nomen eórum in ætérnum, et eréxit cornu salútis nobis.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Oratio Deus, qui beatórum. ut ad Memoriam in j. Vesperis.

Ad Memoriam in ij. Vesperis Aña. Exaltávit Dóminus húmiles Servos suos, et suscépit eos in tabernácula sancta, recordátus misericórdiæ suæ.

℣. Ora pro nobis beáte Joánnes. et Oratio Deus, qui beatórum. ut ad Memoriam in j. Vesperis.

DIE XVII. JULII.

S. ALEXII

CONFESSORIS.

TRES LECTIONES. Oratio.

DEUS, qui beáto Alexio Confessóri tuo tribuísti ut et nova mundum arte delúderet, et de hoste humáni géneris mirabíliter triumpháret : concéde propítius ut ejus semper muniámur auxíliis, cujus salutíferis erudímur exémplis. Per.

IN NOCTURNO.

Lectio j. de Scriptura currente.

(Ex sincerioribus Actis, et Romano Breviario.)

Lectio ij.

ALEXIUS Romanórum nobilíssimus, propter exímium Jesu Christi amórem, prima nocte nuptiárum, relínquens intáctam sponsam, illústrium orbis terræ Ecclesiárum peregrinatiónem suscépit. Quibus in itinéribus, cum ignótus septémdecim annis fuísset, aliquándo apud Edéssam Syriæ urbem, per imáginem sanctissimæ Maríæ Vírginis ejus nómine divulgáto, inde navi discéssit.

Lectio iij.

AD portum Románum appúlsus, a patre suo tamquam aliénus pauper hospítio accípitur; et despécto in loco própriæ domus, quem ab eódem patre impetráverat, totus oratiónibus, abstinéntiis ac vigíliis déditus, graves et viles servórum injúrias patiénter et perseveránter sustínuit : et ómnibus incógnitus cum ibi decem et septem annos vixísset, diem suæ quiétis divína revelatióne cognóscens, relícto scripto sui nóminis, sánguinis, ac totíus vitæ cursus, migrávit in cælum, Innocéntio Primo Summo Pontífice.

¶ Ubi celebratur hoc festum sub ritu Duplici, Lectiones primi Nocturni erunt Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

In secundo Nocturno Lectio quarta et quinta erunt secunda et tertia ex suprapositis, scilicet : Alexius Romanórum no-

bilíssimus. et Ad portum Románum.; sexta vero hæc erit :

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
(In Orat. de S. Philog.)

Lectio vj.

BEATI (Aléxii) dies, cujus festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit : síquidem hódie Beátus iste ad tranquíllam, omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit : eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem, aut dolórem.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium Ecce nos relíquimus ómnia., ut in Communi unius Abbatis, pag. 85*.

DIE XVIII. JULII.
B. CESLAI
CONF. ORD. PRÆD.
DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Cesláum, virgíneo morum candóre præditum et salútis animárum zelo succénsum, in divérsis natiónum pópulis óperum sanctitáte et fídei propagatióne mirábilem effecísti : præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne simus semper in fide stábiles, et ad te, qui solus es ætérnæ salútis auctor ac largítor, misericórdiæ tuæ múnere pervenire valeámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

NONNE stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum : plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt : nos autem prædicámus Christum crucifíxum : Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam : quia quod stultum est Dei sapiéntius est homínibus : et quod infírmum est Dei fórtius est homínibus.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio ij. Cap. 4.

HABENTES administratiónem, juxta quod misericórdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicámus occúlta dedécoris, non ambulántes in astútia, neque adulterántes verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo. Quod si étiam opértum est Evangélium nostrum : in iis, qui péreunt, est opértum : in quibus Deus hujus sæculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei.

Lectio iij.

NON enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum : nos autem servos vestros per Jesum : quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie

Christi Jesu. Habémus autem thesaúrum istum in vasis fictílibus : ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur : aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur : dejícimur, sed non perímus : semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BEATUS Cesláus, sancti Hyacínthi germánus frater, e nobilíssima Odrovantiórum prosápia in província Opoliénsi, diœcésis Wratislaviénsis, ortus est. Ab ipso ineúntis ætátis princípio plúrima futúræ sanctitátis indícia, et christianárum virtútum specímina pródidit. Ingénua, qua pollébat, índoles, exímius morum candor, ac píetas, illum ómnibus non minus amábilem quam admirábilem reddidérunt. Humanióribus lítteris appríme in puerítia excúltus, in Itáliam, cum jam adolevísset, ab Ivóne Episcopo Cracoviénsi, pátruo suo, missus est, ut ibi theologíæ et jurisprudéntiæ óperam naváret. Post eménsum in Itália studiórum currículum, Cracóviam revérsus, et ab eódem Ivóne Canónicus et Custos Sandomíriæ in ecclésia sanctæ Maríæ factus, nihil secúndum Deum prius et antíquius hábuit quam ut vitam non tantum a crimínibus, sed étiam a suspicióne críminum undequáque puram et inculpátam dúceret, quo áliis præíret exémplo, omnésque christiánas in se exprímeret virtútes, quarum amórem córdibus ómnium insérere summópere exoptábat.

Lectio v.

DUM autem ómnibus perfécti Canónici offíciis jugi sollicitúdine fungerétur, cóntigit ut Ivo Episcopus, Romam profectúrus, eum sibi itíneris cómitem adscíverit. Romam appúlsus Cesláus, fama sanctimóniæ et miraculórum viri Dei Domínici, Ordinis Prædicatórum Fundatóris, audíta, nil cunctátus, impúlsu Spíritus sancti mundo núntium remísit, et ab eódem sanctíssimo Patriárcha hábitum Religiónis suscépit, in qua, tamquam in fértili agro, viri doctrínæ magnitúdine, et vitæ sanctitáte præstántes nunquam álii ex áliis continénter propagári et proseminári desiérunt. In Ordinem Prædicatórum cooptátus, ita sub disciplína sancti Patris Domínici profécit, ut tamquam exémplum continéntiæ, frugalitátis et obediéntiæ ómnibus proponerétur. In vigíliis, jejúniis, carnis maceratióne, oratiónibus, aliísque id genus legum sui Ordinis observatiónibus ita assídue erat exercitátus, ut verus et ómnibus suis númeris absolútus beatíssimi Patris Domínici fílius viderétur.

Lectio vj.

POST exáctum tirocínium, zelo flagrans salútis animárum, a sancto Patriárcha obníxe postulávit, ut ad oras septentrionáles, quas in ténebris et in umbra mortis detiné-

bat infidelitátis error et ignorántia, mitterétur. Voti compos factus, primum Pragam Bohemórum metrópolim se cóntulit, ibíque cum ubérrimo animárum lucro verbum Dei prædicávit, et totam illam urbem in sui admiratiónem rápuit. Dein totam Silésiam, prædicatiónis causa, pédibus circumcúrsans, relícto ubíque suavíssimo virtútum odóre, errántes veritátem edócuit, carnáles affféctus dissipávit, peccatóres ad pœniténtiam pelléxit, frígida hóminum péctora divíno amóre inflammávit, copiosúmque fructum in hórrea Dómini, ad cujus glóriam júgiter et únice anhelábat, convéxit. Dum Tártari Polóniam et Silésiam ferro flammáque devastárent, pie créditum est, Cesláum, qui sæviénte hóstium furóre, in castrum Wratislaviénse una cum illis Christifidélibus confúgerat, précibus suis ac lácrimis ad Deum effúsis, hanc urbem defendísse. Tandem plenus méritis óbiit Wratisláviæ in monastério sui Ordinis, anno millésimo ducentésimo quadragésimo secúndo. Ad ejus sepúlcrum pópulus, veneratiónis ergo, certátim conflúere, eíque cœpit exhibére cultum, quem in sacra Rítuum Congregatióne matúro exámine perpénsum, Clemens Undécimus Póntifex Máximus approbávit, et univérso Prædicatórum Ordini concéssit ut Offícium de beáto Cesláo celebráret.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Designávit Dóminus., de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE XIX. JULII.

S. VINCENTII A PAULO CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui ad evangelizándum paupéribus, et ecclesiástici órdinis decórem promovéndum, beátum Vincéntium apostólica virtúte roborásti : præsta, quæsumus, ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

VINCENTIUS a Paulo natióne Gallus, Pódii non procul ab Aquis Tarbéllis in Aquitánia natus, jam tum a púero eximiam in páuperes caritátem præ se tulit. A custódia patérni gregis ad lítteras evocátus, humánas Aquis, divínas cum Tolósæ tum Cæsaraugústæ dídicit. Sacerdótio initiátus, ac theologíæ láurea insignítus, in Turcas incidit, qui captívum in Africam abduxérunt. Sed in captivitáte pósitus, herum ipsum Christo rursus lucrifécit. Cum eo ígitur ex bárbaris oris, opitulánte Deípara, sese prorípiens, ad Apostólica límina iter instítuit. Unde in Gálliam revérsus, Clippíaci primum, mox Castelliónis parœcias sanctíssime rexit. Renuntiátus a rege primárius sacrórum minister in Gálliæ trirémibus, mirum quo zelo, et ducum, et rémigum salúti óperam posúerit. Moniálibus Visitatiónis a sancto Francísco Salésio præpósitus, tanta prudéntia per annos círciter quadragínta eam curam

sustínuit, ut máxime comprobáverit judícium sanctíssimi Præsulis, qui Sacerdótem Vincéntio digniórem nullum se nosse fatebátur.

Lectio v.

EVANGELIZANDIS paupéribus, præsértim rurícolis, ad decrépitam usque ætátem indeféssus incúbuit : eíque apostólico óperi tum se tum alúmnos Congregatiónis, quam sub nómine Presbyterórum sæculárium Missiónis instituit, perpétuo voto, a sancta Sede confirmáto, speciátim obstrínxit. Quantum autem augéndæ Cleri disciplínæ allaboráverit, testántur erécta majórum Clericórum seminária, collatiónum de divínis inter Sacerdótes frequéntia, et sacræ Ordinatióni præmitténda exercítia, ad quæ, sicut et ad pios laicórum secéssus, Institúti sui domicília libénter patére vóluit. Insuper ad amplificándam fidem et pietátem, evangélicos misit operários, non in solas Gálliæ províncias, sed et in Itáliam, Polóniam, Scótiam, Hibérniam, atque ad Bárbaros et Indos. Ipse vero, vita functo Ludovíco Décimo tértio, cui moriénti hortátor ástitit, a regína Anna Austríaca matre Ludovíci Décimi quarti in sánctius concílium accítus, studiosíssime egit, ut nonnísi dignióres Eccléisiis ac monastériis præficeréntur; civíles discórdiæ, singulária certámina, serpéntes erróres, quos simul sensit et exhórruit, amputaréntur, debitaque judíciis Apostólicis obediéntia præstarétur ab ómnibus.

Lectio vj.

NULLUM fuit calamitátis genus, cui patérne non occúrrerit. Fidéles sub Turcárum jugo geméntes, infántes expósitos, júvenes díscolos, vírgines periclitántes, moniáles dispérsas, mulíeres lapsas, ad trirémes damnátos, peregrínos infírmos, artífices inválidos, ipsósque mente captos. ac innúmeros mendícos subsidiis, et hospítiis etiámnum superstítibus, excépit, ac pie fovit. Lotharíngiam, Campániam, Picardíam, aliásque regiónes peste, fame bellóque vastátas, prolíxe refécit. Plúrima ad perquiréndos et sublevándos míseros sodalítia fundávit : inter quæ célebris matronárum cœtus, et late diffúsa sub nómine Caritátis puellárum societas. Puéllas quoque, tum de Cruce, tum de Providéntia, ac sanctæ Genovéfæ, ad sequióris sexus educatiónem erigéndas curávit. Hæc inter et ália gravíssima negótia Deo júgiter inténtus, cunctis affábilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis, ab honóribus, divítiis ac delíciis semper abhórruit, audítus dícere, rem nullam sibi placére, prætérquam in Christo Jesu, quem in ómnibus studébat imitári. Córporis demum afflictatióne, labóribus senióque attrítus, die vigésima séptima Septémbris, anno Salútis supra millésimum sexcentésimo sexagésimo, ætátis suæ octogésimo quinto, Parísiis in domo sancti Lázari, quæ caput est Congregatiónis Missiónis, plácide obdormívit : quem virtútibus, méritis, ac miráculis

clarum Clemens Duodécimus inter Sanctos rétulit, ipsíus celebritáti die décima nona mensis Júlii quotánnis assignáta.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Designávit Dóminus. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE XX. JULII.

S. MARGARITÆ

VIRG. ET MART.

SIMPLEX. Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quæsumus Dómine, beáta Margarita Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per.

IN II. NOCTURNO.

(Ex sincerioribus Actis.)

Lectio iv.

MARGARITA, quæ et Marína, Antiochíæ Pisídiæ patre Ædésio idolórum sacerdóte nata, a téneris annis christiánæ religióni addícta, baptizáta est. Quæ cum exímiæ esset pulchritúdinis, a præfécto Olybrio adamátur. Cumque eam sibi sisti jubéret, ita illam allóquitur : Tuum nobis, puélla, et nomen et religiónem edícito. Tum illa : Margaríta, inquit, vocor : génere sum nóbilis, religióne Christiána.

Lectio v.

AT præses : Duo prima conveniéntia sunt, tértium vero absúrditas est. Nam quid stúltius, quam ut Deum sibi quis fáciat crucifíxum? Ad hæc Virgo : Unde dic, oro, didicísti Dóminum Jesum fuísse crucifíxum? Tum præses : Ex libris Christianórum. Cui Margaríta : Quænam verecúndia est, ut cum in eísdem libris legátur et pœna Christi, et glória, álterum credátis, álterum respuátis?

Lectio vj.

HIS veheménter ira accénsus præféctus, vária tormentórum génera in sancto illo corpúsculo consúmpsit. Primum enim virgis cæsam, deínde úngulis fossam, in cárcerem trudi jubet, ubi et spectro dæmonis, forma terrífici dracónis, appétitur : sed ad signum Crucis tota vis diáboli prostérnitur. Producitur íterum Virgo, et cum in confessióne fídei constántior perseveráret, ardéntibus fácibus látera ejus exurúntur. Dénique multis superátis torméntis, truncáto cápite, victórem per tot corónas spíritum cælum excépit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro absóndito. de Communi unius Virginis et Martyris, pag. 94*.

DIE XXI. JULII.

S. HIERONYMI ÆMILIANI

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS misericordiárum Pater : per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti, concéde ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Praxedis Virginis.

Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ Praxédis Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HIERONYMUS, e gente patrícia Æmiliána Venétiis ortus, a prima adolescéntia milítiæ addictus, difficíllimis reipúblicæ tempóribus Castro Novo ad Quarum in móntibus Tarvisínis præfícitur. Arce ab hóstibus capta, ipse in tetérrimum cárcerem detrúditur, mánibus ac pédibus vínctus; cui omni humána ope destitúto, beatíssima Virgo, ejus précibus exoráta, clemens adest, víncula solvit, et per médios hostes, qui vias omnes obséderant, in Tarvísii conspéctum incólumem ducit. Urbem ingréssus, ad Deíparæ aram, cui se vóverat, mánicas, cómpedes, caténas, quas secum detúlerat, in accépti benefícii testimónium suspéndit. Revérsus Venétias, cœpit pietátis stúdia impénsius cólere, in páuperes mire effúsus, sed puerórum præsértim misértus, qui paréntibus orbáti, egéni et sórdidi per urbem vagabántur : quos in ædes a se condúctas recépit, de suo aléndos, et christiánis móribus imbuéndos.

Lectio v.

PER eos dies Venétias appúlerant beátus Cajetánus, et Joánnes Petrus Caráfa, póstmodum Paulus Quartus, qui Hierónymi spíritu, novóque institúto colligéndi órphanos probáto, illum in Incurabílium hospitále adduxérunt, in quo órphanos simul educáret, atque ægrótis pari caritáte inserviret. Mox eorúmdem hortátu in próximam continéntem profectus, Brixiæ primum, deínde Bérgomi atque Novocómi orphanotrophia eréxit : Bérgomi præsértim, ubi præter duo, pro púeris unum, et pro puéllis álterum, domum excipiéndis (novo in illis regiónibus exémplo) muliéribus a turpi vita ad pœniténtiam convérsis, apéruit. Somáschæ demum subsistens, in húmili pago agri Bergoménsis ad Vénetæ ditiónis fines, sibi ac suis ibi sedem constítuit, formámque indúxit Congregatiónis, cui proptérea a Somáscha nomen factum : quam subínde auctam et propagátam, nedum orphanórum regímini, et ecclesiárum cúltui, sed ad majórem christiánæ reipúblicæ utilitátem, adolescéntium in lítteris et bonis móribus institutióni in collégiis, académiis, seminários addíctam, sanctus Pius Quintus inter religiósos Ordines adscrípsit, ceteríque Pontífices privilégiis ornárunt.

Lectio vj.

ORPHANIS colligéndis inténtus, Mediolánum proficíscitur, atque Ticínum; et utrobíque, colléctis agmínibus puerórum, tectum, victum, vestem, magístros, nobílibus viris favéntibus, próvide constituit. Inde Somáscham redux, ómnibus ómnia factus, a nullo abhorrébat ópere, quod in próximi bonum cédere pervidéret. Agrícolis immístus per

agros sparsis, dum se illis adjutórem in meténdis frúgibus præbet, mystéria fídei explicábat; puerórum cápita porrígine fœda abstérgens, et patiénter tractans curábat: pútridis rusticórum vulnéribus medebátur eo succéssu, ut grátia curatiónum donátus censerétur. In monte, qui Somáschæ imminet, repérta specu, in illam se ábdidit, ubi se flagéllis cædens, dies integros jejúnus tránsigens, oratióne in plúrimam noctem protrácta, super nudo saxo brevem somnum carpens, sui aliorúmque noxárum pœnas luébat. In hujus specus interióri recéssu ex árido sílice exstíllat aqua, précibus Servi Dei, ut constans tradítio est, impetráta, quæ usque in hodiérnam diem júgiter manans, et in várias regiónes deláta, ægris sanitátem plerúmque concíliat. Tandem ex contagióne, quæ per omnem vallem serpébat, dum ægrotántibus insérvit, et vita functos própriis húmeris ad sepultúram defert, contrácto morbo, annos natus sex et quinquagínta, quam paulo ante prædíxerat, pretiósam mortem óbiit, anno millésimo quingentésimo trigésimo séptimo: quem plúribus in vita, et post mortem miráculis illústrem Benedíctus Décimus quartus Beatórum, Clemens vero Décimus tértius Sanctórum fastis solémniter adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore: Obláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret, et oráret. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Homilia 62. in Matth.)

CUR discípuli púeros abigébant? Dignitátis causa. Quid ergo ille? Ut dóceat illos modéste sápere, fastúmque mundánum conculcáre, et súscipit, et ulnis compléctitur, talibúsque regnum cælórum pollicétur, id quod étiam dixit supérius. Et nos ígitur, si vólumus herédes esse cælórum, hanc virtútem cum diligéntia magna sectémur. Hoc est enim philosophíæ culmen, símplicem esse cum prudéntia. Hæc vita est angélica. Anima enim puéruli ómnibus ánimi morbis vácua est: non memóriam rétinet injuriárum; sed eas inferéntes adit, ut amícos, ac si nihil factum esset. Et quamvis a matre verbéribus cædátur, eam semper quærit, et ómnibus antepónit.

Lectio viij.

SI regínam ipsi osténdas diadémate ornátam, non præfert eam matri pannis detrítis vestítæ, mallétque illam incúltam vidére quam regínam mirífice amíctam. Nam quod suum, quod aliénum est, non ex paupertáte vel divítiis, sed ex amóre existimáre solet, et nihil plus requírit quam necessária; atque ut lacte replétus est, statim a mamma abscédit. Non eísdem, quibus nos, ærúmnis prémitur, nec pecuniárum jactúra, rebúsque similibus; nec eísdem, quibus nos, fluxis rebus lætátur, neque córporum pulchritúdinem mirátur. Ideo dicébat: Tálium est enim regnum cælórum:

ut ex propósito voluntátis illa operémur, quæ natúra sua púeri fáciunt.

Lectio ix.

QUIA enim Pharisæi non aliúnde quam a nequítia et arrogántia ad agéndum ferebántur, ídeo ubíque discípulos suos símplices esse jubet, illósque subindicat, dum hos instítuit. Nihil enim ita supérbiam parit, ut principátus, et primi conséssus. Quóniam ígitur discípuli per totum terrárum orbem multum honóris consecutúri erant, ipsórum ánimos prævenit, nec sinit eos humánum quid pati, nec honórem a vulgo expétere, vel ante álios sese efférre. Nam etiámsi hæc parva vidéntur esse, at malis ingéntibus causam præbent. Sic enim institúti Pharisæi in malórum culmen ascendérunt : salutatiónes, primos conséssus et médios requiréntes, hinc in ardéntem glóriæ cupiditátem, inde vero in impietátem lapsi sunt.

DIE XXII. JULII.

S. MARIÆ MAGDALENÆ.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Recumbénte Jesu in domo Pharisæi Simónis leprósi, accéssit ad eum María Magdaléna, áfferens pretiósi libram unguénti. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Prov. 31.

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

℟. Flavit Auster, et fugávit Aquilónem, quando lavit cor Maríæ pœniténtis imber sancti Spíritus : * Liquefécit, et refécit resolútam in laméntis Verbum missum cælitus. ℣. Flúminis ímpetus civitátem Dei lætificávit. — Liquefécit. Glória. Verbum missum cælitus.

Hymnus.

LAUDA mater Ecclésia,
Lauda Christi cleméntiam,
Qui septem purgat vítia
Per septifórmem grátiam.

MARIA soror Lázari,
Quæ tot commísit crímina,
Ab ipsa fauce tártari
Redit ad vitæ límina.

POST fluxæ carnis scándala,
Fit ex lebéte phíala,
In vas transláta glóriæ
De vase contuméliæ.

ÆGRA currit ad médicum,
Vas ferens aromáticum,
Et a morbo multíplici
Verbo curátur médici.

SURGENTEM cum victória
Jesum videt ab inferis :
Prima merétur gáudia,
Quæ plus ardébat céteris.

UNI Deo sit glória
Pro multifórmi grátia,
Qui culpas et supplícia
Remíttit, et dat præmia.
Amen.

℣. Optimam partem elégit sibi María. ℟. Quæ non auferétur ab ea.

Ad Magnificat Aña. Celsi mériti María, quæ Solem verum resurgéntem vidére meruísti mortálium prima : óbtine ut nos visu glóriæ suæ tecum lætíficet in cælis.

Oratio.

LARGIRE nobis clementíssime Pater : ut sicut beáta María Magdaléna, Dóminum nostrum Jesum Christum super ómnia diligéndo, suórum obtínuit véniam peccatórum, ita nobis, apud misericórdiam tuam, sempitérnam ímpetret beatitúdinem. Per eúmdem.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Ætérnum trinúmque Deum laudémus, et unum, * Qui sibi Maríam transvéxit in æthera sanctam.

Hymnus Lauda mater Ecclésia., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Cum discubuísset in domo Simónis Dóminus Jesus mundi glória, múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, nardi odorífera exhíbuit unguénta.

Psalmus Dómine Dóminus noster. ut in Communi unius Virginis, pag. 88*. et sequentibus.

Aña. Secus pedes Dómini astans, incessánter, crine solúto, diva vestígia osculabátur lácrimis plena.

Aña. Irrigábat ígitur Domínicos Jesu pedes : fracto quoque alabástro, præcípuis odóribus fragrábat domus omnis : atque capillórum offício detergébat.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De Cánticis canticórum.

Lectio j. Cap. 3.

IN léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem : Num quem díligit ánima mea, vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea. Ténui eum : nec dimíttam donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ.

℟. j. Lætétur omne sæculum in solemnitáte sanctæ Maríæ Magdalénæ, * Quam Jesus ætérnus amor diléxit plúrimum. ℣. Hæc María fuit illa Dómino gratíssima, quæ unguénto pretióso pedes unxit Dómini. — Quam Jesus.

Lectio ij. Cap. 8.

QUIS mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meæ : ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto, et mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam donec ipsa velit.

℟. ij. Hæc est illa María, quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis : * Cujus frater erat Lázarus, quem a mórtuis resuscitávit Jesus. ℣. Hæc illa est María, cui se Dóminus resúrgens a mórtuis primum osténdit. — Cujus frater erat Lázarus.

Lectio iij.

QUÆ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum?

Sub árbore malo suscitávi te : ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio : dura sicut infernus æmulátio, lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstinguere caritátem, nec flúmina óbruent illam.

℟. iij. Felix María unxit pedes Dómini Jesu, et extérsit capíllis suis : * Et domus impléta est Ex odóre unguénti. ℣. Mistum rorem bálsami fracto fudit alabástro, quæ unguénto pretióso pedes unxit Dómini. — Et domus impléta est. Glória. Ex odóre unguénti.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Simon autem intra se inquit : Si esset prophéta, sciret profécto, quæ, et qualis est, quæ tangit eum : quia peccátrix est.

Aña. Et convérsus Dóminus, dixit : Postquam venit in domum tuam, non cessat, crine fuso, hæc meos osculári pedes.

Aña. Quóniam multum diléxeras, dimíssa scito tibi peccámina : et fide, qua polles, sacra in pace remítto.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Sermo sancti Gregórii Papæ.
(Hom. 25. in Evang.)
Lectio iv.

MARIA Magdaléna, quæ fúerat in civitáte peccátrix, amándo Veritátem, lavit lácrimis máculas críminis; et vox Veritátis implétur, qua dícitur : Dimíssa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum. Quæ enim prius frígida peccándo remánserat, póstmodum amándo fórtiter ardébat. Quæ a monuménto Dómini, étiam discípulis recedéntibus, non recedébat : exquirébat quem non invénerat : flebat inquiréndo, et amóris sui igne succénsa, ejus, quem ablátum crédidit, ardébat desidério. Unde cóntigit ut eum sola tunc vidéret, quæ remánserat ut quæreret : quia nimírum virtus boni óperis perseverántia est.

℟. iv. Videns Jesus flentem Maríam et sorórem ejus Martham, lacrimátus est : et accédens ad monuméntum, * Quatriduánum jam Lázarum resuscitávit. ℣. O felícis soror útraque mériti, quarum lácrimis motus Fons ipse pietátis. — Quatriduánum.

Lectio v.

QUÆSIVIT ergo prius, et mínime invénit : perseverávit ut quæreret, unde et cóntigit ut inveníret : actúmque est, ut desidéria diláta créscerent, et crescéntia cáperent quod inveníssent. Hinc est enim, quod de eódem sponso Ecclésia in Cánticis canticórum dicit : In léctulo meo per noctes quæsívi quem dilígit ánima mea. Diléctum namque in léctulo quærimus, quando in præséntis vitæ aliquántula réquie Redemptóris nostri desidério suspirámus. Per noctem quærimus : quia etsi jam in illo mens vígilat, tamen adhuc óculus calígat.

℟. v. Laudémus opus Dei in María genitrice, sed vírgine; laudémus in María peccatrice, sed pœniténte : * María hæc

est data spéculum innocéntiæ; María hæc est exémplum pœniténtiæ. ℣. Ut confiteámur nómini sancto tuo Deus, et gloriémur in laude tua. — María hæc est data spéculum innocéntiæ; María hæc est exémplum pœniténtiæ.

Lectio vj.

Sed qui diléctum suum non invénit, restat ut surgat, civitátem circúmeat, id est, sanctam electórum Ecclésiam mente et inquisitióne percúrrat: per vicos eum et platéas quærat, id est per angústa et lata gradiéntes aspíciat; ut si qua invenire in eis váleat ejus vestígia, exquírat: quia sunt nonnúlli étiam vitæ sæculáris, qui imitándum áliquid hábeant de actióne virtútis. Quæréntes autem nos vígiles invéniunt, qui custódiunt civitátem: quia sancti Patres, qui Ecclésiæ statum custódiunt, bonis nostris stúdiis occúrrunt, ut suo vel verbo vel scripto nos dóceant.

℟. vj. Flavit Auster, et fugávit Aquilónem, quando lavit cor Maríæ pœniténtis imber sancti Spíritus: * Liquefécit et refécit resolútam in laméntis Verbum missum cælitus. ℣. Flúminis impetus civitátem Dei lætificávit. — Liquefécit et refécit. Glória. Verbum missum cælitus.

IN III. NOCTURNO.

Ána. Satagébat ígitur Martha soror Maríæ Magdalénæ circa ministéria: quæ sedens secus pedes Dómini audiébat verba oris ejus.

Ána. Non est, Martha inquit, tibi curæ quod soror mea me relíquit solam ministráre? jube illi ut me ádjuvet.

Ána. Et respóndens dixit illi Dóminus: Unum est necésse: María óptimam sibi partem elégit, quæ non auferétur ab ea.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 7.

In illo témpore: Rogábat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisæi, discúbuit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.
(Homil. 23. sive Serm. 99.)

Evangelium, cum legerétur, attentíssime audístis: et res gesta narráta atque versáta est ante óculos cordis vestri. Vidístis enim, non carne, sed mente, Dóminum Jesum Christum in domo Pharisæi recumbéntem, et, ab illo invitátum, non fastidiéntem. Vidístis étiam in civitáte mulíerem famósam, mala útique fama, quæ erat peccátrix, non invitátam irruísse convívio, ubi suus médicus recumbébat, et quæsísse pia impudéntia sanitátem: írruens, quasi importúna convívio, opportúna benefício. Nóverat enim quanto morbo laboráret, et illum ad sanándum esse idóneum, ad quem vénerat, sciébat.

℟. vij. O certe præcípuus Maríæ Magdalénæ amor: * Quæ a monuménto Domínico, discípulis recedéntibus, non recéssit! ℣. Ardóre caritátis succénsa, quem sepúltum nóverat, sublátum crédidit de sepúlcro. — Quæ a monuménto Domínico.

Lectio viij.

ACCESSIT ergo nón ad caput Dómini, sed ad pedes: et quæ diu male ambuláverat, vestígia recta quærébat. Prius fudit lácrimas cordis, et lavit Dómini pedes obséquio confessiónis, capíllis suis tersit, osculáta est, unxit. Tácita loquebátur, non sermónem promébat, sed devotiónem ostendébat. Quia ergo tétigit Dóminum rigándo, osculándo, tergéndo, ungéndo pedes ejus, Pharisæus, qui invitáverat Dóminum Jesum Christum, quia ex illo génere erat hóminum superbórum, de quibus Isaías Prophéta dicit, Qui dicunt, Recéde longe a me, noli me tángere, quóniam mundus sum : putávit Dóminum nescísse mulíerem.

℟. viij. O felix felícis mériti María, quæ resurgéntem a mórtuis Dei Fílium vidére meruísti mortálium prima! Pro cujus amóre, sæculi contempsísti blandiménta : * Sédula nos apud ipsum, quæsumus, prece comménda. ℣. Ut tecum mereámur, o Dómina, pérfrui felicíssima ipsíus præséntia. — Sédula nos apud ipsum.

Lectio ix.

O PHARISÆE, invitátor et irrísor Dómini, Dóminum pascis, et a quo pascéndus sis, non intélligis? Unde scis Dóminum nescísse quæ fúerit illa múlier, nisi quia permíssa est accédere, nisi quia, illo patiénte, osculáta est pedes ejus, nisi quia tersit, nisi quia unxit? Hæc enim non débuit permítti fácere in pédibus mundis múlier immúnda? Ad illíus ergo Pharisæi pedes si talis múlier accessísset, dictúrus erat, quod Isaías de tálibus dicit : Recéde a me, noli me tángere, quóniam mundus sum. Accéssit autem ad Dóminum immúnda, ut redíret munda : accéssit ægra, ut redíret sana : accéssit conféssa, ut redíret profésssa.

℟. ix. Gloriósa hujus diéi solémnia devóta celebrémus omnes veneratióne : qua beáta María Magdaléna * Cælos méruit ascéndere. ℣. Consummáto cursu præséntis vitæ, cælésti evocáta pietáte. — Cælos méruit ascéndere. Glória. Cælos méruit ascéndere.

Ante Laudes ℣. Optimam partem elégit sibi María. ℟. Quæ non auferétur ab ea.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Láudibus excélsis omnis mundus exsúltet, in solemnitáte sanctæ Maríæ Magdalénæ. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Hæc corde compúncta venit, ad pedes Jesu accéssit : illos lácrimis rigávit, et capíllis cápitis sui tersit.

3. Intercéde, súpplicans assídue pro nobis Jesu Dómino, María Magdaléna.

4. O bone Jesu laus tibi! Remisísti peccatríci multa peccámina, quia te diléxit multum.

5. María ergo unxit pedes Jesu et extérsit capíllis suis : et domus impléta est ex odóre unguénti.

Capitulum. Prov. 31.

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Con-

fídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

ÆTERNI Patris Unice
Nos pio vultu réspice,
Qui Magdalénam hódie
Vocas ad thronum glóriæ.

IN thesáuro repósita
Regis est drachma pérdita :
Gémmaque lucet ínclyta,
De luto luci réddita.

JESU dulce refúgium,
Spes una pœniténtium,
Per peccatrícis méritum
Peccáti solve débitum.

PIA Mater et húmilis,
Natúræ memor frágilis,
In hujus vitæ flúctibus
Nos rege tuis précibus.

UNI Deo sit glória
Pro multifórmi grátia,
Qui culpas et supplícia
Remíttit,et dat præmia. Amen.

℣. Dimíssa sunt ei peccáta multa. ℟. Quóniam diléxit multum.

Ad Benedictus Aña. O mundi lampas et margaríta præfúlgida, quæ Resurrectiónem Christi nuntiándo Apostolórum Apóstola fieri meruísti, María Magdaléna, semper pia exorátrix pro nobis adsis ad Deum, qui te elégit. Oratio.

LARGIRE nobis clementíssime Pater : út sicut beáta María Magdaléna, Dóminum nostrum Jesum Christum super ómnia diligéndo, suórum obtínuit véniam peccatórum, ita nobis, apud misericórdiam tuam, sempitérnam ímpetret beatitúdinem. Per eúmdem.

AD TERTIAM.

Capitulum Mulíerem fortem., ut in Laudibus.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Allelúia, allelúia. Diffúsa est. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Allelúia. Glória. Diffúsa est.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD SEXTAM.

Capitulum. Prov. 31.

ACCINXIT fortitúdine lumbos suos, et roborávit brachium suum. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua, * Allelúia, allelúia. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Allelúia. Glória. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD NONAM.

Capitulum. Prov. 31.

MULTÆ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo, * Allelúia, allelúia. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Allelúia. Glória. Adjuvábit.

℣. Dimíssa sunt ei peccáta multa. ℟. Quóniam diléxit multum.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Láudibus excélsis omnis mundus exsúltet, in solemnitáte sanctæ Maríæ Magdalénæ. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Mulierem fortem., Hymnus Lauda mater Ecclésia. et ℣. Optimam partem. ut in j. Vesperis, pag. 612.

Ad Magnificat Ána. In diébus illis múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod Jesus accubuísset in domo Simónis leprósi, áttulit alabástrum unguénti : et stans retro secus pedes Dómini Jesu, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat. Oratio.

LARGIRE nobis clementíssime l'ater : ut sicut beáta María Magdaléna, Dóminum nostrum Jesum Christum super ómnia diligéndo, suórum obtínuit véniam peccatórum, ita nobis, apud misericórdiam tuam, sempitérnam ímpetret beatitúdinem. Per eúmdem.

PER OCTAVAM
S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Ad Memoriam in Laudibus Ána. O mundi lampas et margaríta præfúlgida, quæ Resurrectiónem Christi nuntiándo Apostolórum Apóstola fíeri meruísti, María Magdaléna, semper pia exorátrix pro nobis adsis ad Deum, qui te elégit.

℣. Dimíssa sunt ei peccáta multa. ℟. Quóniam diléxit multum.

Oratio Largíre. ut supra.

Ad Memoriam in Vesperis Ána. In diébus illis múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod Jesus accubuísset in domo Simónis leprósi, áttulit alabástrum unguénti : et stans retro secus pedes Dómini Jesu, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat.

℣. Optimam partem elégit sibi Maria. ℟. Quæ non auferétur ab ea.

Oratio Largíre. ut supra.

DIE XXIII. JULII.
B. JOANNÆ URBEVETANÆ
VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátæ Joánnæ Vírginis tuæ puritátem exímiam et férvidam caritátem donis cæléstibus cumulásti : fac nos ita ejus æmulári virtútes, ut castitáte vitæ ac puris semper tibi placeámus affféctibus. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Liborii E. C.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Libórii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNA Carnajólæ, qui vicus est agri Urbevetáni in Etrúria, honésto génere orta, ac paréntibus a primis annis orbáta, deléctum sibi eórum loco tutelárem Angelum coævis puéllis in templo depíctum indicáre solébat. Adolescéntula, posthábita ac spreta singulári,

qua erat, formæ elegántia, virginitátis stúdio veheménter incénsa, eam sibi perpétuo colendam tuendámque propósuit. Instructas sibi graves advérsus eámdem insídias divínitus superávit. Oblátas vero, et jam parátas sibi terrénas núptias non solum constánter rejécit, sed domo aufúgiens ad vírgines Tértii Ordinis Prædicatórum convolávit, inque eárum Urbevetánum collégium cooptáta, exímiis statim cœpit inclaréscere donis atque virtútibus.

Lectio v.

JEJUNIIS, vigíliis, aliísque carnis afflictatiónibus ad divinárum rerum contemplatiónem sese júgiter comparábat. In oratióne assídua, ad plures quotídie horas cum Deo versabátur, córpore immóta, atque a sénsibus fere semper abstracta. Eo autem fervébat divíni amóris æstu, ut inter orándum, vel in áspera hieme, toto córpore sudóre manáret, ac tenuióra induménta ferre vix posset. Injécto inter priváta collóquia de caritáte Christi, ejúsve pœnis sermóne, in ubérrimas lácrimas contínuo effúsa, extra se rapiebátur. In ejúsdem vero Passiónis cogitatióne defixa, córpore ad formam crucis compósito, diutúrnam aliquándo éxtasim patiebátur, dolóre tanto tantáque óssium collisióne ac fragóre, ut artus ejus omnes dilacerári ac dissólvi videréntur. Quo flagrábat caritátis ardóre plerósque accendébat: quare hortátu et exémplo a terrenórum contémptu ad religiósæ vitæ Institúta complúres addúxit.

Lectio vj.

COLLATA in se áffatim divína charísmata, præcípuo humilitátis stúdio celáre ómnibus diligentíssime satagébat. Cum se ómnium scelestíssimam habéret ac prædicáret, contémni a síngulis veheménter optábat: proptérea, injúriis et contuméliis lacessíta, pro iis orábat impénsius, a quibus durióra patiebátur. Várias dæmonis moléstias et cruciátus, tum diutúrnas córporis ægritúdines hílari semper vultu patientíssime tulit, édita nunquam dolóris significatióne. Prænuntiáto tandem vitæ suæ éxitu, Sacraméntis Ecclésiæ munita, migrávit ad Sponsum, anno Salútis millésimo trecentésimo sexto, ætátis vero suæ quadragésimo secúndo. Ejus cultum ex Ecclésiæ légibus Benedictus Décimus quartus rite probávit, et Offícium ac Missam ab univérso Prædicatórum Ordine et clero Urbevetáno celebrári concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

In Laudibus Memoria S. Apollinaris Episcopi et Martyris.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Apollináris Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per.

DIE XXIV. JULII.

S. CAMILLI DE LELLIS CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári caritátis prærogatíva decorásti, ejus, quæsumus, méritis spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde : ut in hora éxitus nostri hostem vincere, et ad cæléstem mereámur corónam pervenire. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CAMILLUS Bucclánici, Theatínæ diœcésis óppido, ex nóbili Lelliórum família natus est, matre sexagenária, cui grávidæ visum est per quiétem puérulum, Crucis signo in péctore munitum, et ágmini puerórum idem signum gestántium præeúntem, se peperísse. Adoléscens, rem militárem secútus, sæculi vítiis aliquándiu indúlsit : donec vigésimum quintum agens ætátis annum, tanto supérnæ grátiæ lúmine, divinæque offénsæ dolóre corréptus fuit. ut ubérrimo lacrimárum imbre íllico perfúsus, anteáctæ vitæ sordes indesinénter abstérgere, novúmque indúere hóminem fírmiter decréverit. Quare ipso, quo id cóntigit, Purificatiónis beatíssimæ Vírginis festo die, ad Fratres Minóres, quos Capuccínos vocant, cónvolans, ut eórum número adscriberétur, summis précibus exorávit. Voti semel, atque íterum compos factus est : sed fœdo úlcere, quo aliquándo laboráverat, in ejus tíbia iteráto recrudescénte, divínæ Providéntiæ, majóra de eo disponéntis, consílio humíliter se subjécit, suíque victor, illius Religiónis bis expetítum et suscéptum hábitum, bis dimísit.

Lectio v.

ROMAM proféctus, in nosocomium, quod Insanabílium dícitur, recéptus est : cujus étiam administratiónem, ob perspéctas ejus virtútes sibi demandátam, summa integritáte ac sollicitúdine vere patérna perégit. Omnium ægrórum servum se réputans, eórum stérnere léctulos, sordes tergere, ulcéribus medéri, agoníque extrémo piis précibus et cohortatiónibus opem ferre, solémne hábuit : quibus in munéribus præclára præbuit admirábilis patiéntiæ, invíctæ fortitúdinis et heróicæ caritátis exémpla. Verum, cum animárum in extrémis periclitántium, (quod únice intendébat) levámini subsídium litterárum plúrimum conférre intelligeret: trigínta duos annos natus, in primis grammáticæ eleméntis tirocínium inter púeros íterum subíre non erúbuit. Sacerdótio póstea rite initiátus, nonnúllis sibi adjúnctis sóciis, prima jecit Congregatiónis Clericórum Regulárium infírmis ministrántium fundaménta, írrito conátu obniténte humáni géneris hoste. Nam Camíllus cæléstivoce e Christi crucifíxi, manus étiam de ligno avúlsas admirándo prodígio protendéntis, simulácro emíssa mirabíliter confirmátus, Ordinem suum a Sede Apostólica approbári obtínuit, sodálibus quarto obstrí-

ctis máxime árduo voto, infírmis, quos étiam pestis infécerit, ministrándi. Quod institútum, quam foret Deo accéptum, et animárum salúti profícuum, sanctus Philíppus Nérius, qui Camíllo a sacris confessiónibus erat, comprobávit; dum ejus alúmnis, decedéntium agóni opem feréntibus, Angelos suggeréntes verba sæpius se vidisse testátus est.

Lectio vj.

ARCTIORIBUS hisce vínculis ægrotántium ministério mancipátus, mirum est qua alacritáte, nullis fractus labóribus, nullis detérritus vitæ perículis, diu noctúque ad supremum usque spíritum, eórum cómmodis vigiláverit. Omnibus ómnia factus, vilíssima quæque offícia demissíssimo obséquio, flexísque plerúmque génibus, véluti Christum ipsum cérneret in infírmis, hílari promptóque ánimo arripiébat : utque ómnium indigéntiis præsto esset, generálem Ordinis præfectúram, cælíque delícias, quibus in contemplatióne defixus affluébat, sponte dimísit. Patérnus vero illíus erga míseros amor tum máxime effúlsit, cum et Urbs contagióso morbo primum, deínde extréma annónæ laboráret inópia, et Nolæ in Campánia dira pestis grassarétur. Tanta dénique in Deum et próximum caritáte exársit, ut Angelus nuncupári, et Angelórum opem in vário itínerum discrímine experíri promererétur. Prophetíæ dono et grátia sanitátum prædítus, arcána quoque córdium inspéxit : ejúsque précibus nunc cibária multiplicáta sunt, nunc aqua in vinum convérsa. Tandem vigíliis, jejúniis et assíduis attritus labóribus, cum pelle tantum et óssibus constáre viderétur, quinque moléstis æque ac diútinis morbis, quos misericórdias Dómini appellábat, fórtiter tolerátis, Sacraméntis munítus, Romæ inter suavíssima Jesu et Maríæ nómina, ad ea verba, Mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat; qua prædíxerat hora, obdormívit in Dómino, prídie Idus Júlii, anno salútis millésimo sexcentésimo décimo quarto, ætátis suæ sexagésimo quinto : quem plúribus illústrem miráculis Benedictus Décimus quartus Beátis adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

In Laudibus Memoria S. Christinæ Virginis et Martyris.

Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quæsumus Dómine, beáta Christína Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per.

DIE XXV. JULII.

S. JACOBI APOSTOLI.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. O beáte Jacóbe, ómnium corde et ore laudánde, o patróne singuláris et amábilis, intercéde pro nobis ad Dóminum. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

Hymnus.

EXSULTET cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis :
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

VOS sæcli justi júdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

QUI cælum verbo cláuditis,
Serásque ejus sólvitis,
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite jussu, quæsumus.

QUORUM præcépto súbditur
Salus, et languor ómnium,
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

UT cum Judex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat Aña. O lux et decus Hispániæ sanctíssime Jacóbe, qui inter Apóstolos primátum tenes, primus eórum martyrio laureátus, o singuláre præsídium, qui meruísti vidére Redemptórem nostrum adhuc mortálem in Deitáte transformátum, exáudi preces servórum tuórum, et intercéde pro nostra salúte omniúmque populórum. Oratio

ESTO Dómine plebi tuæ sanctificátor et custos : ut Apóstoli tui Jacóbi munita præsídiis et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus de Communi Apostolor., pag.26*.

¶ In tribus Nocturnis Psalmi, Antiphonæ et ℣℣. de Communi Apostolorum, pag. 26*. et sequentibus; reliqua ut infra.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 3.

ALIIS generatiónibus non est ágnitum fíliis hóminum, sícuti nunc revelátum est sanctis Apóstolis ejus, et Prophétis in Spíritu : Gentes esse coherédes, et concorporáles, et compartícipes promissiónis ejus in Christo Jesu per Evangélium : cujus factus sum miníster, secúndum donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndum operatiónem virtútis ejus.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo.

Lectio ij.

MIHI ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit. Ut innotéscat principátibus, et potestátibus in cæléstibus per Ecclésiam, multifórmis sapiéntia Dei, secúndum præfinitiónem sæculórum, quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro. In quo habémus fidúciam, et accéssum in confidéntia per fidem ejus.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

Lectio iij.

PROPTER quod peto, ne defíciátis in tribulatiónibus meis pro vobis : quæ est glória vestra. Hujus rei grátia, flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis, et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem : Christum habitáre per fidem in córdibus vestris.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis, Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Evang. Act. Apost. Clemente Alexandr. et Rom. Brev.)

Lectio iv.

JACOBUS, Zebedæi filius, Joánnis Apóstoli germánus frater, Galilæus, inter primos Apóstolos vocátus cum fratre, relíctis patre, ac rétibus, secútus est Dóminum : et ambo ab ipso Jesu Boanérges, id est tonítrui fílii, sunt appellláti. Is unus fuit ex tribus Apóstolis, quos Salvátor máxime diléxit, et testes esse vóluit suæ Transfiguratiónis, et interésse miráculo, cum archisynagógi fíliam a mórtuis excitávit, et adésse, cum secéssit in montem Olivéti Patrem oratúrus, ántequam a Judæis comprehenderétur.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens :* Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

POST Jesu Christi ascénsum in cælum, in Judæa et Samária ejus Divinitátem prædicans, plúrimos ad christiánam fidem perdúxit. Mox in Hispániam profóctus, ibi áliquos ad Christum convértit, ex quorum número septem póstea episcopi a beáto Petro ordináti in Hispániam primi dirécti sunt. Deínde Jerosólymam revérsus, cum inter álios Hermógenem magum fídei veritáte imbuísset, Heródes Agríppa Claúdio Imperatóre ad regnum elátus, ut a Judæis grátiam iníret,

Jacóbum, líbere Jesum Christum Deum confiténtem, cápitis condemnávit. Quem cum is, qui eum dúxerat ad tribúnal, fórtiter martyrium subeúntem vidísset, statim se et ipse Christiánum esse profétsus est.

℟. v. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur, et accípiunt palmam.

Lectio vj.

Ad supplícium cum raperéntur, pétiit ille a Jacóbo véniam : quem Jacóbus osculátus, Pax, inquit, tibi sit. Itaque utérque est secúri percússus, cum paulo ante Jacóbus paralyticum sanásset. Corpus ejus póstea Compostéllam translátum est, ubi summa celebritáte cólitur, conveniéntibus eo, religiónis et voti causa, ex toto terrárum orbe peregrínis. Memória ipsíus natális, hodiérno die, qui translatiónis dies est, ab Ecclésia celebrátur, cum ipse circa festum Paschæ, primus Apostolórum Jerosólymis profúso sánguine testimónium Jesu Christo déderit.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

In illo témpore : Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 1. Comment. in Matth. cap. 20.)

Quia dixerat Dóminus, Et tértia die resúrget : putávit eum múlier post Resurrectiónem illico regnatúrum; et hoc quod in secúndo advéntu promittitur, in primo esse compléndum. Et aviditáte femínea, præséntia cupit ímmemor futurórum. Póstulat autem mater filiórum Zebedæi, erróre mulíebri, et pietátis affféctu, nésciens quid péteret. Nec mirum, si ista arguátur imperitiæ, cum de Petro dicátur, quando tria vult fácere tabernácula : Nésciens quid díceret. Respóndens autem Jesus, dixit eis : Nescítis quid petátis.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

Lectio viij.

Mater póstulat, et Dóminus discípulis lóquitur : intélligens preces ejus ex filiórum descéndere voluntáte. Poténtis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Cálicem in Scriptúris divínis intellígimus

Passiónem, juxta illud : Pater, si possíbile est, tránseat a me calix iste. Et in Psalmo : Cálicem salutáris accípiam. Statimque infert quis sit iste calix : Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Ait illis : Cálicem quidem meum bibétis.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix.

QUÆRITUR, quómodo cálicem martyrii Zebedæi fílii, Jacobus vidélicet et Joánnes, bíberint, cum Scriptúra narret Jacóbum tantum Apóstolum ab Heróde cápite truncátum, Joánnes autem própria morte vitam finíerit. Sed si legámus ecclesiásticas histórias, in quibus fertur quod et ipse propter martyrium sit missus in fervéntis ólei dólium, et inde ad suscipiéndam corónam Christi athléta procésserit, statímque relegátus in Patmos ínsulam sit : vidébimus martyrio ánimum non defuísse, et bibísse Joánnem cálicem confessiónis.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. — Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES.

Omnia de Communi Apostolorum. Oratio.

ESTO Dómine plebi tuæ sanctificátor et custos : ut Apóstoli tui Jacóbi munita præsídiis et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat. Per.

In Laudibus Memoria SS. Christophori et Cucuphatis Martyrum. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui gloriósos Mártyres tuos Christóphorum et Cucuphátem fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per.

AD HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia de Communi Apostolorum, pag. 33*.

DIE XXVI. JULII.

S. ANNÆ

MATRIS B. MARIÆ V.

TOTUM DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátam Annam, Genitrícis tuæ matrem, ad cæléstis vitæ gáudia extulísti : fac nos, quæsumus, gloriósis ejus méritis ad ætérnam pertíngere beatitúdinem, ex cujus salutári puerpério pro salúte mundi humánam natúram assúmere dignátus es : Qui vivis.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 26.

GRATIA mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit. Disciplína illíus datum Dei est : múlier sensáta et tácita, non est immutátio erudítæ ánimæ.

Grátia super grátiam múlier sancta, et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio ij. Cap. 3.

MULIERES súbditæ sint viris suis : ut et si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifíant, considerántes in timóre castam conversatiónem vestram. Quarum non sit extrínsecus capillatúra, aut circumdátio auri, aut induménti vestimentórum cultus : sed qui abscónditus est cordis homo, in incorruptibilitáte quiéti, et modésti spíritus, qui est in conspéctu Dei lócuples. Sic enim aliquándo et sanctæ mulíeres, sperántes in Deo, ornábant se, subjéctæ própriis viris. Sicut Sara obediébat Abrahæ, dóminum eum vocans.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio iij. Cap. 2.

VOLO ergo viros oráre in omni loco, levántes puras manus sine ira, et disceptatióne. Simíliter et mulieres in hábitu ornáto, cum verecúndia, et sobrietáte ornántes se, et non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósa : sed quod decet mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona. Múlier in siléntio discat cum omni subjectióne. Docére autem mulíeri non permítto, neque dominári in virum : sed esse in siléntio.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

(Orat. 2. de Nativ B. Mariæ prope finem.)

Lectio iv.

PROPONITUR nobis Annæ thálamus, conjugális vitæ simul et virginitátis formam réferens, illam matris, hanc fíliæ : quarum áltera recens sterilitáte liberáta est; áltera autem aliquánto post, Christi partum, ad nostræ natúræ conditiónem divíno opifício formátum, supra natúram est editúra. Mérito ígitur Anna divíno Spíritu plena, læto hilaríque ánimo pérsonat : Congaudéte mecum, quæ promissiónis germen ex stérili ventre péperi, ac benedictiónis fructum ubéribus meis, ut optáveram, nútrio. Sterilitátis mæstítiam éxui, ac lætam fecunditátis vestem índui.

Lectio v.

CONGAUDEAT mecum hódie Anna illa, Phenénnæ adversária, et novum hoc atque inopinátum miráculum, quod in me gestum est, suo exémplo concélebret. Exsúltet Sara seníli gáudio géstiens, meúmque ab sterilitáte concéptum præfigúrans. Cóncinant simul stériles et infecúndæ visitatiónem meam admirábili modo cælitus factam. Dicant item matres omnes hac fecunditáte præditæ : Benedíctus, qui oránti bus id quod optábant largítus est, et fecunditátem stérili dedit, ac felicíssimum illud germen Vírginis concéssit, quæ Mater Dei secúndum carnem fuit, cujus venter cælum est, in qua

habitávit is, qui nullo loco capi potest.

Lectio vj.

VERE beáta es, ac ter beáta, quæ beatitúdine donátam a Deo Infántem, hoc est, Maríam, nómine quoque ipso magnópere venerándam, peperísti: ex qua Christus vitæ flos éxstitit; cujus Vírginis et gloriósus fuit ortus, et partus mundo sublímior. Nos quoque, o beatíssima fémina, tibi gratulámur. Etenim nostrum ómnium spem divínitus concéssam, hoc est promissiónis fetum, peperísti. Beáta revéra es, et beátus fructus ventris tui. Piórum autem lingua germen tuum magnificat, ac sermo omnis lætus partum tuum prædicat.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito. de Communi unius nec Virginis nec Martyris, pag. 111*.

DIE XXVII. JULII.

B. AUGUSTINI A BUGELLA

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Jesu, beáti Augustíni Confessóris tui méritis et imitatióne, ita carnis desidéria per pœniténtiam exstínguere, ut in tua semper grátia et cognitióne crescámus. Qui vivis.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

AUGUSTINUS Bugéllæ, cum hæc Vercellénsis agri atque diœcésis illústre adhuc esset óppidum, nóbili stirpe de Fángiis sæculo décimo quinto ortus est. Adoléscens Prædicatórum Ordini, in pátrio sancti Domínici cœnóbio nuper exstrúcto, nomen dedit; ac tali ardóre ad acquiréndam sanctórum sciéntiam conténdit, ut brevi egrégiam rerum divinárum cognitiónem adéptus sit, atque ipsos evangélicæ perfectiónis ápices attígerit. Itaque licet ejus vita tamquam singuláre innocéntiæ exémplar celebrarétur, níhilo tamen sécius carnem suam vigíliis, aspérrimo cilício ac fere contínuo jejúnio constánter afflíxit. Hinc magnam ánimi patiéntiam consecútus est: éaque tunc máxime enítuit, cum ei summa úlcerum ora, quibus totum corpus aliquándo infestabátur, ferro præcideréntur: tantum enim cruciátum, nullo prorsus édito dolóris indício, mira tranquillitáte pértulit. Non minus præclára ipsíus fuit humílitas. Caritátis autem ejus in Deum tanta vis éxstitit, ut semper oráre viderétur, nec solum mente in cælum erécta, sed córpore ipso e terra frequénter eleváto. Sæpius étiam inter orándum vim lacrimárum profundébat, máxime cum vel canónicas preces in choro persólveret, vel ad altáre sacris operarétur.

Lectio v.

ERGA Deíparam Vírginem insígni quoque pietáte ac religióne fuit. Proximórum

salútis cupidíssimus, in verbi ministério, excipiendísque pœniténtium confessiónibus, in consíliis feréndis, in visitatióne infirmórum indefessam óperam pósuit, atque ádeo innúmeris méritis ánimos sibi Christi fidélium, ipsorúmque Ecclésiæ Pastórum devínxit. Cœnobiórum regímini váriis in locis præféctus, prístinum ubíque reguláris observántiæ decus vel collápsum restítuit, vel restitútum asséruit. Multis, étiam extérius, colluctatiónibus a dæmónibus vexátus, nunquam cessit eórum insídiis atque furóri : immo tale in ipsos impérium divínitus obtínuit, ut fácile eos ab obséssis corpóribus depélleret. Tanta étiam grátia ab omnipoténti Deo ditátus est, ut sola oratióne vel attáctu salútem ægrótis haud raro impertíret. Aliis ínsuper adhuc vivens claruísse fertur miráculis, e quibus véterum monumentórum consénsu memóriæ próditum, quod in óppido Soncíni infántem sine baptismo mórtuum lugénti matri, ac mox prodígii admiratióne et gáudio stupénti, restitúerit vivum.

Lectio vj.

POSTREMOS ingravescéntis ætátis annos, inter assídua ómnium virtútum exercítia, Venétiis transégit in célebri olim arctióris disciplínæ cœnóbio sancti Domínici. Ibi extrémo tandem morbo corréptus, Ecclésiæ Sacraméntis devotíssime suscéptis, ad óbitum se comparávit. Quo incumbénte, Vir ánimi infrácti, et ne a morte quidem vincéndi, léctulo assúrgens, et in génua se excípiens, fixis in cælum óculis, hilaríque vultu, Deo, inquit, laus sit, laus sit Altissimo. Ac statim novum jam et ætérnum cánticum Sedénti in throno et Agno inceptúrus, e corpóreis vínculis ad súperos evolávit, undécimo Kaléndas Augústi, anno millésimo quadringentésimo nonagésimo tértio. Quátuor post annos, crescénte in dies beneficiórum fama, quibus se plures ejus intercessióne a Deo auctos profitebántur, corpus ipsíus íntegrum incorruptúmque repértum, etsi in sepúlcro aquis oppléto támdiu mansísset, ad lóculum éditum, et mármore auróque niténtem translátum est : atque ex eo præsértim témpore públicus beáto Viro adhibéri non déstitit religiósus cultus. Quem multíplici monumentórum et Ordinariórum testimónio confirmátum, Pius Nonus Póntifex Máximus ex sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto Apostólica auctoritáte probávit, facta univérso Prædicatórum Ordini, itémque Bugellénsi et Vercellénsi diœcésibus potestáte próprii Officii cum Missa in ejus honórem celebrándi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium. Sint lumbi, de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XXVIII. JULII.

B. ANTONII AB ECCLESIA

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Antónium, Confessórem tuum, divíno amóre inflammásti : accénde, quæsumus, eo inter-

cedénte, in córdibus nostris ignem tuæ caritátis, ut te diligéntes in terris, gáudiis ætérnis perfruámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ANTONIUS nóbili génere natus in óppido prope Vercéllas, quod a sancto Germáno nomen duxit, in Insúbriæ fínibus, totum ab ineúnte ætáte oratióni ac litterárum stúdio se dédidit. Hinc ardentíssimo desidério flagrans Prædicatórum Ordini sese addicéndi, reluctántis patris oppositiónibus bona cum vénia superátis, illum tandem Vercéllis amplexus est. Eo suscépto Institúto, exsultávit ut gigas ad curréndam perfectiónis viam : tantóque ánimi fervóre humilitáti, suíque ipsíus abnegatióni, tum étiam oratióni ac divinárum rerum stúdio sese devóvit, ut brevi et sanctitátis exémplum, et sacrárum scientiárum doctíssimus eváserit. Paupertátem, obediéntiam ac regulárem disciplínam severíssime cóluit : castitátem vero tum solertíssima sénsuum custódia, tum assídua carnis maceratióne semper illibátam servávit.

Lectio v.

SACRIS Ordínibus initiátus, promovéndæ Dei glóriæ, hominúmque salúti, prædicatióne, consíliis, ac Sacraméntis omnem navávit óperam : in quo quidem usque ad últimum vitæ éxitum tanta prudéntia, lenitáte ac sollicitúdine se exércuit, ut nemo tam pérvicax esset, qui non mélior factus, aut tristis ab eo discéderet : ipsámque Novocómi civitátem, in qua tunc corrúpti mores irrépserant, ad bonam frugem revocávit. Quamvis autem honóres ac præfectúras summópere aversarétur, tamen Præsidum jussu eas gérere coáctus est Novocómi, Savónæ, Floréntiæ, atque Bonóniæ : et ubíque regulárem observántiam verbo et exémplo restítuit. Savóna profféctus, a pirátis captus fuit, ac mirífice liberátus.

Lectio vj.

DONO prophetíæ, sanitátum ac discretiónis spirítuum divínitus ditátus est. Floréntiæ muto a nativitáte loquélam impetrásse, plurésque undequáque ægrotántes a difficíllimis morbis sua tantum benedictióne sanásse fertur. Olim visus est sénsibus alienátus dúlcia cum Deípara habére collóquia, refulgénte divíno quodam splendóre cubículo. Novocómum revocátus, impendéntem suum óbitum prænuntiávit ; morbóque corréptus inter astántium lácrimas placidíssime quiévit in Dómino, anno Reparatiónis millésimo quadringentésimo quinquagésimo nono, annos natus quinque et sexagínta. Ejus funus ingénti pópuli accúrsu, et complúribus signis illustrátum fuit: sacræ autem ejus exúviæ recónditæ in ecclésia sancti Joánnis prope Novocómum, unde die vigésima octáva Quintílis anni millésimi octingentésimi décimi ad parochiálem sancti Germáni ecclésiam solémni ritu translátæ fuérunt.

Beáti cultum ab illíus óbitu incéptum Pius Séptimus Póntifex Máximus rite approbávit, indulsítque ut in utráque diœcési, Novocoménsi scílicet ac Vercellénsi, nec non ab univérso Prædicatórum Ordine beáti Antónii memória cum Offício et Missa quinto Kaléndas Augústi, illíus translatiónis die, quotánnis recolátur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

In Laudibus Memoria SS. Nazarii, Celsi et Pantaleonis Martyrum. Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Nazárii, Celsi et Pantaleónis natalítia cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per.

DIE XXIX. JULII.

S. MARTHÆ

VIRGINIS.

DUPLEX. Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Marthæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per.

In utrisque Vesperis et Laudibus Memoria de Octava Simplici S. Mariæ Magdalenæ ut infra sub titulo Eadem die xxix. Julii. pag. 631. notatum est.

IN II. NOCTURNO.

(Ex probatis Actis, et Romano Breviario.)

Lectio iv.

MARTHA Lázari soror, nobílibus et copiósis paréntibus nata, sed Christi hospítio clárior, post ejus ascénsum in cælum, cum fratre, soróre et Marcélla pedísequa, ac Maximíno, uno ex septuagínta duóbus discípulis Christi Dómini, qui totam illam domum baptizáverat, multísque áliis Christiánis, comprehénsa a Judæis, in navem sine velo ac remígio impónitur, vastissimóque mari ad certum naufrágium committitur: sed navis, Deo gubernánte, salvis ómnibus, Massíliam appúlsa est.

Lectio v.

EO miráculo, et horum prædicatióne primum Massiliénses, mox Aquénses, ac finítimæ gentes in Christum credidérunt: Lazarúsque Massiliénsium, Maximínus Aquénsium Episcopus creátur. Magdaléna vero assuéta oratióni, et pédibus Dómini, ut óptima parte contemplándæ cæléstis beatitúdinis, quam elégerat, fruerétur, in vastam altíssimi montis spelúncam se cóntulit: ubi trigínta annos vixit, ab omni hóminum consuetúdine disjúncta, quotidiéque per id tempus, ad audiéndas cæléstium laudes, in altum ab Angelis eláta.

Lectio vj.

MARTHA autem mirábili vitæ sanctitáte, et caritáte, ómnium Massiliénsium ánimis in sui amórem et admiratiónem addúctis, in locum a viris remótum cum áliquot honestíssimis féminis se recépit: ubi summa cum laude pietátis et prudéntiæ diu vixit, ac demum, morte sua multo ante prædicta, miráculis clara migrávit ad Dóminum quarto Kaléndas

Augústi. Cujus corpus apud Taráscum magnam habet veneratiónem.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum : et múlier quædam Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 26. de verbis Domini.)

MARTHA et María duæ soróres erant, ambæ non solum carne, sed étiam religióne germánæ : ambæ Dómino cohæsérunt : ambæ Dómino in carne præsénti concórditer serviérunt. Suscépit eum Martha, sicut solent súscipi peregríni : sed tamen suscépit fámula Dóminum, ægra Salvatórem, creatúra Creatórem. Suscépit autem spíritu pascénda, in carne pascéndum. Vóluit enim Dóminus formam servi accípere, et accépta forma servi, in illa pasci a servis, dignatióne, non conditióne. Nam et ista dignátio fuit, se præbére pascéndum.

Lectio viij

HABEBAT carnem, in qua esuríret quidem, et sitíret : sed nescítis quia in erémo esuriénti Angeli ministrábant? Ergo quod pasci vóluit, pascénti præstitit. Quid autem mirum, si et de sancto Elía præstitit víduæ, quem prius corvo ministránte pascébat? Numquid pascéndo defécerat, quando ad víduam mittébat? Nequáquam, sed religiósam víduam, per obséquium exhíbitum servo suo, benedícere disponébat.

Lectio ix.

SIC ergo suscéptus est Dóminus tamquam hospes, qui in sua própria venit, et sui eum non recepérunt : sed quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri : adóptans servos, et líberos fáciens; rédimens captívos, et fáciens coherédes. Ne quis tamen vestrum fórsitan dicat, O beáti, qui Christum suscípere in domum própriam meruérunt! Noli dolére, noli murmuráre, quia tempóribus natus es, quando jam Dóminum non vides in carne. Non tibi ábstulit istam dignatiónem. Cum uni, inquit, ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis.

In Laudibus Memoria SS. Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis Martyrum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus Dómine: ut sicut pópulus christiánus Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis temporáli solemnitáte congáudet, ita perfruátur ætérna, et quod votis célebrat comprehéndat efféctu. Per.

EADEM DIE XXIX. JULII.

IN OCTAVA S. MARIÆ MAGDALENÆ.

SIMPLEX.

Ad Memoriam in j. Vesperis Aña. Celsi mériti María, quæ Solem verum resurgéntem vidére meruísti mortálium prima: óbtine ut nos visu glóriæ suæ tecum lætíficet in cælis.

℣. Optimam partem elégit sibi María. ℟. Quæ non auferétur ab ea. Oratio.

LARGIRE nobis clementíssime Pater : ut sicut beáta María Magdaléna, Dóminum nostrum Jesum Christum super ómnia diligéndo, suórum obtínuit véniam peccatórum, ita nobis, apud misericórdiam tuam, sempitérnam ímpetret beatitúdinem. Per eúmdem.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. O mundi lampas et margaríta præfulgída, quæ Resurrectiónem Christi nuntiándo Apostolórum Apóstola fíeri meruísti, María Magdaléna, semper pia exorátrix pro nobis adsis ad Deum, qui te elégit.

℣. Dimíssa sunt ei peccáta multa. ℟. Quóniam diléxit multum.

Oratio Largíre nobis. ut ad Memoriam in j. Vesperis.

Ad Memoriam in ij. Vesperis Aña. In diébus illis múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod Jesus accubuísset in domo Simónis leprósi, áttulit alabástrum unguénti: et stans retro secus pedes Dómini Jesu, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat.

℣. Optimam partem. et Oratio Largíre nobis. ut ad Memoriam in j. Vesperis.

DIE XXX. JULII.
B. MANNIS
CONF. ORD. PRÆD.
DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui beátum Mannem, Confessórem tuum, dispositióne mirábili in viam perfectiónis traduxísti; eádem misericórdiæ grátia dírige actus nostros : ut possímus quærere quod jubes, et ássequi quod promíttis. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria SS. Abdon et Sennen Martyrum. Oratio.

DEUS, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátiæ contulísti, da fámulis tuis suórum véniam peccatórum : ut Sanctórum tuórum intercedéntibus méritis, ab ómnibus mereántur adversitátibus liberári. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MANNES, sive Mamértus, Calarógæ in Hispánia ex nobilíssimis paréntibus Felíci de Guzman pietáte eximio, et beáta Joánna de Aza progénitus, fratrem germánum hábuit divum Domínicum Prædicatórum Ordinis Institutórem. Tantórum paréntum roborátus exémplis, morum sanctitáte et vitæ innocéntia elúxit. Sacræ milítiæ mancipátus, cæléstium contemplatióne mirum in modum præcélluit, atque sancti et contemplatóris nómine passim nuncupári consuévit. Sed animárum zelus, quo flagrábat, ad majóra eum excitávit, ádeo ut, quamquam illi recéssus delíciis afflúeret, frequens tamen esset ad pópulum conciónibus instituéndum. In Aquitániam profectus, ger-

mánum suum Domínicum convénit, cum quo nullis térritus perículis, nullis fractus labóribus, eódem supérno Spíritu ductus, omne cóntulit stúdium ad hæreticórum Albigénsium conversiónem. Quam ut secúrius obtinéret, piis précibus corporísque maceratióne usus est.

Lectio v.

PRÆDICATORUM Ordine institúto, ex primis fuit, qui eúmdem ingréssus est, hábitu de manu ipsíus Fundatóris in convéntu Prulliáno circa annum millésimum ducentésimum décimum sextum suscépto. Et ita germánus secúndum carnem, fílius secúndum spíritum, ipsíus sanctitátis verus imitátor efféctus est. Ab eódem sancto Domínico Parísios cum áliis sex ejúsdem Ordinis alúmnis missus, ibi conciónes ad pópulum hábuit, ex quibus fructus manárunt ubérrimi. Spíritu lenitátis, pacis ac suavitátis replétus, ómnium ánimos in se convértit, et Prædicatórum Ordinem amplificávit. Quaprópter mérito percélebris cœnóbii sancti Jacóbi tamquam institútor habétur. Parisiénsi convéntu erécto, Matrítum conténdit, ubi a sancto ejus germáno Præféctus assignátus sanctimoniálibus cœnóbii de Majoríto, quod sancti Domínici póstea nomen hábuit, hoc munus summa ædificatióne adimplévit.

Lectio vj.

CALAROGAM prædicatiónis causa véniens, postquam diu in Ordine sincéro corde et pura mente Deo famulátus fúerat, innúmeris auctus méritis diem óbiit suprémum, circa annum millésimum bis centésimum trigésimum. Ejus corpus apud mónachos Cisterciénses sancti Petri de Gúmiel summo honóre primum prope altáre tumulátum, dein translátum, in majóri altári collocátum fuit cum áliis Sanctórum Relíquiis, ubi étiam nunc cólitur. Plúrima ab eo patráta fuísse prodígia scriptóres testántur : quare sancto Viro, quem doctórem et ducem dum in humánis ágeret, et post mortem patrónum validíssimum expérti fúerant fidéles, ecclesiástici cultus spécies omnes statim exhibére cœpérunt : quem ad hæc usque témpora propagátum Gregórius Décimus sextus Póntifex Máximus ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto approbávit, atque ut in univérso Prædicatórum Ordine de beáto Manne Offícium recitári, ac Missa celebrári possit benígne indúlsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XXXI. JULII.

S. IGNATII

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium subsídio militántem Ecclésiam roborásti : concéde ut ejus auxílio et imitatióne certántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cælis. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Germani Autissiodoren. Episcopi et Confessoris.

Oratio.

EXAUDI, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Germáni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : ut qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólvas peccátis. Per.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

IGNATIUS natióne Hispánus, nóbilis génere, Loyólæ in Cantábria natus, primo Cathólici regis aulam, deínde militiam secútus est. In propugnatióne Pampelonénsi accépto vúlnere, gráviter decúmbens, ex fortúita piórum librórum lectióne, ad Christi Sanctorúmque sectánda vestígia mirabíliter exársit. Ad Montem Serrátum proféctus, ante aram beátæ Vírginis suspénsis armis, noctem éxcubans, sacræ militiæ tirocínium pósuit. Inde, ut erat indútus sacco, tráditis ántea mendíco pretiósis véstibus, Manrésam secéssit. Eo in loco, emendicáto pane et aqua víctitans, exceptísque diébus Domínicis, jejúnans, áspera caténa cilicióque carnem domans, humi cubans et férreis se flagéllis cruéntans, per annum commorátus est : claris ádeo illustratiónibus a Deo recreátus, ut póstea dícere sólitus sit, Si sacræ Lítteræ non exstárent, se tamen pro fide mori parátum ex iis solum, quæ sibi Manrésæ patefécerat Dóminus. Quo témpore, homo litterárum plane rudis, admirábilem illum compósuit Exercitiórum librum, Sedis Apostólicæ judício, et ómnium utilitáte comprobátum.

Lectio v.

UT vero se ad animárum lucra rite formáret, subsídium litterárum, a grammática inter púeros exórsus, adhibére státuit. Cumque nihil ínterim omítteret de stúdio aliénæ salútis, mirum est quas ubíque locórum ærúmnas ac ludíbria devoráverit, aspérrima quæque, et víncula et vérbera pene ad mortem usque perpéssus : quibus tamen longe plura pro Dómini sui glória semper expetébat. Lutétiæ Parisiórum adjúnctis sibi ex illa Académia variárum natiónum sóciis novem, qui omnes Artium magistériis et Theologíæ grádibus insígnes erant, ibídem in Monte Mártyrum prima Societátis fundaménta jecit. Romam póstea proféctus, ibídem Ordinem suum constítuens, ad tria consuéta quarto áddito de missiónibus voto, Sedi Apostólicæ árctius astrínxit, et Paulus Tértius primo recépit, confirmavítque: mox álii Pontífices, ac Tridentína synodus probavére. Ipse autem misso ad prædicándum Indis Evangélium sancto Francísco Xavério, aliísque in álias mundi plagas ad religiónem propagándam disseminátis, éthnicæ superstitióni hæresíque bellum indíxit, eo succéssu continuátum, ut constans fúerit ómnium sensus, étiam Pontifício confirmátus oráculo, Deum sicut álios áliis tempóribus sanctos viros, ita Luthé-

ro ejusdémque témporis hæréticis Ignátium et institútam ab eo Societátem objecísse.

Lectio vj.

SED in primis inter Cathólicos instauráre pietátem curæ fuit. Templórum nitor, catechísmi tradítio, conciónum ac Sacramentórum frequéntia ab ipso increméntum accepére. Ipse, apértis ubíque locórum ad juventútem erudiéndam in litteris ac pietáte gymnásiis : eréctis Romæ Germanórum collégio, male nuptárum et periclitántium puellárum cœnóbiis, utriúsque sexus tam orphanórum quam catechumenórum dómibus aliísque pietátis opéribus, indeféssus lucrándis Deo ánimis instábat: audítus aliquándo dícere, Si óptio darétur, malle se beatitúdinis incértum vívere, et ínterim Deo inservíre et proximórum salúti, quam certum ejúsdem glóriæ statim mori. In dæmones mirum exércuit impérium. Vultum ejus cæléstí luce radiántem sanctus Philíppus Nérius aliíque conspexére. Dénique, ætátis anno sexagésimo quinto, ad Dómini sui ampléxum, cujus Majórem glóriam in ore semper habúerat, semper in ómnibus quæsíerat, emigrávit. Quem Gregórius Décimus quintus, magnis in Ecclésiam méritis et miráculis illústrem, Sanctórum fastis adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Designávit Dóminus. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE I. AUGUSTI.

S. PETRI AD VINCULA.

DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? dixit Jesus discípulis suis. Respóndens Petrus dixit : Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Capitulum Act. 12.

PETRUS quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. Cornélius centúrio, vir religiósus ac timens Deum, vidit maniféste Angelum Dei dicéntem sibi : *Cornéli mitte, et accérsi Simónem, qui cognomináture Petrus : Hic dicet tibi quid te opórteat fácere. ℣. Cum orásset Cornélius nondum in Christo renátus, appáruit ei Angelus dicens. — Cornéli. Glória. Hic dicet tibi.

Hymnus.

JAM bone pastor Petre clemens áccipe
Vota precántum, et peccáti vincula
Resólve, tibi potestáte trádita,
Qua cunctis cælum verbo cláudis, áperis.
SIT Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In unitáte, cui manet impérium,
Ex tunc, et modo, per ætérna sæcula Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Ad Magnificat Aña. Tu es Pastor óvium, Princeps Apostolórum : tibi tráditæ sunt claves regni cælórum.

Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum Apóstolum a vínculis absolútum illæsum abíre fecísti : nostrórum, quæsumus, absólve vincula peccatórum, et ómnia mala a nobis propitiátus exclúde. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Tu es Pastor óvium, Princeps Apostolórum : * Tibi trádidit Deus claves regni cælórum.

Hymnus Jam bone pastor., ut in j. Vesperis.

¶ In tribus Nocturnis Antiphonæ, Psalmi et Versiculi de Communi Apostolorum, pag. 27* et sequentibus; Lectiones et Responsoria ut infra.

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 12.

MISIT Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum. Erant autem dies Azymórum. Quem cum apprehendísset, misit in cárcerem, tradens quátuor quaterniónibus mílitum custodiéndum, volens post Pascha producere eum pópulo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. j. Simon Petre, ántequam de navi vocárem te, novi te : et super plebem meam príncipem te constítui, * Et claves regni cælórum trádidi tibi. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum et in cælis : et quodcúmque sólveris super terram erit solútum et in cælis. — Et claves.

Lectio ij.

CUM autem productúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus caténis duábus : et custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce Angelus Dómini ástitit : et lumen refúlsit in habitáculo : percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens : Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum : Præcíngere, et cálcea te cáligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi : Circumda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

℟. ij. Si díligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Dómine tu nosti quia amo te : * Et ánimam meam pono pro te. ℣. Si oportúerit me mori tecum, non te negábo. — Et ánimam meam pono pro te.

Lectio iij.

ET éxiens sequebátur eum, et nesciébat quia verum est, quod fiébat per Angelum : existimábat autem se visum vidére. Transeúntes autem primam et secúndam custódiam, venérunt ad portam férream, quæ ducit ad civitátem : quæ ultro apérta est eis. Et exeúntes processérunt vicum unum : et contínuo discéssit Angelus ab eo. Et Petrus ad se revérsus, dixit : Nunc scio vere quia

misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

℟. iij. Cornélius centúrio, vir religiósus ac timens Deum, vidit maniféste Angelum Dei dicéntem sibi : * Cornéli mitte, et accérsi Simónem, qui cognominátur Petrus : Hic dicet tibi quid te opórteat fácere. ℣. Cum orásset Cornélius nondum in Christo renátus, appáruit ei Angelus, dicens. — Cornéli mitte. Glória. Hic dicet tibi.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

THEODOSIO Junióre imperánte, cum Eudócia ejus uxor Jerosólymam solvéndi voti causa venísset, ibi multis est affécta munéribus. Præ céteris, insígne donum accépit férreæ caténæ, auro gemmísque ornátæ : quam illam esse affirmábant, qua Petrus Apóstolus ab Hérode vinctus fúerat. Eudócia caténam pie veneráta, eam póstea Romam ad fíliam Eudóxiam misit, quæ illam Pontífici Máximo détulit ; isque vicíssim illi monstrávit álteram caténam, qua, Neróne imperatóre, idem Apóstolus constrictus fúerat.

℟. iv. Dómine, si tu es, jube me veníre ad te super aquas. Et exténdens manum, apprehéndit eum : * Et dixit Jesus : Módicæ fídei, quare dubitásti? ℣. Cumque vidísset ventum válidum veniéntem, tímuit : et cum cœpísset mergi, clamávit dicens : Dómine salvum me fac. — Et dixit Jesus.

Lectio v.

CUM ígitur Póntifex Románam caténam cum ea, quæ Jerosólymis allàta fúerat, contulísset, factum est ut illæ inter se sic connecteréntur, ut non duæ, sed una caténa ab eódem artífice confécta esse viderétur. Quo miráculo tantus honor sacris illis Vínculis habéri cœpit, ut proptérea hoc nómine sancti Petri ad Víncula ecclésia, título Eudóxiæ, dedicáta sit in Exquíliis, ejúsque memóriæ dies festus institútus Kaléndis Augústi.

℟. v. Tu es Pastor óvium, Princeps Apostolórum : tibi trádidit Deus ómnia regna mundi : * Et ídeo tráditæ sunt tibi claves regni cælórum. ℣. Tibi enim a Dómino collàta est potéstas ligándi atque solvéndi. — Et ídeo tráditæ sunt tibi.

Lectio vj.

QUO ex témpore honos, qui eo die profánis Gentílium celebritátibus tríbui sólitus erat, Petri Vínculis habéri cœpit : quæ tacta ægros sánabant, et dæmones ejiciébant. Quo in génere anno Salútis humánæ nongentésimo sexagésimo nono áccidit ut quidam Comes, Othónis imperatóris familiáris, occupátus ab immúndo spíritu, seípsum déntibus dilaniáret. Quare is jussu imperatóris ad Joánnem Pontíficem dúcitur : qui, ut sacra caténa Cómitis collum áttigit, erúmpens nefárius spíritus hóminem líberum reliquit : ac deínceps in Urbe sanctórum Vinculórum relígio propagáta est.

℟. vj. Surge Petre, et índue vestiménta tua : áccipe fortitúdinem ad salvándas gentes : * Quia cecidérunt caténæ de mánibus tuis. ℣. Angelus Dómini ástitit : et lumen refúlsit in habitáculo cárceris : percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens : Surge velóciter. — Quia cecidérunt caténæ. Glória. Quia cecidérunt caténæ.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Cæsáreæ Philíppi : et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 29. de Sanctis.)

SOLUS Petrus inter Apóstolos méruit audíre : Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Dignus certe qui ædificándis in domo Dei pópulis lapis esset ad fundaméntum, colúmna ad sustentáculum, clavis ad regnum. De hoc ait sermo divínus : Et ponébant infírmos suos, ut umbra saltem transeúntis Petri obumbráret eos.

℟. vij. Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? dixit Jesus discípulis suis. Respóndens Petrus, dixit : Tu es Christus, Fílius Dei vivi. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Beátus es Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. — Et ego dico tibi.

Lectio viij.

SI tunc opem ferre póterat umbra córporis, quanto magis nunc plenitúdo virtútis! Mérito per omnes Ecclésias auro pretiósius habétur ferrum illud pœnálium Vinculórum. Si tam medicábilis fuit obumbrátio visitántis, quanto magis caténa vinciéntis! Si inánis quædam spécies vácuæ imáginis habére pótuit in se vim salútis, quanto plus de córpore meruérunt attráhere salubritátis, férreo póndere sacris impréssa membris Víncula passiónis!

℟. viij. Ego pro te rogávi, Petre, * Ut non defíciat fides tua : et tu aliquándo convérsus confírma fratres tuos. ℣. Simon, ecce Satan expetívit vos ut cribráret sicut tríticum: ego autem rogávi pro te. — Ut non defíciat.

Lectio ix.

SI ad præsídia supplicántium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis éfficax post triúmphum! Felíces illi nexus, qui de mánicis et compédibus in corónam mutándi, Apóstolum contingéntes Mártyrem reddidérunt. Felícia Víncula, quæ reum suum usque ad Christi crucem, non tam condemnatúra quam consecratúra, misérunt.

℟. ix. Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum et in cælis : * Et quodcúmque sólveris super terram erit solútum et In cælis. ℣. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et

super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. — Et quodcúmque sólveris. Glória. In cælis.

Ante Laudes ℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Petrus et Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Argéntum et aurum non est mihi : quod autem hábeo, hoc tibi do.

3. Dixit Angelus ad Petrum : Circumda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

4. Petre amas me? Pasce oves meas. Tu scis Dómine quia amo te.

5. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Capitulum. Act. 12.

PETRUS quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.
ECCLESIARUM príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.
DEVOTA sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.
IN his patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.
TE nunc Redémptor quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus Aña. Quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum et in cælis : et quodcúmque sólveris super terram erit solútum et in cælis, dixit Dóminus Simóni Petro.

Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum Apóstolum a vínculis absolútum illæsum abíre fecísti : nostrórum, quæsumus, absólve víncula peccatórum, et ómnia mala a nobis propitiátus exclude. Per.

In Laudibus Memoria SS. Machabæorum Martyrum.

Oratio.

FRATERNA nos Dómine Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Petrus quidem., ut in Laudibus.

℟. In omnem terram * Exíxit sonus eórum. In omnem terram. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit sonus eórum. Glória. In omnem terram.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 12.

ANGELUS Dómini ástitit : et lumen refúlsit in habitáculo : percussóque látere Petri, excitávit eum dicens : Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus ejus.

℟. Constítues eos príncipes *Super omnem terram. Constítues eos príncipes. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super omnem terram. Glória. Constítues eos príncipes.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 12.

NUNC scio vere quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

℟. Nimis honoráti sunt *Amíci tui Deus. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci tui Deus. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Petrus et Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi Apostolorum, pag. 34*.

Capitulum Petrus quidem. et Hymnus Jam bone pastor., ut in j. Vesperis, pag. 635.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Eccléstam meam.

Ad Magnificat Aña. Angelus Dómini ástitit : et lumen refúlsit in habitáculo cárceris : percussóque látere Petri, excitávit eum dicens : Surge velóciter. Et contínuo cecidérunt caténæ de mánibus ejus.

DIE II. AUGUSTI.

B. JOANNÆ DE AZA

MATRIS S. P. N. DOMINICI.

DUPLEX.

In utrisque Vesperis et ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta Joánna. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEUS, qui beátæ Joánnæ fámulæ tuæ grátiam supérnæ vocatiónis fílii sui Domínici mirabíliter ostendísti : quæsumus ut ipsam præmonstratúmque fílium imitántes, pio utriúsque intervéntu ætérna præmia consequámur. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Stephani Papæ et Martyris. Oratio.

DEUS, qui nos beáti Stéphani, Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

AZÆ in regno Castéllæ Véteris Hispaniárum Joánna primam cæli lucem aspéxit circa dimídium sæculi duodé-

cimi. Claríssimum a progenitóribus accéptum decus virtúte ac sanctitáte mirabíliter auxit ac illustrávit. Córporis venustáte muliebribúsque offíciis ornátam sæculi oblectaménta allícere nullo modo valuérunt; quin immo natúræ dona seque ipsam Deo a primórdiis mancipávit. Felíci de Guzman viro summa probitáte, liberalitáte, æque ac nobilitáte prædito, in matrimónium data, nihil in se prætulit, quod mulíeris fortis imáginem non expræsserit. Licet illíus ditiónis dómina et feminárum prima, céteras nihilóminus humilitáte præíre stúduit, illísque honestáte, pudicítia, prudéntia ac boni nóminis fama præfúlsit. Domésticis curis absolútis, réliquum témporis pietáti ac religióni tribuébat; hinc est quod sacra límina adíre, infírmos visitáre, afflictósque solári gratíssimum illi fúerit. In páuperum indigéntiis sublevándis mirífice se exércuit : cujus caritátem Deus étiam aliquándo miráculo confirmásse légitur, cum dólium vini illis distribútum mox plenum invénerit.

Lectio v.

ORATIONI addícta, divínas in se proméruit benedictiónes. Nam duos fílios hábuit, quos adhortatiónibus, incitaméntis ac præcípue exémplo ad virtútes excitábat, ac ad eam perfectiónem illos evéxit, ut utérque ad mortem usque ecclesiásticis exémplum, pópulis vero morum norma exstíterit. Tértium inde fílium obtínuit sanctum Dominicum, Ordinis Prædicatórum, unde totíus sanctitátis et doctrínæ exémpla in Ecclésiam promanárunt, Institutórem ac Paréntem : ipsúmque fructum fuísse precum, quas Joánna fervénter Deo effúderat, sanctus Domínicus Abbas Syléns-sis ei apéruit, et vísio in somnis hábita haud dúbie osténdit. Etenim hujus grávida per quiétem cátulum in alvo contínere sibi visa est, qui facem ore gestans orbem univérsum illumináret. Quo sómnio significabátur, fílium contra inférni lupos latratúrum, ac pópulos inflammatúrum ad Dei ac próximi amórem. Hinc haud mirum, si nulli álii quam sibi tantæ prolis curam Joánna reserváverit, ut una cum lacte próprias virtútes in illum tradúceret. Tandem tot tantísque a Deo aucta munéribus et cumuláta virtútibus, sanctitáte percélebris, mundo amábilis et Deo grata, Calarógæ placidíssime spíritum Deo réddidit.

Lectio vj.

POST ejus mortem miraculórum fama longe latéque perfúsa, íncolæ in Patrónam sibi eam adscivérunt, ac ejus opem in grátiis obtinéndis et in advérsis amovéndis præséntem sunt expérti. Hinc ad ecclésiam sacrum ejus corpus delátum, in ipsíus cœmetério cónditum fuit, ibíque sacéllum sub invocatióne sanctæ Joánnæ de Aza eréctum; ad quod etiámnum persevérans frequens est populórum concúrsus religiónis et voti causa. Inde ad Gumiliénsem ecclésiam translátum, juxta sponsi ejus Felícis exúvias fuit repósitum. Póstea Sereníssimus

Hispaniárum Infans Joánnes Emmánuel sancti regis Ferdinándi nepos, in paréntem pio flagrans amóre, ad cœnóbium Rupisfidélis Fratrum Prædicatórum, quod ipse própriis súmptibus e fundaméntis eréxerat, transmitténdum curávit; atque ípsemet regális princeps, univérso plaudénte pópulo et gratulánte, sacrum pignus suis húmeris déferens, in sepúlcro, régia munificéntia exornáto, juxta aram máximam collocávit : ubi illíus regiónis pópuli conveniéntes sacros cíneres cólere et venerári gloriántur. Quem cultum Azæ, Calarógæ, aliísque pópulis ad hæc nostra témpora propagátum, ac nunquam intermíssum, instánte rege Cathólico Ferdinándo Séptimo, et optimátibus Hispániæ princípibus, Leo Duodécimus Póntifex Máximus approbávit, ac de beáta Joánna festum cum Offício et Missa ab univérso Prædicatórum Ordine celebrándum concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito. de Communi unius nec Virginis nec Martyris, pag. 111*.

DIE III. AUGUSTI.

IN INVENTIONE CORPORIS S. STEPHANI PROTOMART.

SIMPLEX.

AD I. VESPERAS.

Capitulum. Act. 6.

STEPHANUS autem plenus grátia et fortitúdine faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

Hymnus Deus tuórum míli-tum., pag. 38*.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat Aña. Osténdit sanctus Gamáliel per visum Luciáno sacerdóti tres cálathos áureos rosis reférto, et quartum argénteum croco plenum, et dixit : Hi sunt nostri lóculi et nostræ Relíquiæ : hic autem sanguíneas habens rosas lóculus est sancti Stéphani, qui solus ex nobis martyrio méruit coronári. Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere : quia ejus córporis Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre : Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit...

¶ Hæc Oratio, si dicatur ad Memoriam, et eam sequatur alia Memoria, sic concludatur: qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

¶ Ubi hoc Festum Duplex fuerit aut Totum Duplex, dicatur super Psalmos Aña. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde.

Capitulum Stéphanus autem., ut supra.

℟. Sancte Dei pretióse Protomártyr Stéphane, qui virtúte caritátis circumfúltus úndique, Dóminum pro inimíco exorásti pópulo, * Funde preces Pro devóto tibi nunc collégio. ℣. Ut tuo propitiátus interventu Dóminus nos purgátos

a peccátis jungat cæli cívibus. — Funde preces. Glória. Pro devóto tibi nunc collégio.

Cetera non mutentur.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Adorémus Regem magnum Dóminum, *Qui in Sanctis suis semper est mirábilis.

Hymnus Deus tuórum mílitum., pag. 38*.

¶ In tribus Nocturnis fiant quæ hic notata non sunt de Communi unius Martyris, pag. 39*. et sequentibus.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Epistola Luciani Presbyteri, et Rom. Breviario.)

Lectio iv.

SANCTORUM córpora Stéphani Protomártyris, Gamaliélis, Nicodémi et Abibónis, quæ diu in obscúro ac sórdido loco jacúerant, Honório imperatóre, Luciáno Presbytero divínitus admónito, invénta sunt prope Jerosólymam. Cui Gamáliel cum in somnis apparuísset, gravi quadam et præclára senis spécie, locum jacéntium córporum commonstrávit, ímperans ut Joánnem Jerosolymitánum Antístitem adíret, agerétque cum eo, ut honéstius illa córpora sepeliréntur. Quibus audítis, Jerosolymórum Antístes, finitimárum úrbium Epíscopis Presbyterísque convocátis, ad locum pergit, defóssos lóculos ínvenit, unde suavíssimus odor efflabátur.

Lectio v.

EJUS rei fama commóta magna hóminum multitúdo eo convénit : multíque, ex váriis morbis ægróti ac débiles, sani et íntegri domum rediérunt. Sacrum autem sancti Stéphani corpus, quod summa cum celebritáte in sanctam ecclésiam Sion illátum est, sub Theodósio Junióre Constantinópolim, inde Romam, Peláglo Primo Summo Pontífice, translátum, in agro Veráno in sepúlcro sancti Lauréntii Mártyris collocátum est.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. (Lib. 22. cap. 8.)

Lectio vj.

AD aquas Tibilitánas, Epíscopo afferénte Projécto Relíquias gloriosissími Stéphani, ad ejus Memóriam veniébat magnæ multitúdinis concúrsus et occúrsus. Ibi cæca múlier, ut ad Epíscopum portántem pignora sacra ducerétur, orávit : flores, quos ferébat, dedit; recépit, óculis admóvit, prótinus vidit. Memoráti Memóriam Mártyris Lucíllus Epíscopus, pópulo præcedénte atque sequénte, portábat : fístula, cujus moléstia jam diu laboráverat, ubi sanctas attigísset Relíquias, repénte sanáta est.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 23.

IN illo témpore : Dicébat Jesus Scribis, et Pharisæis : Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapiéntes, et scribas,

et ex illis occidétis, et crucifigétis, et ex eis flagellábitis in synagógis vestris. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 23. Comment. in cap. 23. Matthæi.)

OBSERVA, juxta Apóstolum scribéntem ad Corínthios, vária esse dona discipulórum Christi : álios prophétas, qui ventúra prædícent : álios sapiéntes, qui novérunt quando débeant proférre sermónem : álios scribas in lege doctíssimos : ex quibus lapidátus est Stéphanus, Paulus occísus, crucifíxus Petrus, flagelláti in Actibus Apostolórum discípuli. Quærimus quis sit iste Zacharías fílius Barachíæ : quia multos légimus Zacharías.

Lectio viij.

IN divérsis divérsa legi : et débeo singulórum opiniónes pónere. Alii Zachariam fílium Barachíæ dicunt, qui in duódecim Prophétis undécimus est, patrísque in eo nomen conséntit : sed ubi occísus sit inter templum et altáre, Scriptúra non lóquitur; máxime cum tempóribus ejus vix ruínæ templi fúerint. Alii Zachariam patrem Joánnis intélligi volunt, ex quibúsdam apocryphórum sómniis approbántes, quod proptérea occísus sit, quia Salvatóris prædicáret advéntum.

Lectio ix.

ALII istum esse volunt Zachariam, qui occísus est a Joas rege Juda inter templum et altáre, sicut Regum narrat história. Sed observándum, quod ille Zacharías non sit fílius Barachíæ, sed fílius Joíadæ sacerdótis: unde et Scriptúra refert : Non fuit recordátus Joas patris ejus Joíadæ quia sibi fecísset bona. Cum ergo et Zachariam teneámus, et occisiónis conséntiat locus : quærimus, quare Barachíæ dícitur fílius, et non Joíadæ? Barachías lingua nostra Benedíctus Dómini dícitur : et sacerdótis Joíadæ justítia Hebræo nómine demonstrátur. In Evangélio, quo utúntur Nazaræi, pro fílio Barachíæ, fílium Joíadæ reperímus scriptum.

℟. ix. Sancte Dei pretióse Protomártyr Stéphane, qui virtúte caritátis circumfúltus úndique, Dóminum pro inimíco exorásti pópulo : * Funde preces Pro devóto tibi nunc collégio. ℣. Ut tuo propitiátus interventu Dóminus nos purgátos a peccátis jungat cæli cívibus. — Funde preces. Glória. Pro devóto tibi nunc collégio.

Ante Laudes. ℣. Ora pro nobis beáte Stéphane. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Qui me conféssus fúerit coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Qui séquitur me non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

3. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dóminus.

4. Qui mihi minístrat me sequátur : et ubi sum ego, illic erit et miníster meus.

5. Volo, Pater, ut ibi ego sum, illic sit et minister meus.

Capitulum. Act. 6.

STEPHANUS autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

Hymnus.

MARTYR Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus :
TUI precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.
SOLUTA sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi,
Amóre Fílii Dei.
DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Benedictus Aña. Ex odóris mira fragrántia sánitas ægrótis emanávit máxima : septuagínta namque et tres tunc a váriis languóribus curáti sunt hómines, in Inventióne córporis Stéphani dilectíssimi Mártyris, Deum benedicéntes. Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere : quia ejus córporis Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre : Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit...

AD TERTIAM.

Capitulum Stéphanus autem., ut in Laudibus.

℟. Glória et honóre * Coronásti eum Dómine. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 7.

CUM esset Stéphanus plenus Spíritu sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei.

℟. Posuísti Dómine * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 7.

POSITIS autem génibus, beátus Stéphanus clamávit voce magna dicens : Dómine ne státuas illis hoc peccátum.

℟. Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári tuo. Glória. Magna est.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

DIE IV. AUGUSTI.

S. DOMINICI CONFESSORIS PATRIS NOSTRI.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Gaude felix parens Hispánia, novæ prolis dans mundo gáudia : sed tu magis plaude Bonónia, tanti Patris dotáta glória : lauda tota mater Ecclésia, novæ laudis agens solémnia. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 50.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis, et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei.

℟. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple Pater quod dixísti, nos tuis juvans précibus. ℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. — Imple Pater quod dixísti. Glória. Imple Pater quod dixísti.

Hymnus.

GAUDE mater Ecclésia,
Lætam agens memóriam,
Quæ novæ prolis gáudia
Mittis ad cæli cúriam.

PRÆDICATORUM Ordinis
Dux et Pater Domínicus
Mundi jam fulget términis,
Civis efféctus cælicus.

CARNIS liber ergástulo,
Cæli potítur glória :
Pro paupertátis cíngulo
Stola dotátur régia.

FRAGRANS odor de túmulo,
Cum virtútum frequéntia,
Clamat pro Christi fámulo
Summi Regis magnália.

TRINO Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Transit pauper ad regni sólium, dux ad sceptrum, victor ad præmium, mors in vitam, labor in ótium : præsens cedit luctus in gáudium.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per.

Deinde fiat Memoria S. Stephani Protomartyris :

Aña. Hódie Joánnes Póntifex, cum máximo cleri plebísque tripúdio, pretiósas Protomártyris Stéphani Relíquias in sanctam tránstulit ecclésiam Sion, ubi quondam Archidiá-

coni functus est offício : cujus pia apud Deum sit pro nobis, quæsumus, intercéssio.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere : quia ejus córporis Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre : Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit...

¶ Si vero S. Stephani Memoria ultima non fuerit, sic concludatur præcedens Oratio : exoráre Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Adsunt Domínici læta solémnia : * Laude multíplici plaudat Ecclésia.

Hymnus.

NOVUS athléta Dómini
Collaudétur Domínicus,
Qui rem confórmat nómini,
Vir factus evangélicus.

CONSERVANS sine mácula
Virginitátis lílium,
Ardébat quasi fácula
Pro zelo pereúntium.

MUNDUM calcans sub pédibus,
Manum misit ad fórtia :
Nudus occúrrens hóstibus,
Christi suffúltus grátia.

PUGNAT verbo, miráculis,
Missis per orbem frátribus :
Crebros adjúngens sédulis
Fletus oratiónibus.

TRINO Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum,quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. Præco novus et cælicus missus in fine sæculi, pauper fulsit Domínicus, forma prævísus cátuli.

Psalmus 2.

QUARE fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Aña. Florem pudicítiæ servans illibátum, áttigit exímiæ vitæ cælibátum.

Psalmus 3.

DOMINE quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Aña. Documéntis ártium erudítus satis, tránsiit ad stúdium summæ veritátis.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1.

NONNE stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum : plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt : nos autem prædicámus Christum crucifíxum : Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam : quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus : et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. j. Mundum vocans ad Agni núptias, hora cenæ Paterfamílias servum mittit, * Promíttens várias vitæ delícias. ℣. Ad hoc convívium tam permagníficum. elégit núntium sanctum Domínicum. — Promíttens várias vitæ delícias.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio ij. Cap. 4.

HABENTES administratiónem, juxta quod misericórdiam consecúti sumus, non

defícimus, sed abdicámus occúlta dedécoris, non ambulántes in astútia, neque adulteránte verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo. Quod si étiam opértum est Evangélium nostrum : in iis, qui péreunt, est opértum : in quibus Deus hujus sæculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei.

℟. ij. Datum mundo pro mundi glória, mira Christi præsígnat grátia : * Cujus ortum præcúrrunt núntia, veri præságia. ℣. Stella micans in fronte Párvuli novum jubar præmónstrat sæculi. — Cujus ortum.

Lectio iij.

Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum : nos autem servos vestros per Jesum : quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus : ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur : aporiámur, sed non destitúimur : persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur : dejícimur, sed non perímus : semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

℟. iij. Verbum vitæ dum palam prómitur, surgunt hostes, liber conscríbitur, favent omnes : * Sic error víncitur, Fides extóllitur. ℣. Ter in flammas libéllus tráditus, ter exívit illæsus pénitus. — Sic error víncitur. Glória. Fides extóllitur.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei : * et exaúdi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, ℣ et speráte in Dómino : * multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam.

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Aña. Sub Augustíni Régula mente profécit sédula : tandem virum Canónicum auget in Apostólicum.

Psalmus 5.

Verba mea aúribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣ linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Aña. Agonízans pro Christi nómine, mundum replet divíno sémine, paupertátis degens sub tégmine.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Pernox cum Christo próprium non possidébat léctulum : post lacrimárum flúvium, vix humi dans corpúsculum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

(Ex Theodorico de Apoldia S. Antonino, et aliis gestorum ejus Auctoribus.)

Lectio iv.

SANCTISSIMUS Pater Domínicus Calarógæ in Hispánia ex nobilíssima Guzmanórum família natus est. Hujus mater grávida sibi visa est per quiétem continére in alvo cátulum, qui facem ore præferens, orbem terrárum incénderet : quo

sómnio significabátur fore ut splendóre sanctitátis ac doctrínæ ejus gentes ad christiánam pietátem inflammaréntur. Post liberálium ártium ac theologíæ stúdia, ex quibus singulárem sibi eruditiónem comparávit, primum Oxoménsis Eccléstæ Canónicus reguláris fuit: deínde claríssimum Prædicatórum Ordinem, unde innúmera totíus sanctitátis et doctrínæ exémpla in Ecclésiam promanárunt, instítuit, ab Honório Tértio Summo Pontífice confirmátum anno Salútis millésimo ducentésimo décimo sexto.

℟. iv. Paupertátis ascéndens cúlmina, clamat mundi detéstans crímina, frangit hostes, et fugat ágmina : * Nulla Sanctum frangunt discrímina. ℣. Nocte cæli perlústrans límina, die terris dat verbi sémina. — Nulla Sanctum frangunt discrímina.

Lectio v.

Post confirmátum Ordinem, noctes in ecclésia pene ducébat insómnes : ac modo in génua procúmbens, modo toto córpore prostrátus orábat. Et si quando grávior somnus fessa membra obrúeret, stans nixus altári, vel ad durum lápidem inclinátus, páululum quiescébat. Caténa férrea síngulis nóctibus ádeo ácriter nudum corpus affligébat, ut sánguinis rivi deflúerent. Máximam lacrimárum vim assídue profundébat : atque in primis cum sacrum Missæ sacrifícium peragébat. Nulla re æque lætabátur ac sui contémptu : puritátem tum córporis tum ánimi integérrimam perpétuo servávit.

℟. v. Panis oblátus cælitus fratrum supplet inópiam : * Vitæque natus rédditus matris pellit tristítiam. ℣. Signo Crucis obédit plúvia, lingua verba transfórmat vária. — Vitæque natus rédditus.

Lectio vj.

Peccatis et ærúmnis humánis veheménter discruciabátur. Itínera nudis pédibus, étiam per loca áspera, hymnos cóncinens, conficiébat. Abstinéntia rara, carnes nunquam edébat : jejúnia nec æger solvébat. Letális críminis totam vitam expértem omníno duxit. Linguæ observantíssimus custos, non nisi cum Deo aut de Deo colloquebátur : ac vix de áliis rebus illi sermo erat. Salútis animárum sitientíssimus, martyrii quoque cupidíssimus fuit. In everténdis hæréticis Albigénsibus septem consúmpsit annos, multis eórum ad cathólicam fidem addúctis. Máximis vivens et post mortem miráculis fulsit : et interália, Romæ tres mórtuos suscitávit. Fuit vir plane apostólici péctoris ac spíritus, fídei cólumen, Evangélii tuba, orbis óculus, Christi lucérna, secúndus Præcúrsor, et magnus animárum œcónomus : quem multíplices tantárum virtútum in cælo corónæ decórant.

℟. vj. Granum excússum pálea, nexu solúto lúteo, de paupertátis área, cæli locátur hórreo : * Cum mercéde virgínea, Doctórum fulgens cúneo. ℣. Flos in florum virens aréola, bina gaudet sortis auréola. — Cum mercéde virgínea. Glória. Doctórum fulgens cúneo.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 14.

DOMINE quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Aña. Sitiébat Servus Christi martyrium, sicut sitit cervus ad aquæ flúvium.

Psalmus 20.

DOMINE in virtúte tua lætábitur rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Aña. Migrans Pater, fíliis vitæ firmaméntum, paupertátis húmilis condit testaméntum.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Añ. Liber carnis vínculo cælum introívit, ubi pleno póculo gustat quod sitívit.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 16.)

OSTENDIT Dóminus fátuos esse judicándos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes amíttunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auférri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? Id est, Si vos, per quos condiéndi sunt quodámmodo pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cælórum : qui erunt hómines, per quos a vobis error auferátur, cum vos elégerit Deus, per quos erróre áuferat ceterórum?

℟. vij. Felix vitis, de cujus súrculo tantum germen redúndat sæculo, * Cæli vinum propínans pópulo vitáli póculo. ℣. Ex ubertáte pálmitum mundi jam cinxit ámbitum. — Cæli vinum.

Lectio viij.

ERGO ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus qui pátitur persecutiónem : sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest, nisi inférior : sed inférior non est qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cælo est.

℟. viij. Ascendénti de valle lúbrici mundi, chori plaudunt angélici : * Jesu bone, prece Domínici, tibi præsta nos gratos éffici. ℣. Per quem multos a morte súscitas, pœnas nobis reláxa débitas. — Jesu bone.

Lectio ix.

VOS estis lumen mundi. Quómodo supérius dixit, Sal terræ : sic nunc dicit, Lumen mundi. Nam neque supérius ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus : sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis et exstinguéndis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit in mundum. Et hic mundum, non cælum et terram, sed hómines, qui sunt in mundo, vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illuminándis Apóstoli missi sunt.

℟. ix. O spem miram, quam dedísti mortis hora te flentibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple Pater quod dixísti, nos tuis juvans précibus. ℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. — Imple Pater quod dixísti. Glória. Imple Pater quod dixísti.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Adest dies lætítiæ, quo beátus Domínicus aulam cæléstis cúriæ civis intrat magníficus. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Pauper in pecúlio, dives vita pura, paupertátis prétio cæli tenet jura.

3. Scala cælo próminens fratri revelátur, per quam Pater tránsiens sursum ferebátur.

4. Linguæ, manus stúdio scalam hanc eréxit, quam Virgo cum Fílio Mater sursum vexit.

5. Fulget in choro Vírginum Doctor veritátis, sertum honóris géminum gerens cum beátis.

Capitulum. Eccli. 50.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis, et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei.

Hymnus.

HYMNUM novæ lætítiæ,
Dulci prodúctum cántico,
Noster deprómat hódie
Chorus sancto Domínico.

VERGENTE mundi véspere,
Novum sidus exóritur,
Et clausis culpæ cárcere
Præco salútis míttitur.

DOCTRINAM evangélicam
Spargens per orbis cárdinem,
Pestem fugat hæréticam
Novum prodúcens Ordinem.

HIC est fons ille módicus
Crescens in flumen máximum,
Qui mundo jam mirificus
Potum largítur óptimum.

TRINO Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia. Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. Carnis viror, mentis martyrium, mundum replens linguæ prædónium, pauper Christi, post cursus stádium, vitæ tibi mercántur præmium.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis: concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Quasi stella matutína., ut in Laudibus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, * Allelúia, allelúia. Amávit eum Dóminus. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Allelúia. Glória. Amávit eum Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isa. 59

SPIRITUS meus, qui est in te, et verba mea, quæ pósui in ore tuo, non recédent de ore tuo, et de ore séminis tui, dicit Dóminus, ámodo et usque in sempitérnum.

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, * Allelúia, allelúia. Justum dedúxit Dóminus. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia. Glória. Justum dedúxit Dóminus.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

AD NONAM.

Capitulum. Malach. 2.

LEX veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus : in pace et æquitáte ambulávit mecum, et multos avértit ab iniquitáte.

℟. Justus ut palma florébit in domo Dómini, * Allelúia, allelúia. Justus ut palma florébit. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia. Glória. Justus ut palma florébit.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Adest dies lætítiæ, quo beátus Dominicus aulam cæléstis cúriæ civis intrat magníficus. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Quasi stella matutína., Hymnus Gaude mater Ecclésia. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 646.

Ad Magnificat Aña. O Lumen Ecclésiæ, Doctor veritátis, Rosa patiéntiæ, Ebur castitátis, aquam sapiéntiæ propinásti gratis : Prædicátor grátiæ nos junge beátis.

Ad Memoriam S. Mariæ ad Nives Aña. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Solemnitátem devotíssime celebrémus : ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

SUPPLICATIONEM servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in Solemnitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúmdem.

PER OCTAVAM S. P. DOMINICI.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Benedíctus Redémptor ómnium, qui salúti próvidens hóminum mundo dedit sanctum Domínicum.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

(Si de aliquo Confessore fiat Officium, ad Memoriam de Octava S. P. Dominici in Laudibus dicatur ℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.) Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Magne Pater sancte Domínice mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio Deus, qui Ecclésiam tuam., ut supra.

DIE V. AUGUSTI.

S. MARIÆ AD NIVES.

DUPLEX.

Omnia quæ hic notata non sunt (etiam Lectiones primi et tertii Nocturni) dicantur ut in Festis B. Mariæ V., pag. 1*. et sequentibus.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Lectio iv.

LIBERIO Summo Pontífice, Joánnes Patrícius Románus, et uxor pari nobilitáte, cum líberos non suscepíssent, quos bonórum herédes relínquerent, suam hereditátem sanctíssimæ Vírgini Dei Matri vovérunt, ab ea summis précibus assídue peténtes, ut in quod pium opus eam pecúniam potíssimum erogári vellet, áliquo modo significáret. Quorum preces et vota ex ánimo facta beáta Virgo María benígne áudiens, miráculo comprobávit.

℟. iv. Solémnitas gloriósæ Vírginis Mariæ ex sémine Abrahæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David : * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat ecclésias. ℣. Regáli ex progénie María exórta refúlget. — Cujus vita ínclyta.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

NONIS ígitur Augústi, quo témpore in Urbe máximi calóres esse solent, noctu nix partem collis Exquilíni contéxit. Qua nocte Dei Mater separátim Joánnem et cónjugem in somnis admónuit, ut quem locum nive conspérsum vidérent, in eo ecclésiam ædificárent, quæ Maríæ Vírginis nómine dicarétur : se enim ita velle ab ipsis herédem instítui. Quod Joánnes ad Libérium Pontíficem détulit : qui idem per sómnium sibi contigísse affirmávit.

℟. v. Solémnitas tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : * Ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Felix namque es, quæ sola Genitrícis dignitátem obtinuísti, et virgináles pudicítiam non amisísti. — Ex te enim ortus est.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

QUARE solémni Sacerdótum et pópuli supplicatióne ad collem venit nive coopértum, et in eo locum ecclésiæ signávit, quæ Joánnis et uxóris ejus pecúnia exstrúcta est, póstea a Xysto Tértio restitúta. Váriis nomínibus primum est appellàta : Basílica Libérii,

Sancta María ad Præsépe. Sed cum multæ jam essent in Urbe ecclésiæ sub nómine sanctæ Maríæ Vírginis : ut Basílica, quæ novitáte miráculi ac dignitáte céteris ejúsdem nóminis Basílicis præstáret, vocábuli étiam excelléntia significarétur, Ecclésia sanctæ Maríæ Majóris dicta est. Cujus dedicatiónis memória ex nive, quæ hac die mirabíliter cécidit, anniversária celebritáte cólitur.

℟. vj. Ad nutum Dómini nostrum ditántis honórem, *Sicut spina rosam génuit Judæa Maríam. ℣. Ut vítium virtus operíret, grátia culpam. — Sicut spina rosam. Glória. Sicut spina rosam.

DIE VI. AUGUSTI.
IN TRANSFIGURATIONE DOMINI.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et addúxit eos in montem excélsum seórsum : et transfigurátus est ante eos. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Philipp. 3.

SALVATOREM exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum : qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ.

℟. Dum oráret Jesus, facta est spécies vultus ejus áltera, et vestitus ejus albus refúlgens: et duo viri loquebántur cum illo * Móyses et Elías visi In majestáte. ℣. Dicébant autem excéssum ejus, quem completúrus erat in Jerúsalem. — Móyses. Glória. In majestáte.

Hymnus.

QUICUMQUE Christum quæritis,
Vultus in altum tóllite :
Illic licébit vísere
Signum perénnis glóriæ.

ILLUSTRE quiddam cérnimus,
Quod nésciat finem pati,
Sublíme, celsum, intérminum,
Antíquius cælo et chao.

HIC ille Rex est Géntium,
Plebísque Rex Judáicæ,
Promíssus Abrahæ patri
Ejúsque in ævum sémini.

HUNC, et Prophétis téstibus,
Iisdémque signatóribus,
Testátor et Pater jubet
Audíre nos et crédere.

GLORIA tibi Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus.

Ad Magnificat Aña. Christus Jesus, splendor Patris et figúra substántiæ ejus, portans ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, in monte excélso gloriósus apparére hódie dignátus est, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui fídei sacraménta in Unigéniti tui gloriósa Transfiguratióne Patrum testimónio roborásti, et adoptiónem filiórum perféctam, voce delápsa in nube lúcida, mirabíliter præsignásti : concéde propítius ut ipsíus Regis glóriæ nos coherédes efficias, et ejúsdem glóriæ tríbuas esse consórtes. Per eúmdem.

Ad Memoriam S. Mariæ ad Nives Aña. Solémnitas tua Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

SUPPLICATIONEM servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in Solemnitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus periculis eruámur. Per eúmdem.

AD COMPLETORIUM.

Ultima Stropha Hymni :

GLORIA tibi Dómine,
Qui apparuisti hódie,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Summum Regem glóriæ Christum adorémus : * Et pro dono grátiæ ejus jubilémus.

Hymnus Quicúmque Christum quæritis., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Paulo minus ab Angelis minorátus, glória et honóre coronátus est, et constitútus super ópera mánuum Dei.

Psalmus 28.

AFFERTE Dómino fílii Dei : * afférte Dómino fílios arietum :

Afférte Dómino glóriam et honórem, ℣ afférte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, ℣ Deus majestátis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : * et confrínget Dóminus cedros Líbani :

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani : * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : ℣ vox Dómini concutiéntis desértum : * et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cer-

vos, ℣ et revelábit condénsa : * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * et sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Aña. Revelávit Dóminus condénsa : et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Aña. Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℣. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus.

De Epístola secúnda beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

FRATRES, magis satágite ut per bona ópera certam vestram vocatiónem, et electiónem faciátis : hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquándo. Sic enim abundánter ministrábitur vobis introítus in ætérnum regnum Dómini nostri, et Salvatóris Jesu Christi.

Propter quod incípiam vos semper commonére de his : et quidem sciéntes et confirmátos vos in præsénti veritáte. Justum autem árbitror quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne : certus quod velox est depositio tabernáculi mei secúndum quod et Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi.

℟. j. Surge, illumináre Jerúsalem : quia venit lumen tuum, * Et glória Dómini super te orta est. ℣. Et ambulábunt Gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. — Et glória.

Lectio ij.

DABO autem óperam et frequénter habére vos post óbitum meum, ut horum memóriam faciátis. Non enim doctas fábulas secúti notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem, et præséntiam : sed speculatóres facti illíus magnitúdinis. Accípiens enim a Deo Patre honórem, et glóriam, voce delápsa ad eum hujuscémodi a magnífica glória : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui, ipsum audíte.

℟. ij. In splendénti nube Spíritus sanctus visus est, patérna vox audíta est : * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui : ipsum audíte. ℣. Appáruit nubes obúmbrans, et vox Patris intónuit. — Hic est Fílius meus diléctus.

Lectio iij.

ET hanc vocem nos audívimus de cælo allátam, cum essémus cum ipso in monte sancto. Et habémus firmiórem prophéticum sermónem : cui bene fácitis attendéntes quasi lucérnæ lucénti in caliginóso loco donec dies elucéscat, et lúcifer oriátur in córdibus vestris : hoc primum intelligéntes quod omnis prophetía Scriptúræ própria interpretatióne non fit. Non enim voluntáte humána allata est aliquándo prophetía : sed Spíritu sancto inspiráti, locúti sunt sancti Dei hómines.

℟. iij. Vidéte qualem caritátem dedit nobis Deus Pater, * Ut fílii Dei nominémur et simus. ℣. Scimus quóniam cum apparúerit, símiles ei érimus : quóniam vidébimus eum sícuti est. — Ut fílii Dei nominémur. Glória. Ut fílii Dei nominémur.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 75.

NOTUS in Judæa Deus : * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua Deus Jacob * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti judícium : * terra trémuit et quiévit,

Cum exsúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro : * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Aña. Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Psalmus 83.

QUAM dilécta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ℣ ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Aña. Mélior est dies una in átriis tuis super míllia.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, ℣ et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum: * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Aña. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Sermo sancti Leónis Papæ.
(Serm. de Transfigur. ante medium.)
Lectio iv.

APERIT Dóminus coram eléctis téstibus glóriam suam,

et commúnem illam cum céteris córporis formam tanto splendóre clarificat, ut et fácies ejus solis fulgóri símilis, et vestítus candóri nívium esset æquális. In qua Transfiguratióne illud quidem principáliter agebátur, ut de córdibus discipulórum crucis scándalum tollerétur : nec conturbáret eórum fidem voluntáriæ humílitas passiónis, quibus revelàta esset abscónditæ excellèntia dignitátis. Sed non minóre providéntia spes sanctæ Ecclésiæ fundabátur, ut totum Christi corpus agnósceret quali esset commutatióne donándum : ut ejus sibi honóris consórtium membra promítterent, qui in cápite præfulsísset.

℟. iv. Inebriáti sunt ab ubertáte domus tuæ : * Et torrénte voluptátis tuæ potásti eos. ℣. Quóniam apud te est fons vitæ : et in lúmine tuo vidébimus lumen. — Et torrénte.

Lectio v.

CONFIRMANDIS vero Apóstolis, et ad omnem sciéntiam provehéndis, ália quoque in illo miráculo accéssit instrúctio. Móyses enim et Elías, Lex scílicet et Prophétæ, appariérunt cum Dómino loquéntes : ut veríssime in illa quinque virórum præséntia complerétur quod dictum est : In duóbus vel tribus téstibus stat omne verbum. Quid hoc stabílius, quid firmius verbo, in cujus prædicatióne Véteris et Novi Testaménti cóncinit tuba, et cum evangélica doctrína antiquárum protestatiónum instrumènta concúrrunt?

℟. v. Præcéptor, bonum est nos hic esse : faciámus hic tria tabernácula, * Tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. ℣. Non enim sciébat quid díceret. — Tibi unum.

Lectio vj.

ASTIPULANTUR enim sibi ínvicem utriúsque Fœderis páginæ : et quem sub velámine mysteriórum præcedéntia signa promíserant, manifèstum atque perspícuum præséntis glóriæ splendor osténdit. His ergo sacramentórum revelatiónibus Petrus Apóstolus incitátus, mundána spernens, et terréna fastídiens, in æternórum desidérium quodam mentis rapiebátur excéssu : et gáudio totíus visiónis implétus, ibi cum Jesu optábat habitáre, ubi manifésta ejus glória lætabátur.

℟. vj. Si ministrátio mortis lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere fílii Israel in fáciem Móysi propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur : * Multo magis ministrátio Spíritus, quæ manet, erit In glória. ℣. Amplióris enim glóriæ Christus præ Móyse dignus est hábitus, quanto ampliórem honórem habet domus, qui fabricávit eam. — Multo magis. Glória. In glória.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 88.

MISERICORDIAS Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti : In ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis : * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, ℣ jurávi David servo meo : * Usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiónem, et generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua Dómine : * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino : * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum : * magnus et terríbilis super omnes qui in circuítu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum quis símilis tibi? * potens es Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris : * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum : * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli, et tua est terra, ℣ orbem terræ et plenitúdinem ejus tu fundásti : * aquilónem, et mare tu creásti.

Thabor et Hermon in nómine tuo exsultábunt : * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua : * justítia et judícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam : * beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, ℣ et in nómine tuo exsultábunt tota die : * et in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es : * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra : * et sancti Israel regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, ℣ et dixísti : Pósui adjutórium in poténte : * et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum : * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei : * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos ejus : * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus : * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me : Pater meus es tu : * Deus meus, et suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam : * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, * et thronum ejus sicut dies cæli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam : * et in judíciis meis non ambuláverint :

Si justítias meas profanáverint : * et mandáta mea non custodíerint :

Visitábo in virga iniquitátes eórum : * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo : * neque nocébo in veritáte mea :

Neque profanábo testaméntum meum : * et quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo, ℣ si David méntiar : * semen ejus in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, ℣ et sicut luna perfécta in ætérnum: * et testis in cælo fidélis.

Tu vero repulísti et despexísti : * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui : * profanásti in terra Sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus : * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam : * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram deprimentium eum : * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus : * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne : * et sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus : * perfudísti eum confusióne.

Usquequo Dómine avértis in finem : * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia : * numquid enim vane constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem : * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto Dómine oppróbrii servórum tuórum * (quod contínui in sinu meo) multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum : * fiat, fiat.

Aña. Thabor et Hermon in nómine tuo exsultábunt : tuum bráchium cum poténtia.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ,* propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odite malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Lux orta est justo, et rectis corde lætítia.

Psalmus 103.

BENEDIC ánima mea Dómino : * Dómine Deus meus magnificátus es veheménter.

Confessiónem, et decórem indúisti : * amictus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens cælum sicut pellem: * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis Angelos tuos, spíritus : * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestiméntum, amictus ejus : * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient:* a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes : et descéndunt campi * in locum, quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri:* exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens fœnum juméntis, * et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * et vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo : * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, ℣ et cedri Líbani, quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : ℣ montes excélsi cervis: * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt : * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum: * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine! ℣ ómnia in sapiéntia fecísti : * impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus : * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt :

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia a te exspéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent : * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur : ℣ áuferes spíritum eórum, et deficient, * et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur : * et renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in óperibus suis :

Qui réspicit terram, et facit eam trémere : * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, ℣ et iníqui ita ut non sint : * bénedic ánima mea Dómino.

Aña. Confessiónem, et decórem índuit : amíctus lúmine sicut vestiménto.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 17.

IN illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum : et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Homilia 57. in Matth. in initio.)

QUONIAM multa de perículis, multa de Passióne sua, multa de morte et de cæde discipulórum locútus est Dóminus : et áspera complúra atque árdua eis injúnxit, et illa quidem in præsénti vita, et jam imminébant, bona vero in spe et exspectatióne erant : ut puta quia servárent ánimam suam, si pérderent eam; quia in glória Patris sui ventúrus sit, et præmia redditúrus : ut visu étiam certióres fáceret, et osténderet quidnam sit illa glória, cum qua ventúrus est, quantum cápere póterant in hac præsénti vita, illis osténdit, eámque détegit, ne aut sua, aut Dómini morte dóleant, et máxime Petrus.

℟. vij. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta, secúndum grátiam suam, quæ manifestáta est nunc * Per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. ℣. Qui destrúxit mortem, illumináit autem vitam in incorruptiónem. — Per illuminatiónem.

Lectio viij.

ET vide quid agit, cum de regno et de gehénna diserúerit. Nam in eo, quod dixit, Qui ínvenit ánimam suam, perdet eam; et quicúmque perdet eam grátia mei, invéniet ipsam : et in eo, quod ait, Reddet unicuíque secúndum ópera sua : et regnum, et gehénnam designávit. Cum ígitur de utrísque disserúerit, regnum quidem, ut óculis cernátur, concédit; gehénnam autem mínime, quóniam rudióribus atque ineptióribus illud necessárium fúisset : sed cum illi probi essent ac perspicáces, satis fuit eos a melióribus confirmári.

℟. viij. Deus, qui dixit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris * Ad

illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Jesu Christi. ℣. Exórtum est in ténebris lumen rectis corde : miséricors, et miserátor, et justus. — Ad illuminatiónem.

Lectio ix.

PRIMOS ígitur Apostolórum seórsum assúmpsit. Et addúxit in montem : et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol : vestiménta vero ejus facta sunt alba sicut nix. Quam ob rem hos accépit? Quia excellentióres céteris vidélicet erant. Et Petrus quidem, quia valde Christum diligébat, idcírco præstábat : Joánnes vero, qui nímium diligebátur, ac Jacóbus a respónso, quod dedit cum fratre interrogátus, dicens, Póssumus hunc cálicem bíbere. ℟. ix. Dum oráret Jesus, facta est spécies vultus ejus áltera, et vestítus ejus albus refúlgens : et duo viri loquebántur cum illo : * Móyses et Elías, visi In majestáte. ℣. Dicébant autem excéssum ejus, quem completúrus erat in Jerúsalem. — Móyses. Glória. In majestáte.

Ante Laudes ℣. Emítte lucem tuam et veritátem tuam. ℟. Ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Assúmpit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et addúxit eos in montem excélsum seórsum : et transfigurátus est ante eos. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Respléndut fácies ejus sicut sol : vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix, allelúia.

3. Et ecce apparuérunt eis Móyses et Elías loquéntes cum Jesu.

4. Respóndens autem Petrus dixit ad Jesum : Dómine, bonum est nos hic esse.

5. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos.

Capitulum. Philipp. 3.

SALVATOREM exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum : qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ.

Hymnus.

AMOR Jesu dulcíssime,
Quando cor nostrum vísitas,
Pellis mentis calíginem,
Et nos reples dulcédine.

QUAM felix est, quem sátias!
Consors patérnæ déxteræ :
Tu veræ lumen pátriæ,
Quod omnem sensum súperat.

SPLENDOR ætérnæ glóriæ,
Incomprehénsa bónitas,
Amóris tui cópiam
Da nobis per præséntiam.

GLORIA tibi Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

¶ Hæc ultima Stropha Glória tibi Dómine. dicatur etiam in fine Hymnorum ad Horas.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Benedictus Aña. Et ecce vox de nube dicens : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui : ipsum audíte, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui fídei sacraménta in Unigéniti tui gloriósa Transfiguratióne Patrum testimónio roborásti, et adoptiónem filiórum perféctam, voce delápsa in nube lúcida, mirabíliter præsignásti : concéde propítius ut ipsíus Regis glóriæ nos coherédes effícias, et ejúsdem glóriæ tríbuas esse consórtes. Per eúmdem.

In Laudibus Memoria SS. Xysti, Felicissimi et Agapiti Martyrum. Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Xysti, Felicíssimi et Agápiti natalítia cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe ; ℣. Qui apparuísti hódie.

AD TERTIAM.

Capitulum. Philipp. 3.

SALVATOREM exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ.

℟. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini, * Allelúia, allelúia. Gloriósus. ℣. Proptérea decórem índuit te Dóminus. Allelúia. Glória. Gloriósus.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 3.

NOS omnes, reveláta fácie glóriam Dómini speculántes, in eámdem imáginem transformámur a claritáte in claritátem, tamquam a Dómini Spíritu.

℟. Glória et honóre coronásti eum Dómine, * Allelúia, allelúia. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúia. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 21.

SUSTULIT me in spíritu in montem magnum et altum, et osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendéntem de cælo a Deo, habéntem claritátem Dei : et lucérna ejus est Agnus.

℟. Magna est glória ejus in salutári tuo, * Allelúia, allelúia. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. Allelúia. Glória. Magna est.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo:* Sede a dextris meis: Donec ponam inimícos tuos,* scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante luciferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisita in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * initium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Psalmus 111.

BEATUS vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : ℣ justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 116.

LAUDATE Dóminum omnes gentes : * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Super Psalmos Aña. Assúmpsit Jesus., Capitulum Salvatórem exspectámus., Hymnus Quicúmque Christum quæritis. et ℣. Gloriósus apparuísti., ut in j. Vesperis, pag. 657.

Ad Magnificat Aña. Et audiéntes discípuli cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde : et accéssit Jesus, et tétigit eos, dixítque eis : Súrgite, nolíte timére, allelúia, allelúia.

Oratio Deus qui fídei., pag. 668.

DIE VII. AUGUSTI.

S. CAJETANI

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo Apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, in te semper confídere, et sola cæléstia desideráre. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CAJETANUS nóbili Thienæa gente Vicéntiæ ortus, statim a matre Deíparæ Vírgini oblátus est. Mira a téneris annis morum innocéntia in eo elúxit, ádeo ut Sanctus ab ómnibus nuncuparétur. Juris utriúsque láuream Patávii adéptus, Romam profectus est : ubi inter Prælátos a Júlio Secúndo collocátus, et Sacerdótio initiátus, tanto divíni amóris æstu succénsus est, ut relícta aula, se totum Deo mancipáverit. Nosocomíis próprio ære fundátis, étiam morbo pestilénti laborántibus, suis ipse mánibus inserviébat. Proximórum salúti assídua cura incumbébat, dictus proptérea Venátor animárum.

Lectio v.

COLLAPSAM Ecclesiasticórum disciplínam ad formam Apostólicæ vitæ instauráre desíderans, Ordinem Clericórum Regulárium instítuit; qui, abdicáta rerum ómnium terrenárum sollicitúdine, nec réditus possidérent, nec vitæ subsídia a fidélibus péterent, sed solis eleemósynis sponte oblátis víverent. Itaque, approbánte Cleménte Séptimo, ad aram máximam Basílicæ Vaticánæ una cum Joánne Petro Caráfa Episcopo Theatíno, qui póstea Paulus Quartus Póntifex Máximus fuit, et áliis duóbus exímiæ pietátis viris, vota solémnia emísit. In Urbis direptióne a milítibus crudelíssime vexátus, ut pecúniam próderet, quam dudum in cæléstes thesáuros manus páuperum deportáverant, vérbera, torménta, et cárceres invícta patiéntia sustinuit. In suscépto vitæ instítúto constantíssime perseverávit, soli divínæ providéntiæ inhærens, quam sibi nunquam defuísse aliquándo mirácula comprobárunt.

Lectio vj.

DIVINI cultus stúdium, nitórem domus Dei, sacrórum rituum observántiam, et san-

ctíssimæ Eucharístiæ frequentiórem usum máxime promóvit. Hæresum monstra et látebras non semel detéxit ac profligávit. Oratiónem ad octo passim horas júgibus lácrimis protrahébat : sæpe in éxtasim raptus, ac prophetíæ dono illústris. Romæ nocte Natalítia ad Præsépe Dómini infántem Jesum accípere méruit a Deípara in ulnas suas. Corpus íntegras noctes intérdum verberatiónibus affligébat : nec unquam addúci pótuit ut vitæ asperitátem emolliret : testátus in cínere et cilício velle se mori. Dénique ex ánimi dolóre concépto morbo, quod offéndi plebis seditióne Deum vidéret, cæléstí visióne recreátus, Neápoli migrávit in cælum : ibíque corpus ejus in ecclésia sancti Pauli magna religióne cólitur. Quem multis miráculis in vita et post mortem gloriósum Clemens Décimus Póntifex Máximus Sanctórum número adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo potest duóbus dóminis servíre. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 1. Comm. in Matth. cap. 6.)

NON potéstis Deo servíre, et mammónæ. Mammóna, sermóne Syríaco, divítiæ nuncupántur. Aúdiat hoc avárus : aúdiat, qui censétur vocábulo christiáno, non posse se simul divítiis Christóque servíre. Et tamen non dixit, Qui habet divítias : sed, Qui servit divítiis. Qui enim divitiárum servus est, divítias custódit ut servus: qui autem servitútis excússit jugum, distríbuit eas ut dóminus.

Lectio viij.

IDEO dico vobis : Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini. In nonnúllis codícibus ádditum est : Neque quid bibátis. Ergo quod ómnibus natúra tríbuit, et juméntis ac béstiis hominibúsque commúne est, hujus cura non pénitus liberámur. Sed præcípitur nobis ne sollíciti simus quid comedámus : quia in sudóre vultus præparámus nobis panem. Labor exercéndus est, sollicitúdo tollénda.

Lectio ix.

HOC, quod dícitur, Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid comedátis, neque córpori vestro quid induámini, de carnáli cibo et vestiménto accipiámus. Cæterum de spirituálibus cibis et vestiméntis semper debémus esse sollíciti. Nonne ánima plus est quam esca? Quod dicit, istiúsmodi est : Qui majóra præstitit, útique et minóra præstábit. Quod si volatília, absque cura et ærúmnis, Dei alúntur providéntia, quorum ánima mortális est : quanto magis hómines, quibus ætérnitas promíttitur, Dei regúntur arbitrio!

In Laudibus Memoria S. Donati Episcopi et Martyris.

Oratio.

DEUS tuórum glória sacerdótum : præsta, quæsumus, ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per.

DIE VIII. AUGUSTI.

B. AUGUSTINI LUCERINI

EPISC. ET CONF. ORD. PRÆD. DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui Ecclésiæ tuæ in beáto Augustíno, Confessóre tuo atque Pontífice, boni pastóris exémplum providére dignátus es : concéde propítius ut ejus intercessióne in loco páscuæ tuæ perpétuo collocári mereámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 70*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

AUGUSTINUS Tragúrii in Dalmátia, sub Spalatènsi Archiepiscopátu, paréntibus nobilitáte, ac orthodóxæ Fídei pietáte illústribus, natus est. Adoléscens, ut totum se Deo mancipáret, sæculári património dimisso, sacræ Prædicatórum famíliæ nomen dedit : ibíque in sectándis sancti Domínici, quem sibi patrem elégerat, vestigiis ádeo incúbuit, ut adhuc júvenis tamquam reguláris observántiæ exémplar ómnibus proponerétur. Exácto tirocínio, Parísios una cum fratre Jacóbo Ursíni studiórum causa missus, sanctum Thomam Aquinátem magístrum hábuit : sub quo mirum est quantum in sciéntia, pietáte ceterísque virtútibus profécerit.

Lectio v.

IN pátriam revérsus, Superiórum jussu prædicatióni divíni verbi addíctus est. Máximo ínterim salútis animárum stúdio inardéscens, nihil unquam omísit, quo infidéles ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam revocáret. In oratióne assíduus, cui incúmbens plures noctes ducébat insómnes, illud sancti Doctóris Augustíni frequénter usurpábat: Recte novit vívere, qui recte novit oráre. Ne vero sub módio, virtútum ejus lucérna delitésceret, a Benedícto Undécimo ad Zagabriénsem Episcopátum promótus fuit. Quo in múnere, humilitátis, patiéntiæ, misericórdiæ erga páuperes laude, et præcípue indefénsis in custodiéndo grege sibi commísso labóribus ádeo enítuit, ut Robértus rex Neápolis, audíta ejus fama, summis précibus a Joánne Vigésimo secúndo impetrárit pastórem illum præfici Ecclésiæ Lucerínæ, ut eam a Saracenórum erróribus, quibus infécta fúerat, expurgáret.

Lectio vj.

AD Lucerínam Ecclésiam profféctus, novæ sponsæ suæ máculas a Saracenórum labe expurgatúrus, mirum quas ærúmnas, quos labóres perpéssus sit : donec oratiónis fervóre, prædicatiónis efficácia, morum sanctitáte, univérsum ovíle suum, cathólicum vidére merúerit. Utque illud a quólibet futúro inquinaménto ser-

váret immúne, Deiparæ Vírginis poténti patrocínio submísit totam diœcésim, ac præcípue urbem Lucerínam, quam, mutáto nómine, civitátem sanctæ Maríæ appellári vóluit : qua nomenclatúra nostris étiam tempóribus dicta cívitas decorátur. Tandem méritis plenus, et miraculórum fama illústris, ánimam réddidit Creatóri, die tértia Augústi circa annum Salútis millésimum trecentésimum vigésimum tértium, ætátis vero suæ septuagésimum : cujus corpus in ecclésia, quam suo Ordini ædificáverat, honorífice cónditum, tot prodígiis a Deo insignítum ferunt, ut paucis post ejus óbitum annis, Cárolus dux Calábriæ súpplices déderit lítteras Joánni Vigésimo secúndo Pontífici Máximo, ut Augustínum Beatórum fastis adscríbere dignarétur. Clemens vero Undécimus, ut in toto Prædicatórum Ordine ejus festum cum Offício et Missa de Commúni unius Confessóris Pontificis celebrarétur benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 78*.

In Laudibus Memoria SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi Martyrum. Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Cyriaci, Largi et Smarágdi solemnitáte lætíficas : concéde propítius ut quorum natalítia cólimus virtútem quoque passiónis imitémur. Per.

DIE IX. AUGUSTI.

B. JOANNIS A SALERNO

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui in fídei increméntum beátum Joánnem Confessórem verbi tui prædcónem exímium effecísti : ejus nobis intercessióne largíre ut quod corde crédimus ad justítiam, ore ad salútem confiteámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES, Salérni gente Quarna véterum Normannórum ortus, Bonóniæ in Fratrum Prædicatórum famíliam cooptátus est, ejúsque de manu beáti Domínici vestes suscépit. Ipso duce et magístro, tantum in sémita virtútis et religiósæ perfectiónis profécit, ut missis ab eódem sancto Fundatóre ad propagándum per Etrúriam Ordinem duódecim probatíssimis viris, Joánnem, etsi junióris ætátis tunc fuísse mérito cónjici possit, præfécerit. Sanctíssimi Patris præcéptis obtémperans, cum sóciis conténdit Floréntiam versus : ac Rípulis, tértio ferme ab ea lápide, primum cónstitit in domo, a pio cive Florentíno illis paráta, prope sacéllum, quod éxstrui is ipse curáverat. Inde Vir sanctus quotídie in urbem véniens, jugi verbi Dei prædicatióne ac morum innocéntia arctíssime sibi devínxit ánimos Florentinórum,

qui pérditos in viam salútis redíre, réliquos autem in bono confirmári illíus hortaméntis atque mónitis perspiciébant. Verum qui rem civitátis públicam tunc moderabántur, animadverténtes incómmodum eídem esse quod síngulis diébus summo mane Floréntiam pérgere, et véspere ad hospítium Ripulitánum remeáre debéret, de loco, in quo intra urbis mœnia una cum sóciis dégere posset, ei providéndo cogitárunt. Itaque primum ad sancti Pancrátii, dein ad sancti Pauli, ac demum ad sanctæ Maríæ Novéllæ seu Vineárum, rite fuit eis domicílium constitútum.

Lectio v.

Hoc in loco piórum largitiónibus sacra æde amplificáta, constructóque cœnóbio, novi Prædicatóres Floréntiæ vívere cœpérunt arctióri legum sui Ordinis observántia. Exémplo suo cunctis Joánnes præíbat. Assídua cibi potúsque abstinéntia, despiciéntia et castigatióne sui, quotidiáno oratiónis stúdio, rerum divinárum contemplatióne, quam ad plures horas (noctu præsértim) ducébat, fervénti devotióne, ac cæremoniárum observatióne diligentíssima dum Sacris operarétur, ceterísque virtútibus, quæ hóminem cumprímis decent aliórum regímini præféctum, ad sui imitatiónem atque puriórem reguláris disciplínæ cultum sodáles magnópere excitábat. Córporis animíque cástitas potíssimum in eo excélluit: qua sane quantum præstáret, miro prorsus modo Deus vóluit esse perspícuum. Síquidem cum ab impudica muliere frustra tentátus, relátam de immúndo spíritu ab se victóriam singulári humilitáte celáre nitorétur, dæmon ipse, Deo ita jubénte, per os energúmeni rem totam palam fecit, negans se líberum hóminem aliquándo dimissúrum, nisi is, qui inter flammas innóxius permánserat, se inde expélleret; vocatóque Dei Fámulo, ad ipsíus nutum, ægrum multum discérpens, íllico discéssit. His aliísque ab eo præcláre gestis, grátia quoque curatiónum, qua ferunt a Deo fuísse donátum, factum est ut plures pietáte, nobilitáte géneris, doctrínæ fama ecclesiasticísque dignitátibus fulgéntes viri ab illo in Ordinem récipi postulárent, reque ipsa fúerint recépti: quos inter unus sánguine christiánam fidem sancívit, duo autem conspícuis fuérunt deínde Itáliæ Ecclésiis præpóśiti.

Lectio vj.

Instante óbitu sancti Domínici, Bonóniam perréxit, ut Parénti óptimo fílii obsequéntis atque amantíssimi extréma exhibéret offícia. Floréntiam inde redux, in hæréticos Patarénos, exitiálem Manichæórum sóbolem, Ecclésiæ æque ac reipúblicæ statum perturbántes, cum id a Gregório Nono Románo Pontífice ipsi fuísset demandátum, insúrgens, eórum audáciam fregit, atque contuméliis ac probris, quíbus illum ab incépto deterrére conabántur, fórtiter tolerátis, cathólicam fidem egrégie tutátus est. Ejúsdem Pontíficis jussu opus reformatiónis apud mónachos sancti Anthími Clu-

sínæ dicœcésis strénue promóvit. In ædibus Ripulárum, ubi primo suo in Etrúriam advéntu conséderat, sacrárum vírginum collégium instítuit sub sui Ordinis régula. Innúmeris demum pro Ecclésiæ bono fideíque incremento perfúnctum labóribus, post administrátam ad plures annos ingénti cum suórum, tum cívium proféctu cœnóbii sanctæ Maríæ Novéllæ præfectúram, dies última excépit : quam lætus aspéxit, fratrésque, quos de suo óbitu ántea monúerat, ad vitæ sanctimóniam atque ad vota sua Deo fidéliter reddénda cohortátus, Sacris Ecclésiæ expiátus, sanctíssime excéssit. Ad ejus sepúlcrum frequens cœpit fieri concúrsus populórum, illíus opem implorántium, seque eam adéptos profiténtium, ac eídem cultum deferéntium Beatórum. Quem cultum ad hæc usque témpora continénter propagátum Pius Sextus Póntifex Máximus Apostólica auctoritáte probávit, et de beáto Joánne festum cum Offício et Missa ab univérso Ordine Fratrum Prædicatórum celebrári benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Designávit Dóminus. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE X. AUGUSTI.

S. LAURENTII MARTYRIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Lauréntius ingréssus est Martyr, et conféssus est nomen Dómini Jesu Christi. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. Beátus Lauréntius clamávit, et dixit : Deum meum colo, et ipsi soli servio : * Et ídeo non tímeo torménta tua. ℣. Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt. — Et ídeo non tímeo torménta tua. Glória. Et ídeo non tímeo torménta tua.

Hymnus.

DEUS tuórum mílitum
Coróna, sors et præmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

HIC nempe, mundi gáudia
Et blandiménta nóxia
Cadúca rite députans,
Pervénit ad cæléstia.

PŒNAS cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter :
Pro te profúndens sánguinem
Ætérna dona póssidet.

OB hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime :
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

LAUS et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat Aña. Beátus Lauréntius, dum in cratícula suprapósitus urerétur, ad impiíssimum tyránnum dixit : Assátum est jam, versa et mandúca : nam facultátes Eccléśiæ, quas requíris, in cæléstes thesáuros manus páuperum deportavérunt. Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris : et intercessióne beáti Laurentii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem sempitérnum veníte adorémus, * Qui Mártyrem suum digne pro méritis coronávit in cælis.

Hymnus Deus tuórum míli-tum., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmi ex primo Nocturno de Communi unius Martyris, pag. 39*.

Aña. Quo progréderis sine fílio, pater? quo Sacérdos sancte sine ministro próperas?

Aña. Noli me derelínquere, pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi, quos tradidísti mihi.

Aña. Non ego te désero fili, neque derelínquo : sed majóra tibi debéntur pro fide Christi certámina.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 51.

CONFITEBOR tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. j. Levíta Laurentius bonum opus operátus est : qui per signum Crucis cæcos illumináwit, * Et thesáuros Ecclésiæ dedit paupéribus. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in sæculum sæculi. — Et thesáuros Ecclésiæ.

Lectio ij.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. ij. Quo progréderis sine fílio pater? quo Sacérdos sancte sine diácono próperas? * Tu nunquam sine ministro sacri-

fícium offérre consuéveras. ℣. Quid in me ergo displícuit paternitáti tuæ? numquid degénerem me probásti? Experíre certe utrum idóneum minístrum elégeris, cui commisísti Dominici sánguinis dispensatiónem. — Tu nunquam.

Lectio iij.

EXALTASTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecátus sum. Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. iij. Noli me derelínquere, pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi. * Non ego te désero fili, neque derelínquo: Sed majóra tibi debéntur pro fide Christi certámina. ℣. Nos quasi senes levióris pugnæ cursum recípimus; te autem quasi júvenem manet glorióstor de tyránno triúmphus: post tríduum me sequéris Sacerdótem Levíta. — Non ego te désero fili. Glória. Sed majóra tibi.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi ex secundo Nocturno de Communi unius Martyris, pag. 41*.

Ána. Beátus Lauréntius orábat dicens: Dómine Jesu Christe, Deus de Deo, miserére mihi servo tuo.

Ána. Beátus Lauréntius dixit: Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt.

Ána. Dixit Románus ad beátum Lauréntium: Vídeo ante te júvenem pulchérrimum: festína me baptizáre.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(Serm. 30. de Sanctis.)
Lectio iv.

BEATISSIMI Lauréntii Mártyris, cujus natálem hódie celebrámus, passiónem nosse vos credo: et quanta in persecutióne pertúlerit, dilectiónem vestram scire posse non dúbito. Tanta enim ejus martyrii glória éxstitit, ut passióne sua mundum illumináverit univérsum. Illumínavit plane mundum Lauréntius eo lúmine, quo ipse accénsus est: et flammis, quas ipse pértulit, ómnium Christianórum corda calefécit. Quis nolit ad horam uri Lauréntii igne, ut ætérnum gehénnæ non patiátur incéndium?

℟. iv. Beátus Lauréntius clamávit, et dixit: Deum meum colo, et ipsi soli sérvio, * Et ídeo non tímeo torménta tua. ℣. Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt. — Et ídeo non tímeo torménta tua.

Lectio v.

BEATI ígitur Lauréntii exémplo provocámur ad martyrium, accéndimur ad fidem, incaléscimus ad devotiónem.

Et si nobis persecutóris flamma deest, fídei tamen flamma non deest. Non ardémus quidem córpore pro Christo, sed ardémus afféctu. Non súbjicit mihi persecútor ignem, sed súggerit mihi ignem desidérium Salvatóris : quo igne succénsi illi duo discípuli dixérunt : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras?

℟. v. Strinxérunt córporis membra pósita in craticula : subjiciéntibus prunas insúltat Levíta Christi. * Beáte Laurénti, Martyr Christi, intercéde pro nobis. ℣. Carnífices vero urgéntes ministrábant carbónes subter cratem férream. — Beáte Laurénti.

Lectio vj.

Hoc ígitur igne beátus Lauréntius accénsus, flammárum non sentit incéndia : et dum Christi ardet desidério, persecutóris pœnam non sentit. In quantum enim in illo fídei ardor fervet, in tantum supplícii flamma frigéscit. Corporáli enim beátus Lauréntius labórat incéndio : sed divínus Salvatóris ardor materiálem tyránni restínxit ardórem. Quamvis enim in favíllam membra solvántur, fídei tamen fortitúdo non sólvitur. Córporis quidem detriméntum sústinet, sed lucrum salútis acquírit.

℟. vj. Beátus Lauréntius dixit : Ego me óbtuli sacrifícium Deo * In odórem suavitátis. ℣. Gáudeo plane, quia hóstia Christi éffici mérui. — In odórem suavitátis. Glória. In odórem suavitátis.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 10.

In Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam, quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Aña. Strinxérunt córporis membra pósita in craticula : subjiciéntibus prunas insúltat Levíta Christi.

Psalmus 16.

Exaudi Dómine justítiam meam : * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte : * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me Deus : * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me : * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ℣ ádipem suum conclusérunt : * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam : * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge Dómine, prævені eum, et supplánta eum : * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine a paucis de terra dívide eos in vita eórum : * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis : * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo : * satiábor cum apparúerit glória tua.

Aña. Igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Psalmus 20.

DOMINE in virtúte tua lætábitur rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Aña. Interrogátus te Dóminum conféssus sum, assátus grátias ago.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 51. in Joann. sub med.)

IPSE Dóminus Jesus erat granum mortificándum, et multiplicándum : mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam vero exhórtans nos ad Passiónis suæ sectánda vestígia, Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis potest intélligi : Qui amat perdet, id est, si amas, perdes : si cupis vitam tenére cum Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo : Qui amat ánimam suam, perdet eam : noli amáre, ne perdas; noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. vij. In cratícula te Deum non negávi : et ad ignem applicátus, * Te Dóminum Jesum Christum conféssus sum. ℣. Accusátus non negávi nomen sanctum tuum : et interrogátus. — Te Dóminum.

Lectio viij.

HOC autem, quod postérius dixi, magis vidétur habére evangélicus sensus. Séquitur enim : Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo quod supra dictum est, Qui amat (subintellígitur, In hoc mundo) ipse útique perdet; et qui eam odit (útique in hoc mundo) in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna et mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odísti : si bene óderis, tunc amásti.

℟. viij. Gáudeo plane, quia hóstia Christi éffici mérui : accusátus non negávi nomen sanctum ejus, interrogátus Christum conféssus sum, * Assátus grátias ago. ℣. Ego me óbtuli sacrifícium Deo in odórem suavitátis. — Assátus grátias ago.

Lectio ix.

CUM ergo causæ artículus vénerit, ut hæc condítio proponátur, aut faciéndum esse contra Dei præcéptum, aut ex hac vita emigrándum : quorum duórum homo si cogátur álterum elígere, comminánte mortem persecutóre : ibi éligat Deo dilécto émori quam offénso vívere. Ibi óderit in hoc mundo ánimam suam, ut in vitam ætérnam custódiat eam.

℟. ix. Méruit esse hóstia Christi Levíta Lauréntius, qui dum assarétur, non negávit Dóminum : * Et ídeo invéntus est sacrifícium laudis. ℣. In cratícula pósitus, Deum non negávit : et ad ignem applicátus, Christum conféssus est. — Et ídeo. Glória. Et ídeo.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Laurénti. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Lauréntius ingréssus est Martyr, et conféssus est nomen Dómini Jesu Christi. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Lauréntius bonum opus operátus est, qui per signum Crucis cæcos illumináv it.

3. Adhæsit ánima mea post te, quia caro mea igne cremáta est pro te Deus meus.

4. Misit Dóminus Angelum suum, et liberávit me de médio ignis, et non sum æstuátus.

5. Beátus Lauréntius orábat dícens : Grátias tibi ago Dómine, quia jánuas tuas ingredi mérui.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

MARTYR Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus :

TUI precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.

SOLUTA sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi,
Amóre Fílii Dei.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Benedictus Aña. In craticula te Deum non negávi, et ad ignem applicátus te Christum conféssus sum : probásti cor meum, et visitásti nocte : igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Oratio.

DA nobis, quæsumus omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas exstínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Martyris, pag. 46*.

Oratio Da nobis, quæsumus., ut in Laudibus.

AD II. VESPERAS.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Martyris, pag. 47*.

Super Psalmos Aña. Lauréntius ingréssus est., Capitulum Beátus vir., Hymnus Deus tuórum milítum. et ℣. Glória et honóre., ut in j. Vesperis, pag. 675.

Ad Magnificat Aña. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est, qui per signum Crucis cæcos illumináv it, et thesáuros Ecclésiæ dedit paupéribus.

Oratio Da nobis, quæsumus., ut supra in Laudibus.

Ad Memoriam de Octava die S P. Dominici Aña. Transit pauper ad regni sólium, dux ad sceptrum, victor ad præmium, mors in vitam, labor in ótium : præsens cedit luctus in gáudium.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis.

Deinde fiat Memoria de S. Tiburtio Martyre.

Aña. Inclytus Martyr Tibúrtius, cum nudátis plantis super prunas ardéntes incéderet, Fabiáno præfécto dixit : Vidétur mihi quod super róseos flores incédam in nómine Dómini mei Jesu Christi.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso. Oratio.

BEATI Tibúrtii Mártyris tui nos Dómine fóveant continuáta præsídia : quia non désinis propítius intuéri quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per.

PER OCTAVAM S. LAURENTII.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Lauréntius ingréssus est Martyr, et conféssus est nomen Dómini Jesu Christi.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis. (In festo tamen S. Emygdii E. M. ad Memoriam S. Laurentii dicitur ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.)

Oratio.

DA nobis, quæsumus omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas exstínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Lauréntius bonum opus operátus est, qui per signum Crucis cæcos illumináit.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. (In festo tamen S. Emygdii E. M. ad Memoriam S. Laurentii dicitur ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso. Oratio Da nobis, quæsumus, ut supra.

DIE XI. AUGUSTI. IN OCTAVA S. P. N. DOMINICI.

SOLEMNE.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus ut in Festo, pag. 647.

¶ In tribus Nocturnis, Psalmi, Antiphonæ et Versiculi ut in Festo, pag. 647 et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Tres Lectiones de Scriptura currente (vel, si Dominica fuerit, de Apostolo) cum Responsoriis hic positis.

℟. j. Mundum vocans ad Agni núptias, hora cenæ paterfamílias servum mittit, * Promíttens várias vitæ delícias. ℣. Ad hoc convívium tam permagníficum, elégit núntium sanctum Domínicum. — Promíttens várias vitæ delícias.

℟. ij. Datum mundo pro mundi glória mira Christi præsígnat grátia :* Cujus ortum præcúrrunt núntia veri præsá-

gia. ℣. Stella micans in fronte párvuli novum jubar præmónstrat sæculi. — Cujus ortum.

℟. iij. Verbum vitæ dum palam prómitur, surgunt hostes, liber conscríbitur, favent omnes : *Sic error víncitur, Fides extóllitur. ℣. Ter in flammas libéllus tráditus ter exívit illæsus pénitus. — Sic error víncitur. Glória. Fides extóllitur.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Theod. S. Anton. et aliis.)

Lectio iv.

Cum sanctíssimi Patris Domínici ópera, ubíque terrárum monastéria jam ædificaréntur, innumerabilésque hómines religiósam ac piam vitam instituérent, Ordóque Prædicatórum mirífice propagarétur : áffuit tandem exoptatíssimum sibi tempus, quo Vir Dei tantórum labórum præmia perceptúrus migráret in cælum. Imminéntem ígitur tránsitum divína revelatióne cognóvit. Oránti enim et amóre divinórum ardéntius æstuánti ástitit pulchérrimus júvenis, humána spécie major, his eum verbis allocútus : Veni dilécte, et in vera gáudia ingrédere.

℟. iv. Paupertátis ascéndens cúlmina, clamat mundi detéstans crímina, frangit hostes, et fugat ágmina : *Nulla Sanctum frangunt discrímina. ℣. Nocte cæli perlústrans límina, die terris dat verbi sémina. — Nulla Sanctum frangunt discrímina.

Lectio v.

Quo núntio summópere lætátus, certíssimam concépit de sua salúte fidúciam. Sub finem ígitur mensis Júlii, æstu et labóre itíneris confectus, Bonóniam venit. Et cum vix præ lassitúdine membra subsísterent, incredíbili tamen devotiónis ardóre succénsus, in ecclésia totam noctem orans de more consúmpsit, ac matutínis étiam précibus cum Frátribus intérfuit. Quibus finítis, gravi cápitis dolóre afféctus, in febrem íncidit, ex qua procul dúbio se moritúrum intelléxit. Rara fuit ejus in extrémo morbo patiéntia : nam fébribus exústus, semper vultu hílari ac jucúndo erat.

℟. v. Panis oblátus cælitus Fratrum supplet inópiam : *Vitæque natus rédditus matris pellit tristítiam. ℣. Signo Crucis obédit plúvia, lingua verba transfórmat vária. — Vitæque natus rédditus.

Lectio vj.

Cum autem vidéret suprémum sibi vitæ diem jam adésse, accérsiit ad se novítios, et vivis ac ferventíssimis verbis eos ad amórem Dei et vitæ monásticæ observántiam est hortátus. Et quamvis tam afflícta esset valetúdine, nóluit in léctulo, sed super saccum cubáre. Dein accítis duódecim ex senióribus et præstantióribus Frátribus, Prióri convéntus Bononiénsis generáliter ómnia peccáta conféssus est, exomologesíque sacro ritu perácta, illis astántibus dixit : En, Fratres caríssimi, in hanc usque horam illibáta mihi virgínitas singulári Dei múnere cónstitit : quam si vos étiam persáncte coluéritis, et vitæ mundítia et odóre claræ famæ mirum in modum in pópulis promovebímini.

℟. vj. Granum excússum pálea, nexu solúto lúteo, de paupertátis área cæli locátur hórreo : * Cum mercéde virgínea Doctórum fulgens cúneo. ℣. Flos in florum virens aréola, bina gaudet sortis auréola. — Cum mercéde virgínea. Glória. Doctórum fulgens cúneo.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Dominicæ cum sequentibus Responsoriis :

℟. vij. Felix vitis, de cujus súrculo tantum germen redúndat sæculo, * Cæli vinum propínans pópulo vitáli póculo. ℣. Ex ubertáte pálmitum mundi jam cinxit ámbitum. — Cæli vinum.

℟. viij. Ascendénti de valle lúbrici mundi chori plaudunt angélici. * Jesu bone, prece Domínici, tibi præsta nos gratos éffici. ℣. Per quem multos a morte súscitas, pœnas nobis reláxa débitas. — Jesu bone, prece Domínici.

℟. ix. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus ! * Imple Pater quod dixísti, nos tuis juvans précibus. ℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. — Imple Pater. Glória. Imple Pater.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES,
HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia ut in Festo, pag. 654. servato modo Octavæ diei Solemnis.

In Laudibus, post Memoriam S. Laurentii, Memoria S. Tiburtii Martyris.

Aña. Qui vult veníre post me ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. Oratio.

BEATI Tibúrtii Mártyris tui nos Dómine fóveant continuáta præsídia : quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per.

DIE XII. AUGUSTI.
S. CLARÆ
VIRGINIS.

DUPLEX. Oratio.

FAMULOS tuos, quæsumus Dómine, beátæ Vírginis tuæ Claræ votíva natalítia recenséntes, cæléstium gaudiórum sua fácias interventióne partícipes, et tui Unigéniti coherédes : Qui tecum vivit.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CLARA nóbilis Virgo, Assísii nata in Umbria, sanctum Francíscum civem suum imitáta, facultátibus suis in páuperes erogátis, quemádmodum ille Fratrum, sic ipsa sacrárum Sorórum collégium instítuit : cum quibus in ecclésia sancti Damiáni vixit admirábili sanctitáte. Quæ, Saracénis Assísium obsidéntibus, et monastérium, cui illa præerat, invádere conántibus, ægra se ad portam afférri vóluit, unáque vas, in quo sanctíssi-

mum Eucharístiæ sacraméntum erat inclúsum : ibíque orávit in hunc modum : Ne tradas Dómine béstiis ánimas confiténtes tibi, et custódi fámulas tuas, quas pretióso Sánguine redemísti. In cujus oratióne ea vox audíta est : Ego vos semper custódiam. Saracéni autem partim se fugæ mandárunt, partim, qui murum ascénderant, capti óculis, præcípites cecidérunt.

Lectio v.

IPSA Virgo paulo post jejúniis, oratiónibus vigiliísque confécta, cum duos et quadragínta annos summa cum laude monastérium gubernásset, múltaque edidísset mirácula; prídie Idus Augústi, sacra Eucharístia sumpta, ánimam Deo réddidit, Innocéntio Quarto Summo Pontífice : qui ægrotántem Virginem invísit, eíque suppliciter peténti indulgéntiam peccatórum impertívit. Quam póstea Alexánder Quartus inter sanctas Virgines rétulit.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

(Libro de Virginitate.)

Lectio vj.

IN festo Vírginis prædicánda est virgínitas. Hoc in isto sermóne suscépimus. Adjuvet Christus Vírginis Fílius, et Virginum Sponsus : virgináli útero corporáliter natus, virgináli connúbio spirituáliter conjugátus. Cum igitur univérsa Ecclésia virgo sit, sicut dicit Apóstolus, quanto digna sunt honóre membra, quæ hæc custódiunt étiam in ipsa carne, quæ ipsa tota custódit in fide! Nulla ergo fecúnditas carnis sanctæ virginitáti, étiam carnis, comparári potest.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE XIII. AUGUSTI.

SS. HIPPOLYTI ET SOCIOR. MARTYRUM.

DUPLEX. Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Hippólyti Mártyris tui Sociorúmque ejus veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

HIPPOLYTUS, a sancto Lauréntio baptizátus, domi suæ, dum Eucharístiam súmeret, comprehénsus, et ad Valeriánum imperatórem addúctus, ab eo de suæ religiónis professióne interrogátus, líbere se Christiánum profésssus est. Quam ob rem fústibus cæditur : quibus in verbéribus cum ejus fides constántior invenirétur, munéribus et honórum promíssis tentátur. Quæ cum ómnia frustra diceréntur, præfécto occidéndus tráditur.

Lectio v.

QUI domum Hippólyti véniens, ut ejus facultátes publicáret, totam famíliam christiánam esse cognóscit : atque iis a christiána fide frustra detérritis, primum plumbátis cæsa Concórdia, Hippólyti nutríce, quæ céteros

confirmábat, réliquos extra portam Tiburtínam occídi jubet. Hippólytus, indómitis equis raptátus per loca tríbulis et cárduis cónsita, laceráto córpore, spíritum Deo réddidit, unáque cum réliquis a Justíno Presbytero ad agrum Veránum sepúltus est.

Lectio vj.

SED cum idem Justínus corpus Concórdiæ invenire non posset, miles quidam Porphyrius rogávit Irenæum cloacárium, ut corpus Concórdiæ in cloácam projéctum extráheret. Sperábat enim aurum et gemmas se in véstibus ejus repertúrum. Extrácto córpore, cum nihil miles reperísset eórum quæ putáverat, aufúgit. Irenæus vero, vocáto ad se Abúndio Christiáno, ambo corpus sanctæ Concórdiæ ad Justínum Presbyterum detulérunt, quod ille juxta Hippólytum Sociósque sepelívit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Atténdite a ferménto Pharisæórum. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 66*.

DIE XIV. AUGUSTI.

S. EMYGDII

EPISC. ET MART.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Emygdium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, idolórum victória et miraculórum glória decorásti : concéde propítius ut eo interveniénte malórum spirítuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EMYGDIUS, e nóbili Francórum prosápia Tréviris natus, anno ætátis vigésimo tértio, paréntibus idolólatris frustra obstántibus, fidem Christi suscépit et constantíssime profétsus est. Cum tribus discípulis Euplo, Germáno et Valentíno vitam duxit. Humánis spretis oblectaméntis, rebus divínis plénius incumbébat; erga próximum caritátis ardóre æstuábat. Idcírco ad procurándam multórum salútem Romam se cóntulit. Hospítio excéptus in ínsula Tíberis, hóspitis fíliam per quinquénnium immedicábili morbo languéntem baptísmo sanávit.

Lectio v.

MOX, óculis cæci coram pópulo signo Crucis apértis, a multitúdine, eum fílium Apóllinis credénte, in templum Æsculápii rápitur. Ibi Christi servum se profétsus, ejus invocatióne magnum número ægrórum, nequídquam idóli opem implorántium, valetúdini restítuit, aras díruit, Æsculápii signum confráctum in Tíberim projécit. Quibus rebus, et mille tercentórum gentílium, præter Æsculápii sacerdótes, conversióne inde secúta, irritáti Posthúmii Titiáni præfécti Urbis minas Angeli mónitu declínans. sanctum Marcéllum Pontificem ádiit, a quo Episcopus ordinátus, et Asculum missus est.

Lectio vj.

MULTIS in itinere miráculis ingénti multitúdine Christo adjúncta, simul ac

Asculum Emygdius pervénit, dæmones, e simulácris idolórum per cuncta fana ejulátibus éditis, Peregrínum dolóris sui causam indicárunt. Quem cum concitáta plebs ad cædem quæreret, excítus tumúltu Polymius civitátis præses, eum ad se vocátum multis, sed írritis, verbis ad Jovis et Angáriæ deæ Asculi patrónæ veneratiónem hortátur, promíssis étiam in præmium núptiis própriæ fíliæ Polysiæ : quam Emygdius ad Christum convérsam baptizávit, et post eam mille et sexagínta hómines, edúcta e saxo per ingens miráculum aquárum cópia. His in rábiem actus Polymius sancto Epíscopo caput abscídit : quo facto, truncus ejus mirabíliter eréctus abjéctum humo próprium caput attóllens mánibus, per spátium tercentórum pássuum ad oratórium portávit. Inde ad templum máximum translátus est, ubi magna religióne Asculáni pópuli et concúrsu exterórum hanc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta mors, persecutióne Diocletiáni duránte.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Si quis venit ad me, et non odit patrem suum., de Communi unius Martyris Pontificis, pag. 44*.

In Laudibus Memoria S. Eusebii Presbyteri et Confessoris.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Eusébii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ut cujus natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per.

DIE XV. AUGUSTI.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ V.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Tota pulchra es amíca mea, et mácula non est in te : favus distillans lábia tua, mel et lac sub lingua tua : odor unguentórum tuórum super ómnia arómata : jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit : flores apparuérunt, víneæ floréntes odórem dedérunt, et vox túrturis audíta est in terra nostra. Surge, própera amíca mea : veni de Líbano, veni, coronáberis. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 24.

In ómnibus réquiem quæsívi : et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo.

℟. Beáta es Virgo María Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino : perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi : ecce exaltáta es super choros angelórum. * Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Benedícta et venerábilis es Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. — Intercéde. Glória. Intercéde.

Hymnus.

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis :
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem :
Sumat per te preces,
Qui pro nobis Natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Exaltáta es sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros angelórum ad cæléstia regna.

Ad Magníficat Aña. Ascéndit Christus super cælos, et præparávit suæ castíssimæ Matri immortalitátis locum : et hæc est illa præclára festívitas, ómnium Sanctórum festivitátibus incomparábilis, in qua

gloriósa et felix, mirántibus cæléstis cúriæ ordínibus, ad æthéreum pervénit thálamum : quo pia sui mémorum ímmemor nequáquam exsístat.

Oratio.

DEUS, qui virginálem aulam beátæ Maríæ, in qua habitáres, elígere dignátus es : da, quæsumus, ut sua nos defensióne munítos, jucúndos fácias suæ interésse festivitáti. Qui vivis.

℣ In utrisque Vesperis et Laudibus Assumptionis, omittitur Memoria S. Laurentii Martyris.

AD COMPLETORIUM.

Super Psalmos Aña. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

In Hymno Te lucis. duæ ultimæ Strophæ María Mater grátiæ. et Glória tibi Dómine. ut in Hymno Matutini Quem terra.

Ad Nunc dimittis Aña. Sub tuum præsídium confúgimus sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta.

℣ Sic dicatur Completorium per totam Octavam, etiam in festis Sanctorum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Veníte adorémus Regem regum, * Cujus hódie ad æthéreum Mater Virgo assúmpta est cælum.

Hymnus.

QUEM terra, pontus, æthera Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam Claustrum Maríæ bájulat.

CUI luna, sol et ómnia Desérviunt per témpora, Perfúsa cæli grátia, Gestant puéllæ víscera.

BEATA Mater múnere Cujus supérnus Artifex, Mundum pugíllo cóntinens, Ventris sub arca clausus est.

BEATA cæli núntio, Fecúnda sancto Spíritu : Desperátus géntibus Cujus per alvum fusus est.

MARIA Mater grátiæ, Mater misericórdiæ, Tu nos ab hoste prótege, Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine, Qui natus es de Vírgine, Cum Patre et sancto Spíritu, In sempitérna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi :

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Exaltáta es sancta Dei Génitrix super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Psalmus 18.

CÆLI enárrant glóriam Dei,* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel, et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fuerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt, ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Aña. Paradísi portæ per te nobis apértæ sunt, quas hódie gloriósa cum Angelis triúmphas.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣. et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Hortus conclúsus es Dei Génitrix, hortus conclúsus, fons signátus : surge, própera amíca mea, et veni.

℣. Sancta Dei Génitrix Virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

De Cánticis canticórum.

Lectio j. Cap. 3. et cap. 4.

QUÆ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ, et thuris, et univérsi púlveris pigmentárii? Quam pulchra es amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo, quod intrínsecus latet. Capilli tui sicut greges caprárum, quæ ascendérunt de monte Gálaad. Dentes tui sicut greges tonsárum, quæ ascendérunt de lavácro, omnes geméllis fétibus, et stérilis non est inter eas.

℟. j. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum : cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus. * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? — Et sicut dies verni.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ij.

SICUT vitta coccínea, lábia tua : et elóquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo, quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Duo úbera tua, sicut duo hínnuli cápreæ gemélli, qui pascúntur in líliis. Donec aspíret dies, et inclinéntur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris. Tota pulchra es amíca mea, et mácula non est in te.

℟. ij. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta * Dedi suavitátem odóris. ℣. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. — Dedi suavitátem odóris.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iij.

VENI de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni : coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata.

℟. iij. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt : * Et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Et regínæ laudavérunt eam. Glória. Et regínæ laudavérunt eam.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ,* velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblíviscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus : * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia, et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Aña. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus.

Psalmus 45.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificá-

vit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Aña. Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, ℣ et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Aña. Véniat diléctus meus in hortum suum, ut cómedat fructum pomórum suórum.

℣. Post partum Virgo inviolàta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.
(Orat. 2. de Dorm. beatæ Mariæ, post init.)
Lectio iv.

HODIE sacra et animáta arca Dei vivéntis, quæ suum in útero concépit Creatórem, requiéscit in templo Dómini, quod nullis est extrúctum mánibus. Et David exsúltat ejus parens : et cum eo choros ducunt Angeli, célebrant Archángeli, Virtútes glorificant, Principátus exsúltant, Potestátes collætántur, gaudent Dominatiónes, Throni festum diem agunt, laudant Chérubim, glóriam ejus prædicant Séraphim. Hódie Eden novi Adam Paradísum súscipit animátum, in quo solúta est condemnátio, in quo plantátum est Lignum vitæ, in quo opérta fuit nostra núditas.

℟. iv. Super salútem et omnem pulchritúdinem dilécta es a Dómino, et Regina cælórum vocári digna es. * Gaudent chori angelórum, consórtes et concíves nostri. ℣. Exaltáta es sancta Dei Génitrix super choros angelórum ad cæléstia regna. — Gaudent chori angelórum.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

HODIE Virgo immaculáta, quæ nullis terrénis inquináta est affléctibus, sed cæléstibus educáta cogitatiónibus, non in terram revérsa est : sed cum esset animátum cælum, in cæléstibus tabernáculis collocátur. Ex qua enim ómnibus vera Vita manávit, quómodo illa mortem gustáret? Sed cedit legi latæ ab eo quem génuit; et ut fília véteris Adam, véterem senténtiam súbiit (nam et ejus Fílius, qui est Vita ipsa, eam non recusávit). Ut autem Dei vivéntis Mater, ad illum ipsum digne assúmitur.

℟. v. Ista est speciósa inter fílias Jerúsalem, sicut vidístis eam plenam caritáte et dilectióne, * In cubílibus, et in hortis arómatum. ℣. Ista est, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens. — In cubílibus et in hortis arómatum.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

HEVA, quæ serpéntis suggestióni assénsum præbuit, partus dolóre et mortis senténtia damnátur, et in inferórum collocátur penetrálibus. Hanc autem vere beátam, quæ Dei verbo aures præstitit, et Spíritus sancti operatióne repléta est, atque ad Archángeli spirítalem salutationem, sine voluptáte et viríli consórtio Dei Fílium concépit, et sine dolóre áliquo péperit, ac totam se Deo consecrávit, quonam modo mors devoráret? quómodo ínferi suscíperent? Quómodo corrúptio inváderet corpus illud, in quo Vita suscépta est? Huic recta, plana, et fácilis ad cælum paráta est via.

℟. vj. Beáta es Virgo María Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino : perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi : ecce exaltáta es super choros angelórum. * Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Benedícta et venerábilis es Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. — Intercéde. Glória. Intercéde.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Veni in hortum meum soror mea sponsa: méssui myrrham meam cum aromátibus meis.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.

Psalmus 97.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : ℣ moveátur mare, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Aña. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

In illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum : et múlier quædam Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Comm. in Luc. 10.)

Marthæ et Maríæ exémplo, altérius opéribus actuósa devótio, altérius religiósa mentis inténtio Dei verbo, exprímitur : quæ si cum fide cóngruat, étiam ipsis opéribus antefértur, juxta quod scriptum est : María óptimam partem sibi elégit, quæ non auferétur illi. Studeámus ígitur et nos habére, quod nemo nobis possit auférre : non ut perfunctória, sed díligens audiéntia deferátur. Solent enim étiam ipsíus sémina verbi cæléstis auférri, si secus viam sint seminata.

℟. vij. Hódie María Virgo cælos ascéndit : * Gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum. ℣. Regína mundi hódie de sæculo nequam erípitur. — Gaudéte.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viij.

Agat te, sicut Maríam, desidérium sapiéntiæ. Hoc enim majus, hoc perféctius opus. Nec ministérii cura a cognitióne verbi cæléstis avértat : nec árguas eos, et otiósos júdices, quos vídeas studére sapiéntiæ. Hanc enim sibi cohabitántem Sálomon ille pacíficus adscívit. Nec Martha tamen in bono ministério reprehénditur : sed María, quod meliórem partem sibi elégerit, antefértur. Jesus enim multis abúndat, et multa largítur. Et ídeo sapiéntior judicátur, quia quod principále advértit, elégit.

℟. viij. Beátam me dicent omnes generatiónes : quia fecit mihi Dóminus magna * Qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Magníficat ánima mea Dóminum : et exsultávit spiritus meus in Deo salutári meo. — Qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum.

℟. Amen.

Lectio ix.

Denique Apóstoli óptimum non putavérunt relínquere Dei verbum, et ministráre mensis : sed utrúmque munus sapiéntiæ est. Nam et Stéphanus plenus sapiéntia minister eléctus est : ídeo qui minístrat, doctóri déferat; et ministrántem doctor invítet et próvocet. Unum enim corpus Ecclésiæ, et si divérsa membra :

álterum áltero eget. Non potest dícere óculus mánui, Operam tuam non desídero; aut íterum caput pédibus : et aurícula se negáre esse de córpore. Nam etsi principália, tamenália necessária. Sapiéntia in cápite, actus in mánibus. Oculi enim sapiéntis in cápite ejus. Quia ille vere sapit, cujus ánimus in Christo est, et cujus intérior óculus erígitur ad supérna. Et ídeo sapiéntis óculi in cápite ipsíus : stulti autem in calcáneo.

℟. ix. Felix namque es sacra Vírgo María, et omni laude digníssima :* Quia ex te ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam Assumptiónem. — Quia ex te ortus est. Glória. Christus Deus noster.

Ante Laudes ℣. Exaltáta es sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros angelórum ad cæléstia regna.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Assúmpta est María in cælum : gaudent ángeli, laudántes benedícunt Dóminum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3. In odórem unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

4. Benedícta fília tu a Dómino : quia per te fructum vitæ communicávimus.

5. Pulchra es et decóra fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum. Eccli. 24.

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium; et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo.

Hymnus.

O GLORIOSA Dómina,
Excélsa supra sídera :
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

QUOD Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

TU Regis alti jánua
Et porta lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

¶ Prædictæ duæ ultimæ Strophæ María Mater grátiæ. et Glória tibi Dómine, Qui natus es de Vírgine. dicuntur in fine omnium Hymnorum ejusdem metri per totam Octavam, etiam in festis Sanctorum, nisi aliter notetur.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus Aña. Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Oratio.

VENERANDA nobis Dómine hujus diéi festívitas opem cónferat salutárem, in qua sancta Dei Génitrix mortem súbiit temporálem, nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum Dóminum nostrum de se génuit incarnátum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

¶ Hæc Oratio dicatur etiam ad Tertiam, Sextam, Nonam et ij. Vesperas. Quando vero dicitur ad Memoriam, et eam sequitur alia Memoria, sic terminetur : génuit incarnátum : Qui tecum vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe. ℟. Qui natus es de Vírgine María.

¶ Prædictus ℣. dicatur per totam Octavam, etiam in festis Sanctorum.

AD TERTIAM.

Capitulum In ómnibus., ut in Laudibus.

℟. Sancta Dei Génitrix Virgo semper María, * Allelúia, allelúia. Sancta Dei Génitrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Allelúia. Glória. Sancta Dei Génitrix.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24.

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta similiter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea.

℟. Post partum Virgo invioláta permansísti, * Allelúia, allelúia. Post partum Virgo. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Allelúia. Glória. Post partum Virgo.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

ET radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Speciósa facta es et suávis, * Allelúia, allelúia. Speciósa. ℣. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix. Allelúia. Glória. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Assúmpta est María in cælum : gaudent ángeli, laudántes benedícunt Dóminum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum In ómnibus., Hymnus Ave maris stella. et ℣. Exaltáta es. ut in j. Vesperis, pag. 688.

Ad Magnificat Aña. Hódie María Virgo cælos ascéndit : gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

PER OCTAVAM ASSUMPTIONIS B. MARIÆ V.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Virgo prudentíssima quo progréderis, quasi auróra valde rútilans? Fília Sion tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio Veneránda nobis. ut in Laudibus Festi.

(In festo S. Joannæ Franciscæ Viduæ, die xxj. Augusti, ad Memoriam de Assumptione in Laudibus dicatur ℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Speciósa facta est et suávis in delíciis virginitátis sancta Dei Génitrix : quam vidéntes fíliæ Sion vernántem in flóribus rosárum et líliis convállium beatíssimam prædicavérunt, et regínæ laudavérunt eam.

℣. Exaltáta es sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros angelórum ad cæléstia regna.

Oratio Veneránda nobis. ut in Laudibus Festi.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. HYACINTHI

CONF. ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Diem celebrémus lætítiæ, qua cæli scandit átria Hyacínthus, lux Polóniæ, bina refúlgens glória. Psalmus Laudáte púeri Dóminum. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 49.

IPSE est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

℟. Invénit Hyacínthus in aquis viam, et inter fluctus sémitam firmíssimam : stetit unda fluens, * Et ipse transívit tamquam per siccum. ℣. Gestans in mánibus státuam Vírginis, undas sub pédibus firmávit flúminis. — Et ipse. Glória. Et ipse.

Hymnus.

IN hoc Hyacínthi júbilo,
Lætis canámus vócibus,
Deúmque, pulso núbilo,
Puris colámus méntibus.

DUX et Pater Domínicus
Hunc veste sacra índuit :
Cunctísque mox appáruit
Vir factus apostólicus.

PATREM secútus fílius,
Patris refúlget móribus :
Ducis secútus trámitem,
Mundi triúmphat príncipem.

HUNC Virgo visit ínclyta,
Solátur et dat gáudia :
Miraculórum glória
Christi corúscat grátia.

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

¶ Præcedens Stropha dicatur tantum infra Octavam Assumptionis.

TIBI Deus sit glória
In sempitérna sæcula :
Et nos Hyacínthi précibus
Adjúnge cæli cœtibus.

Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Hyacínthe. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Magnus præco Hyacínthus ad justítiam erudívit multos : Christi subégit légibus divérsos natiónum pópulos.

Oratio.

DEUS, qui beátum Hyacínthum, Confessórem tuum, in divérsis natiónum pópulis óperum sanctitáte et miraculórum glória fecísti conspícuum : da nobis ut ejus in mélius reformémur exémplis, et in advérsis protegámur auxíliis. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Grátiæ largitórem adorémus Dóminum, * Qui salútis præcónem glorificávit Hyacínthum.

Hymnus.

CHRISTI fidélis núntius
Dum prædicátor míttitur,
Præco salútis cælicus
Late per orbem fúnditur.

UBIQUE verbi sémina,
Rectíque spargit lúmina :
Fluunt ab ore fáculæ,
Vitæ corúscant régulæ.

RECTAS salútis sémitas,
Dignósque mores édocet,
Verbóque tangens ánimas
Ad pœniténdum cómmovet.

AB hoste prædas éripit,
Dum dura mollit péctora :
Cælóque dignos éfficit,
Dum frangit hostis róbora.

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

℣ Præcedens Stropha dicatur tantum infra Octavam Assumptionis.

TIBI Deus sit glória
In sempitérna sæcula :
Et nos Hyacínthi précibus
Adjúnge cæli cœtibus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Disciplínam et sciéntiam edóctus in juventúte sua, fructum dedit Hyacínthus in témpore suo. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68* et sequentibus.

Aña. Constitútus a Dómino promulgátor Evangélii, verbo, vita, miráculis dócuit pópulos, prædicans præcéptum ejus.

Aña. Voce sua lumen diffúndens fídei, a ténebris revocávit míllia pópuli.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 3. et cap. 4.

FRATRES, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem : quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero, quæ sunt prióra, exténdens meípsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicúmque ergo perfécti sumus, hoc sentiámus : et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervénimus ut idem sapiámus, et in eádem permaneámus régula.

℟. j. Dum Hyacínthum Polónia génuit, purum florem édidit, omni flore puriórem : * Gemmam novam prótulit, omni lápide pretiosiórem. ℣. Flos est rédolens puritáte, gemma émicans virtúte. — Gemmam novam prótulit.

Lectio ij.

IMITATORES mei estóte fratres, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos Crucis Christi :

quorum finis intéritus : quorum Deus venter est : et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cælis est.

℟. ij. Egréditur Hyacínthus de sua pátria, Romæ sacra invísit límina :* Relíctis pompis sæculi, claustrum subit Domínici. ℣. Patrem sectátus óptimum, fit norma virtútum ómnium. — Relíctis pompis sæculi.

Lectio iij.

UNDE étiam Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secúndum operatiónem, qua étiam possit subjícere sibi ómnia. Itaque fratres mei caríssimi, et desideratíssimi, gáudium meum, et coróna mea : sic state in Dómino, caríssimi.

℟. iij. Castitáte nítidus, caritáte férvidus, jejúniis et oratiónibus instábat assídue, *Et in lege Dómini meditabátur die ac nocte. ℣. Carnem suam domábat pœniténtia, ut digna Deo mererétur fíeri hóstia. — Et in lege Dómini. Glória. Et in lege Dómini.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Constituísti eum Dómine singuláriter in spe, quóniam die ac nocte invocábat te.

Aña. Intendébant turbæ voci prædicatiónis ejus, et mirabántur grátiam miraculórum ejus.

Aña. In signis et prodígiis portávit coram pópulis multis admirábile nomen Dómini.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ex Bulla Canoniz. ejus a Clemente VIII data anno 1594. xv. Kal. Maii.

Lectio iv.

NATUS est beátus Hyacínthus in Cramiénsi villa, Episcopátus Wratislaviénsis in Polónia, ex nobílibus christianísque paréntibus. Cracoviénsis Ecclésiæ Canónicus factus, exímia eruditióne ac pietáte síngulis exémplo fuit. Ab Ivóne deínde Epíscopo Cracoviénsi, pátruo suo, Romam perdúctus, ibídem mánibus beáti Patris Domínici hábitum Prædicatórum Ordinis suscépit. Inde Cracóviam revérsus, nascéntem Ordinem propagávit. Nihil eo demíssius, nihil modéstius. Virginitátem perpétuo cóluit, ac quo facílius carnem spirítui súbditam continéret, sese síngulis nóctibus usque ad sánguinis effusiónem, affligébat.

℟. iv. Communicávit ei Dóminus sapiéntiæ suæ thesáurum, per evangélicæ prædicatiónis offícium * Fidélibus ac infidélibus lárgiter erogándum. ℣. Pósuit verba sua in ore ejus, et cordis sui arcánum commísit ei. — Fidélibus ac infidélibus.

Lectio v.

MIRA in ejus victu continéntia : solo pane et aqua sæpius jejunábat. Integras noctes in templo fundéndis précibus frequénter ducébat : et si quando fesso córpori quiétis áliquid indulgéndum erat, aut humi prostrátus, aut innixus altári quiescébat.

Quidquid ei témporis ab oratióne vácuum supérerat, id omne vel coléndis sacris stúdiis, vel habéndis conciónibus, vel excipiéndis confessiónibus impendébat. Vix quisquam narráre valéret, quam várias, quamque díssitas regiónes, evangélicæ prædicatiónis causa peragráverit: quot pro Christi glória pertúlerit labóres, quotve infidéles ad Ecclésiam, fidéles ad pœniténtiam revocáverit.

℟. v. Mater Dómini lætificávit eum in gáudio cum vultu suo, dicens: Gaude fili Hyacínthe, * Quia Fílio meo gratæ sunt preces tuæ. ℣. Et quidquid peténdum dúxeris, me interveniénte consequéris. — Quia Fílio meo gratæ sunt preces tuæ.

Lectio vj.

CUM demum admirábili vitæ génere annos prope quadragínta a professióne perduxísset: ipsa die Assumptiónis Deíparæ, in quam singulári pietáte ac devotióne fervébat, obdormívit in Dómino, anno Salútis millésimo ducentésimo quinquagésimo séptimo. Innúmeris vivens ac post mortem miráculis cláruit: inter quæ illud claríssimum memorátur, quod Vándalum flumen Villográdum Massóviæ urbem redundántibus aquis prætérfluens, siccis vestígiis, expánso super aquas pállio, una cum sóciis trajécerit. Relátus est in Sanctórum númerum a Cleménte Octávo. Quo ex témpore, festa ejus per totum ferme christiánum orbem, claríssimis lætítiæ significatiónibus celebrántur.

℟. vj. Invénit Hyacínthus in aquis viam, et inter fluctus sémitam firmíssimam: stetit unda fluens, * Et ipse transívit tamquam per siccum. ℣. Gestans in mánibus státuam Vírginis, undas sub pédibus firmávit flúminis. — Et ipse transívit. Glória. Et ipse transívit.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Divíni verbi sémine Christo génuit pópulos, et ad níhilum dedúxit malígnum.

Aña. In virtúte tua Dómine mundi purgávit vítia, dæmonum ac mortis fórtiter súbruit jura.

Aña. Innocens mánibus et mundo corde ascéndit in montem Dómini, qui super aquas ambulávit intrépidus.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes prædicáte, dicéntes: Quia appropinquávit regnum cælórum. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Hom. 33. in Matth.)

CONSIDERA quáliter Dóminus non minórem curam habet ut mores eórum in mélius redúcat, quam ut signórum præbeat potestátem. Nam ut osténdat absque nobilitáte morum nihil signa valére; utque in nullum fastum ánimi atque tumórem incíderent, Gratis, inquit, accepístis: deínde, ne cupiditáte pecuniárum mo-

veréntur, intulit, Gratis date. Nam ne, quasi sua ipsórum potestáte mirácula faciéntes, inde superbírent : Gratis, dixit, accepístis : nihil largímini iis, qui vos recípiunt. Non enim tamquam mercédem vestris labóribus débitam ista accepístis : mea enim est grátia. Sic ígitur áliis quoque hæc benefícia, quorum nullum potest condígnum præmium inveníri, gratis date.

℟. vij. Egréssus in salútem pópuli, Aquilónis fugávit crímina : * Verbi calóre cælici frígida inflammávit péctora. ℣. Virtúte magna præditus, culpæ destrúxit impérium, et mente semper férvidus, curam gessit fidélium. — Verbi calóre cælici.

Lectio viij.

Post hæc, cum radícem ómnium malórum volúerit evéllere, vitiorúmque fundaméntum dirúere, Non possideátis, inquit, aurum, neque argéntum, neque pecúnias in zonis vestris : non peram in via, nec duas túnicas, neque calceaménta, neque virgam. Non dixit, Non accipiátis vobíscum; sed, Non possideátis : ut si et aliúnde recípere possent, recusárent tamen, ac perniciósam hanc ægritúdinem fúgerent. Quo deínde præcépto multa profécto compléctitur cómmoda : Primum, ut nulla de discípulis possit esse suspício; deínde ab omni sæculári cura sic ipsos líberos reddit, ut prædicatióni solum vacáre possint : demum imménsam suam poténtiam ipsis patéfacit : quod et póstea commemorávit, dicens : Numquid vobis tunc áliquid défuit, quando vos nudos absque cálceis misi?

℟. viij. Sui nóminis præcónem eximium mirificávit Dóminus Hyacínthum : * Ut mórtuos suscitáret, cæcos illumináret, variisque languóribus sanáret deténtos. ℣. In vita sua fecit monstra, et in morte operátus est mirabília. — Ut mórtuos suscitáret.

Lectio ix.

Illud étiam consideratióne dignum est, quod non incípiens statim dixit, Non possideátis aurum, neque argéntum : sed cum prius mundándi leprósos, ejiciéndi dæmónia potestátem eis déderit, tunc intulit : Nihil possideátis, gratis accepístis, gratis date. Sic rebus ipsis dócuit, utília se et honésta et facília factu eis præcípere. Sed ínquies cétera quidem non absque ratióne certa dicta esse : quid autem, ut peram non hábeant in via, nec duas túnicas, nec virgam, nec calceaménta, quanam de causa eis injúnxit? Exactíssime certe sublimióris vitæ fundaménta vóluit jácere : sic et in superióribus, nullam de crástina die curam ipsos habére hortátur.

℟. ix. Dum Hyacínthus de sæculo erípitur, cum ingénti lúmine in cælum véhitur : * Occúrrit chorus psalléntium, Súscipit Regína vírginum. ℣. Dum scandit cæli sídera, consecutúrus præmia. — Occúrrit chorus psalléntium. Glória. Súscipit Regína vírginum.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Hyacínthe. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Signo Crucis confrégit fluctus, quos elevavérunt flúmina in aquis multis. Psalmus Dóminus regnávit, cum ceteris, pag. 17.

2. Plácuit Deo in sanctitáte ánimæ suæ : introívit in átria ejus in exsultatióne.

3. Quasi tuba exaltávit vocem suam, ut confiteréntur tibi pópuli Deus.

4. Benedícant mária et flúmina Dómino, qui aquas flúminis solidávit sub pédibus Hyacínthi.

5. Omnes pópuli laudent Dóminum, qui vivéntem et vita functum mirificávit servum suum Hyacínthum.

Capitulum. Eccli. 49.

IPSE est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Hymnus.

VOX pura laudet éxitum,
Et cor Hyacínthi méritum:
Corúsca lustrat ágmina,
Bina decórus láurea.

HUNC vita clara índicat,
Divérsa signa íntonant :
Secréta, quæ hic nóverat,
Totum per orbem prædicant.

VENTIS et undis ímperat,
Fluctus tuméntes édomat :
Aquæ stupéscunt flúminum,
Itérque præbent sólidum.

VITÆ resúrgunt mórtui,
Claudíque dantur gréssui,
Cæcis patéscunt lúmina,
Fantur Dei magnália.

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

℣ Præcedens Stropha dicatur tantum infra Octavam Assumptionis.

TIBI Deus sit glória
In sempitérna sæcula :
Et nos Hyacínthi précibus
Adjúnge cæli cœtibus. Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. Prædicávit verbum Dei in omni pópulo, ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, in remissiónem peccatórum eórum.

Oratio.

DEUS, qui beátum Hyacínthum, Confessórem tuum, in divérsis natiónum pópulis óperum sanctitáte et miraculórum glória fecísti conspícuum : da nobis ut ejus in mélius reformémur exémplis, et in advérsis protegámur auxíliis. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Ipse est diréctus., ut in Laudibus.

℣ ℟℟. et ℣℣. Horarum de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isa. 42.

ECCE servus meus, suscipiam eum : eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea : dedi spíritum meum super eum.

AD NONAM.

Capitulum. Isa. 58.

CLAMA, ne cesses, quasi tuba exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Signo Crucis confrégit fluctus, quos elevavérunt flúmina in aquis multis. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Ipse est diréctus., Hymnus In hoc Hyacínthi júbilo. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 699.

Ad Magnificat Aña. Prædicatórum Ordinis flos pulchérrime Hyacínthe, tua canéntes mérita tui nos ímbue odóris fragrántia.

PER OCTAV. S. HYACINTHI.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. O beáte Hyacínthe preces nostras súscipe : tuis adjúti suffrágiis cæli fruámur gáudiis.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Tuum Dómine fac sentiámus auxílium, qui beáti Hyacínthi depóscimus patrocínium.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASSUMPTIONIS.

S. JOACHIM CONFESSORIS PATRIS B. MARIÆ V.

TOTUM DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui præ ómnibus sanctis tuis beátum Jóachim Genitrícis Fílii tui patrem esse voluísti : concéde, quæsumus, ut cujus festa venerámur, ejus quoque perpétuo patrocínia sentiámus. Per eúmdem.

¶ Si festum S. Joachim die xvij. Augusti celebrari contigerit, fiat Memoria de Octava die Simplici S. Laurentii Martyris in utrisque Vesperis et Laudibus ut infra sub titulo Eadem die xvij. Augusti., pag. 708. notatum est.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Epiphánii Epíscopi.
(De Laud. S. Deiparæ.)
Lectio iv.

DE radíce Jesse ortus est rex David, et de tribu regis David sancta Virgo : sancta, inquam, et sanctórum virórum fília : cujus paréntes fuérunt Jóachim et Anna : qui quidem in vita sua Deo placuérunt, atque étiam fructum ejúsmodi germinárunt, sanctam Vírginem Maríam, templum Dei simul et matrem. Jóachim porro, Anna et María, hi tres Trinitáti palam sacrifícium laudis offerébant. Jóachim enim interpretátur Præparátio Dómini; eo quod ex illo præparátum sit templum Dómini, nempe Virgo.

Sermo sancti Joánnis Damascéni.
(Serm. 1. de Nativ. Deiparæ.)
Lectio v.

OPAR beátum, Jóachim et Anna! Vobis omnis creatúra obstrícta est. Per vos enim donum, ómnium donórum præstantíssimum, Creatóri óbtulit : nempe castam Matrem, quæ sola Creatóre digna erat. Exsúlta Jóachim, quóniam ex Fília tua Fílius natus est nobis : et vocátur nomen ejus magni consílii, hoc est salútis totius mundi, Angelus.

Lectio vj.

OBEATUM par, Jóachim et Anna, et vere immaculátum! Ex fructu ventris vestri agnoscímini : quemádmodum Christus alícubi dicit : Ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Ut Deo gratum erat, ac dignum ea, quæ a vobis orta est, vixístis : et caste sanctéque vivéntes, virginitátis thesáurum produxístis. O castíssimum rationálium túrturum par! Juxta natúræ legem castitáte serváta, quæ supra natúram erant accípere meruístis, et ad justítiam seminántes, fructum vitæ messuístis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Hom. 2. in Matth. post init.)

AUDITU quidem mirábile est, quod ineffábilis Deus, et qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehéndi, Patríque per ómnia coæquális, per Vírginis ad nos venit úterum, et fíeri ex muliere dignátus est, et habére progenitóres David et Abraham. Quid dico, David et Abraham? Etiam illas, quod magis stupéndum est, féminas, quas paulo ante memorávi.

Lectio viij.

HÆC áudiens, mente consúrge, nihílque húmile suspicéris; sed pótius propter hoc ipsum máxime miráre : quia cum verus et diléctus Fílius sit sempitérni Dei, étiam fílius David esse dignátus est, modo ut te fílium fáceret Dei : servum patrem habére dignátus est, modo ut tibi servo patrem fáceret ipsum Deum. Vides ab ipso statim princípio quam læta sint hæc núntia! Quod si ámbigis de his, quæ ad tuum spectant honórem, ab iis, quæ illíus sunt, étiam tua disce crédere.

Lectio ix.

QUANTUM cónsequi potest humána rátio, multo est difficílius Deum hóminem fíeri quam hóminem Dei fílium consecrári. Cum ergo audíeris quia Fílius Dei fílius sit et David et Abrahæ, dubitáre jam désine quod et tu, qui fílius es Adæ, futúrus sis fílius Dei. Non enim semetípsum ita humiliásset, nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndum carnem, ut tu nasceréris spíritu; natus est ex muliere, ut tu desíneres fílius esse mulíeris.

DIE XVII. AUGUSTI.

B. ÆMILIÆ BICCHIERI

VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátæ Æmíliæ Vírgini tuæ terréna cuncta despícere, et te solum quærere tribuísti : ejus méritis et intercessióne concéde ut spretis perítúris illécebris, te toto corde diligámus. Per.

℣ Si festum B. Æmiliæ propria die xvij. Augusti celebretur, fiat Memoria de Octava

die S. Laurentii in utrisque Vesperis et Laudibus ut infra sub titulo Eadem die xvij. Augusti., pag. 708. notatum est.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ÆMILIA, Vercéllis nóbili génere orta, vel ab ipsis ætátis primórdiis pietátem in Deum et paréntes impénse cóluit. Patre defúncto, in eam, quam ántea iníerat, sancte ac innocénter vivéndi ratiónem alácrius incúmbere cœpit. Quare ópibus, partitióne patérnæ hereditátis sibi obveniéntibus, monastérium sanctæ Margarítæ prope Vercéllas ædificávit, quo cum áliquot nobílibus puéllis se recépit, ut quod in votis jam habúerat, Deo sub Régula sancti Augustíni ac Institútis Sorórum de Pœniténtia sancti Domínici libérius inservíret. Anno post, qui fuit ætátis suæ décimus nonus, se per religiósam professiónem cæléstí Sponso árctius obstrínxit, vitam inde actúra, quam nec terrenárum rerum sollicitúdo, nec sæculi blandiménta violárent.

Lectio v.

MUNDI contémptum contémptui sui ipsíus, et perféctæ abnegatióni perpétuo fœdere sociávit. Ut puritátem, quam Deo dicáverat, illibátam custodíret, crebris flagellatiónibus, cilício, ac jejúniis carnem júgiter afflígens, eam spirítui servíre coégit. Tanta fuit humilitáte, ut nedum vilióra quæque domus ministéria lætíssima obíret, sed étiam, quamvis ómnium mater haberétur, nonnísi ægre addúci potúerit ut céteris præésset. Quod sane munus singulári prudéntia ac zelo plúries gessit. Oratióni summópere addícta, una cæléstium mysteriórum contemplatióne íntegros dies quandóque transégit. Hinc de ipsa præclárum illud fertur ad Soróres mónitum : Sanctimoniálem, quæ in hoc orándi génere non fúerit valde exercitáta, ad instar esse ádvenæ, urbem ad coeméndas merces ingrediéntis, ac nesciéntis cum quibus de hoc agat, vel quo prétio eas váleat comparáre.

Lectio vj.

VIRGINEM Deíparam, ceu matrem amantíssimam, præcípuo pietátis afféctu venerabátur. Tanta autem in Domínicæ Passiónis mystéria erat devotióne, ac ita illíus mentem cruciátuum, quos pértulit Christus, oblectábat contemplátio, ut eorúmdem se étiam partícipem fieri vehemémter optáret. Tandem cum annos octo et quinquagínta in monastério pie justéque exegísset, méritis ac virtútibus plena migrávit ad Sponsum die tértia Máii, vivíficæ Crucis Inventióne solémni, anno millésimo tercentésimo quartodécimo, ætátis suæ septuagésimo sexto. Cultum eídem delátum, ac præsértim post priórem illíus córporis translatiónem auctum propagatúmque,

Clemens Décimus quartus Póntifex Máximus Apostólica auctoritáte probávit, atque ut festum beátæ Æmíliæ cum Officio et Missa décimo sexto Kaléndas Septémbris, quo die sacræ illíus Relíquiæ secúndo elátæ sunt, ab univérso Fratrum Prædicatórum Ordine celebrarétur, benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

EADEM DIE XVII. AUGUSTI.

IN OCTAVA S. LAURENTII.

SIMPLEX.

Ad Memoriam in j. Vesperis Aña. Beátus Lauréntius, dum in cratícula suprapósitus urerétur, ad impiíssimum tyránnum dixit : Assátum est jam, versa et mandúca : nam facultátes Ecclésiæ, quas requíris, in cæléstes thesáuros manus páuperum deportavérunt.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Oratio.

DA nobis, quæsumus omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas exstínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. In cráticula te Deum non negávi, et ad ignem applicátus te Christum conféssus sum : probásti cor meum, et visitásti nocte : igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio Da nobis, quæsumus omnípotens Deus., ut supra.

Ad Memoriam in ij. Vesperis Aña. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est, qui per signum Crucis cæcos illumináit, et thesáuros Ecclésiæ dedit paupéribus.

℣. Glória et honóre. cum Oratione Da nobis, quæsumus omnípotens Deus., ut ad Memoriam in j. Vesperis.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. ROCHI

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

POPULLUM tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi : et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per.

IN II. NOCTURNO.

(Ex scriptoribus ecclesiast.)

Lectio iv.

BEATUS Rochus Montepessuláno, Narbonénsis Galliæ civitáte non ignóbili, olim Agatha seu Agathápoli dicta, natus, jam ab ipso partu, cælésti futúræ sanctitátis signo est insignítus. Nimírum paréntes ejus Joánnes et Líbera, longæva ætáte provécti et ántea stériles, voto concépto ac frequentíssimis précibus fílium hunc tandem impetrárunt; quem nascéntem novo

miráculo rúbea cruce in péctore insignitum paréntes ipsi, viciníque omnes sunt admirá-ti. Exspectatiónem cæléstis augúrii Rochus non feéllit. Ecce enim adhuc infántulus, matérnæ pietátis imitátor, quartæ ac sextæ Feriárum cujúsque hebdómadæ jejúnio, quo fúerat concéptus, étiam nondum ratiónis compos vóluit enutríri. Mórtuo paulo post utróque paréntе, amplíssimi patrimónii heres únicus, et civitátis ipsíus suprémus dóminus ac moderátor relíctus, qui infans jam virili abstinéntia sese matérno ab úbere depúlerat, fortióri rerum humanárum contémptu, vir factus pátriam bónaque ómnia et dignitátes patérnas nedum deséruit, sed contémpsit. Inde immortálem pátriam, própria contémpta, quæsitúrus, dum sciret ex Apóstolo permanéntem civitátem nos hic nullam habére, sed futúram inquírere, loca sanctióra, et toto terrárum orbe sanctitátis vestígiis celebérrima, cœpit pedes invísere. Primum Aquampendéntem Itáliæ urbem áppulit, et ecce, hac in civitáte primam erga infírmos exercéndæ caritátis nactus occasiónem, beátus Rochus, cum tota fere cívitas pestiléntiæ morbo contabésceret, afflíctis contágii lue homínibus sublevándis totum se addíxit. Inde, civitáte a morbo epidemíæ liberáta, primum Cæsénam, deínde Placéntiam et vicínas Itáliæ urbes peragrávit, mira ubíque exércens ópera caritátis, ac præsértim supra humánas vires divína virtúte et curatiónum frequentióribus signis toto illo in orbe celebérrimus; inter quæ illud áccidit, quod Romam ad purpúrei senátus príncipem quemdam (Cardinálem dicunt) vocátus, eum peste laborántem, signo Crucis in fronte ægrotántis impresso, prótinus sanávit; aliaque quamplúrima ínibi, et per totam ferme Itáliam sanitátum mirácula édidit sanctíssimus Peregrínus.

Lectio v.

ENIMVERO probatíssimi et gratíssimi Deo et homínibus Viri necésse fuit ut patiéntiam probáret tentátio. Quam ob rem in Itália primum gravi febre et infixo divína permissióne sagíttæ vúlnere percússus, omni ope humána destitútus, sub arbóre jácuit : cui, ut olim Christo ipsi, appáruit Angelus de cælo confórtans eum, eumdémque, per id tempus, canis, sumpto de mensa dómini pane quotidiáno, pavit; non instínctu naturáli, sed ejus jussu, qui corvis ministrántibus Prophétas suos enutrívit, et sitiénti pópulo fontem aquæ e rupe durissima edúxit. Inde in pátriam redeúntem novíssima, sed longe gravióre tentatióne Sanctum suum Dóminus mirificávit. Illum enim vili in hábitu, quem evangélicæ paupertátis æmulatióne indúerat, deprehénsum cives Montepessuláni, tamquam pátriæ proditórem aut exploratórem, in cárcerem detrúdunt.

Lectio vj.

ILLIC postrémus fuit, ac certe ad meritórum augméntum,

gloriosíssimus christiáni Antagonístæ cum mundo et cum dæmone conflíctus : dum illum, sibi jure hereditário débiti civitátis Montispessulánæ domínii contémptu, hunc vero per próprios cives et paréntes exasperántem advérsus Sanctum, mira tot injuriárum tolerántia súperat ac devíncit. Tandem longe misericordíssimus Deus, qui mílitem suum toto jam quinquénnio cum concupiscéntia mundi, et supérbia vitæ conflictántem e cæli spécula intuebátur, prius angélica visitatióne confortátum, solo edúxit cælo donándum. Quem œcuménici Constantiénsis concílii Patres, eláta ejus insolémni supplicatióne imágine, omnésque toto terrárum orbe pópuli christiáni, in pública pestiléntiæ clade ádeo propítium advocátum sunt experti, ut tot miraculórum frequéntia,et unánimi orthodóxæ Ecclésiæ consénsu firmáta ejus sanctitáte, et aræ Confessóri sanctíssimo eréctæ, et supplicatiónes públicæ fúerint institútæ : illúmque plebs christiána velut cælo jam beátum jure mérito venerétur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Nolíte timére pusíllus grex. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

In Laudibus Memoria S. Agapiti Martyris. Oratio.

LÆTETUR Ecclésia tua Deus, beáti Agápiti Mártyris tui confísa suffrágiis : atque ejus précibus gloriósis et devóta permáneat, et secúra consístat. Per.

DIE XIX. AUGUSTI.

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT. DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui per beátum Alphónsum Maríam Confessórem tuum atque Pontíficem, animárum zelo succénsum, Ecclésiam tuam nova prole fecundásti : quæsumus ut ejus salutáribus mónitis edócti et exémplis roboráti, ad te pervenire feliciter valeámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir, qui in sapiéntia morábitur. de Communi unius Doctoris, pag. 79*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ALPHONSUS María de Ligório, Neápoli nobílibus paréntibus natus, ab ineúnte ætáte non obscúra præbuit sanctitátis indícia. Eum adhuc infántem cum paréntes obtulíssent sancto Francísco de Hierónymo e Societáte Jesu, is bene precátus edíxit eúmdem ad nonagésimum usque annum perventúrum, ad episcopálem dignitátem evéctum iri, maximóque Ecclésiæ bono futúrum. Jam tum a puerítia a ludis abhórrens, nóbiles ephébos ad christiánam modéstiam verbo et exémplo componébat. Adoléscens, dato piis sodalitátibus nómine, in públicis nosocomíis ægrótis inservíre, jugi in templis oratióni vacáre, ac sacra mystéria frequénter obíre in delíciis habébat. Pietátem litterárum stúdiis ádeo conjúnxit, ut séxde-

cim vix annos natus, utriúsque Juris láuream in pátria Universitáte fúerit assecútus. Patri obtémperans, causárum patrocínia suscépit, in quo múnere obeúndo etsi magnam sibi laudem comparásset, fori tamen perícula expértus, ejúsmodi vitæ institútum ultro dimísit. Spreto ígitur præcláro conjúgio sibi a patre propósito, avíta primogenitúra abdicáta, et ad aram Vírginis de Mercéde ense suspénso, divínis ministériis se mancipávit. Sacérdos factus, tanto zelo írruit in vítia, ut apostólico múnere fungens, huc illuc pérvolans, ingéntes perditórum hóminum conversiónes perágeret. Páuperum præsértim, et ruricolárum miserátus, Congregatiónem Presbyterórum instítuit sanctíssimi Redemptóris, qui ipsum Redemptórem secúti, per agros, pagos et castélla paupéribus evangelizárent.

Lectio v.

Ne autem a propósito unquam divérteret, perpétuo se voto obstrínxit nullam témporis jactúram faciéndi. Hinc animárum zelo succénsus, tum divíni verbi prædicatióne, tum scriptis sacra eruditióne et pietáte refértis, ánimas Christo lucrifácere, et ad perfectiórem vitam addúcere stúduit. Mirum sane quot ódia exstínxerit, quot dévios ad rectum salútis iter revocáverit. Dei Genitrícis cultor exímius, de illíus láudibus librum édidit, ac de iis dum ferventius concionándo dísserit, a Vírginis imágine in eum immísso miro splendóre totus fácie coruscáre, et in éxtasim rapi coram univérso pópulo non semel visus est. Domínicæ Passiónis et sacræ Eucharístiæ contemplátor assíduus, ejus cultum mirífice propagávit. Dum vero ad ejus aram oráret, vel Sacrum fáceret, quod nunquam omísit, præ amóris vehemántia, vel seráphicis liquescébat ardóribus, vel insólitis quatiebátur mótibus, vel abstrahebátur a sénsibus. Miram vitæ innocéntiam, quam nulla unquam letáli labe fœdávit, pari cum pœniténtia sócians, corpus suum inédia, férreis caténulis, ciliciis cruentáque flagellatióne castigábat. Inter hæc prophetiæ, scrutatiónis córdium, bilocatiónis et miraculórum donis incláruit.

Lectio vj.

Ab ecclesiásticis dignitátibus sibi oblátis constantíssime abhórruit. At Cleméntis Décimi tértii Pontíficis auctoritáte coáctus, sanctæ Agathæ Gothórum Ecclésiam gubernándam suscépit. Episcopus extérnum dumtáxat hábitum, non autem sevéram vivéndi ratiónem immutávit. Eadem frugálitas, summus christiánæ disciplínæ zelus, impénsum in vítiis coercéndis arcendísque erróribus, et in réliquis pastorálibus munéribus obeúndis stúdium. Liberális in páuperes, omnes Ecclésiæ provéntus iísdem distribuébat, et urgénte annónæ caritáte, ipsam doméstican supelléctilem in aléndis famélicis erogávit. Omnibus ómnia factus, sanctimoniáles ad perfectiórem vivéndi formam redégit, suæque Congregatiónis moniálium monastérium constituéndum curávit. Episcopátu

ob graves habitualésque morbos dimísso, ad alúmnos suos, a quibus pauper discésserat, revértitur pauper. Demum quamvis sénio, labóribus, diutúrna arthrítide aliísque gravíssimis morbis fractus córpore, spíritu tamen alácrior, de cæléstibus rebus disseréndi aut scribéndi finem nunquam adhíbuit, donec nonagenárius, Kaléndis Augústi anno millésimo septingentésimo octogésimo séptimo, Nucériæ Paganórum inter suórum alumnórum lácrimas placidissime exspirávit. Eum inde virtútibus et miráculis clarum Pius Séptimus Póntifex Máximus, anno millésimo octingentésimo décimo sexto, Beatórum fastis: novísque fulgéntem signis Gregórius Décimus sextus in festo sanctíssimæ Trinitátis, anno millésimo octingentésimo trigésimo nono, solémni ritu Sanctórum catálogo accénsuit; tandem Pius Nonus Póntifex Máximus, ex sacrórum Rituum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctórem declarávit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Designávit Dóminus., ut in Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE XX. AUGUSTI.
S. BERNARDI
ABBATIS ET ECCL. DOCT.
DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bernárdum minístrum tribuísti: præsta, quæsumus, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

(Ex prob. Auct. et Brev. Rom.)

Lectio iv.

BERNARDUS, Fontánis in Burgúndia honésto loco natus, servándæ castitátis stúdio, monastérium Cisterciénse adoléscens adíre constítuit. Fratres suos aliósque amícos eum a sancto consílio deterréntes ita devícit, ut et ipsi aliíque bene multi eámdem simul Religiónem profési sint. Mónachus jejúnio plane déditus, quóties suménduς ei cibus erat, tóties torméntum se subíre putábat. In vigíliis et oratiónibus mirifice se exercébat: christianámque paupertátem colens, quasi cæléstem vitam agébat in terris, ab omni caducárum rerum cura et cupiditáte aliénam.

Lectio v.

GENUENSEM ac Mediolanénsem Episcopátus oblátos recusávit, profέssus se tanti offícii múnere prorsus indígnum. Sacrárum Scripturárum lectióni assídue vacans, ejus sibi stilum familiárem fecit, nec eam mélius quam per illam ipsam intellígere solébat. Abbas factus Clarævallénsis, multis in locis ædificávit monastéria. Romæ, sanctórum Vincéntii et Anastásii monastério, ab Innocéntio Secúndo Papa restitúto, præfécit Abbátem illum, qui póstea Eugénius Tértius Summus Póntifex fuit: ad quem étiam libros dedit de Consideratióne.

Lectio vj.

MULTA scripsit, in quibus appáret eum doctrína pótius divínitus trádita quam labóre comparáta instrúctum fuísse. Exorátus a máximis princípibus de eórum componéndis controvérsiis et de ecclesiásticis rebus constituéndis, sæpius in Itáliam venit. Innocéntium item Secúndum Pontíficem Máximum in confutándo schísmate Petri Leónis, cum apud imperatórem et Henrícum Angliæ regem, tum in concílio Pisis coácto egrégie adjúvit. Dénique sexagínta et tres annos natus, obdormívit in Dómino : ac miráculis illústris, ab Alexándro Tértio Papa inter Sanctos relátus est. Pius vero Octávus Póntifex Máximus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consílio, sanctum Bernárdum universális Eccléstæ Doctórem declarávit et confirmávit; nec non Missam et Officium de Doctóribus ab ómnibus recitári jussit, atque Indulgéntias plenárias quotánnis in perpétuum Ordinis Cisterciénsium ecclésias visitántibus die hujus Sancti festo concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Vos estis sal terræ. de Communi unius Doctoris, pag. 80*.

DIE XXI. AUGUSTI.

S. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL VIDUÆ.

DUPLEX. Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Franciscam, tuo amóre succénsam, admirábili spíritus fortitúdine per omnes vitæ sémitas in via perfectiónis donásti, quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti : ejus méritis et précibus concéde ut qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cæléstis grátiæ auxílio cuncta nobis adversántia vincámus. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNA Francísca Fremiot de Chantal, Divióne in Burgúndia claríssimis orta natálibus, ab ineúnte ætáte exímiæ sanctitátis non obscúras édidit significatiónes. Eam enim vix quinquénnem, nóbilem quemdam Calvinístam sólida super ætátem argumentatióne perstrinxísse ferunt, collatúmque ab eo munúsculum flammis íllico tradidísse in hæc verba : En quómodo hærétici apud ínferos comburéntur, qui loquénti Christo fidem detréctant. Matre orbáta, Deíparæ Vírginis tutélæ se commendávit, et fámulam, quæ ad mundi amórem eam alliciébat, ab se rejécit. Nihil pueríle in móribus éxprimens, a sæculi delíciis abhórrens, martyriúmque anhélans, religióni ac pietáti impénse studébat. Baróni de Chantal núptui a patre trádita, virtútibus ómnibus excoléndis óperam dedit, líberos, fámulos aliósque sibi subjéctos, in fídei doctrína bonísque móribus imbúere sátagens. Profúsa liberalitáte páuperum inópiam sublevábat, annóna divínitus non raro multiplicáta :

quo factum est ut némini se unquam Christi nómine rogánti stipem abnegatúram spopónderit.

Lectio v.

VIRO in venatióne interémpto, perfectióris vitæ consílium íniens, continéntiæ voto se obstrínxit. Viri necem non solum æquo ánimo tulit; sed in públicum indúltæ véniæ testimónium, occisóris fílium e sacro fonte suscípere, sui victrix, elégit. Módica família, ténui victu atque vestítu conténta, pretiósas vestes in pios usus convértit. Quidquid a domésticis curis supérerat témporis, précibus, piis lectiónibus laboríque impendébat. Nunquam addúci pótuit ut álteras núptias, quamvis útiles et honorífícas, iníret. Ne autem a propósito castimóniæ observándæ in pósterum dimoverétur, illíus voto innováto, sanctíssimum Jesu Christi nomen candénti ferro péctori inscúlpsit. Ardéntius in dies caritáte fervéscens, páuperes, derelíctos, ægros teterrimísque morbis inféctos ad se adducéndos curábat : eósque non hospítio tantum excipiébat, solabátur, fovébat, verum étiam sórdidas eorúmdem vestes depurgábat, láceras reficiébat, et manántibus fœtido pure ulcéribus lábia admovére non exhorrébat.

Lectio vj.

A SANCTO Francísco Salésio, quo spíritus moderatóre usa fuit, divínam voluntátem edócta, próprium paréntem, sócerum, fílium dénique ipsum, quem étiam vocatióni obsisténtem, sua e domo egrédiens, pédibus calcáre non dubitávit, invícta constántia deséruit, et sacri Institúti Visitatiónis sanctæ Maríæ fundaménta jecit. Ejus Institúti leges integérrime custodívit, et ádeo paupertátis fuit amans, ut vel necessária sibi deésse gaudéret. Christiánæ vero ánimi demissiónis et obediéntiæ, virtútum dénique ómnium perfectíssimum exémplar se præbuit. Altióres in corde suo ascensiónes dispónens, arduíssimo efficiéndi semper id, quod perféctius esse intellígeret, voto se obstrínxit. Dénique sacro Visitatiónis Institúto, ejus potíssimum ópera, longe latéque diffúso, verbo, exémplo, et scriptis étiam divína sapiéntia refértis, ad pietátem et caritátem Soróribus excitátis, méritis referta, et Sacraméntis rite suscéptis, Molínis, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, die décima tértia Decémbris, migrávit ad Dóminum, ejúsque ánimam, occurrénte sancto Francísco Salésio, in cælos deférri sanctus Vincéntius a Paulo, procul distans, aspéxit. Ejus corpus póstea Annécium translátum fuit; eámque miráculis ante et post óbitum claram, Benedictus Décimus quartus Beatórum, Clemens Décimus tértius albo Sanctórum adjécit. Festum autem ejúsdem die duodécimo Kaléndas Septémbris ab univérsa Ecclésia Clemens Décimus quartus Póntifex Máximus celebrári præcépit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito. de Commu-

ni unius nec Virginis nec Martyris, pag. 111*.

Ad Memoriam de Octava Assumptionis in Laudibus, pro ℣. Elégit eam. dicatur ℣. Speciósa facta est., ut pag. 699. notatum est.

DIE XXII. AUGUSTI.
IN OCTAVA ASSUMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

SOLEMNE.

IN I. VESPERIS.

Capitulum, Hymnus, ℣. et Antiphona ad Magnificat ut in j. Vesperis Festi, pag. 688.

Oratio.

VENERANDA nobis Dómine hujus diéi festívitas opem cónferat salutárem, in qua sancta Dei Génitrix mortem súbiit temporálem, nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum Dóminum nostrum de se génuit incarnátum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

¶ Quando prædicta Oratio dicitur ad Memoriam et eam sequitur alia Memoria immediate, terminetur sic : génuit incarnátum : Qui tecum vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus ut in Festo, pag. 689.

¶ In tribus Nocturnis Psalmi, Antiphonæ et Versiculi ut in Festo, pag. 689. et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente, præmissis Benedictionibus et subsequentibus Responsoriis hic positis.

Benedictio j. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

℟. j. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum : cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus. * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? — Et sicut dies verni.

Benedictio ij. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

℟. ij. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta * Dedi suavitátem odóris. ℣. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. — Dedi suavitátem odóris.

Benedictio iij. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

℟. iij. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? Vidérunt eam filiæ Sion et beátam dixérunt : * Et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. — Et regínæ laudavérunt eam. Glória. Et regínæ laudavérunt eam.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

De Sermóne sancti Joánnis Damascéni.
(Orat. 2. de Dormit. Deip. sub fin.)
Lectio iv.

Ex antíqua accépimus traditióne, quod témpore gloriósæ Dormitiónis beátæ Vírginis, univérsi quidem sancti Apóstoli, qui orbem terræ ad salútem géntium peragrábant, moménto témporis in sublíme eláti, convenérunt Jerosólymis. Cumque illic essent, eis vísio appáruit angélica, et audíta est psalmodía cæléstium Potestátum; et sic cum divína glória in manus Dei sanctam trádidit ánimam. Ejus autem corpus, quod Deum ineffábili quadam ratióne suscépit, cum angélica et apostólica hymnodía elátum, in lóculo fuit depósitum Gethsémani : quo in loco angelórum cantus mansit tres dies contínuos.

℟. iv. Super salútem et omnem pulchritúdinem dilécta es a Dómino, et Regina cælórum vocári digna es. * Gaudent chori angelórum, consórtes et concíves nostri. ℣. Exaltáta es sancta Dei Génitrix super choros angelórum ad cæléstia regna. — Gaudent chori angelórum.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

Post tres autem dies angélico cantu cessánte, qui áderant Apóstoli (cum unus Thomas, qui abfúerat, post tértium diem venísset, et, quod Deum suscéperat, corpus adoráre voluísset) túmulum aperuérunt : sed omni ex parte sacrum ejus corpus nequáquam invenire potuérunt. Cum ea autem tantum invenissent, in quibus fúerat compósitum, et ineffábili, qui ex iis proficiscebátur, essent odóre repléti, lóculum clausérunt. Ejus mystérii obstupefácti miráculo, hoc solum cogitáre potuérunt, quod cui plácuit ex María Vírgine carnem súmere et hóminem fíeri et nasci, cum esset Deus Verbum et Dóminus glóriæ, quique post partum incorrúptam servávit ejus virginitátem : eídem étiam plácuit et ipsíus, postquam migrávit, immaculátum corpus, incorrúptum servátum, translatióne honoráre ante commúnem et universálem resurrectiónem.

℟. v. Ista est speciósa inter fílias Jerúsalem, sicut vidístis eam plenam caritáte et dilectióne, * In cubílibus, et in hortis arómatum. ℣. Ista est, quæ ascéndit per desértum delíciis áffluens. — In cubílibus et in hortis arómatum.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

Aderant tunc cum Apóstolis sanctíssimus Timótheus, primus Epíscopus Ephesiórum, et Dionysius Areopagíta, sicut ipse testátur in iis, quæ de beáto Hierótheo, qui ipse quoque tunc áderat, scripsit ad prædictum Timótheum, sic dicens : Nam étiam apud ipsos a Deo afflátos sacrórum antístites, quando nos quoque, ut nosti, et multi ex sanctis nostris frátribus, ad contuéndum corpus, quod vitæ princípium dedit, et Deum suscépit, con-

venissémus; (áderat autem et Dómini frater Jacóbus, et Petrus, supréma et antiquíssima theologórum súmmitas) et viso sacro córpore, plácuit ómnibus, prout quisque póterat, hymnis celebráre infinítam bonitátem divínæ poténtiæ.

℟. vj. Beáta es Virgo María Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino : perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi : ecce exaltáta es super choros angelórum. * Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Benedícta et venerábilis es Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. — Intercéde pro nobis. Glória. Intercéde pro nobis.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Dominicæ, præmissis Benedictionibus et subsequentibus Responsoriis hic positis.

Benedictio vij. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

℟. vij. Hódie María Virgo cælos ascéndit : * Gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum. ℣. Regína mundi hódie de sæculo nequam erípitur. — Gaudéte.

Benedictio viij. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

℟. viij. Beátam me dicent omnes generatiónes : quia fecit mihi Dóminus magna, * Qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Magnificat ánima mea Dóminum : et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. — Qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Benedictio ix. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum. ℟. Amen.

℟. ix. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam Assumptiónem. — Quia ex te ortus est. Glória. Christus Deus noster.

Ante Laudes ℣. Exaltáta es sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros angelórum ad cæléstia regna.

AD LAUDES,
HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia ut in Festo, servato modo Octavæ diei Solemnis.

In Laudibus Memoria SS. Timothei et Symphoriani Martyrum. Oratio.

AUXILIUM tuum nobis Dómine, quæsumus, placátus impénde : et intercedéntibus beátis Martyribus tuis Timótheo atque Symphoriáno, déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per.

DIE XXIII. AUGUSTI.
B. JACOBI A MEVANIA
CONF. ORD. PRÆD.
DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui prodigiósa tui sánguinis aspersióne dignátus es beátum Jacóbum Confessórem secúra ætérnæ salútis fidúcia roboráre : diláta super nos éadem víscera misericórdiæ tuæ; ut redemptiónis nostræ imbúti signáculo, inter oves déxteræ tuæ perpétuo computémur. Qui vivis.

In utrisque Vesperis et Laudibus Memoria de Octava die Simplici S. Hyacinthi, ut infra sub titulo Eadem die xxiij. Augusti., pag. 718. et pag. 719. notatum est.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BEATUS Jacóbus, Mevániæ in Umbria piis nobilibúsque ortus paréntibus, quantus in adúlta ætáte futúrus esset, porténta cæléstia præmonstrárunt. Adoléscens Spoléti Prædicatórum Ordinem ampléxus, inter prima Religiónis tirocínia miráculis clarére cœpit, brevíque compéndio simul ad sanctitátis et litteratúræ ápicem pervénit, ádeo ut vigésimo quinto ætátis anno concréditum ei fúerit munus apostólicæ prædicatiónis. Nec sine fructu : nam renascéntem in Umbria Nicolaitárum hæresim fúnditus profligávit : ipsúmque tandem Ortinéllum pestíferæ sectæ coryphæum ad públicam erróris detestatiónem perdúxit.

Lectio v.

SOMNI parcíssimus, ad exémplum sancti Patris sui Domínici, ter síngulis nóctibus aspérrimo flagéllo corpúsculum suum cruentábat. Caténam férream ita lumbis astrínxerat, ut deínceps avélli non potúerit. Virgínea púritas, doctrínæ fama, vitæ innocéntia, coruscátio tot miraculórum, plausus et admirátio pópuli Jacóbo ánxium ætérnæ damnatiónis metum ádeo non alleviárunt, ut vix non succubúerit desolátus, donec imágo Crucifíxi ex lateráli vúlnere Servum Dei copióso sánguinis imbre totum perfudísset, áddita cæléstihac voce : Sanguis iste sit in signum tuæ salútis.

Lectio vj.

MORIENTI visíbiles astitérunt Christus Salvátor, Virgo Deípara, sancti Geórgius Martyr, et Patriárcha Domínicus. Sub commendatióne ánimæ vox désuper insónuit : Non Deum pro ipso, sed ipsum pro vobis invocáte. Defúncti corpus intra trecéntos ab óbitu annos ter in locum decentiórem translátum, tótidem vícibus repértum fuit íntegrum et incorrúptum : illúdque primis diébus Maii pie invisséntibus Bonifácius Nonus Indulgéntias benígne concéssit, ac dénique Clemens Papa Décimus ex sacrórum Rituum Senátus consúlto solémnem hujus Beáti festivitátem ad totum Prædicatórum Ordinem exténdit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Respóndens Jesus dixit : Confiteor tibi Pater. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 82*.

EADEM DIE XXIII. AUGUSTI.

IN OCTAVA S. HYACINTHI.

SIMPLEX.

Ad Memoriam in j. Vesperis Aña. Magnus præco Hyacinthus ad justitiam erudívit multos : Christi subégit légibus divérsos natiónum pópulos.

℣. Ora pro nobis beáte Hyacínthe. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEUS, qui beátum Hyacínthum, Confessórem tuum, in divérsis natiónum pópulis óperum sanctitáte et miraculórum glória fecísti conspícuum : da nobis ut ejus in mélius reformémur exémplis, et in advérsis protegámur auxíliis. Per.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Prædicávit verbum Dei in omni pópulo, ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, in remissiónem peccatórum eórum.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

(Ubi Octava dies S. Hyacinthi translata fuerit extra festum unius Confessoris, dicatur ad Memoriam de prædicta die Octava ℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.)

Oratio Deus, qui beátum Hyacínthum. ut ad Memoriam in j. Vesperis.

Ad Memoriam in ij. Vesperis Aña. Prædicatórum Ordinis flos pulchérrime Hyacínthe, tua canéntes mérita tui nos ímbue odóris fragrántia.

℣. Ora pro nobis. et Oratio Deus, qui beátum Hyacínthum. ut ad Memoriam in j. Vesperis.

SEQUENS festum S. Bartholomæi Apostoli celebretur secundum locorum consuetudinem die xxiv. vel die xxv. Augusti. Romæ celebratur die xxv.

Ubi festum S. Bartholomæi celebratur die xxv. Augusti, festum S. Philippi Benitii a die xxvj. in diem xxiv. anticipetur, et de S. Ludovico Rege die xxvj. fiat Officium.

DIE XXIV. VEL XXV. AUGUSTI.

S. BARTHOLOMÆI

APOSTOLI.

TOTUM DUPLEX. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque lætítiam in beáti Apóstoli tui Bartholomæi festivitáte tribuísti : da Ecclésiæ tuæ, quæsumus, et amáre quod crédidit, et prædicáre quod docuit. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 2.

DEUS autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos, et cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, (cujus grátia estis salváti) et conresuscitávit, et consedére fecit in cæléstibus in Christo Jesu : ut ostenderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo prudéntes.

Lectio ij.

GRATIA enim estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus. Propter quod mémores estóte, quod aliquándo vos Gentes in carne, qui dicímini præpútium ab ea, quæ dícitur circumcísio in carne, manu facta : quia erátis illo in témpore sine Christo, alienáti a conversatióne Israel, et hóspites testamentórum, promissiónis spem non habéntes, et sine Deo in hoc mundo.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

Lectio iij.

NUNC autem in Christo Jesu vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in sánguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, et médium paríetem macériæ solvens, inimicítias in carne sua : legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore, Deo per Crucem, interfíciens inimicítias in semetípso.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.

(Ex antiq. Auct. et Rom. Brev.)

Lectio iv.

BARTHOLOMÆUS Apóstolus, Galilæus, cum in Indiam citeriórem, quæ ei in orbis terrárum sortitióne ad prædicándum Jesu Christi Evangélium obvénerat, progréssus esset : advéntum Dómini Jesu, juxta sancti Matthæi Evangélium, illis géntibus prædicávit. Sed cum in ea província plúrimos ad Jesum Christum convertísset : multos labóres, calamitatésque perpéssus, venit in majórem Arméniam.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes splándidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

IBI Polymium regem, et cónjugem ejus, ac prætérea duódecim civitátes ad christiánam fidem perdúxit. Quæ res in eum magnam invídiam concitávit illíus gentis sacerdótum. Nam usque ádeo Astyagem Polymii regis fratrem in Apóstolum incendérunt, ut is vivo Bartholomæo pellem crudéliter détrahi jússerit, ac caput abscíndi : quo in martyrio ánimam Deo réddidit.

℟. v. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa princípum meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur.

Lectio vj.

EJUS corpus Albáni, quæ est urbs majóris Arméniæ, ubi is passus fúerat, sepúltum fuit : quod póstea ad Líparam ínsulam delátum, inde Benevéntum translátum est : postrémo Romam ab Othóne Tértio imperatóre portátum, in Tíberis ínsula, in ecclésia ejus nómine Deo dicáta, collocátum fuit, ubi magna pópuli frequéntia celebrátur.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus : * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore : Exiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei. Et cum dies factus esset, vocávit discípulos suos. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 5. Comment. in Luc.)

OMNES magni, omnes sublímes montem ascéndunt. Non enim cuicúmque Prophéta dicit, Ascénde in montem excélsum qui evangelízas Sion, exálta in virtúte vocem tuam qui evangelízas Jerúsalem. Non vestígiis corporálibus, sed factis sublimióribus in hunc montem ascénde, et séquere Christum, ut ipse esse mons possis : montes enim in circúitu ejus. Quare in Evangélio invénies solos cum Dómino montem ascendísse discípulos.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

Lectio viij.

ORAT ergo Dóminus, non ut pro se óbsecret, sed ut pro me ímpetret. Nam etsi ómnia posúerit Pater in potestáte Fílii, Fílius tamen, ut formam hóminis impléret, obsecrándum Patrem putat esse pro nobis, quia advocátus est noster. Et erat, inquit, pernóctans in oratióne Dei. Spécies tibi datur, forma præscribitur, quam débeas æmulári. Quid enim te pro salúte tua fácere opórtet, quando pro te Christus in oratióne pernóctat?

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix.

QUID te fácere cónvenit, cum vis áliquod offícium pietátis adoríri, quando Christus,

missúrus Apóstolos, orávit prius, et solus orávit? Nec usquam álibi (si non fallor) orásse cum Apóstolis reperítur : ubíque solus óbsecrat. Dei enim consílium humána vota non cápiunt : nec quisquam interiórum potest esse párticeps Christi. Vocávit, inquit, discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos ad propagándum auxílium salútis humánæ per terrárum orbem satóres fídei destináret.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. — Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

DIE XXV. VEL XXVI. AUGUSTI.

S. LUDOVICI REGIS CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum, de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

IN I. NOCTURNO.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 6.

MELIOR est sapiéntia quam vires : et vir prudens quam fortis. Audíte ergo reges, et intellígite, díscite júdices finium terræ. Præbéte aures vos, qui continétis multitúdines, et placétis vobis in turbis natiónum : quóniam data est a Dómino potéstas vobis, et virtus ab Altíssimo, qui interrogábit ópera vestra, et cogitatiónes scrutábitur : quóniam cum essétis ministri regni illíus, non recte judicástis, nec custodístis legem justítiæ, neque secúndum voluntátem Dei ambulástis.

Lectio ij.

HORRENDE et cito apparébit vobis : quóniam judícium duríssimum his, qui præsunt, fiet. Exíguo enim concéditur misericórdia : poténtes autem poténter torménta patiéntur. Non enim súbtrahet persónam cujúsquam Deus, nec verébitur magnitúdinem cujúsquam : quóniam pusíllum et magnum ipse fecit, et æquáliter cura est illi de ómnibus. Fortióribus autem fórtior instat cruciátio.

Lectio iij.

AD vos ergo reges sunt hi sermónes mei, ut discátis sapiéntiam, et non excidátis. Qui enim custodíerint justa juste, justificabúntur : et qui didícerint ista, invénient quid respóndeant. Concupíscite ergo sermónes meos, dilígite illos, et habébitis disciplínam. Clara est, et quæ nunquam marcéscit sapiéntia, et fácile vidétur ab his qui díligunt eam, et invenítur ab his qui quærunt illam.

IN II. NOCTURNO.

(Ex bonis Auctoribus, et Romano Breviario.)

Lectio iv.

LUDOVICUS Nonus Gálliæ rex, Fratrum præsértim Prædicatórum ac Minórum

curis educátus est. De recuperánda Jerosolymórum possessióne cógitans, vexíllum ab Epíscopo Parisiénsi accépit : deinde mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prœlio Saracénos fugávit. Sed cum pestiléntia magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est. Rebus póstea cum Saracénis compósitis, liber Rex exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos Christiános a barbarórum servitúte redémit : multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit : áliquot étiam Christianórum urbes refécit.

Lectio v.

CORPORA cæsórum mílitum jam tabo fluéntia ipse própriis mánibus sepelívit, cum álii intolerándum fœtórem vix ferre possent. Ejus matre defúncta, domum revérsus, totum se dedit pietátis offíciis. Multa ædificávit monastéria et hospítia páuperum : atque in primis Frátribus Prædicatóribus ac Minóribus plura cœnóbia a fundaméntis eréxit : iísque, Parísios studiórum causa missis, ingéntes eleemósynas profúdit. Páuperes ægrótos nedum plúrima beneficéntia juvit, sed eis flexis génibus sæpius ministrávit. Veste vulgári utebátur : cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sacras Relíquias, ac præsértim Domínicam Crucem summa veneratióne prosequebátur.

Lectio vj.

IN administrándo regno summa justítia ac prudéntia enítuit : duélla prohíbuit, usurárum voráginem compéscuit, blasphémos inústis cautério lábiis castigári jussit, causis páuperum bis in hebdómada vacávit. Cum clades ac damna Terræ sanctæ ferre non valens íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in ipsórum conspéctu posuísset, pestiléntia ictus, divínis Sacraméntis rite percéptis, sanctíssime decéssit. Ejus corpus Parísios póstea translátum est, quod in célebri sancti Dionysii templo cólitur : caput vero in sacro Sacéllo asservátur. A Bonifácio Octávo inter Sanctos adscríptus est.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Ex lib. 8. in Lucam.)

BONUS ordo, ut vocatúrus Gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret comparatiónem, ne dicerétur, Nihil déderat pópulo Judæórum, unde mélior póterat fíeri : ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non mediócris ista est mna, quam supra múlier evangélica quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam. Dénique ex una decem mnas álius fecit,

álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus : ille duplícia, id est mystica Legis, et morália probitátis.

Lectio viij.

ET hic póssumus decem mnas, decem verba intellígere, id est Legis doctrínam : quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legisperítum in ómnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt, non útique æris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniæ fénebris, ália doctrínæ cæléstis usúra. Cum Dóminus dicit, Quare non dedísti pecúniam meam ad mensam? non nostrae, sed suæ pecúniæ quærit usúram. Unus in terra abscondísse se dicit : quod ratiónem, quæ ad imáginem Dei data est nobis, stúdio voluptátis óbruit, et tamquam in fóvea carnis abscóndit.

Lectio ix.

DE áliis silétur, qui, quasi pródigi debitóres, quæ accéperant perdidérunt. In duóbus illis pauci sunt, qui per duas vices ad cultóres víneæ destináti sunt : in réliquis omnes Judæi. Quam comparatiónem Matthæus étiam nobis vóluit aptáre : quod simíliter ut dives, qui pecúniam suam non impártit paupéribus, ita étiam qui doctrínæ suæ grátiam non dívidit imperítis, docére cum possit, haud mediócris reus est culpæ. Civitátes autem quinque esse quæ possunt, nisi forte ánimæ, quibus jure præpónitur, qui pecúniam Dómini, et illa elóquia casta probáta sicut argéntum méntibus hóminum feneráverit?

DIE XXVI. VEL XXIV. AUGUSTI.

S. PHILIPPI BENITII CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui per beátum Philippum, Confessórem tuum, exímium nobis humilitátis exémplum tribuísti : da fámulis tuis próspera mundi ex ejus imitatióne despícere, et cæléstia semper inquírere. Per.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

PHILIPPUS, ex nóbili Benitiórum família Floréntiæ natus, futúræ sanctitátis jam inde ab incunábulis indícium præbuit. Vix enim quintum ætátis mensem ingréssus, linguam in voces mirifice solvit, hortatúsque fuit matrem ut Deíparæ Servis eleemósynam impertíret. Adoléscens, dum Parísiis litterárum stúdia cum pietátis ardóre conjúngeret, plúrimos ad cæléstis Pátriæ desidérium inflammávit. Revérsus in pátriam, et singulári visióne a beatíssima Vírgine in Servórum suórum famíliam nuper institútam vocátus, in Senárii montis antrum concéssit, ubi ásperam quidem jugi córporis castigatióne, sed Christi Dómini cruciátuum meditatióne suávem vitam duxit : índeque per univérsam pene Európam, magnámque Asiæ partem, quam evangélicis præ-

dicatiónibus obívit, sodalíti a Septem Dolórum Dei Matris instítuit, suúmque Ordinem exímio virtútum exémplo propagávit.

Lectio v.

DIVINÆ caritátis et cathólicæ fídei dilatándæ ardóre veheménter accénsus, sui Ordinis Generális relúctans atque invítus renuntiátus, Fratres ad prædicándum Christi Evangélium in Scythiam misit : ipse vero plúrimas Itáliæ urbes concúrsans, gliscéntes in eis cívium discórdias compósuit, multásque ad Románi Pontíficis obediéntiam revocávit; nihílque de stúdio aliénæ salútis omíttens, perditíssimos hómines e vitiórum cœno ad pœniténtiam ac Jesu Christi amórem perdúxit. Oratióni summópere addíctus, sæpe in éxtasim rapi visus est. Virginitátem vero ádeo cóluit, ut ad extrémum usque spíritum voluntáriis ac duríssimis supplíciis illibátam custodíerit.

Lectio vj.

EFFLORUIT in eo júgiter singuláris erga páuperes misericórdia : sed præcípue cum apud Camiliánum agri Senénsis vicum lepróso nudo, elcemósynam peténti, própriam, qua indútus erat, vestem fuit elargítus : qua ille contéctus, statim a lepra mundátus est. Cujus miráculi cum longe latéque fama manásset, nonnúlli ex Cardinálibus, qui Vitérbium, Cleménte Quarto vita functo, pro successóre deligéndo convénerant, in Philíppum, cujus cæléstem étiam prudéntiam perspéctam habébant, intendérunt. Quo compérto, Vir Dei, ne forte pastorális regíminis onus subíre cogerétur, apud Tuniátum montem támdiu delítuit, donec Gregórius Décimus Póntifex Máximus fúerit renuntiátus : ubi bálneis, quæ étiam hódie sancti Philíppi vocántur, virtútem sanándi morbos suis précibus impetrávit. Dénique Tudérti anno millésimo ducentésimo octogésimo quinto, in Christi Dómini e cruce pendéntis ampléxu, quem suum appellábat Librum, sanctíssime ex hac vita migrávit. Ad ejus túmulum cæci visum, claudi gressum, mórtui vitam recepérunt. Quibus aliísque plúrimis fulgéntem signis Clemens Décimus Póntifex Máximus Sanctórum número adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Nolíte timére pusíllus grex. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE XXVII. AUGUSTI.

S. JOSEPHI CALASANCTII

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es : præsta, quæsumus, nos ejus exémplo et intercessióne ita fácere et docére, ut præmia consequámur ætérna. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Rufi Episcopi et Martyris.

Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris : ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Rufi Mártyris tui atque Pontíficis intercessióne liberémur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOSEPHUS Calasánctius a Matre Dei, Petráltæ in Aragónia nóbili génere natus, a téneris annis futúræ in púeros caritátis et eórum institutiónis indícia præbuit. Nam adhuc párvulus eos, ad se convocátos, in mystériis fídei et sacris précibus erudiébat. Humánis divinísque lítteris egrégie doctus, cum stúdiis theológicis Valéntiæ óperam daret, nóbilis potentísque féminæ illécebris fórtiter superátis, virginitátem, quam Deo vóverat, inoffénsam insígni victória servávit. Sacérdos ex voto factus, a complúribus Episcopis in Castéllæ Novæ, Aragóniæ, et Cataláuniæ regnis, in partem labóris adscítus, exspectatiónem ómnium vicit, pravis ubíque móribus emendátis, ecclesiástica disciplína restitúta, inimicítiis cruentísque factiónibus mirífice exstínctis. At cæléstí visióne et Dei voce frequénter admónitus, Romam proféctus est.

Lectio v.

IN Urbe summa vitæ asperitáte, vigíliis et jejúniis corpus afflígens, in oratiónibus et cæléstium rerum contemplatióne dies noctésque versabátur, septem ejúsdem Urbis ecclésias síngulis fere nóctibus obíre sólitus : quem inde morem complúres annos servávit. Dato piis sodalitátibus nómine, mirum quanto ardóre páuperes, infírmos potíssimum aut carcéribus deténtos, eleemósynis omníque pietátis offício subleváret. Lue Urbem depopulánte, una cum sancto Camíllo tanto fuit actus ímpetu caritátis, ut præter subsídia ægrótis paupéribus large collàta, ipsa étiam defunctórum cadávera suis húmeris tumulánda transférret. Verum cum divínitus accepísset se ad informándos intelligéntiæ ac pietátis spíritu adolescéntulos, præcípue páuperes, destinári, Ordinem Clericórum Regulárium páuperum Matris Dei Scholárum piárum fundávit, qui peculiárem curam circa puerórum eruditiónem ex próprio institúto profiteréntur : ipsúmque Ordinem a Clemente Octávo, a Paulo Quinto aliísque Summis Pontifícibus magnópere probátum, brevi témpore per plúrimas Európæ províncias et regna mirabíliter propagávit. In hoc autem tot labóres perpéssus est, ac tot ærúmnas invícto ánimo tolerávit, ut ómnium voce miráculum fortitúdinis et sancti Jobi exémplum dicerétur.

Lectio vj.

QUAMVIS Ordini univérso præésset, totísque víribus ad animárum salútem incúmberet, nunquam tamen intermísit púeros, præsértim pauperióres, erudíre, quorum scholas vérrere, eósque domum comitári consuévit. In eo summæ patiéntiæ et humilitátis múnere, valetúdine étiam infírma, duos et quinquagínta annos perseverávit : dignus proptérea,

quem crebris Deus miráculis coram discípulis illustráret, et cui beatissima Virgo cum púero Jesu, illis oránti bus benedicénte, apparéret. Amplíssimis ínterim dignitátibus repudiátis, prophetía, ábdita córdium et abséntia cognoscéndi donis et miráculis clarus, Deíparæ Vírginis, quam singulári pietáte et ipse ab infántia cóluit, et suis máxime commendávit, aliorúmque cælitum frequénti apparitióne dignátus, cum óbitus sui diem et Ordinis tunc prope evérsi restitutiónem atque increméntum prænuntiásset, secúndum et nonagésimum annum agens, Romæ obdormívit in Dómino, octávo Kaléndas Septémbris, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo. Ejus cor et lingua post sæculum íntegra et incorrúpta repérta sunt. Ipse vero multis post óbitum quoque signis a Deo illustrátus, primum a Benedícto Décimo quarto Beatórum cultu decorátus fuit, ac deínde a Cleménte Décimo tértio inter Sanctos solémniter est relátus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno cælórum?. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(In cap. 18. Matth. Hom. 60.)

VIDETE ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum Angeli Patris mei fáciem semper aspiciunt, et quia ego propter eos veni, et hæc Patris mei volúntas est. Ad tuéndos conservandósque pusíllos, diligentióres nos reddit. Pérspicis quam ingéntia in tutélam tenúium mœnia eréxerit, et quantum stúdium curámque hábeat ne perdántur : tum quia suprémas despiciéntibus eos pœnas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem iis, qui curam eórum suscípiunt, idque tam suo quam Patris exémplo corróborat.

Lectio viij.

DOMINUM ígitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum, quæ humília viliaque nimium vidéntur : sed si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis, atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit, quamvis árdua nobis res atque labóris plena esse videátur, ómnia hæc pro fratris salúte tolerabilióra facilióraque, oro, videántur. Tanto enim stúdio tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepércerit.

Lectio ix.

SI non est nobis satis ad salútem, quod virtuóse ipsi vivámus, sed opórtet aliórum salútem re ipsa desideráre : cum neque nos recte vivámus, neque álios hortémur, quid respondébimus? quæ nobis spes salútis réliqua erit? Quid majus quam ánimis moderári, quam adolescentulórum fíngere mores? Omni certe pictóre, omni certe statuário ceterísque hujúsmodi ómnibus excellentiórem hunc duco, qui júvenum ánimos fíngere non ignóret.

DIE XXVIII. AUGUSTI.

S. AUGUSTINI EPISCOPI

CONFESSORIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Lætáre mater nostra Jerúsalem, quia Rex tuus dispensatórem strénuum et civem fidelíssimum de servitúte Babylónis tibi redémit Augustínum. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória sanctórum.

℟. Volébat enim conferénti æstus suos ut proférret quis esset aptus modus vivéndi sic affécto, ut ipse erat, ad ambulándum in via Dei, * In qua álius sic, álius sic ibat. ℣. Displicébat ei quidquid agébat in sæculo præ dulcédine Dei et decóre domus ejus, quam diléxit. — In qua. Glória. In qua.

Hymnus.

MAGNE Pater Augustíne
Preces nostras súscipe,
Et per eas Conditóri
Nos placáre sátage,
Atque rege gregem tuum
Summum decus præsulum.

AMATOREM paupertátis
Te colláudant páuperes :
Assertórem veritátis
Amant veri júdices :
Frangis nobis favos mellis,
De Scriptúris dísserens.

QUÆ obscúra prius erant
Nobis plana fáciens,
Tu de verbis Salvatóris
Dulcem panem cónficis,
Et propínas potum vitæ
De Psalmórum néctare.

TU de vita Clericórum
Sanctam scribis Régulam,
Quam qui amant et sequúntur
Viam tenent régiam,
Atque tuo sancto ductu
Rédeunt ad Pátriam.

REGI regum salus, vita,
Decus et impérium :
Trinitáti laus et honor
Sit per omne sæculum :
Qui concíves nos adscríbat
Supernórum cívium. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Augustíne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Adest dies célebris, quo solútus nexu carnis sanctus præsul Augustínus assúmptus est cum Angelis : ubi gaudet cum Prophétis, lætátur cum Apóstolis, quorum plenus spíritu, quæ prædixérunt mystica fecit nobis pérvia : post quos secúnda dispensándi verbi Dei primus refúlsit grátia.

Oratio.

ADESTO supplicatiónibus nostris omnípotens Deus : et quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Magnus Dóminus, et laudábilis valde, * Qui de ténebris Géntium lumen Ecclésiæ suæ vocávit Augustínum.

Hymnus Magne Pater Augustíne., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Apéruit Augustínus códicem Apostólicum, et conjéctis óculis ad primum capítulum, legit : Induímini Dóminum Jesum Christum : et statim, quasi infúsa luce securitátis, ab eo omnes dubietátis ténebræ diffugérunt. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68* et sequentibus.

Aña. Insinuávit ergo per lítteras sancto viro Ambrósio præsens votum suum, ut móneret quid sibi de libris sanctis legéndum esset, quo percipiéndæ christiánæ grátiæ áptior fieret atque parátior.

Aña. At ille jussit Isaíam Prophétam : quod præ céteris Evangélii vocationísque Géntium sit prænuntiátor apértior. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 14.

BEATUS vir, qui in sapiéntia morábitur, et qui in justítia sua meditábitur, et in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. Qui excógitat vias illíus in corde suo, et in abscónditis suis intélligens, vadens post illam quasi investigátor, et in viis illíus consístens : qui réspicit per fenéstras illíus, et in jánuis illíus áudiens : qui requiéscit juxta domum illíus, et in pariétibus illíus figens palum státuet cásulam suam ad manus illíus, et requiéscent in cásula illíus bona per ævum : státuet fílios suos sub tégmine illíus, et sub ramis ejus morábitur : protegétur sub tégmine illíus a fervóre, et in glória ejus requiéscet.

℟. j. Invénit se Augustínus longe esse a Deo in regióne dissimilitúdinis, tamquam audíret vocem Dei de excélso : Cibus sum grándium : * Cresce, et manducábis me. ℣. Nec tu me mutábis in te, sicut cibum carnis tuæ : sed tu mutáberis in me. — Cresce, et manducábis me.

Lectio ij. Cap. 24.

QUI implet quasi Phison sapiéntiam, et sicut Tigris in diébus novórum. Qui adímplet quasi Euphrátes sensum : qui multíplicat quasi Jordánis in témpore messis. Qui mittit disciplínam sicut lucem, et assístens quasi Gehon in die vindémiæ. Qui pérficit primus scire ipsam, et infírmior non investigábit eam. A mari enim abundávit cogitátio ejus : et consílium illíus ab abysso magna. Ego sapiéntia effúdi flúmina. Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquæ dúctus exívi de paradiso.

℟. ij. Sensit ígitur et expértus est, non esse mirum quod paláto non sano pœna est panis, qui sano est suávis, * Et óculis ægris odiósa lux, quæ puris est amábilis. ℣. Propter iniquitátem corripuísti hóminem, et tabéscere fecísti, sicut aráneam, ánimam ejus. — Et óculis ægris.

Lectio iij.

DIXI : Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare : quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum. Vidéte quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem.

℟. iij. Tum vero invisibília Dei per ea quæ facta sunt intellécta conspéxit, sed áciem fígere non váluit : * Quia non secum ferébat nisi amántem memóriam, Et quasi olfácta desiderántem quæ comédere nondum posset. ℣. Quid autem sacraménti habéret, Verbum caro factum est : nec suspicári quidem póterat. — Quia non secum ferébat. Glória. Et quasi olfácta desiderántem.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Verúmtamen primam hujus lectiónem non intélligens, totúmque tale árbitrans, dístulit repeténdum exercitátior in Domínico elóquio.

Aña. Inde, ubi tempus advénit, quo nomen eum dare oportéret, relícto rure, Mediolánum rémeans, baptizátus est a beáto Ambrósio : fugítque ab eo sollicitúdo vitæ prætéritæ.

Aña. Nec satiabátur illis diébus dulcédine mirábili consideráre altitúdinem consílii divíni super salútem géneris humáni.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

(Ex ipsius scriptis, Possidio Episcopo Calamensi, et Romano Breviario.)

Lectio iv.

AUGUSTINUS, clarissimum Ecclésiæ lumen, Tagáste in Africa honéstis paréntibus natus, ac puer docilitáte ingénii æquáles longe súperans, brevi ómnibus doctrína antecélluit. Adoléscens. dum esset Carthágine, in Manichæórum hæresim incidit. Póstea Romam profóctus, inde Mediolánum missus ut rhetóricam docéret, cum ibi frequens Ambrósii Epíscopi esset audítor, ejus ópera incénsus stúdio cathólicæ fídei, annos natus trigínta tres, ab ipso baptizátur. Sed et sanctíssimæ matris Mónicæ juges pro fílii conversióne lácrimas Augustínum Ecclésiæ quodámmodo peperísse ipse étiam ingénue est profétsus, cum refert matri ubértim pro se flenti dixísse quemdam Episcopum : Vade a me, ita vivas : fíeri enim non potest ut fílius istárum lacrimárum péreat.

℟. iv. Itaque avidíssime légere cœpit, præ céteris, Apóstolum Paulum : * Et periérunt illæ questiónes, in quibus aliquándo visus est ei adversári testimóniis Legis et Prophetárum textus sermónum ejus. ℣. Et appáruit ei una fácies eloquiórum castórum : et exsultáre cum tremóre dídicit. — Et periérunt illæ quæstiónes.

Lectio v.

Ex audíta quoque vita Antónii Magni Augustínum ad capesséndam cathólicam fidem veheménter fuísse inflammátum constat, cum illud gemebúndus prótulit : Surgunt indócti, et cælum rápiunt; et nos in doctrínis nostris sine corde ecce ubi volutámur in carne et sánguine. Revérsus in Africam, cum religióne vitæ sanctimóniam conjúngens, a Valério, notæ sanctitátis Epíscopo Hipponénsi, Présbyter factus est. Quo témpore famíliam instítuit Religiosórum, quibúscum victu commúni eodémque cultu utens, eos ad Apostólicæ vitæ doctrinæque disciplínam diligentíssime erudiébat.

℟. v. Misit ergo Dóminus in mentem ejus, visúmque est bonum in conspéctu ejus pérgere ad Simpliciánum, qui ei bonus apparébat servus Dei, * Et lucébat in eo grátia divína. ℣. Audíerat enim quod a juventúte sua devotíssime Deo víveret : et vere sic erat. — Et lucébat in eo grátia divína.

Lectio vj.

Sed cum vigéret Manichæórum hæresis, veheméntius in illam ínvehi cœpit, Fortunatúmque hæresiárcham confutávit. Hac Augustíni pietáte commótus Valérius, eum adjutórem adhíbuit episcopális offícii : de cujus ordinatióne hæc ad ipsum scripsit sanctus Paulínus Nolánus Epíscopus : Non autem tantum hoc scríbimus gratulándum, quod Episcopátum Augustínus accéperit, sed quod hanc Dei curam merúerint Africánæ Ecclésiæ, ut verba cæléstia Augustíni ore percíperent.

℟. vj. Volébat enim conferénti æstus suos ut proférret quis esset aptus modus vivéndi sic affécto, ut ipse erat, ad ambulándum in via Dei, * In qua álius sic, álius sic ibat. ℣. Displicébat ei quidquid agébat in sæculo præ dulcédine Dei et decóre domus ejus, quam diléxit. — In qua álius sic. Glória. In qua álius sic.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Flebat autem ubérrime in hymnis et cánticis, suáve sonántis Ecclésiæ vócibus veheménter afféctus.

Aña. Voces ígitur illæ influébant áuribus ejus, et eliquabátur véritas in cor ejus, et fluébant lácrimæ, et bene illi erat cum eis.

Aña. Adjúnctus inde Nebrídio et Evódio remeábat ad Africam, quærens quis eos ad bene vivéndum locus habéret utílior : sed cum esset apud Ostia Tiberína, pia mater ejus defúncta est.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Epíscopi.

(Lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 16.)

Ostendit Dóminus fátuos esse judicándos, qui temporálium bonórum vel cópiam

sectántes, vel inópiam metuéntes amíttunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auférri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? Id est, Si vos, per quos condiéndi sunt quodámmodo pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cælórum : qui erunt hómines, per quos a vobis error auferátur, cum vos elégerit Deus, per quos errórem áuferat ceterórum?

℟. vij. Vulneráverat cáritas Christi cor ejus, et gestábat verba ejus in viscéribus quasi sagittas acútas : * Et exémpla servórum Dei, quos de mórtuis vivos fécerat, tamquam carbónes vastatóres. ℣. Ascendénti a conválle ploratiónis et cantánti Cánticum Gráduum déderat sagíttas acútas. — Et exémpla servórum Dei.

Lectio viij.

ERGO ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus qui pátitur persecutiónem : sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest, nisi inférior : sed inférior non est qui, quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cælo est.

℟. viij. Accépta Baptísmi grátia, pósitus apud Ostia Tiberína cum matre sua, colloquebántur soli valde dúlciter, et inhiábant ore cordis páriter in supérna fluénta fontis vitæ : * Vilescebátque mundus iste inter verba, cum delectatiónibus suis. ℣. Tunc ait illa fílio : Nulla re jam deléctor in hac vita, cum te, contémpta felicitáte terréna, vídeam servum Christi. — Vilescebátque mundus iste inter verba.

Lectio ix.

VOS estis lumen mundi. Quómodo supérius dixit, Sal terræ : sic nunc dicit, Lumen mundi. Nam neque supérius ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus : sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis et exstinguéndis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit in mundum. Et hic mundum, non cælum et terram, sed hómines, qui sunt in mundo vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illuminándis Apóstoli missi sunt.

℟. ix. Verbum Dei usque ad ipsam suam ægritúdinem imprætermísse, alácriter et fórtiter, sana mente sanóque consílio, in sancta Ecclésia prædicávit : membris ómnibus sui córporis incólumis, íntegro aspéctu atque audítu, * Coram pósitis frátribus et orántibus, Dormívit cum pátribus suis. ℣. Testaméntum nullum fecit : quia unde fáceret pauper Christi non hábuit. — Coram pósitis frátribus. Glória. Dormívit cum pátribus suis.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Augustíne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Post mortem matris revérsus est Augustínus ad agros próprios : ubi, cum amícis, jejúniis et oratiónibus vacans, scribébat libros, et docébat in-

dóctos. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Compérta autem ejus fama, beátus Valérius Hipponénsis epíscopus eum ad se accersíri fecit : et licet invítum presbyterum ordinávit.

3. Factus ergo présbyter, monastérium clericórum mox instítuit : et cœpit vívere secúndum Régulam sub sanctis Apóstolis constitútam.

4. Sanctus autem Valérius ordinátor ejus exsultábat ubérius hóminem sibi talem datum divínitus, qui in doctrína sana ædificáre Ecclésiam esset idóneus.

5. Eódem témpore Fortunátus présbyter Manichæórum versútia plúrimos seducébat : quem sanctus Augustínus in convéntu ómnium dísputans públice superávit.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus.

CÆLI cives appláudite,
Et vos fratres concínite :
Patris nostri solémnia
Solis redúxit órbita.

QUOD lingua foris pérsonat
Intus afféctus séntiat :
Nec imitári pígeat
Quod laudáre mens ápprobat.

HUNC post mundi currícula
Cæli suscépit cúria :
Quem cum suis fidélibus
Jam coronávit Dóminus.

CONEMUR totis víribus,
Jungámus preces précibus,
Ut Augustíni méritis,
Cæli fruámur gáudiis.

PRÆSTA Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. In diébus ejus obséssa est cívitas Hipponénsis ab exércitu barbarórum : inter quæ mala fuérunt Augustíno lácrimæ suæ panes die ac nocte : atque sub hoc evéntu ad extrémam horam véniens obdormívit in pace.

Oratio.

ADESTO supplicatiónibus nostris omnípotens Deus : et quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per.

AD TERTIAM,
SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Post mortem matris revérsus est Augustínus ad agros próprios : ubi, cum amícis, jejúniis et oratiónibus vacans, scribébat libros, et docébat indóctos. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Diléctus Deo., Hymnus Magne Pater Augustíne. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 728.

Ad Magnificat Aña. Hódie gloriósus Pater Augustínus, dissolúta hujus habitatiónis domo, domum non manufáctam accépit in cælis, quam sibi, cooperánte Dei grátia,

manu, lingua fabrefécit in terris : ubi jam quod sitívit intérnum gustat ætérnum, decorátus una stola, securúsque de réliqua. Oratio.

ADESTO supplicatiónibus nostris omnípotens Deus : et quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per.

¶ Hæc Oratio dicatur per Octavam.

PER OCTAVAM
S. AUGUSTINI.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Augustíni mater devotíssima, quem carne prius pepérerat mundo, caritátis viscéribus póstmodum multo sémine lacrimárum génuit Christo.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Lætáre mater nostra Jerúsalem, quia Rex tuus dispensatórem strénuum et civem fidelíssimum de servitúte Babylónis tibi redémit Augustínum.

DIE XXIX. AUGUSTI.
IN DECOLLATIONE
S. JOANNIS BAPTISTÆ.
DUPLEX.
IN I. VESPERIS.

Ad Memoriam Aña. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Oratio.

SANCTI Joánnis Baptístæ Præcursóris et Mártyris tui, quæsumus Dómine, veneránda festívitas salutáris auxílii nobis præstet efféctum. Qui vivis.

¶ Ubi vero Decollatio S. Joannis Baptistæ primas Vesperas habuerit, dicatur super Psalmos Aña Lætábitur. cum Capitulo Beátus vir qui suffert tentatiónem., pag.38*; deinde

℟. In médio cárceris stabat beátus Joánnes : voce magna clamávit, et dixit : * Dómine Deus meus Tibi comméndo spíritum meum. ℣. Misit rex, et decollári jussit Joánnem in cárcere, orántem et dicéntem. — Dómine. Glória. Tibi comméndo.

Hymnus Deus tuórum militum et ℣. Glória et honóre. pag. 38*.

Ad Magnificat Aña. Arguébat. et Oratio Sancti Joánnis Baptístæ., ut supra.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem sempitérnum veníte adorémus, * Qui Mártyrem suum digne pro méritis coronávit in cælis.

Hymnus Deus tuórum militum., pag. 38*.

¶ In tribus Nocturnis Antiphonæ, Psalmi et Versiculi de Communi unius Martyris, pag. 39* et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

℟. j. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus. — Fundátus enim erat.

℟. ij. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide

pretióso : vitam pétiit a te, et tribuísti ei * In sæculum sæculi. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo : glóriam et magnum decórem impónes super eum. — In sæculum sæculi.

℟. iij. Misit Heródes rex manus, ac ténuit Joánnem, et vinxit eum in cárcere : quia metuébat eum propter Herodíadem, * Quam túlerat Fratri suo Philíppo uxórem. ℣. Arguébat Joánnes Heródem propter Herodíadem. — Quam túlerat. Glória. Fratri suo Philíppo uxórem.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus.

Lectio iv. Lib. 5.

QUONIAM beáti Joánnis Baptístæ non strictim prætereúnda est recordátio, ínterest ut quis, et a quibus, et quam ob causam, quo modo, et quo témpore sit occísus, advértere debeámus. Ab adúlteris justus occíditur, et a reis in júdicem capitális scéleris pœna convértitur. Deínde, præmium saltatrícis mors est Prophétæ. Postrémo (quod étiam omnes bárbari horrére consuevérunt) inter épulas atque convívia, consummándæ crudelitátis proférturedíctum : et a convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium ferális flagítii circumfértur obséquium. Quanta in uno facínore sunt crímina!

℟. iv. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, * Quam repromísit Deus diligéntibus se. ℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino et misericórdiam. — Quam repromísit Deus.

Lectio v.

QUIS non, cum e convívio ad cárcerem cursári vidéret, putáret Prophétam jussum esse dimítti? Quis, inquam, cum audísset natálem esse Heródis, solémne convívium, puéllæ optiónem eligéndi quod vellet, datam, missum ad Joánnem ob solutiónem non arbitrarétur? Quid crudelitáti cum delíciis? Quid cum funéribus voluptáti? Rápitur ad pœnam Prophéta conviváli témpore, conviváli præcépto, quo non cúperet vel absólvi : perímitur gládio, caput ejus affértur in disco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, quo insatiáta épulis féritas vescerétur.

℟. v. Dómine prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus * Corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei Dómine. — Corónam de lápide pretióso.

Lectio vj.

INTUERE, rex acerbíssime, tuo spectácula digna convívio : pórrige déxteram, ne quid sævítiæ tuæ desit : ut inter dígitos tuos rivi défluant sacri cruóris. Et quóniam non exsaturári épulis fames, non restíngui póculis pótuit inaudítæ sævítiæ sitis : bibe sánguinem, scaturiéntibus adhuc venis exsécti cápitis profluéntem. Cerne óculos in ipsa morte scéleris tui testes, aversántes conspéctum deliciárum. Claudúntur lúmina, non tam mortis necessitáte quam horróre luxúriæ. Os áureum illud exsángue, cujus sententiam ferre non póteras, conticéscit, et adhuc timétur.

℟. vj. In médio cárceris stabat beátus Joánnes : voce magna clamávit, et dixit : *Dómine Deus meus Tibi comméndo spíritum meum. ℣. Misit rex, et decollári jussit Joánnem in cárcere, orántem et dicéntem. — Dómine Deus meus. Glória. Tibi comméndo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore : Misit Heródes, ac ténuit Joánnem, et vinxit eum in cárcere propter Herodíadem uxórem Philippi fratris sui, quia dúxerat eam. Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Homilia 49. in Matth.)

BEATI Joánnis Baptístæ cædem descriptúrus Evangelísta, históriam nobis contéxit, dicens : Cum autem natalítia Heródis agerèntur, saltávit fília Herodíadis in médio, et plácuit Heródi. O convívium diabólicum ! O Sátanæ spectáculum ! O iníquum tripúdium, ac mercédem tripúdii multo iniquiórem ! Cædes enim ómnium scelestíssima cædium excogitabátur : et qui coronári ac láudibus in cælum efférri merebátur, percússus secúri jacébat. Qui dæmones devícit, ejus caput, post cædem, ad mensam afferebátur.

℟. vij. Stolam jucunditátis índuit eum Dóminus, *Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. — Et corónam pulchritúdinis.

Lectio viij.

TU vero pérspice quómodo totum illud spectáculum Sátanæ erat. Nam primum temuléntia et delíciis constábat, unde nihil unquam probe factum est. Deínde spectatóres omnes erant corrúpti, et ille, qui convívio præerat, ómnium iniquíssimus. Tértio volúptas atque licéntia ómnia dicéndi, audiéndi, faciéndi, máxima in ipsis erat. Quarto puélla, propter quam matrimónium fieri non póterat, quæ abdi atque occultári propter contémptum matris debébat, ingréditur, ómnia palam fáciens, et omnes meretrices virgo impudéntia súperans.

℟. viij. Coróna áurea super caput ejus expréssa signo sanctitátis, glória honóris, * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et opus fortitúdinis.

Lectio ix.

TEMPORIS quoque ipsíus inopportúnitas mirum in modum scelus Heródis amplíficat. Nam quando grátias Deo ágere oportébat, qui eum illo die in lucem prodúxit, tunc nefandíssimam cædem committit. Quando vinctum ex gáudio sólvere debébat, ad víncula iniquíssima mors jussu ejus accédit. Deus autem sustínuit, nec terræ hiátu turpíssimum illud est absórptum convívium: ut et justus ille fulgentióres in cælo corónas consequerétur, et qui póstea injúriam passúri essent, hoc exémplo corroboráti, æquióri ánimo cuncta perférrent.

℟. ix. Accedéntes discípuli sancti Joánnis Baptístæ,* Tulérunt corpus ejus, Et sepeliérunt illud. ℣. Jussu Heródis amputátum est caput Joánnis in cárcere: quo audíto, discípuli ejus. — Tulérunt corpus ejus. Glória. Et sepeliérunt illud.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Joánnes Baptista. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Heródes enim ténuit et ligávit Joánnem, et pósuit in cárcerem propter Herodíadem. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris. pag. 17.

2. Puéllæ saltánti imperávit mater : Nihil áliud petas nisi caput Joánnis.

3. Dómine mi rex da mihi in disco caput Joánnis Baptístæ.

4. Da mihi in disco caput Joánnis Baptístæ. Et contristátus est rex propter jusjurándum.

5. Misit rex incrédulus minístrum detestábilem, et amputári jussit caput Joánnis Baptístæ.

Capitulum Beátus vir qui suffert tentatiónem., Hymnus Martyr Dei. cum ℣. Coróna áurea., ut in Communi unius Martyris pag. 46*.

Ad Benedictus Aña. Misso Heródes spiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere : quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus, et posuérunt illud in monuménto. Oratio.

SANCTI Joánnis Baptístæ Præcursóris et Mártyris tui, quæsumus Dómine, veneránda festívitas salutáris auxílii nobis præstet efféctum. Qui vivis.

In Laudibus ad Memoriam S. Sabinæ M. Aña. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : quia concupívit rex spéciem tuam.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio.

DEUS, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ut qui beátæ Sabínæ Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Martyris, pag. 46*.

IN II. VESPERIS.

Ad Memoriam Aña. Perpétuis nos Dómine sancti Joánnis Baptístæ tuére præsídiis : et quanto fragilióres sumus, tanto magis necessáriis attólle suffrágiis.

¶ Ubi vero Decollatio S. Joannis secundas Vesperas integras habuerit, super Psalmos Aña. Heródes enim ténuit et ligávit Joánnem, et pósuit in cárcerem propter Herodíadem. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Martyris, pag. 47*.

Capitulum Beátus vir, qui suffert tentatiónem., Hymnus Deus tuórum mílitum. et ℣. Glória et honóre. de eodem Communi, pag. 38*.

Ad Magnificat Aña. Perpétuis., ut supra.

DIE XXX. AUGUSTI.

S. ROSÆ A LIMA

VIRG. ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Incípite Dómino in tympanis, cantáte Dómino in cymbalis, modulámini illi psalmum novum, exaltáte et invocáte nomen ejus. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Sap. 8.

HANC amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus, ait Dóminus omnípotens.

℟. Ego quasi storax et gálbanus, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam. * Quasi bálsamum non mistum Odor meus. ℣. Dedit Indica Rosa odórem suavitátis, et domus impléta est ex odóre unguénti. — Quasi. Glória. Odor meus.

Hymnus.

TELLURIS omnes íncolæ
Rosæ plaudant solémniis,
Ejúsque laudes cóncinant
A solis ortu ad Hésperum.

HÆC a paréntis úbere
Prævénta donis grátiæ,
Deóque plena, víndicem
Armávit in se déxteram.

MIRIS modis innóxios
Afflíxit artus, spíneis
Cinxit coróllis vérticem,
Cibósque felle pólluit.

NUNC læta pœniténtiæ
Largo potítur præmio,
Novúmque psallit cánticum,
Agni sequens vestígia.

HORUM Datóri múnerum
Sit laus decúsque pérpetim :
Qui trinus unus ómnia
Regit Deus per sæcula. Amen.

℣. Ora pro nobis beáta Rosa.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Benedicta tu a Deo tuo Rosa in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, super te Deus Israel magnificábitur.

Oratio.

BONORUM ómnium largítor omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti : da nobis fámulis tuis ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur : Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem sempitérnum venite adorémus, * Qui Rosam cordis sui digne pro méritis coronávit in cælis.

Hymnus.

LIMANA regum cívitas
Regále munus édidit :
Rosam Deo gratíssimam,
Cæléstis oræ flósculum.

VICIT nitóre sídera,
Pulsa soli calígine :
Et par beátis méntibus,
Numen gerébat péctore.

PORTENTA vel ludíbria
Sævæ Stygis non hórruit,
Sedítque solitária,
Turbam perósa et sæculum.

NOS o Beáta réspice
Tuis vacántes láudibus
Et expiátis sórdibus,
Duc ad supérna gáudia.

Sit, Christe Sponse vírginum,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Rosam tuam Dómine minuísti paulo minus ab Angelis, quia glória et honóre coronásti eam. Psalmi de Communi unius Virginis, pag. 88*. et sequentibus.

Aña. Tamquam sponsus procédens de thálamo suo, in Rosa pósuit tabernáculum suum.

Aña. Rosa ínnocens mánibus et mundo corde ascéndit in montem Dómini, et stabit in loco sancto ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De Cánticis canticórum.
Lectio j. Cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam viníriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illius amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam quoadúsque ipsa velit.

℟. j. Atténdite pópuli de longe : Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ * Recordátus est nóminis mei.

℣. Magnus pastor óvium, in sánguine testaménti ætérni, próprias oves vocat nominátim, et edúcit eas. — Recordátus est nóminis mei.

De libro Proverbiórum.
Lectio ij. Cap. 8.

Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ, et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in initio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fieret.

℟. ij. Datum est Rosæ nomen mélius a fíliis et filiábus : nomen novum, * Quod os Dóminæ nominávit. ℣. Dabo illi cálculum cándidum : et in cálculo nomen novum. — Quod os Dóminæ nominávit.

De libro Ecclesiástici.
Lectio iij. Cap. 39.

Obaudite me divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte. Floréte flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam, et collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis. Date nómini ejus magnificéntiam, et confitémini illi in voce labiórum vestrórum, et in cánticis labiórum, et cítharis, et sic dicétis in confessióne : Opera Dómini univérsa bona valde.

℟. iij. Ego quasi storax et gálbanus, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam. * Quasi bálsamum non mistum Odor meus. ℣. Dedit Indica Rosa odórem suavitátis, et domus impléta est ex odóre unguénti. — Quasi bálsamum non mistum. Glória. Odor meus.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Omnis glória Rosæ ab intus, in vestítu deauráto, circumamícta varietáte : ídeo concupívit Rex spéciem ejus.

Aña. Adjúvit Rosam Dóminus mane dilúculo, et in médio cordis ejus non commovébitur.

Aña. Fundaménta Rosæ in móntibus sanctis : et ipse fundávit eam Altíssimus super ómnia tabernácula Jacob.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

(Ex Actis, et Bulla Beatificat.)

Lectio iv.

PRIMUS Américæ Meridionális flos sanctitátis Virgo Rosa, christiánis paréntibus Limæ progénita, mox ab incunábulis cláruit futúræ sanctimóniæ indíciis. Nam vultus infántis mirabíliter in rosæ effígiem transfigurátus, huic nómini occasiónem dedit, cui póstea Virgo Deípara cognómen adjécit, jubens vocári deínceps Rosam a sancta María. Quinquénnis votum perpétuæ virginitátis emísit. Adúltior, ne a paréntibus ad núptias cogerétur, clam sibimet venustíssimam cápitis cæsáriem præscídit. Jejúniis supra humánum modum addícta, íntegras Quadragésimas transégit pane ábstinens, ac diétim solis quinque gránulis mali cítrini víctitans.

℟. iv. Non conferétur hæc Rosa tinctis Indiæ colóribus, nec dábitur aurum obrizum pro ea : * Quóniam omne aurum in comparatióne illíus, aréna est exígua. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi. — Quóniam omne aurum.

Lectio v.

HABITU Tértii Ordinis sancti Patris nostri Domínici assúmpto, prístinas vitæ austeritátes duplicávit. Oblóngo asperrimóque cilício sparsim minúsculas acus innéxuit : sub velo corónam densis acúleis intrórsus obarmátam intérdiu noctúque gestávit. Sanctæ Catharínæ Senénsis árdua premens vestígia, caténa férrea, tríplici nexu circumdúcta, lumbos cinxit. Léctulum sibi e truncis nodósis compósuit, horúmque vácuas commissúras fragmínibus testárum implévit. Céllulam sibi angustíssimam struxit in extrémo horti ángulo, ubi cæléstium contemplatióni dédita, crebris disciplínis, inédia, vigíliis corpúsculum exténuans, at spíritu vegetáta, larvas dæmonum, frequénti certámine victrix, impávide protrívit, ac superávit.

℟. v. Fecit sibi secrétum cubículum, in quo clausa morabátur, et habens super lumbos suos cilícium, * Jejunábat ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Virgo Rosa cogitábat quæ Dómini sunt, ut esset sancta córpore et spíritu. — Jejunábat.

Lectio vj.

ÆGRITUDINUM torméntis, domesticórum insúltibus, linguárum mórsibus dire agitáta, nondum satis pro mérito se afflígi querebátur. Per quíndecim annos, ad plúsculas horas desolatióne spíritus et aridítate miserrime contabéscens, forti ánimo tulit agónes omni morte amarióres. Exínde cœpit supérnis abundáre delíciis, illustrári visiónibus, colliquéscere seráphicis ardóribus. Angelo tutelári, sanctæ Catharínæ Senénsi, Vírgini Deíparæ, inter assíduas apparitiónes mire familiáris, a Christo has voces audíre méruit : Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Dénique Sponsi hujus paradíso feliciter invéctam, plurimísque ante et post óbitum miráculis corúscam, Clemens Décimus Póntifex Máximus sanctárum Vírginum catálogo ritu solémni adscrípsit.

℟. vj. Benedícta es tu fília a Deo excélso : quia non pepercísti ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, * Sed subvenísti ruínæ Ante conspéctum Dei nostri. ℣. Curásti gentem tuam, et liberásti eam a perditióne. — Sed subvenísti ruínæ. Glória. Ante conspéctum Dei nostri.

IN III. NOCTURNO.

Ána. Surgénte Rosa, gaudébant campi et ómnia quæ in eis sunt : et exsultábant ómnia ligna silvárum.

Ána. Exsúltet terra, et læténtur ínsulæ multæ : quia vidérunt omnes pópuli glóriam sanctificatiónis ejus.

Ána. Moveátur mare et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo : quia Dóminus in Rosa mirabília fecit.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

(In cap. 13. Matth.)

AUDISTIS fratres quemádmodum grano sinápis tota regni cæléstis comparáta est magnitúdo. Quærens Christus in cælo et in terra, nihil invénit, nisi granum sinápis, in quo poténtiam totam supérnæ dominatiónis inclúdat : et illud regnum singularitáte potens, æternitáte felix, divinitáte fulgens, diffúsum toto cælo, tota terra dilatátum, in grani sinápis coárctat et cogit angústias. Spes ista est credéntium tota? Exspectátio ista est fidélium summa? Ista est felícitas vírginum, longis continéntiæ labóribus comparáta? Fratres, non fácile Domínicis moveámur in dictis. Nam si infírmum Dei fórtius est homínibus, hoc mínimum Dei tota magnitúdine mundi magnificéntius invenítur : si modo hoc granum sinápis nos sic nostris seminémus in méntibus, ut intelligéntiæ nobis magnam in árborem crescat.

℟. vij. Diléxit Rosa decórem domus Dei et locum habitatiónis glóriæ ejus : ídeo * Requiéscet in monte sancto ejus. ℣. Non discedébat de templo, jejúniis, et obsecratiónibus sérviens nocte et die. — Requiéscet.

Lectio viij.

GRANI ergo sinápis instar est regnum Dei : quod de supérnis affértur verbo, suscípitur audítu, fide séritur, credulitáte radicátur, spe crescit, confessióne diffúnditur, virtúte ténditur et dilatátur in ramos, ad quos vocat aves cæli, id est spirituáles sensus, atque in ipsis eas quiéta súscipit mansióne. Véniat hæréticus : véniat, quia redeúntibus Eccléstæ semper patéscit ingréssus. Véniat, áudiat, et pietáti Domínicæ jam désinat oblatráre. Si cæléstis regni majéstas omnis ad grani sinápis similitúdinem venit : quid quéritur quod Deus ad hóminem, Dóminus servi descéndit ad formam ? Sic enim venit, ut tibi totum per fidem crésceret, cui jam totum defécerat per natúram.

℟. viij. Veni de Líbano Rosa cordis mei, veni de Líbano sponsa : * Veni, coronáberis de vértice Sanir et Hermon. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce Sponsus venit. — Veni, coronáberis.

Lectio ix.

SED atténdite quia Christus est regnum cælórum, qui velut granum sinápis in hortum virginei córporis missus, orbe toto crucis in árborem crevit : ac tantum dedit fructus sui sapórem, cum téritur Passióne, ut quidquid est vitále, suo saporáret et condíret attáctu. Nam sicut in integritáte grani sinápis virtus habétur occúlta, appáret vero virtus ejus vehementíssime, si terátur : ita Christus córpore teri vóluit, qui suam nóluit latére virtútem. Et nos, fratres, terámus istud granum sinápis, ut ejus vim in hac similitúdine sentiámus. Terámus granum illud, ut ora nostra fervéntia vívido fructu sui sapóris succéndat : et ita ignis ejus toto nobis árdeat et flammétur in péctore, atque nostræ ignorántiæ totum nobis áuferat sua degustatióne fastídium.

℟. ix. Gaudeámus et exsultémus, quia venérunt núptiæ Agni, et uxor ejus præparávit se : * Datum est illi ut coopériat se byssino splendénti et cándido, quæ sunt Justificatiónes sanctórum. ℣. Pósuit rex diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre. — Datum est illi. Glória. Justificatiónes sanctórum.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta Rosa. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Mirábilis in altis Dóminus, ut sponsam suam mirificáret, decórem indútus est, præcíngens se virtúte. Psalm. Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. In lætítia et exsultatióne sérviens Deo, beáta Rosa introívit in átria ejus.

3. Exsultávit Rosa in velaménto alárum tuárum, quia suscépit eam déxtera tua.

4. Benedícat omnis imber et ros Dómino, qui Rosam bene-

dictióne irrigávit de superióribus suis.

5. Laudent nomen Dómini aquæ omnes quæ super cælos sunt, ubi Rosa vernat plantáta juxta rivos aquárum.

Capitulum. Sap. 8.

HANC amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus.

AURORA cælum púrpurat, Rosísque mane cóncolor
Laudes sacrátæ Vírginis
Rosæ monet nos pángere.

HANC ergo laudent ángeli
Et omnis ordo cælitum :
Laudent chori mortálium
Ubique gestis ínclytam.

HANC primam amóris víctimam
Admóvit aris India,
Orbis juvámen præpotens,
Exémplar innocéntiæ.

DAT cæcis luce pérfrui,
Solvítque linguæ víncula,
Claudos jacéntes érigit,
Morbis medétur ómnibus.

JUGIS tibi laus Trínitas
Reddátur omni témpore,
Et cum Rosa nos pértrahe
Ad nuptiále gáudium. Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Benedictus Aña. O Rosa odorífera, spargens ubíque virtútum odórem, fac nos ejus, qua frúeris, lucis suavitatísque partícipes. Oratio.

BONORUM ómnium largítor omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti : da nobis fámulis tuis ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur : Qui tecum vivit.

In Laudibus Memoria SS. Felicis et Adaucti MM. Oratio.

MAJESTATEM tuam Dómine súpplices exorámus : ut sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne deféndas. Per.

AD TERTIAM,

Capitulum Hanc amávi. ut in Laudibus.

℣ ℟℟. et ℣℣. Horar. de Communi unius Virginis, pag. 96*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 39.

OBAUDITE me divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 39.

FLORETE flores quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam : collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Mirábilis in altis Dóminus, ut sponsam suam mirificáret, decórem indútus est, præcíngens se virtúte. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Hanc amávi., Hymnus Tellúris omnes íncolæ. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat Aña. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri : o Rosa fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum.

PER OCTAVAM S. ROSÆ.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. In médio pópuli sui Rosa exaltábitur, et in plenitúdine sancta admirábitur : in multitúdine electórum habébit laudem. ℣. de Communi unius Virginis. Oratio.

BONORUM ómnium largítor omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti : da nobis fámulis tuis ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur : Qui tecum vivit.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Rosa soror nostra, bene sit nobis propter te, et vivat ánima nostra ob grátiam tui.

℣. Ora pro nobis beáta Rosa. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Oratio Bonórum. ut supra.

DIE XXXI. AUGUSTI.

S. RAYMUNDI NONNATI

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita líberis méntibus exsequámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

RAYMUNDUS, Nonnátus cognoménto dictus, quia præter commúnem natúræ legem e mórtuæ matris dissécto látere in lucem edúctus fuit, Portélli in Cataláunia piis et nobílibus paréntibus ortus, ab ipsa infántia futúræ sanctitátis indícia dedit. Nam puerília oblectaménta mundíque illécebras réspuens, ita pietáti óperam dabat, ut omnes in púero adúltam virtútem admiraréntur. Crescénte vero ætáte, litterárum stúdiis incúbuit : sed mox, jubénte patre, vitam ruri agens, sacéllum sancti Nicolái in Portélli fínibus situm crebro adíbat, ut sacram Deiparæ imáginem, quæ in eo summa fidélium veneratióne étiam nunc cólitur, visitáret. Ibi effúsus in preces, ipsam Dei Paréntem, ut se in fílium adoptáre, viámque salútis ac sciéntiam sanctórum edocére dignarétur, enixe deprecabátur.

Lectio v.

NEC défuit votis ejus benigníssima Virgo : ab ipsa enim intelléxit gratíssimum sibi fore, si Religiónem sub título de Mercéde, seu de Misericórdia Redemptiónis captivórum, ea suggeránte nuper fundátam, ingrederétur. Qua monitióne percépta, Barcinónam statim profóctus, illud tam præcelléntis erga próximum caritátis institútum amplexus est. Regulári igitur militiæ adscríptus, virginitátem, quam pridem beátæ Vírgini consecráverat, perpétuo cóluit, ceterísque virtútibus enítuit, caritáte præsértim erga Christiános, qui sub potestáte paganórum míseram in captivitáte vitam degébant. Hos ut redímeret, in Africam missus, cum

jam multos a servitúte liberásset, ne consúmpta pecúnia, áliis item in próximo abnegándæ fídei discrímine constitútis deésset, se ipsum pígnori dedit: sed cum ardentíssimo salútis animárum desidério succénsus, plures Mahometános suis conciónibus ad Christum convérteret, in arctam custódiam a Bárbaris conjéctus, variísque supplíciis cruciátus, mox lábiis perforátis et sera férrea clausis, crudéle martyrium diu sustínuit.

Lectio vj.

Ob hæc et ália fórtiter gesta, sanctitátis ejus fama longe latéque diffúsa est: qua permótus Gregórius Nonus in amplíssimum sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálium collégium Raymúndum adscrípsit: sed Vir Dei in ea dignitáte ab omni pompa abhórrens, religiósæ humilitátis tenacíssimus semper fuit. Romam vero pergens, statim ac Cardónam pervénit, extrémo morbo conféctus ecclesiásticis Sacraméntis muníri summis précibus postulávit. Cumque morbus ingravésceret et Sacérdos diútius tardáret, Angelórum ministério, sub spécie Religiosórum sui Ordinis apparéntium, salutári Viático refóctus fuit. Quo sumpto, et grátiis Deo peráctis, migrávit ad Dóminum Domínica última Augústi, anno millésimo ducentésimo quadragésimo. Mórtui corpus, cum circa locum sepultúræ conténtio orta esset, arcæ inclúsum et mulæ cæcæ impósitum, ad sacéllum sancti Nicolái Dei nutu delátum fuit, ut ibi tumularétur, ubi prima jécerat sanctióris vitæ fundaménta. Illic constrúcto sui Ordinis cœnóbio, a confluéntibus voti causa ex univérsa Cataláunia fidélibus pópulis honorátur, váriis miráculis et signis gloriósus.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. PHILUMENÆ

VIRG. ET MART.

DUPLEX. Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius ut qui beátæ Philuménæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Mem. S. Ægidii Abbatis. Oratio.

Intercessio nos, quæsumus Dómine, beáti Ægídii Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus ejus patrocínio assequámur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Inter cétera Mártyrum sepúlcra, quæ in cœmetério Priscíllæ ad viam Saláriam reperíri solent, illud éxstitit, quo repósitum fúerat sanctæ Philuménæ corpus, uti ex túmuli inscriptióne tribus latérculis appósita perlegebátur. Licet vero invénta ibídem fúerit phíala sánguinis, et ália inscúlpta conspiceréntur martyrii insígnia, doléndum tamen est, res ab eádem gestas,

áctaque ac genus martyrii, quod ipsa fecit, obscúra perstitísse. Céterum, ubi primum sacrum hoc corpus, ex beneficéntia Pii Séptimi inítio pontificátus ejus accéptum, cúltui fidélis pópuli propósitum fuit Mugnáni in Nolána dicœcési, ingens íllico famæ celébritas ac relígio erga sanctam Mártyrem percrébuit, præsértim ob signa, quæ ejúsdem præsídio accessísse úndique ferebántur. Hinc factum est ut complúrium Antístitum cultorúmque Mártyris postulatiónibus permótus Gregórius Décimus sextus Póntifex Máximus, univérsa rei ratióne matúre perpénsa, festum ejúsdem cum Offício et Missa in memoráta Nolána dicœcési et álibi agéndum benígne permíserit.

Sermo sancti Máximi Epíscopi. (Homil. de S. Agnete.)

Lectio v.

CUM in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, et sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet affféctu : eo usque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitátis arríperet, et per vestígia Matris Vírginis ad cæléstem thálamum perveníret. O quam imitábile virgínibus, Virgo, tui amóris tradidísti exémplum, contemnéndo mundi divítias, exsecrándo carnis concupiscéntias, et solam Christi pulchritúdinem adamándo.

Lectio vj.

BEATISSIMA hæc Virgo magnum de se pudicítiæ excitávit exémplum, cum virginitátem prætulit vitæ, trophæum Crucis Christi arrípuit, et tam contra libídines quam étiam contra supplícia univérsa, fide pótius armáta quam ferro, fórtiter dimicávit et vicit. Nescit amáre áliquid, quod transit : et dum nimis virginitátem díligit, nec ludíbria, nec flammas, nec supplícia, nec carnífices métuit : postrémo nec gládium furéntis percussóris expávit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito. de Communi unius Virginis et Martyris, pag. 94*.

DIE II. SEPTEMBRIS.

S. STEPHANI HUNGARIÆ REGIS CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

CONCEDE, quæsumus, Eccléstæ tuæ omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

STEPHANUS in Hungáriam Christi fidem et régium nomen invéxit. Régia coróna a Románo Pontífice impetráta, ejúsque jussu in Regem inúnctus, regnum Sedi Apostólicæ óbtulit. Vária pietátis domícilia Romæ, Hierosólymis, Constantinópoli, in Hungária

archiepiscopátum Strigoniénsem, episcopátus decem admirábili religióne et munificéntia fundávit. Par in páuperes amor et liberálitas, quos véluti Christum ipsum compléctens, néminem a se mæréntem ac vácuum unquam dimísit, quin ad eórum inópiam sublevándam amplíssimis facultátibus erogátis, domésticam quoque supelléctilem exímia benignitáte frequénter distríbuit : suis ínsuper mánibus laváre páuperum pedes, noctu solus et ignótus nosocomia frequentáre, decumbéntibus inservíre, ac cétera caritátis offícia exhibére consuévit : quarum virtútum mérito, illíus déxtera, resolúto cétero córpore, incorrúpta permánsit.

Lectio v.

ORANDI stúdio noctes pene totas ducébat insómnes : atque in cæléstium rerum contemplatióne defíxus, intérdum extra sensus raptus, sublímis in áera ferri visus fuit. Perduéllium conspiratiónes ac validórum hóstium ímpetus, miro prorsus modo, non semel oratiónis præsídio evitávit. Susséptum ex Ghisélla Bavárica, sancti Henrici imperatóris soróre, quam sibi matrimónio júnxerat, Emerícum fílium tanta morum disciplína talíque pietáte enutrívit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit. Regni vero negótia ita dispósuit, ut accítis úndique prudentíssimis ac sanctíssimis viris, nihil unquam sine illórum consílio molirétur. Humíllimis ínterim précibus in cínere et cilício Deum déprecans ut univérsum Hungáriæ regnum, ántequam e vita migráret, cathólicum vidére mererétur : vere, propter ingens dilatándæ Fídei stúdium, illíus gentis Apóstolus nuncupátus, facta a Románo Pontífice ipsi posterísque régibus præferéndæ crucis potestáte.

Lectio vj.

DEI Genitrícem, quam ardentíssime venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriæ Patrónam instítuit : ab eádem vicíssim Vírgine recéptus in cælum ipso suæ Assumptiónis die, quem Húngari, e sancti Regis institúto, Magnæ Dóminæ diem appéllant. Sacrum ejus corpus, suavíssimo fragrans odóre, liquóre cæléstí scatens, inter multa et vária mirácula, Románi Pontíficis jussu nobiliórem in locum translátum est atque honorificéntius cónditum. Ejus autem festum Innocéntius Undécimus Póntifex Máximus quarto Nonas Septémbris, ob insígnem victóriam ab exército Leopóldi Primi, Romanórum elécti imperatóris et Hungáriæ regis, eádem die in Budæ expugnatióne ope divína e Turcis reportátam, celebrándum instítuit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

(Ex lib. 8. in Lucam.)

BONUS ordo, ut vocatúrus Gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmitteret comparatiónem, ne dicerétur, Nihil déderat pópulo Judæórum, unde mélior póterat fieri : ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non mediocris ista est mna, quam supra múlier evangélica quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam. Dénique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus : ille duplicia, id est mystica Legis, et morália probitátis.

Lectio viij.

ET hic póssumus decem mnas, decem verba intellígere, id est Legis doctrínam; quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legisperítum in ómnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt, non útique æris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniæ fénebris, ália doctrínæ cæléstis usúra. Cum Dóminus dicit, Quare non dedísti pecúniam meam ad mensam? non nostræ, sed suæ pecúniæ quærit usúram. Unus in terra abscondísse se dicit : quod ratiónem, quæ ad imáginem Dei data est nobis, stúdio voluptátis óbruit, et tanquam in fóvea carnis abscóndit.

Lectio ix.

DE áliis silétur, qui quasi pródigi debitóres, quæ acéperant perdidérunt. In duóbus illis pauci sunt, qui per duas vices ad cultóres víneæ destináti sunt : in réliquis omnes Judæi. Quam comparatiónem Matthæus étiam nobis vóluit aptáre : quod simíliter ut dives, qui pecúniam suam non impártit paupéribus, ita étiam qui doctrínæ suæ grátiam non dívidit imperítis, docére cum possit, haud mediocris reus est culpæ. Civitátes autem quinque esse quæ possunt, nisi forte ánimæ, quibus jure præpónitur, qui pecúniam dómini et illa elóquia casta probáta sicut argéntum méntibus hóminum feneráverit?

DIE III. SEPTEMBRIS.

B. GUALÆ

EPISC. ET CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui ad plebem tuam in pace et pietáte firmándam beátum Guálam, Confessórem ac Pontíficem, singulári grátia decorásti : ejus nobis intercessióne concéde ut pacis stúdia operóse sectántes, úberes pietátis fructus percipiámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 70*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BEATUS Guala ex illústri Roniórum gente Bérgomi ortus est vertente sæculo duo-

décimo. Ordinem Prædicatórum ampléxus, ob egrégiam vitæ ratiónem ínclyto Fundatóri ita fuit accéptus, ut cœnóbio Brixiénsi præfici merúerit, prióris sui Præsidis ab ipso beáto Domínico auctus múnere. In hoc autem offício obeúndo, non modo ab iis quibus præerat diléctus et cultus est, sed étiam cívium amórem sibi conciliávit, tum propter eximiam vitæ sanctimóniam, tum étiam quia téneram de egénis sollicitúdinem gerens, nil áliud in suis actiónibus nisi públicum bonum spectáre videbátur.

Lectio v.

SUMMA præditus doctrína, omni virtútum génere fulgébat, præsértim humilitáte, et caritáte erga próximos. Jugi carnis maceratióni singuláre adjúnxit oratiónis stúdium, quo méruit de beáti Domínici ad cælum ascénsu supérna visióne monéri, ceu constans nos édocet traditio, históricis ac pictóriæ artis monuméntis firmáta. Exímii Viri pietátem et sciéntiam mirátus Gregórius Nonus, in partem sollicitúdinis pastorális eum ádvocans, difficíllima quæque negótia in máximis christiánæ reipúblicæ necessitátibus eídem commísit. Etenim suprémus fídei Quæsítor est constitútus, neque non Sanctæ Sedis Legátus ad sedándas discórdias inter pópulos Gálliæ Cisalpínæ, tum ad pacem firmándam inter Longobárdos et Fridéricum imperatórem, ne sacra expeditio contra hostes christiáni nóminis lóngius protraherétur.

Lectio vj.

INTEREA, Brixiénsi Ecclésia suo viduáta pastóre, non álii Gregórius Nonus eam Sedem impertíri vóluit quam dilécto Gualæ, cujus prudéntiam óptime nóverat. Relúctans licet, christiánam plebem regéndam suscépit, sédulo studens reformáre mores pietatémque fovére. Diu tamen episcopáli múnere fungi haud pótuit : quippe ob cívium factiónes fúgere coáctus, apud mónachos Vallis umbrósæ prope Bérgomum sese recépit, ubi sacris stúdiis ac piis opéribus vacans, diem exspectábat quo ad Ecclésiam suam posset remeáre. Post quinquénnium voti compos efféctus, commúni lætítia et potíssima honóris significatióne a suo grege excéptus est. Dum boni pastóris offíciis totus incúmberet, Bérgomum vocátur, ut ecclésiæ sancti Stéphani primum lápidem póneret. Solémni vix compléta cæremónia, morbo corréptus est, atque die tértia Septémbris anni millésimi biscentésimi quadragésimi quarti, in cœnóbio Astinénsi beátum spíritum Deo réddidit, ibíque sacra in æde tumulátus est próuti jússerat. Ita autem percrébuit sanctitátis fama, quam in vita obtinúerat, ut ejus exúviæ, tria post sæcula solémniter elevátæ, público cultu a fidélibus ad hæc usque témpora honorátæ fúerint. Porro hujúsmodi cultum immemoriálem sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto Pius Nonus Póntifex Máximus ratum hábuit et confirmávit,

indulsítque ut in diœcésibus Bergoménsi et Brixiénsi, neque non in Prædicatórum Ordine festum beáti Gualæ cum Offício et Missa quotánnis celebrétur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Vigiláte. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 74*.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

IN OCTAVA S. AUGUSTINI.

SOLEMNE.

IN I. VESPERIS.

Capitulum, Hymnus, ℣. Antiphona ad Magnificat et Oratio ut in j. Vesperis Festi, pag. 728.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Magnus Dóminus et laudábilis valde, * Qui de ténebris Géntium lumen Ecclésiæ suæ vocávit Augustínum.

Hymnus Magne Pater Augustine., ut in j. Vesperis Festi, pag. 728.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Apéruit Augustínus códicem Apostólicum, et conjéctis óculis ad primum capítulum legit: Induímini Dóminum Jesum Christum : et statim, quasi infúsa luce securitátis, ab eo omnes dubietátis ténebræ diffugérunt. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68*.

Aña. Insinuávit ergo per lítteras sancto viro Ambrósio præsens votum suum, ut monéret quid sibi de libris sanctis legéndum esset, quo percipiéndæ christiánæ grátiæ áptior fíeret atque parátior.

Aña. At ille jussit Isaíam prophétam : quod præ céteris Evangélii vocationísque Géntium sit prænuntiátor apértior. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Lectiones de Scriptura currente, vel (si Dominica fuerit) de Apostolo.

℟. j. Invénit se Augustínus longe esse a Deo in regióne dissimilitúdinis, tamquam audíret vocem Dei de excélso : Cibus sum grándium : *Cresce, et manducábis me. ℣. Nec tu me mutábis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutáberis in me. — Cresce, et manducábis me.

℟. ij. Sensit ígitur et expértus est non esse mirum quod paláto non sano pœna est panis, qui sano est suávis, * Et óculis ægris odiósa lux, quæ puris est amábilis. ℣. Propter iniquitátem corripuísti hóminem, et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus. — Et óculis ægris.

℟. iij. Tum vero invisibília Dei per ea quæ facta sunt intellécta conspéxit, sed áciem fígere non váluit : * Quia non secum ferébat nisi amántem memóriam, Et quasi olfácta desiderántem quæ comédere nondum posset. ℣. Quid autem sacraménti habéret, Verbum caro factum est, nec suspicári quidem póterat. — Quia non secum ferébat. Glória. Et quasi olfácta desiderántem.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Verúmtamen primam hujus lectiónem non intélligens, totúmque tale árbitrans,

distulit repeténdum exercitátior in Domínico elóquio.

Aña. Inde, ubi tempus advénit, quo nomen eum dare oportéret, relícto rure, Mediolánum rémeans, baptizátus est a beáto Ambrósio : fugítque ab eo sollicitúdo vitæ prætéritæ.

Aña. Nec satiabátur illis diébus dulcédine mirábili consideráre altitúdinem consílii divíni super salútem géneris humáni.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Lectio iv.

Augustini cum omnis de religióne, tum de grátia imprímis et prædestinatióne doctrína a Concíliis semper, Pontificibúsque Máximis singulári laude celebráta est. Nam synodi Jerosolymitánæ Patres, cum adhuc ille in vivis ágeret, testáti públice sunt ex ejus ore concéssam a Dómino fuísse univérsæ Africæ sanitátem. Inde cum Vir máximus tot libris rebúsque gestis ad sempitérnam memóriam sui nóminis glóriam propagásset, consequéntibus sæculis a Synodo œcuménica quinta splendens inter epíscopos Africæ, a Lateranénsi sub Martíno Primo exímius doctor, a sexta œcuménica veritátis prudentíssimus prædicátor, a séptima magnus magíster appellátus est. Quam ob rem méruit ut deínceps a Duziacénsi prima, non parva Christi pórtio et Ecclésiæ cathólicæ institútio atque defénsio : a Triburiénsi vero, doctor mirábilis vocarétur. Gelásius autem Primus ei, qua Augustínus flóruit, ætáti suppar, lumen ipsum ecclesiasticórum magistrórum dixit. Post, Joánnes Secúndus, cum Augustíni quemdam esset allatúrus locum, Hujus doctrínam, inquit, secúndum præcessórum meórum statúta, Romána séquitur et servat Ecclésia. Quod idem fere Pelágius Secúndus, Agatho, Hadriánus Primus, Nicoláus Primus, Leo Nonus, Gregórius Séptimus, Martínus Quintus ceteríque Pontífices confirmárunt. Ac Martínus quidem tantum ei laudis tríbuit, quantum vix ulli unquam Doctórum tribútum est : Nihil pene, inquit, ex sacris lítteris, nisi eo duce, intélligi atque explicári potest. Idem Prophetárum orácula, idem Apostolórum voces refert, idem ómnium Scripturárum sensum éxprimit, unus postrémo ómnium Patrum sapientúmque ingénia éxhibet.

℟. iv. Itaque avidíssime légere cœpit præ céteris Apóstolum Paulum : * Et periérunt illæ quæstiónes, in quibus aliquándo visus est ei adversári testimóniis Legis et Prophetárum textus sermónum ejus. ℣. Et appáruit ei una fácies eloquiórum castórum, et exsultáre cum tremóre dídicit. — Et periérunt illæ quæstiónes.

Lectio v.

In Synodo Palæstína, cum de grátia libertáteque arbítrii agerétur, Joánni Jerosolymitáno mentiénti actúrum se Augustíni nómine in Pelágium hæresiárcham, fuérunt qui líbere respondérent : Si Augustíni persónam assúmis, Augustíni

senténtiam séquere. Sæculo sexto, epíscopi Africáni, quos Trasimúndus Wandalórum rex in Sardíniam exsulátum míserat, mónachis Scythis, qui nuntiárant ab alíquibus minus quam oportéret tríbui auxílio Dei, synódicis lítteris respondérunt curándum omni ope esse, ut frátribus Augustíni libri ad Prósperum et Hilárium legéndi ingeréntur. Animadvérterant enim Hormísdam Pontíficem ad Possessórem in hanc senténtiam scripsísse : De arbítrio líbero et grátia Dei quid Romána, hoc est cathólica, sequátur et servet Ecclésia, ex váriis libris beáti Augustíni, et máxime ad Prósperum et Hilárium, abúnde cognósci potest. Post id tempus, Patres Synodi Arausicánæ secúndæ, Augustíni senténtiis sibi ab Apostólica Sede transmíssis, cánones áliquot de auxíliis divínæ grátiæ condidérunt. Horum exémplum Tridentína Synodus est imitáta : utque imitarétur consensióne auctoritáteque Pontíficum Romanórum permóta est. Nam Innocéntius Primus, de lítteris Antístitum Africanórum advérsus Pelagiános loquens, quas auctóre potíssimum Augustíno perscríptas fuísse nóverat : Eárum, inquit, tenor omnísque contéxtio in considerationé quotidiánæ grátiæ Dei, et in eórum, qui contra séntiunt, correctióne íntegra ratióne consístit, ut et illis omnem tóllere possit errórem; et idóneum, dato quovis legis nostræ exémplo, quem sequi débeant, possit præbére doctórem. Bonifácius vero Primus epístolas duas Pelagianórum, quæ clam magno orthodoxórum damno circumferebántur, ad eum unum mitti curávit, a quo ipsas egrégie refélli posse perspéxerat.

℟. v. Misit ergo Dóminus in mentem ejus, visúmque est bonum in conspéctu ejus pérgere ad Simpliciánum, qui ei bonus apparébat servus Dei, * Et lucébat in eo grátia divína. ℣. Audíerat enim quod a juventúte sua devotíssime Deo víveret : et vere sic erat. — Et lucébat in eo grátia divína.

Lectio vj.

CÆLESTINUS inde, quod intellexísset sanctíssimum Virum a nonnúllis imbútis hæresi Semipelagianórum in suspicionem invidiámque erróris vocári, lítteras ad epíscopos Galliárum dedit, injuriámque conquéstus, Augustínum, inquit, sanctæ recordatiónis virum, tanta sciéntia claruísse, ut inter magístros óptimos, étiam a superióribus Pontíficibus semper sit hábitus : bene autem de eo omnes sensísse, útpote qui ubíque cunctis et amóri fúerit et honóri. Nec minus illústre eódem in génere præcónium Gelásii Primi Bonifaciíque Secúndi fuit. Hi namque sibi probári affirmárunt quæ his de rebus Augustíni libris continerentur : quæ quidem rátio ita in posterióre manávit ætátem, ut quóties ortæ de auxíliis controvérsiæ sunt, Pontífices Máximi Augustíni sententiárum rationem imprímis habéndam putáverint. Id vero cum plúrium

aliórum, tum Cleméntis Octávi, Pauli Quinti, Alexándri Séptimi, Cleméntis Décimi lítteris exemplísque constat. Alexánder vero non modo sancti Viri de grátia dógmata inconcússa atque tutíssima vocávit, sed nomen étiam, omnem laudem supergréssum, novi præcónii commendatióne non egére testátus est. Jam Clemens Undécimus, ut plane osténderet nulla re aliquándo quidquam fuísse de Augustíni auctoritáte deréptum, ubi eum fulgidíssimum cathólicæ Eccléstæ lumen maximúmque doctórem appellávit : Romanórum Pontíficum, inquit, qui ejúsdem præcélsam doctrínam magno semper in prétio habuérunt, totóque mentis affectu ampléxi fuérunt, vestígiis firmiter inhærére vólumus. Sed ut superiórum, ita sequéntium Pontíficum, Benedícti Décimi tértii, Cleméntis Duodécimi, et Benedícti Décimi quarti testimónia, tam multa tamque præclára sunt, ut satis índicent Románæ, atque ádeo cathólicæ Ecclésiæ de auxíliis divínis prædestinatióneque decréta Augustínum et comprehendísse ánimo, et accuráte, vere ac strénue contra hostes grátiæ defendísse.

℟. vj. Volébat enim conferénti æstus suos ut proférret quis esset aptus modus vivéndi sic affécto, ut ipse erat, ad ambulándum in via Dei : * In qua álius sic, álius sic ibat. ℣. Displicébat ei quidquid agébat in sæculo, præ dulcédine Dei et decóre domus ejus, quam diléxit. — In qua álius sic. Glória. In qua álius sic.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Flebat autem ubérrime, in hymnis et cánticis, suavesonántis Ecclésiæ vócibus veheménter afféctus.

Aña. Voces ígitur illæ influébant áuribus ejus : et eliquabátur véritas in cor ejus, et fluébant lácrimæ, et bene illi erat cum eis.

Aña. Adjúnctus inde Nebrídio et Evódio remeábat ad Africam, quærens quis eos ad bene vivéndum locus habéret utílior : sed cum esset apud Ostia Tiberína, pia mater ejus defúncta est.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Homilia Dominicæ cum Responsoriis hic positis :

℟. vij. Vulneráverat cáritas Christi cor ejus, et gestábat verba ejus in viscéribus quasi sagíttas acútas, *Et exémpla servórum Dei, quos de mórtuis vivos fécerat, tamquam carbónes vastatóres. ℣. Ascendénti a conválle ploratiónis, et cantánti Cánticum Gráduum déderat sagíttas acútas. — Et exémpla servórum Dei.

℟. viij. Accépta Baptísmi grátia, pósitus apud Ostia Tiberína cum matre sua, colloquebántur soli valde dúlciter, et inhiábant ore cordis páriter in supérna fluénta fontis vitæ : * Vilescebátque mundus iste inter verba cum delectatiónibus suis. ℣. Tunc ait illa filio : Nulla re jam deléctor in hac vita, cum te, contémpta felicitáte terréna, vídeam servum Christi. — Vilescebátque.

℟. ix. Verbum Dei usque ad ipsam suam ægritúdinem imprætermísse, alácriter et fórtiter, sana mente sanóque consílio in sancta Ecclésia prædicávit : membris ómnibus sui córporis incólumis, íntegro aspéctu atque audítu * Coram pósitis frátribus et orántibus Dormívit cum pátribus suis. ℣. Testaméntum nullum fecit : quia unde fáceret pauper Christi non hábuit. — Coram pósitis frátribus. Glória. Dormívit cum pátribus suis.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Augustíne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES,
HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia ut in Festo, servato modo Octavæ diei Solemnis.

DIE V. SEPTEMBRIS.

B. CATHARINÆ A RACONIXIO.

VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

SPES nostra Dómine, qui beátæ Catharínæ cor teípso plenum cæléstium donórum abundántia decorásti : tantæ Vírginis intercessióne concéde ut totus nobis figátur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce : Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, qui tecum vivit...

¶ Quando hæc Oratio dicitur ad Memoriam et eam sequitur alia Memoria, sic concludatur : qui totus pro nobis fixus fuit in cruce, Christus Dóminus noster. ℟. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CATHARINÆ de Matthæis, Raconíxii in Subalpínis ortæ, mens óptima pro génere et ópibus data est : et adhuc quinquénni inexplébile salútis animárum et patiéndi pro Christo desidérium Spíritus sanctus ingéssit. Virgínei candóris stúdio ad Protomártyrem Stéphanum confúgiens, quem fragilióri séxui ab Apóstolis præpósitum nóverat, et contempláta Petri Mártyris effígiem, ad martyrium incénsa, dídicit, castitátis mérita geminándo, fácere de tentatióne provéntum, et patiéntiæ magnitúdine incruéntum martyrium júgiter celebráre. Jejúniis et voluntáriis afflictatiónibus mire dédita, in carne præter carnem vixit : atque dolórum Christi, et omnis géneris tribulatiónis párticeps, ac peccántium pœnas idéntidem in se convérti ímpetrans, ardentíssimæ caritátis, incessántis oratiónis et cæléstis doctrínæ múnere permúltos Christo péperit : apostólicum Paréntem Domínicum et seráphicam magístram Catharínam pie æmuláta, ac hujus præsértim virtútes ádeo ad vivum éxprimens, ut quidam scripserint, Raconixiénsem a Senénsi una canonizatióne differre.

Lectio v.

POST emíssum virginitátis votum, recepísse a Christo perhibétur desponsatiónis ánu-

lum, pretiósa monília, vestem, crucem étiam, ac sertum spíneum, ípsaque sacra stígmata, et cor ejus a Sponso fuísse mundátum, innovátum, transfíxum, ac radiáta áurea inscriptióne ista ornátum : Jesu, spes mea. Eídem Deípara Ordínem de Pœniténtia sancti Domínici suscipiéndum suásit, ostendítque Púerum, qui cælum récreat. Frequens illi cum cælítibus conversátio, et angelórum ministérium erat. Memóriæ próditum est eam castitátis cíngulo angelórum ope fuísse munítam; futúra prævidísse, ac sæpe sua e domo divínitus ad remótas oras fuísse asportátam; ejus item grátia aliquándiu substitísse lucem post solis occásum, fugátos dæmones, ignem, grándinem, pestem. Se ipsa major, sævas malignántium spirítuum iras hominúmque calúmnias impávide pértulit; atque a viris princípibus summo in honóre hábita, sibi constans et húmilis esse non déstitit.

Lectio vj.

Bello demum recrudescénte, quod multam ántea fécerat córporum rerúmque cladem, animárum magis perníciem, morum ágnita eversióne, deplórans, offénso Númini hóstiam se óbtulit placatiónis : obtentísque ab eo malórum indúciis, repéndens ipsa vitam per diútinam acerbámque ægritúdinem, Caramániæ obdormívit in Dómino, prídie Nonas Septémbris, ineúnte ætátis anno sexagésimo secúndo, reparátæ vero Salútis millésimo quingentésimo quadragésimo séptimo. Corpus ejus Garéxium quinto post mense translátum, multíplici benefício fidéles in sui veneratiónem ímpulit. Ita autem exínde propagátus et in dies auctus est Vírginis cultus, ut tandem Pius Séptimus Póntifex Máximus univérso Prædicatórum Ordini et Taurinénsi, Monregalénsi ac Salutiénsi clero Offícium cum Missa in ejus honórem recitándum benígne indúlserit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

B. BERTRANDI DE GARRIGA

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

Deus, qui sancto Patriárchæ Dominico beátum Bertrándum, Confessórem tuum, sócium et imitatórem exímium adjunxísti : ejus nobis pio intervéntu concéde ita ejúsdem sequi vestígia, ut assequámur et præmia. Per.

In utrisque Vesperis et Laudibus Memoria de Octava die Simplici S. Rosæ a Lima Virginis Ordinis Prædicatorum ut infra sub titulo Eadem die vj. Septembris., pag. 757 notatum est.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BERTRANDUS, dictus de Garríga ab natáli vico prope Aléstum, diœcésis nunc Nemausénsis in Gállia Narbonénsi, unus e primis fuit qui ad sanctum Prædicatórum Ordinis Institutórem Domínicum, in pártibus Tolosánis advérsus Albigénses hæréticos decertántem, accésserint, seque in ejus disciplínam ac vitæ societátem tradíderint. Tanti Patris magistério excúltus, cito vir éxstitit sanctitáte admirábilis : carnem suam vigíliis, jejúniis, flagéllis acérrime dómuit, aliaque patérnæ virtútis exémpla imitátus, Domínici imáginem in se expréssam propémodum referébat. Adeo de se modéste humilitérque sentiébat, ut a suis deplorándis flagítiis, quæ gravíssima arbitrabátur, vix cessáret. Quod advértens beátus Patriárcha, ei aliquándo præcépit ne sua ámodo, sed pótius aliéna peccáta defléret. Hinc quólibet fere die Missam pro peccatórum conversióne celebráre, et álias preces fúndere consuévit : neque minóra subsídia defúnctis animábus afférre stúduit, noctúrno osténto, uti fertur, ad hoc caritátis offícium excitátus.

Lectio v.

OB tam egrégias virtútes sancto eídem Institutóri Domínico valde probátus, non semel ab eo labórum atque itinerum sócius deléctus est; ideóque quorúmdam signórum testis et consors evásit, quibus Deus omnípotens mirábilem illíus apostolátum confirmávit. Ei áderat, cum haud procul Carcassóna obórtam tempestátem ille signo Crucis ita coércuit, ut utérque inter effusíssimos imbres nihil madefáctus incéderet. Aderat rursus in itínere Parisiénsi, in quo Teutónicæ linguæ intelligéntia et usus divínitus utríque concéssus perhibétur, ut possent spirituálem vicem réddere aliquibus germánicis peregrínis, quos per áliquot dies viæ cómites et pios corporális sustentatiónis minístros habuérunt. In constituéndo propagandóque Prædicatórum Ordine Bertrándi ópera magni fuit. Etenim ex sancti Fundatóris voluntáte præfuit primo, idest Tolosáno, cœnóbio; et cum beáto Manne, ipsíus Domínici germáno fratre, et quinque áliis conspícua probitáte sóciis, Parísios venit, ut in ea príncipe Galliárum urbe domum fundárent. Anno autem millésimo ducentésimo vigésimo primo, cum in generálibus comítiis secúndo Bonóniæ celebrátis idem sanctus Patriárcha in octo províncias Ordinem dispertísset, latíssimam illam quæ tunc in meridionáli Gállia a Pyrenæis ad Alpes porrigebátur, et província Provinciæ est dicta, Bertrándo regéndam commísit.

Lectio vj.

DELATUM laboriósum munus Vir Dei præfiníto témpore strénue et sancte gessit, aucta província sibi crédita novis dómibus, alumnísque illic recéptis. Neque déstitit operárius inconfusíbilis vel extrémo vitæ spátio Evangélicæ

prædicatióni instáre; et cum functúrus hoc múnere Bosquétum, olim Tricastinénsis et nunc Valentinénsis dicœcésis óppidum, anno décimi tértii sæculi círciter trigésimo, se contulísset, in monastério sanctimoniálium Ordinis Cisterciénsis consístens, morbo implícitus, suprémum ibi in ósculo Dómini diem óbiit. In cœmetério ecclésiæ dicti monastérii tumulátum ejus corpus, post vigínti tres annos inde érutum, et íntegrum incorruptúmque repértum, in ipsam ecclésiam translátum est : ubi magno honóre ac devotióne coli cœpit, plúribus a Deo, uti prisca réferunt monuménta, ejus intercessióne patrátis miráculis. Exínde piórum Bosquenténsium ánimis tanta erga beátum Bertrándum insédit religio, ut étiam ejus córpore Aráusicam deínceps deláto, et inter máximos sæculi décimi sexti Galliárum túrbines ab hæréticis postérius combústo, nunquam ab ipso públice coléndo et invocándo destíterint. Dénique Summus Póntifex Leo Décimus tértius cultum ab immemorábili témpore eídem exhíbitum, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, ratum hábuit et confirmávit, ac de eo Offícium et Missam ab univérso Prædicatórum Ordine atque in Valentinénsi et Nemausénsi dicœcésibus quotánnis celebrári permísit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

EADEM DIE VI. SEPTEMBRIS.

IN OCTAVA S. ROSÆ A LIMA.

SIMPLEX.

Ad Memoriam in j. Vesperis Aña. Benedícta tu a Deo tuo Rosa in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, super te Deus Israel magnificábitur.

℣. Ora pro nobis beáta Rosa. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

BONORUM ómnium largítor omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti : da nobis fámulis tuis ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur : Qui tecum vivit.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. O Rosa odorífera, spargens ubíque virtútum odórem, fac nos ejus, qua frúeris, lucis suavitatísque participes.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio Bonórum ómnium. ut ad Memoriam in j. Vesperis.

Ad Memoriam in ij. Vesperis Aña. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, o Rosa fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum.

℣. Ora pro nobis. et Oratio Bonórum ómnium. ut ad Memoriam in j. Vesperis.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

S. ROSÆ A VITERBIO VIRGINIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátam Rosam sanctárum tuárum Vírginum collégio aggregáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus, ut ejus précibus et méritis a culpis ómnibus expiémur, et tuæ majestátis consórtio perfruámur ætérno. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Marcelli Martyris.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Marcélli Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv

ROSA, Vitérbii piis paréntibus nata, ab ipsa infántia omni virtúte enítuit, facta perfectiónis magístra, cum vix loqui didicísset. Mundi exósa vanitátes, rudi amíctu, pedum nuditáte, cilício, jejúniis aliísque austeritátibus corpúsculum afflígens, divínæ contemplatióni júgiter vacábat. Hanc vero exímiam sanctitátem insígni miráculo Deus testátam vóluit : nam adhuc puélla avúnculam defúnctam ad vitam revocávit. Ad virginitátem, quam perpétuo cóluit, solo aspéctu intuéntium ánimos excitábat. Caritátis erga páuperes studiosíssima, cum aliquándo hibérno témpore subtráctum sibi panem clam illis deférret, patre imperánte ut próderet quid grémio abscónditum ferret, panis in rosas convérsus est.

Lectio v.

CUM séptimum explésset annum, solitúdinis desidério flagrans, domus suæ angústam céllulam elégit, cui se tamquam voluntário cárceri inclúsit : et oratióni corporísque castigatióni ardénter incúmbens, Dei cleméntiam deprecabátur pro sanctæ Eccléstæ tranquillitáte, quam Friderici Secúndi imperatóris impíetas acérrime divexábat. Ex diútina autem maceratióne in morbum letálem íncidit, in quo beátæ Vírginis visitatióne recreáta, hábitum Tértii Ordinis sancti Francísci indúere jussa est. Decénnis a Deo inspiráta, piis adhortatiónibus validísque arguméntis multos hæréticos ad fidem et obediéntiam Románi Pontíficis redúxit. Qua de causa, cum tota cognatióne sua in exsílium ejécta, ad vicína óppida venit, ubi Frideríci mortem et Ecclésiæ pacem prophético spíritu prædíxit. Mulíerem cæcam a nativitáte illuminávit, et ad fídei veritátem astruéndam, succénsum rogum ingréssa, ac tribus horis in eo illæsa pérmanens, cujúsdam hæréticæ mulíeris pervicáciam vicit, eámque cum áliis ad fidem convértit.

Lectio vj.

TANDEM Vitérbium summa cívium gratulatióne revérsa, in consórtium sanctimoniálium sanctæ Maríæ de Rosis admítti pétiit : sed illis ingréssum ob puéllæ inópiam denegántibus, se mórtuam in eo cœnóbio commoratúram

prædíxit. Mox ad prístinum domus suæ cárcerem regréssa, cum in ea duóbus annis permansísset, morbo corrépta et ad beátam Pátriam suspírans, méritis plena migrávit ad Sponsum, décimo octávo suæ vitæ anno nondum exácto. Corpus ejus, miro splendóre illustrátum suavíque odóre perfúsum, in templo sanctæ Maríæ de Pódio effóssa humo, ac désuper ingésta, tumulátum fuit; donec post trigínta circiter menses ab Alexándro Quarto, tunc Vitérbii sedénte et in somnis ter ab ea admónito, refóssum et incorrúptum repértum, prídie Nonas Septémbris ad præfátum monastérium, quod póstea sanctæ Rosæ nuncupátum est, solémniter translátum fuit, ubi usque ad hodiérnam diem íntegrum et flexíbile summa totíus orbis admiratióne asservátur, et novis semper miráculis corúscat.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE VIII. SEPTEMBRIS.

IN NATIVITATE B. MARIÆ V.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hæc est Regína vírginum, quæ génuit Regem, velut rosa decóra Virgo. Dei Génitrix, per quam repérimus Deum et hóminem, alma Virgo intercéde pro nobis ómnibus. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis.

℟. Stirps Jesse virgam produxit, virgaque florem : * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est : flos Fílius ejus. — Et super. Glória. Requiéscit.

Hymnus.

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

AVE maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis :
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

MONSTRA te esse matrem :
Sumat per te preces,
Qui pro nobis Natus
Tulit esse tuus.

VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

VITAM præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Nativitátem devotíssime celebrémus : ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. Oratio.

SUPPLICATIONEM servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in Nativitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúmdem.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Festis B. Mariæ Virginis, pag. 1*.

¶ Idem modus servetur in Completorio per totam Octavam, quando de ipsa agitur.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Nativitátem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus Quem terra, pontus, æthera., ut in Festis B. Mariæ V., pag. 2*.

¶ In tribus Nocturnis. Antiphonæ, Psalmi et Versiculi ut in Festis B. Mariæ V., pag. 2*. et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

Incípiunt Cántica canticórum.

Lectio j. Cap. 1.

OSCULETUR me ósculo oris sui : quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum : ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me rex in cellária sua : exsultábimus, et lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum : recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. j. Hódie nata est beáta Virgo María ex progénie David, per quam salus mundi credéntibus appáruit : * Cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo.

℣. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Nativitátem devotíssime celebrémus. — Cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ij.

NOLITE me consideráre quod fusca sim, quia decolorávit me sol : fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis : víneam meam non custodívi. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te o pulchérrima inter mulíeres, egré-

dere, et abi post vestígia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis : collum tuum sicut monília.

℟. ij. Gloriósæ Vírginis Maríæ ortum digníssimum recolámus : * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Redemptórem mundi. ℣. Hódie nata est beáta Virgo María ex progénie David. — Cujus Dóminus.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iij.

MURENULAS áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus cypri diléctus meus mihi, in vineis Engáddi. Ecce tu pulchra es amíca mea, ecce tu pulchra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus : tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. iij. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est, flos Fílius ejus. — Et super hunc florem. Glória. Requiéscit Spíritus almus.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(Serm. 18. de Sanctis, quiest 2. de Annunt.)

Lectio iv.

ADEST nobis, dilectíssimi, optátus dies beátæ ac venerábilis semper Vírginis Maríæ : ídeo cum summa exsultatióne gáudeat terra nostra, tantæ Vírginis illustráta natáli. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiósum lílium convállium, per cujus partum mutátur natúra, protoplastórum delétur et culpa. Præcísum est in ea illud Hevæ infelicitátis elógium, quo dícitur, In dolóre páries fílios tuos : quia ista in lætítia Dóminum péperit.

℟. iv. Natívitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David : * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Regáli ex progénie María exórta refúlget. — Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

HEVA luxit, ista exsultávit : Heva lácrimas, María gáudium in ventre portávit : quia illa peccatórem, ista édidit innocéntem. Mater géneris nostri pœnam íntulit mundo : Génitrix Dómini nostri salútem áttulit mundo. Auctrix peccáti Heva : auctrix mériti María. Heva occidéndo óbfuit : María vivificándo prófuit. Illa percússit : ista sanávit. Pro inobediéntia enim obediéntia commutátur, fides pro perfídia compensátur.

℟. v. Natívitas tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : * Ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Felix namque es, quæ sola Genitrícis dignitátem obtinuísti, et virginálem pudicítiam non amisísti. — Ex te enim ortus est.

Benedictio. Stella Maria maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

(Serm. de Nativit. B. Mariæ.)

Lectio vj.

INTUEAMINI fratres quanto devotiónis afféctu a nobis Maríam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María : ut proínde, si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quæ ascéndit delíciis áffluens. Hortus plane deliciárum, quem non modo affláverit véniens, sed et perfláverit supervéniens Auster ille divínus, ut úndique fluant, et éffluant arómata ejus, charísmata scílicet gratiárum.

℟. vj. Ad nutum Dómini nostrum ditántis honórem, * Sicut spina rosam génuit Judæa Maríam. ℣. Ut vítium virtus operíret, grátia culpam. — Sicut spina rosam. Glória. Sicut spina rosam.

IN III. NOCTURNO.

Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 1. in Matth.)

IN Isaía légimus : Generatiónem ejus quis enarrábit? Non putémus Evangelístam Prophétæ esse contrárium, ut quod ille impossíbile dixit effátu, hic narráre incípiat : quia ibi de generatióne Divinitátis, hic de incarnatióne est dictum. A carnálibus autem cœpit, ut per hóminem Deum díscere incipiámus. Fílii David, fílii Abraham. Ordo præpósterus, sed necessário commutátus. Si enim primum posuísset Abraham, et póstea David, rursus ei repeténdus fúerat Abraham, ut generatiónis séries texerétur.

℟. vij. Regáli ex progénie María exórta refúlget :* Cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus. ℣. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. — Cujus précibus.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viij.

IDEO autem céteris prætermíssis, horum filium nuncupávit, quia ad hos tantum facta est de Christo repromíssio. Ad Abraham : In sémine,

inquit, tuo benedicéntur omnes gentes : quod est Christus. Ad David : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Notándum in genealogía Salvatóris nullam sanctárum assúmi mulíerum : sed eas, quas Scriptúra reprehéndit : ut qui propter peccatóres vénerat, de peccatóribus nascens, ómnium peccáta deléret. Unde et in consequéntibus Ruth Moabítis pónitur, et Bethsabée uxor Uríæ.

℟. viij. Corde et ánimo Christo canámus glóriam * In hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. ℣. Cum jucunditáte Nativitátem sanctæ Maríæ celebrémus. — In hac sacra solemnitáte.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regina angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix.

JACOB autem génuit Joseph virum Maríæ. Hunc locum objicit nobis Juliánus Augústus dissonántiæ Evangelistárum, cur Evangelísta Matthæus Joseph dixerit fílium Jacob, et Lucas eum fílium appellárit Heli : non intélligens consuetúdinem Scripturárum, quod alter secúndum natúram, alter secúndum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Móysen, Deo jubénte, præcéptum, ut si frater aut propínquus absque líberis mórtuus fúerit, álius ejus accípiat uxórem, ad suscitándum semen fratris vel propínqui sui.

℟. ix. Solem justítiæ Regem paritúra suprémum, * Stella María maris Hódie procéssit ad ortum. ℣. Cérnere divínum lumen gaudéte fidéles. — Stella María maris. Glória. Hódie procéssit ad ortum.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Natívitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Natívitas est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Eccléstas.

3. Regáli ex progénie María exórta refúlget : cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.

4. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

5. Cum jucunditáte Nativitátem sanctæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis.

Hymnus.

O GLORIOSA Dómina,
Excélsa supra sídera :
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

QUOD Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

Tu Regis alti jánua
Et porta lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.

Maria Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

Gloria tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣ Prædictæ duæ Strophæ María Mater grátiæ. et Glória tibi Dómine. dicantur etiam in fine Hymnorum ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam : Dicantur etiam per Octavam quando de ipsa agitur.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus Aña. Nativitátem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

Oratio.

Supplicationem servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in Nativitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúmdem.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis.

℟. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María, * Allelúia, allelúia. Sancta Dei Génitrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Allelúia. Glória. Sancta Dei Génitrix.

℣. Post partum Virgo inviolata permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24.

Transite ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum.

℟. Post partum Virgo inviolata permansísti, * Allelúia, allelúia. Post partum Virgo. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Allelúia. Glória. Post partum Virgo.

℣. Speciósa facta es, et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

Qui audit me, non confúndetur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Speciósa facta es, et suávis, * Allelúia, allelúia. Speciósa. ℣. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix. Allelúia. Glória. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Natívitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Ego quasi vitis., Hymnus Ave maris stella. et ℣.Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 759.

Ad Magnificat Aña. Natívitas tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

PER OCTAVAM NATIVITATIS B. MARIÆ V.

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. María Virgo semper lætáre, quæ meruísti Christum portáre cæli et terræ Conditórem : quia de tuo útero protulísti mundi Salvatórem.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio.

SUPPLICATIONEM servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in Nativitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúmdem.

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Sancta María, vírginum piíssima, súscipe vota servulórum assídua : lapsos érige, errántes córrige, treméntes corróbora, pusillánimes confórta : ut tibi semper referámus laudes, quam Dei summi cólimus Genitrícem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

S. GORGONII

MARTYRIS.

MEMORIA IN LAUDIBUS.

Oratio.

SANCTUS Martyr tuus Gorgónius sua nos Dómine intercessióne lætíficet, et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per.

DIE X. SEPTEMBRIS.

S. NICOLAI DE TOLENTINO

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut Ecclésia tua, quæ beáti Nicolái Confessóris tui virtútum et miraculórum glória corúscat, ejus intercessióne et méritis, perpétua pace atque unitáte lætétur. Per.

IN II. NOCTURNO.

(Ex sancto Antonino et aliis Auct. et Rom. Brev.)

Lectio iv.

NICOLAUS de Tolentíno, piis paréntibus ortus, ab infántia multárum virtútum ac præsértim abstinéntiæ spécimen dedit. Nam anno vix séptimo complúres hebdómadæ dies jejunáre cœpit, eámque deínceps consuetúdinem retínuit, solo pane et aqua conténtus. Adúlta ætáte jam clericáli milítiæ adscríptus, cum die quadam concionatórem Ordinis sancti Augustíni de mundi contémptu dicéntem audiísset, eúmdem Ordinem statim ingréssus est. In quo religiosárum virtútum, ac præsértim caritátis, humilitátis, abstinéntiæ ac patiéntiæ professióne céteris prælúxit.

Lectio v.

ORANDI stúdium, váriis licet dæmonum ártibus oppetítus, non intermísit. Cum aliquándo acutíssima febri urerétur, beatíssima Virgo se illi conspícuam osténdit, blandísque verbis admónuit ut a religiósa fémina recéntem panem in nómine Jesu Christi postuláret : quod cum ipse fecísset, et panem accéptum intínctum aqua degustásset, statim febris abscéssit. Ad preces pro animábus in purgatório deténtis fundéndas divina revelatióne excitátus, sólitum orándi fervórem auxit : earúmque plúrimam multitúdinem liberávit.

Lectio vj.

SEX ante óbitum ménsibus, síngulis nóctibus angelórum choros concinéntes audívit : quorum suavitáte cum jam Paradísi gáudia prægustáret, sæpius in hæc Apóstoli verba erumpébat : Cúpio dissólvi, et esse cum Christo. Demum imminéntis sibi óbitus diem frátribus prænuntiávit, qui fuit quarto Idus Septémbris. Miráculis multis étiam post mortem cláruit : quibus rite cógnitis ac probátis, ab Eugénio Papa Quarto Sanctórum fastis adscríptus est.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Nolíte timére pusíllus grex. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE XI. SEPTEMBRIS.

SS. PROTI ET HYACINTHI MARTYRUM.

MEMORIA IN LAUDIBUS.

Oratio.

BEATORUM Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi nos Dómine fóveat pretiósa conféssio, et pia júgiter intercéssio tueátur. Per.

PRIMA DIE

INFRA OCT. NATIV. B. MARIÆ V.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 18. de Sanctis, in medio.)

Lectio iij.

EXSULTAT María, et matrem se læta mirátur, et de Spíritu sancto se peperísse gaudet : nec quia péperit innúpta, terrétur; sed quia genúerit, cum exsultatióne mirátur. O fémina super féminas benedícta, quæ virum omníno non novit, et virum suo útero circúmdedit! Circumdat virum María Angelo fidem dando, quia Heva pérdidit virum serpénti consentiéndo. O felix obediéntia, o insígnis grátia, quæ dum fidem humíliter dedit, cæli in se opíficem corporávit!

SECUNDA DIE

INFRA OCT. NATIV. B. MARIÆ V.

Ex Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

(Serm. de Nativit. B. Mariæ.)

Lectio iij.

TOLLE corpus soláre, quod illúminat mundum : ubi dies? Tolle Maríam, maris

stellam, maris útique magni et spatiósi : quid nisi calígo invólvens, et umbra mortis, ac densíssimæ ténebræ relinquúntur? Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum affèctibus et votis ómnibus Maríam hanc venerémur : quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam.

TERTIA DIE.

INFRA OCT. NATIV. B. MARIÆ V.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi. (Apud Metaphr.) Lectio iij.

MAGNUM revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo unquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Hæc sola cælum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim, non dénique áliud quídpiam inter creátas res visíbiles aut invisíbiles, majus aut excellèntius inveníri potest.

QUARTA DIE

INFRA OCT. NATIV. B. MARIÆ V.

Ex Sermóne sancti Bernárdi Abbátis. (Serm. de Nativ. B. Mariæ.) Lectio iij.

AD Patrem verebáris accédere; solo audítu térritus, ad fólia fugiébas : Jesum tibi dedit mediatórem. Quid non apud talem Patrem Fílius talis obtíneat? Exaudiétur útique pro reveréntia sua. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod, licet factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis et ad ipsum? Ad Maríam recúrre. Nec dúbius dixerim : Exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua.

DOMIN. INFRA OCT. NATIVIT. B. MARIÆ V.

SS. NOMINIS MARIÆ.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Aña. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 24.

AB initio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

℟. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est, flos Fílius ejus. — Et super. Glória. Requiéscit Spíritus almus.

Hymnus Ave maris stella., pag. 759.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Beáta Mater et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

Oratio.

DEUS, qui gloriósam Matrem tuam nominári Maríam voluísti : concéde, quæsumus, ut qui dulce Maríæ nomen implórant, perpétuum séntiant suæ benedictiónis auxílium. Qui vivis.

℣ In utrisque Vesperis et Laudibus omittatur Memoria de Octava Nativitatis.

AD UTRUMQUE COMPLETORIUM.

Super Psalmos Aña. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

In fine Hymni dicantur hæ duæ Strophæ :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣ Prædictæ duæ Strophæ dicantur in fine omnium Hymnorum, excepto Hymno Ave maris stella.

Ad Nunc dimittis Aña. Sub tuum præsídium confúgimus sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Sancta Maria, Dei Génitrix Virgo, * Intercéde pro nobis.

Hymnus Quem terra, pontus, æthera, ut in Festis B. Mariæ Virg., pag. 2*.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Psalmi ut in Festis B. Mariæ V., pag. 2*. et sequentibus.

Aña. Sicut myrrha elécta odórem dedísti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

Aña. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

℣. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

De libro Proverbiórum.

Lectio j. Cap. 8

EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. j. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio : * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Quia quem cæli cápere.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ij.

MECUM sunt divítiæ, et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant : necdum montes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar.

℟. ij. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum : quia cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. — Et de meis viscéribus.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iij. Cap. 8. et cap. 9.

BEATUS homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invéneríit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino : qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.

℟. iij. Beáta es Virgo María, quæ Dóminum portásti creatórem mundi : * Genuísti eum, qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave María grátia plena : Dóminus tecum. — Genuísti eum, qui te fecit. Glória. Genuísti eum, qui te fecit.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Aña. Sicut lætántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

℣. Post partum Virgo inviolata permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.
(Ex Hom. 2. super Missus est, circa finem.)

Lectio iv.

ET nomen, inquit, Vírginis María. Loquámur pauca et super hoc nómine, quod interpretátum maris Stella dícitur, et Matri Vírgini valde conveniénter aptátur. Ipsa namque aptíssime síderi comparátur : quia sicut sine sui corruptióne sidus suum emíttit rádium, sic absque sui læsióne

Virgo párturit Fílium. Nec síderi rádius suam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius suam integritátem. Ipsa est ígitur nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius univérsum orbem illúminat, cujus splendor et præfúlget in supérnis, et ínferos pénetrat, terras étiam perlústrans : et calefáciens magis mentes quam córpora, fovet virtútes, éxcoquit vítia. Ipsa, inquam, est præclára et exímia stella, super hoc mare magnum et spatiósum necessário. subleváta, micans méritis, illústrans exémplis.

℟. iv. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans. — Dedi suavitátem odóris.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

O QUISQUIS te intélligis in hujus sæculi proflúvio magis inter procéllas et tempestátes fluctuáre quam per terram ambuláre : ne avértas óculos a fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procéllis. Si insúrgant venti tentatiónum, si incúrras scópulos tribulatiónum, réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis, réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra naviculam concússerit mentis, réspice ad Maríam. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fœditáte confúsus, judícii horróre pertérritus, bárathro incípias absorbéri tristítiæ, desperatiónis abysso, cógita Maríam.

℟. v. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosáram et lília convállium. — Vidérunt eam fíliæ Sion.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

IN periculis, in angústiis, in rebus dúbiis Maríam cógita, Maríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat a corde : et ut impetres ejus oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exémplum. Ipsam sequens, non dévias; ipsam rogans, non despéras; ipsam cógitans, non erras; ipsa tenénte, non córruis; ipsa protegénte, non métuis; ipsa duce, non fatigáris; ipsa propítia, pérvenis : et sic in temetípso experíris quam mérito dictum sit, Et nomen Vírginis María. Quod quidem venerábile Nomen, jam pridem in quibúsdam christiáni orbis pártibus speciáli ritu cultum, Innocéntius Undécimus Románus Póntifex, ob insígnem victóriam sub ejúsdem Vírginis Maríæ præsídio de immaníssimo Turcárum tyránno, cervícibus pópuli christiáni insultánte, Viénnæ in Austria partam, et in perénne tanti benefícii monuméntum, in Ecclésia universáli síngulis

annis ~~Domínica infra Octávam ríæ~~ celebrári præcépit.

℟. vj. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : circúmdata varietáte. — Et vidéntes eam fíliæ Sion. Glória. Unguéntum effúsum nomen tuum.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Aña. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Aña. Post partum Virgo inviolráta permansísti : Dei Génitrix intercéde pro nobis.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et réliqua.

Homilia sancti Petri Chrysólogi.

(Serm. 142. de Annuntiat.)

AUDISTIS hódie, fratres carissimi, Angelum cum muliere de hóminis reparatióne tractántem. Audístis agi, ut homo cúrsibus eísdem, quibus dilápsus fúerat ad mortem, redíret ad vitam. Agit, agit cum María Angelus de salúte, quia cum Heva Angelus égerat de ruína. Audístis Angelum de carnis nostræ limo templum divínæ majestátis arte ineffábili construéntem. Audístis in terris Deum, in cælis hóminem sacraménto incomprehensíbili collocári.

℟. vij. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est, flos Fílius ejus. — Et super hunc florem.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viij.

AUDISTIS inaudíta ratióne in uno córpore Deum hominémque miscéri. Audístis frágilem nostræ carnis natúram ad portándam totam Deitátis glóriam angélica exhortatióne roborári. Dénique ne tanto pónderi cæléstis fábricæ in María subtílis nostri córporis aréna succúmberet, et in Vírgine, totíus géneris humáni portatúra fructum, virga ténuis frangerétur, fugatúra metum vox Angeli mox præcéssit, dicens : Ne tímeas María.

℟. viij. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna, qui potens est : et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia fecit mihi Dóminus.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix.

ANTE causam dignitas Vírginis annuntiátur ex nómine. Nam María hebræo sermóne, latíne Dómina nuncupátur. Vocat ergo Angelus Dóminam, ut Dominatóris Genitrícem trepidátio déserat servitútis, quam nasci et vocári Dóminam, ipsa sui gérminis fecit et impetrávit auctóritas. Ne tímeas María, invenísti enim grátiam. Verum est, quia qui invénit grátiam, nescit timére.

℟. ix. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : *Quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solemnitátem. — Quia ex te ortus est. Glória. Christus Deus noster.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

3. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem : ídeo diléxit me rex, et introdúxit me in cubículum suum.

4. Jam hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit : surge amica mea, et veni.

5. Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capitulum. Eccli. 24.

AB initio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus O gloriósa Dómina, cum ℣. Elégit eam., pag. 10*.

Ad Benedictus Ant. Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, tu sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Oratio.

DEUS, qui gloriósam Matrem tuam nominári Maríam voluísti : concéde, quæsumus, ut qui dulce Mariæ nomen implórant, perpétuum séntiant suæ benedictiónis auxílium. Qui vivis.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe., ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM.

Capitulum Ab initio., ut in Laudibus.

℟. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María, * Allelúia, allelúia. Sancta Dei Génitrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Allelúia. Glória. Sancta Dei Génitrix.

℣. Post partum Virgo inviolata permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24.

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta similiter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Post partum Virgo inviolàta permansísti. * Allelúia, allelúia. Post partum Virgo. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Allelúia. Glória. Post partum Virgo.

℣. Speciósa facta es, et suávis. ℟. In delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

SICUT cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. Speciósa facta es, et suávis, * Allelúia, allelúia. Speciósa. ℣. In delíciis tuis, sancta Dei Génitrix. Allelúia. Glória. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum. Eccli. 24.

AB initio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus Ave maris stella., pag. 759.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Solémnitas tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

¶ Si vero eadem die Dominica occurrerit festum Exaltationis S. Crucis, transfertur festum Nominis Mariæ in proximam Feriam non impeditam.

DIE XIV. SEPTEMBRIS.
IN EXALTATIONE S. CRUCIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. O Crux admirábilis, evacuátio vúlneris, restitútio sanitátis! Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Gal. 6.

MIHI autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

℟. Per tuam Crucem salva nos Christe Redémptor, qui mortem nostram moriéndo destruxísti. * Et vitam resurgéndo reparásti. ℣. Miserére nostri Jesu benígne, qui passus es cleménter pro nobis. — Et vitam. Glória. Et vitam resurgéndo reparásti.

Hymnus.

SALVE Crux sancta, salve mundi glória,
Vera spes nostra, vera ferens gáudia,
Signum salútis, salus in perículis,
Vitále lignum vitam ferens ómnium.
TE adorándam, te Crucem vivíficam,
Per te redémpti, dulce decus sæculi,
Semper laudámus, semper tibi cánimus :
Per lignum servi, per te sumus líberi.
SIT Deo Patri laus in Cruce Fílii,
Sit coæquális laus sancto Spirítui :
Cívibus summis gáudium sit ángelis,
Honor sit mundo Crucis Exaltátio. Amen.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit.

Ad Magnificat Aña. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis : nulla silva talem profert fronde, flore, gérmine : dulce lignum dulces clavos, dulce pondus sustínuit.

Oratio.

DEUS, qui nos hodiérna die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnua solemnitáte lætíficas : præsta, quæsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis in cælo præmia consequámur. Per eúmdem.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Dóminum, qui per Crucis mystérium redémit mundum, * Veníte adorémus.

Hymnus Salve Crux sancta., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, & glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi : quia per Crucem tuam redemísti mundum.

Psalmus 20.

DOMINE in virtúte tua lætábitur rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Aña. Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dóminus ad judicándum vénerit.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos Deus noster.

℣. Hoc signum Crucis erit in cælo. ℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit.

De libro Numerórum.

Lectio j. Cap. 21.

ET tædére cœpit pópulum itíneris ac labóris : locutúsque contra Deum et Móysen, ait : Cur eduxísti nos de Ægypto, ut morerémur in solitúdine? Deest panis, non sunt aquæ : ánima nostra jam náuseat super cibo isto levíssimo.

Quam ob rem misit Dóminus in pópulum ignítos serpéntes, ad quorum plagas et mortes plurimórum, venérunt ad Móysen, atque dixérunt : Peccávimus, quia locúti sumus contra Dóminum et te : ora ut tollat a nobis serpéntes. Oravítque Móyses pro pópulo, et locútus est Dóminus ad eum : Fac serpéntem æneum, et pone eum pro signo : qui percússus aspéxerit eum, vivet. Fecit ergo Móyses serpéntem æneum, et pósuit eum pro signo : quem cum percússi aspícerent, sanabántur.

℟. j. Dulce lignum dulces clavos, dulce pondus sustínuit, * Quæ digna fuit portáre prétium hujus sæculi. ℣. Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dóminus ad judicándum vénerit. — Quæ digna fuit.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio ij. Cap. 3.

PROVIDENS autem Scriptúra quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ : Quia benedicéntur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicéntur cum fidéli Abraham. Quicúmque enim ex opéribus Legis sunt, sub maledícto sunt. Scriptum est enim : Maledíctus omnis, qui non permánserit in ómnibus, quæ scripta sunt in libro Legis ut fáciat ea. Quóniam autem in Lege nemo justificátur apud Deum, maniféstum est : quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed, Qui fécerit ea, vivet in illis. Christus nos redémit de maledícto Legis, factus pro nobis maledíctum : quia scriptum est : Maledíctus omnis qui pendet in ligno : ut in Géntibus benedíctio Abrahæ fíeret in Christo Jesu, ut pollicitatiónem Spíritus accipiámus per fidem.

℟. ij. Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dóminus ad judicándum vénerit : * Tunc manifésta erunt abscóndita cordis nostri. ℣. Cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, et cœperit judicáre sæculum per ignem. — Tunc manifésta erunt abscóndita cordis nostri.

De Epístola ad Philippénses.

Lectio iij. Cap. 2.

HOC enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo : sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nómine Jesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium, et infernórum, et omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

℟. iij. O Crux gloriósa, o Crux adoránda, o lignum pretiósum, et admirábile signum : * Per quod diábolus est victus, Et mundus Christi sánguine redémptus! ℣. Adorémus Crucis signáculum, per

quod salútis súmpsimus sacraméntum. — Per quod diábolus. Glória. Et mundus Christi sánguine redémptus.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 29.

EXALTABO te Dómine quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus : * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine Deus meus in ætérnum confitébor tibi.

Ana. Salva nos Christe Salvátor per virtútem sanctæ Crucis : qui salvásti Petrum in mari, miserére nobis.

Psalmus 46.

OMNES gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti sunt.

Ana. Salvátor mundi salva nos, qui per Crucem et sánguinem redemísti nos : auxiliáre nobis, te deprecámur, Deus noster.

Psalmus 65.

JUBILATE Deo omnis terra, ℣ psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo : quam terribília sunt ópera tua Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi : * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei ; * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, ℣ in flúmine pertransíbunt pede : * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, ℣ óculi ejus super gentes respíciunt : * qui exásperant non exalténtur in semetípsis.

Benedícite gentes Deum nostrum : * et audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam : * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos Deus : * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, ℣ posuísti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam : * et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis : * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocásta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum : * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Ana. Adorémus Crucis signáculum, per quod salútis súmpsimus sacraméntum.

℣. Per signum Crucis de inimícis nostris. ℟. Líbera nos Deus noster.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

CHOSROAS Persárum rex, extrémis Phocæ impérii tempóribus, Ægypto et Africa occupáta, ac Jerosólyma capta, multísque ibi cæsis Christianórum míllibus, Christi Dómini Crucem, quam Hélena in monte Calváriæ collocárat, in Pérsidem ábstulit. Itaque Heraclíus, qui Phocæ succésserat, multis belli incómmodis et calamitátibus afféctus, pacem petébat, quam a Chósroa, victóriis insolénte, ne iníquis quidem conditiónibus impetráre póterat. Quare in summo discrímine se assíduis jejúniis et oratiónibus exércens, opem a Deo veheménter implorábat : cujus mónitu exércitu comparáto, signa cum hoste cóntulit, ac tres duces Chósroæ cum tribus exércitibus superávit.

℟. iv. Ecce Crucem Dómini : fúgite partes advérsæ : vicit Leo de tribu Juda, * Radix David. ℣. Crux benedícta, in qua triumphávit Rex Angelórum. — Radix David.

Lectio v.

QUIBUS : cládibus fractus Chósroas, in fuga, qua trajícere Tigrim parábat, Me-

dársem fílium sócium regni desígnat. Sed eam contuméliam cum Síroes, Chósroæ major natu fílius, ferret atróciter, patri simul ac fratri necem machinátur : quam paulo post utríque ex fuga retrácto áttulit, regnúmque ab Heraclío impetrávit, quibúsdam accéptis conditiónibus : quarum ea prima fuit, ut Crucem Christi Dómini restitúeret. Ergo Crux quatuórdecim annis postquam vénerat in potestátem Persárum, recépta est : quam rédiens Jerosólymam Heraclíus solémni celebritáte suis húmeris rétulit in eum montem, quo eam Salvátor túlerat.

℟. v. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis : nulla silva talem profert fronde, flore, gérmine : * Dulce lignum dulces clavos, dulce pondus sustínuit. ℣. Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior. — Dulce lignum.

Lectio vj.

QUOD factum illústri. miráculo commendátum est. Nam Heraclíus, ut erat auro et gemmis ornátus, insístere coáctus est in porta, quæ ad Calváriæ montem ducébat. Quo enim magis prógredi conabátur, eo magis retinéri videbátur. Cumque ea re et ipse Heraclíus, et réliqui omnes obstupéscerent, Zacharías Jerosolymórum Antístes, Vide, inquit, imperátor, ne isto triumpháli ornátu, in Cruce ferénda parum Jesu Christi paupertátem et humilitátem imitére. Tum Heraclíus, abjécto amplíssimo vestítu, detractísque cálceis, ac plebéio amíctu indútus, réliquum viæ fácile confécit, et in eódem Calváriæ loco Crucem státuit, unde fúerat a Persis asportáta. Itaque Exaltatiónis sanctæ Crucis solémnitas, quæ hac die quotánnis celebrabátur, illústrior habéri cœpit ob ejus rei memóriam, quod ibídem fúerit repósita ab Heraclío, ubi Salvatóri primum fúerat constitúta.

℟. vj. Tuam Crucem adorámus Dómine, tuam gloriósam recólimus Passiónem : * Miserére nostri, qui passus es pro nobis. ℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi, quia per Crucem tuam redemísti mundum. — Miserére nostri. Glória. Miserére nostri.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 75.

NOTUS in Judæa Deus : * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua Deus Jacob * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti judícium : * terra trémuit et quiévit,

Cum exsúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * et reliquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro : * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Aña. Tuam Crucem adorámus Dómine, tuam gloriósam recólimus Passiónem : miserére nostri, qui passus es pro nobis.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Crucem tuam adorámus Dómine, et sanctam Resurrectiónem tuam laudámus et glorificámus : ecce enim propter Crucem venit gáudium in univérso mundo.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Crux alma fulget, per quam salus réddita est mundo : Crux vincit, Crux regnat, Crux repéllit omne crimen, allelúia.

℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 12.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Nunc judícium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 52. in Joan.)

Possidebat diábolus genus humánum, et reos supplicíorum tenébat chirógrapho peccatórum. Dominabátur in córdibus infidélium : ad creatúram coléndam, desérto Creatóre, decéptos captivósque pertrahébat. Per Christi autem fidem, quæ morte ejus et Resurrectióne firmáta est, per ejus sánguinem, qui in remissiónem fusus est peccatórum, míllia credéntium a dominátu liberántur diáboli, Christi córpori copulántur, et sub tanto cápite, uno ejus spíritu fidélia membra vegetántur. Hoc vocat Judícium, hanc discretiónem, hanc a suis redémptis diáboli expulsiónem.

℟. vij. O Crux benedícta, * Quæ sola fuísti digna portáre Regem cælórum ac Dóminum! ℣. O Crux admirábilis, evacuátio vúlneris, restitútio sanitátis! — Quæ sola fuísti digna.

Lectio viij.

Nunc, inquit, princeps hujus mundi ejiciétur foras. Prædicébat Dóminus, quod sciébat post Passiónem et glorificatiónem suam per univérsum mundum multos pópulos creditúros, in quorum córdibus diábolus intus erat : cui quando ex fide renúntiant, ejícitur foras. Absit autem ut diábolum mundi príncipem ita dictum existimémus, ut eum cælo et terræ dominári posse credámus. Sed mundus appellátur in malis homínibus, qui toto terrárum orbe diffúsi sunt. Sic ergo dictum est, Princeps hujus mundi, id est Princeps malórum ómnium, qui hábitant in mundo.

℟. viij. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi : * Quia per Crucem tuam redemísti mundum. ℣. Tuam Crucem adorámus Dómine : tuam gloriósam recólimus Passiónem. — Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

Lectio ix.

Et ego, inquit, si exaltátus fúero a terra, ómnia traham post me. Non autem dixit, Omnes : sed, Omnia : non enim ómnium est fides. Non ítaque hoc ad universitátem hóminum rétulit, sed ad creatúræ integritátem, id est spíritum, et ánimam, et corpus.

Aut si per Omnia, ipsi hómines intelligéndi sunt, ómnia prædestinàta ad salútem póssumus dícere : aut certe ómnia hóminum génera, ab excelsíssimis usque ad humíllimos, a rege usque ad mendícum. Omnia, inquit, traham post me, ut sim caput eórum, et illi membra mea.

℟. ix. Per tuam Crucem salva nos Christe Redémptor, qui mortem nostram moriéndo destruxísti, * Et vitam resurgéndo reparásti. ℣. Miserére nostri, Jesu benígne, qui passus es cleménter pro nobis. — Et vitam. Glória. Et vitam.

Ante Laudes ℣. Dícite in natiónibus. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. O magnum pietátis opus! Mors mórtua tunc est, in ligno quando mórtua Vita fuit. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Ecce Crucem Dómini : fúgite partes advérsæ : vicit Leo de tribu Juda, radix David, allelúia.

3. Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi.

4. O Crux admirábilis, evacuátio vúlneris, restitútio sanitátis!

5. Crux benedícta nitet, Dóminus qua carne pepéndit, atque cruóre suo vúlnera nostra lavit.

Capitulum. Gal. 6.

MIHI autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Hymnus.

ORIGINALE crimen necans in Cruce,
Nos a privátis Christe munda máculis :
Humanitátem miserátus frágilem,
Per Crucem sanctam lapsis dona véniam.
PROTEGE, salva, bénedic, sanctífica
Pópulum cunctum Crucis per signáculum :
Morbos avérte córporis et ánimæ :
Hoc contra signum nullum stet perículum.
SIT Deo Patri laus in Cruce Fílii,
Sit coæquális laus sancto Spirítui :
Cívibus summis gáudium sit ángelis,
Honor sit mundo Crucis Exaltátio. Amen.

℣. Tuam Crucem adorámus Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem.

Ad Benedictus Aña. Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior, in qua Vita mundi pepéndit, in qua Christus triumphávit, et mors mortem superávit, allelúia. Oratio.

DEUS, qui nos hodiérna die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnua solemnitáte lætíficas : præsta, quæsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis in cælo præmia consequámur. Per eúmdem.

AD TERTIAM.

Capitulum Mihi autem absit. ut in Laudibus.

℟. Hoc signum Crucis erit in cælo, * Allelúia, allelúia. Hoc signum. ℣. Cum Dóminus ad judicándum vénerit. Allelúia. Glória. Hoc signum.

℣. Per signum Crucis de inimícis nostris. ℟. Líbera nos Deus noster.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. Cor. 1.

VERBUM Crucis pereúntibus stultítia est : iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est.

℟. Per signum Crucis de inimícis nostris, * Allelúia, allelúia. Per signum. ℣. Líbera nos Deus noster. Allelúia. Glória. Per signum.

℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Cor. 1.

NOS autem prædicámus Christum crucifíxum : Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam.

℟. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi, * Allelúia, allelúia. Adorámus te. ℣. Quia per Crucem tuam redemísti mundum. Allelúia. Glória. Adorámus te.

℣. Tuam Crucem adorámus Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Psalmus 111.

BEATUS vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * misércors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : ℣ justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 116.

LAUDATE Dóminum omnes gentes : * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Aña. O magnum pietátis opus! Mors mórtua tunc est, in ligno quando mórtua Vita fuit.

Capitulum Mihi autem absit., Hymnus Salve Crux sancta., ℣. Hoc signum Crucis, ut in j. Vesperis, pagg. 773-774.

Ad Magnificat Aña. O Crux benedícta, quia in te pepéndit Salvátor mundi, et in te triumphávit rex angelórum! Allelúia.

Oratio.

DEUS, qui nos hodiérna die Exaltatiónis sanctæ Crucis ánnua solemnitáte lætíficas : præsta, quæsumus, ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis in cælo præmia consequámur. Per eúmdem.

¶ Si in crastino Exaltationis sanctæ Crucis celebrandum fuerit festum SS. Nominis Mariæ, Memoria de Octava die Nativitatis ejusdem omittatur in ij. Vesperis Exaltationis sanctæ Crucis.

DIE XV. SEPTEMBRIS.

IN COMMEMORATIONE S.P.N. DOMINICI IN SURIANO.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Gaude felix parens Hispánia, novæ prolis dans mundo gáudia : sed tu magis plaude Bonónia, tanti Patris dotáta glória : lauda tota mater Ecclésia, novæ laudis agens solémnia.

Capitulum. Eccli. 50.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis, et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei.

℟. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple Pater quod dixísti, nos tuis juvans précibus. ℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. — Imple. Glória. Imple.

Hymnus.

GAUDE mater Ecclésia,
Lætam agens memóriam,
Quæ novæ prolis gáudia
Mittis ad cæli cúriam.

PRÆDICATORUM Ordinis
Dux et Pater Domínicus
Mundi jam fulget términis,
Civis efféctus cælicus.

CARNIS liber ergástulo,
Cæli potítur glória :
Pro paupertátis cíngulo
Stola dotátur régia.

FRAGRANS odor de túmulo,
Cum virtútum frequéntia,
Clamat pro Christi fámulo
Summi Regis magnália.

TRINO Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia.

Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat vel ad Memoriam in j. Vesperis Aña. Magne Pater sancte Domínice mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per.

¶ Si Commemoratio S. P. N. Dominici in Suriano ipsa die xv. Septembris celebretur, in utrisque Vesperis et Laudibus fiat Memoria de Octava die Simplici Nativitatis B. Mariæ V. ut infra suis locis notatum est.

¶ Si vero ob concursum SS. Nominis B. Mariæ V. transferenda fuerit Commemoratio S. P. N. Dominici in Suriano, de Octava die Nativitatis B. Mariæ V. nihil fiat illo anno.

Ad Memoriam de Octava die Nativitatis B. Mariæ V. in j. Vesperis Aña. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Nativitátem devotíssime celebrémus : ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

SUPPLICATIONEM servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in Nativitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus periculis eruámur. Per eúmdem.

AD MATUTINUM.

Invitatorium Adsunt Domínici. et Hymnus Novus athléta Dómini., ut in festo præcipuo S. P. N. Dominici, pag. 647.

IN I. NOCTURNO.

Omnia ut in festo præcipuo, pag. 647.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et Versiculus ut in festo præcipuo, pag. 649.

(Ex Theodor. de Apold. S. Antonino, et aliis gestorum ejus scriptoribus.)

Lectio iv.

SANCTISSIMUS Pater Domínicus Calarógæ in Hispánia ex nobilíssima Guzmanórum família natus est. Hujus mater grávida sibi visa est per quiétem continére in alvo cátulum, qui facem ore præferens, orbem terrárum incénderet. Quo sómnio significabátur fore ut splendóre sanctitátis ac doctrínæ ejus gentes ad christiánam pietátem inflammarén-tur. Post liberálium ártium ac Theologíæ stúdia, ex quibus singulárem sibi eruditiónem comparávit, primum Oxoménsis Ecclésiæ Canónicus reguláris fuit : deínde claríssimum Prædicatórum Ordinem, unde innúmera totíus sanctitátis et doctrínæ exémpla in Eccléslam promanárunt, instítuit, ab Honório Tértio Summo Pontífice confirmátum anno salútis millésimo ducentésimo décimo sexto.

℟. iv. Paupertátis ascéndens cúlmina, clamat mundi detéstans crímina, frangit hostes, et fugat ágmina : * Nulla Sanctum frangunt discrímina. ℣. Nocte cæli perlústrans límina, die terris dat verbi sémina. — Nulla Sanctum frangunt discrímina.

Lectio v.

POST confirmátum Ordinem, noctes in ecclésia pene ducébat insómnes : ac modo in génua procúmbens, modo toto córpore prostrátus orábat : et si quando grávior somnus fessa membra obrúeret, stans nixus altári, vel ad durum lápidem inclinátus páululum quiescébat. Caténa férrea síngulis nóctibus ádeo ácriter nudum corpus affligébat, ut sánguinis rivi deflúerent. Máximam lacrimárum vim assídue profundébat : atque in primis cum sacrum Missæ sacrifícium peragébat. Nulla re æque lætabátur ac sui contémptu. Puritátem, tum córporis tum ánimi, integérrimam perpétuo servávit.

℟. v. Panis oblátus cælitus fratrum supplet inópiam : *Vitæque natus rédditus matris pellit tristítiam. ℣. Signo Crucis obédit plúvia, lingua verba transfórmat vária. — Vitæque natus rédditus.

Lectio vj.

FUIT sanctíssimus Pater vir plane apostólici péctoris ac spíritus, fídei cólumen, Evangélii tuba, orbis óculus, Christi lucérna, secúndus Præcúrsor et magnus animárum œcónomus : quem multíplices tantárum virtútum in cælo corónæ decórant. Máximis vivens et post mortem miráculis fulsit. Ad cujus majórem glóriam cumulándam, Deus omnípotens célebrem ejus imáginem, quæ in óppido Suriáni asservátur, maximáque pópuli devotióne cólitur, miraculórum frequéntia quotídie illustráre dignátur.

℟. vj. Granum excússum pálea, nexu solúto lúteo, de paupertátis área cæli locátur hórreo : * Cum mercéde virgínea Doctórum fulgens cúneo. ℣. Flos in florum virens aréola, bina gaudet sortis auréola. — Cum mercéde virgínea. Glória. Doctórum fulgens cúneo.

IN III. NOCTURNO.

Omnia ut in festo præcipuo, pag. 652.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo Júdice pro tuo cœtu páuperum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Pauper in pecúlio, dives vita pura, paupertátis prétio cæli tenet jura.

3. Scala cælo próminens fratri revelátur, per quam Pater tránsiens sursum ferebátur.

4. Linguæ, manus stúdio scalam hanc eréxit, quam Virgo cum Fílio Mater sursum vexit.

5. Fulget in choro Vírginum Doctor veritátis, sertum honóris géminum gerens cum Beátis.

Capitulum. Eccli. 50.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis, et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei.

Hymnus.

HYMNUM novæ lætítiæ,
Dulci prodúctum cántico,
Noster deprómat hódie
Chorus sancto Domínico.

VERGENTE mundi véspere,
Novum sidus exóritur,
Et clausis culpæ cárcere
Præco salútis míttitur.

DOCTRINAM evangélicam
Spargens per orbis cárdinem,
Pestem fugat hæréticam,
Novum prodúcens Ordinem.

HIC est fons ille módicus
Crescens in flumen máximum,
Qui mundo jam mirificus
Potum largítur óptimum.

TRINO Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia. Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. Carnis viror, mentis martyrium, mundum replens linguæ præcónium, pauper Christi, post cursus stádium, vitæ tibi mercántur præmium. Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per.

Ad Memoriam de Octava die Nativitatis B. Mariæ V. in Laudibus Aña. Nativitátem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio.

SUPPLICATIONEM servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in Nativitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúmdem.

Item in Laudibus ad Memoriam S. Nicomedis Martyris :

Antiphona et ℣. de Communi unius Martyris. Oratio.

ADESTO Dómine pópulo tuo : ut beáti Nicomédis Mártyris tui mérita præclára suscípiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis adjuvétur. Per.

AD PRETIOSA.

Evangelium.

Secúndum Matthæum. Cap. 5.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Tu autem Dómine.

AD TERTIAM.

Capitulum Quasi stella matutína., ut in Laudibus.

℣ ℟℟. et ℣℣. Horarum de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isa. 59.

SPIRITUS meus, qui est in te, et verba mea, quæ pósui in ore tuo, non recédent de ore tuo, et de ore séminis tui, dicit Dóminus, ámodo et usque in sempitérnum.

AD NONAM.

Capitulum. Malach. 2.

LEX veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus : in pace et æquitáte ambulávit mecum, et multos avértit ab iniquitáte.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo Júdice pro tuo cœtu páuperum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Quasi stella matutína. et Hymnus Gaude mater Ecclésia. ut in j. Vesperis, pag. 785.

℣. Óra pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. O Lumen Ecclésiæ, Doctor veritátis, Rosa patiéntiæ, Ebur castitátis, aquam sapiéntiæ propinásti gratis : Prædicátor grátiæ nos junge Beátis.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat incremántis. Per.

Ad Memoriam de Octava die Nativitatis B. Mariæ V. in ij. Vesperis Aña. Natívitas tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

SUPPLICATIONEM servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in Nativitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus periculis eruámur. Per eúmdem.

DIE XVI. SEPTEMBRIS.

B. IMELDÆ

VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui beátam Vírginem Iméldam ignito caritátis amóre sauciátam, et immaculáta Hóstia mirabíliter refóctam, in cælum suscepísti : fac nos ejus intercessióne eódem caritátis fervóre ad sacram mensam accédere, ut appetámus dissólvi, et esse tecum mereámur : Qui vivis.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Euphemiæ Virginis et Martyris. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius ut qui beátæ Euphémiæ Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

IMELDA, ex nóbili Lambertinórum prosápia Bonóniæ orta, adhuc balbútiens áliquid supra humánum ostentábat, indolémque prodébat jam virtúte imbútam. Enimvéro nihil in puérula levitátis, nullum immatúræ immodéstiæ spécimen; sed rara pótius quædam matúritas univérsos mérito in admiratiónem rapiébat. A fletu, non anílium fabulárum, sed spirituálium rerum narratióne, piis documéntis se avocári sinébat. Infántiæ annos páululum excédens, oratórium sibi a se constrúctum, Davídicos versus et álios piárum precum libéllos puerílium crepundiórum loco habébat. Tandem simul atque décimum ætátis annum áttigit, atque mundi décora ac patérnæ domus splendórem adolescéntula conspéxit, continuo ab eis se removére státuit, et voluntáriam paupertátem, castitátem et

obediéntiam amplécti, atque ádeo in religiósam domum transíre decrévit : unde in præcláram sancti Domínici famíliam adscrípta est.

Lectio v.

HUIC novæ milítiæ adscrípta, quemádmodum strénue religiósæ disciplínæ exercitatiónibus usa sit, quas córporis asperitátes adhibúerit, quanto stúdio in afféctuum interiórum refrenatiónem incubúerit, quantóque orándi stúdio fúerit impetíta, quam generóse cétera múnia tum insuéta tum áspera subíerit, dici nequit. Hoc certum testatúmque, illam áliis et annis et exercitatióne se superióribus facem semper prætulísse. Venerábilem Eucharístiam præcípua religióne observáre nihil habébat jucúndius. Nunquam Sacro intérerat, quod in dies contingébat, quin profundíssima mystérii hujus arcána attentíssima mente pervólveret, et lácrimis amórem suum indicáret, desideriíque índices gémitus exhaláret. Tunc vero vel máxime cruciabátur ánimo, cum céteris cæléstí pábulo refóctis, ipsa per ætátem abstinére cogerétur : ita visum erat iis, qui ei a confessiónibus erant, virtútem, pietátem, modéstiam, sapiéntiam, non ut in hac Vírgine erant, sed annórum paucitátem ponderántibus. At non diu votis suis destitúitur qui Deum ardentíssimo amóre proséquitur. Ipse enim longe æquióre lance, non témporis, sed virtútum ratióne subdúcta, Iméldam æquávit céteris, immo vero étiam præ céteris dignam citra spem omnem manifésto prodígio declarávit.

Lectio vj.

RELIGIOSIS ergo ómnibus stata die ad sacram Synáxim accedéntibus, Iméldæ accéssus prohibebátur : quæ tamen dolóre, précibus, lácrimis gemitibúsque quam máxime eo anhelábat. Et ecce illico de cælo delápsa augustíssima Sacraménti Hóstia médio in áere hærens, visa est Vírginis cápiti supereminére. Quæ tum Vírginis mens, quæ suspíria, quæ collóquia, quæ ália ex áliis iterábat, nihil opus est plúribus commemoráre. Consodáles ejus vírgines rei novitáte percúlsæ hærébant, óculis fidem ægre adhibéntes. Demum Sacerdóti, qui eis præerat, núntiant; venit, videt, paténa sanctam Hóstiam éxcipit, quam Iméldæ, quóniam Dei nutum et plácitum id esse vidébat, impertirétur; ac ita Imélda ex voto desiderióque suo cælitum pábulo refécta est. Tantum vero prióri gáudio accéssit, ut feréndo ámplius satis non esset. Clausis ígitur suáviter óculis, quasi somno indúlgens, spíritum Christo sponso suo réddidit, cum mortáli córpore conclúsa tantas delícias ferre diútius non posset. Hujus prodígii fama, per ómnium ora longe latéque vulgáta, celebérrimum fecit Vírginis nomen; quæ illústri túmulo illáta, semper instar Sanctæ summa veneratióne hábita est, ac Deus óptimus máximus plúrima hujus sanctíssimæ Vírginis nómine mortálibus múnera omni témpore

impertíri dignátus fuit, ut histórica monuménta tradunt. Quibus probe cógnitis, Leo Duodécimus Póntifex Máximus, ex sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto, cultum beátæ Iméldæ præstitum probávit, Missámque in ejus honórem celebrándi et Offícium recitándi univérso Prædicatórum Ordini potestátem benígne largítus est.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

SACRORUM STIGMATUM S. FRANCISCI.

DUPLEX.

Omnia quæ hic posita non sunt fiant de Communi unius Confessoris.

Ad Vesperas et ad Matutinum sic inchoetur Hymnus :

ISTE Conféssor Dómini sacrátus
Sóbrius, castus fuit et quiétus,
Vita dum præsens vegetávit ejus
Córporis artus.
OB sacrum cujus.....

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammánda corda nostra tui amóris igne, in carne beáti Francísci Passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti : concéde propítius ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus pœniténtiæ faciámus. Qui vivis.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Lamberti Episcopi et Martyris. Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Lambérti Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 5. et cap. 6.

SI spíritu vívimus, spíritu et ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. Fratres, et si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans teípsum, ne et tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis exístimat se áliquid esse, cum nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, et sic in semetípso tantum glóriam habébit, et non in áltero. Unusquísque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is, qui catechizátur verbo, ei, qui se catechízat, in ómnibus bonis.

Lectio ij.

NOLITE erráre : Deus non irridétur. Quæ enim semináverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem : qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus :

témpore enim suo metémus non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxime autem ad domésticos fídei. Vidéte quálibus lítteris scripsi vobis mea manu. Quicúmque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantum ut Crucis Christi persecutiónem non patiántur. Neque enim qui circumcidúntur, legem custódiunt : sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestra gloriéntur.

Lectio iij.

MIHI autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israel Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit : ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, cum spíritu vestro, fratres. Amen.

IN II. NOCTURNO.

(Ex S. Bonaventura in Vita S. Francisci, cap. 13. De sacris Stigmatibus.)

Lectio iv.

FIDELIS fámulus Christi Franciscus, ántequam spíritum rédderet cælo, in monte Alvérniæ quadragenário in honórem Archángeli Michaélis jejúnio inchoáto, dum seráphicis desideriórum ardóribus agerétur in Deum, et afféctus compassívi teneritúdine in eum transformarétur, cui ex caritáte nímia crucifígi complácuit, quodam mane orans vidit quasi spéciem unius Séraphim sex alas tam fúlgidas quam ignítas habéntem, de cælórum sublimitáte descéndere : qui volátu celérrimo ad áeris locum Viro Dei propínquum pervéniens, non solum alátus, sed et crucifíxus appáruit; manus quidem et pedes habens exténsos et cruci affíxos; alas vero sic miro modo hinc inde dispósitas, ut duas super caput erígeret, duas ad volándum exténderet, duábus vero totum corpus circumplecténdo veláret.

Lectio v.

DISPARENS vísio, post arcánum ac familiáre colló-quium, mentem ipsíus seráphico intérius inflammávit ardóre, carnem vero Crucifíxo confórmi extérius insignívit effígie, tamquam si ad ignis calefactívam virtútem præámbulam sigillatíva quædam esset impréssio subsecúta. Statim namque in mánibus et pédibus ejus apparére cœpérunt signa clavórum, ipsórum capítibus in inferióri parte mánuum et superióri pedum apparéntibus, et eórum acumínibus exsisténtibus ex advérso. Dextrum quoque latus, quasi láncea transfíxum, rubra cicatríce obdúctum erat, et sacrum sæpe sánguinem effundébat.

Lectio vj.

ET quamvis seráphicus Vir signácula illa sacra pro víribus occultábat, Dóminus tamen ipse, qui ea secréte impésserat, mirácula quædam apérte per ipsa monstrávit : ut

illórum occúlta et mira vis Stígmatum manifésta patéret claritáte signórum. Porro rem ádeo admirábilem, ac tantópere testátam, atque in pontifíciis diplomátibus, præcípuis láudibus et favóribus exaltátam, Benedíctus Papa Undécimus anniversária solemnitáte Dúplici Offício celebrári vóluit : quam póstea lapsam Paulus Quintus Póntifex Máximus, ut corda fidélium in Christi crucifíxi accenderéntur amórem, restítuit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me venire, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Homil. 56. in Matth.)

QUEMADMODUM qui lúdicrum instítuit agónem, si cui athletárum amicítiæ vínculo júngitur, nunquam eum, nisi descénderit in certámen, coronábit : qui próprium illíus vidélicet labórem desíderat, et quo magis eum díligit, eo magis victórem vidére cupit : sic étiam Christus, quos máxime díligit, eos non solum auxílio suo, verum étiam et a seípsis vult comprobári. Mínime autem onerósam oratiónem reddit, quia non sibi solis hæc imminére, sed commúniter univérso terrárum orbi propónit, dicens : Si quis vult, sive vir, sive múlier, sive princeps, sive súbditus, hanc viam ingrediátur.

Lectio viij.

ET sermo quidem unum quid significáre vidétur, tria vero cóntinet : abnegatiónem tui ipsíus, et ut crucem accípias, et tértio ut Christum sequáris. Quorum duo conjúncta sunt, unum per seípsum separátim pónitur. Considerémus ígitur prius quidnam sit álium abnegáre : tunc recte percípies quid sit abnegáre teipsum.

Lectio ix.

QUID ígitur abnegáre teípsum? Quid ígitur abnegáre álium? Qui álium jam abnegávit, fratrem puta, aut servum, aut quemvis álium, si cædi eum virgis vídeat, si arcéri vínculis, quidquid áliud mali pati eum conspéxerit, non occúrrit, non auxiliátur, non fléctitur, nec prorsus ullo modo movétur, ceu ille qui pénitus ab illo alienátus est. Sic ígitur nullo nos pacto córpori nostro párcere vult : ut neque si cæditur, neque si péllitur, neque si úritur, nec si quid áliud hujúsmodi pátitur, ei parcámus.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

SS. CORNELII ET CYPRIANI PONTIFICUM ET MARTYRUM.

DUPLEX. Oratio.

INFIRMITATEM nostram, quæsumus Dómine, propítius réspice : et mala ómnia, quæ juste merémur, sanctórum Mártyrum tuórum atque Pontíficum Cornélii et Cypriáni intercessióne avérte. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

FIDELIS sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum : non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum : ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Oportet autem illum et testimónium habére bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

De Epístola ad Titum.

Lectio ij. Cap. 1.

OPORTET Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum : sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere.

Lectio iij. Cap. 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam : senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : anus similiter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei.

IN II. NOCTURNO.

(Ex S. Cypriano, et Libro de Romanis Pontificibus.)

Lectio iv.

CORNELIUS Románus, Póntifex de Dei et Christi ejus judício factus, sub Gallo et Volusiáno imperatóribus Ecclésiam rexit. Ad eos delátus, quod multos ad christiánam fidem vocásset, in exsílium ad Centumcéllas pulsus est. Verum cum ibi christiánæ caritátis ac vigilántiæ pastorális offícia ímpiger obíret, id ægre tulérunt imperatóres. Quare Romam accersítus, uti læsæ majestátis reus, primum plumbátis cæsus, tum ad Martis simulácrum ductus, sacrificáre jussus est. Quod cum plane detestarétur, cápite minútus est, décimo octávo Kaléndas Octóbris, post transáctos in Pontificátu annos círciter duos.

(Ex S. Gregorio Naz. et S. Hieronymo.)

Lectio v.

CYPRIANUS Afer, illústris génere, rhetóricis ac philosóphicis disciplínis perpolítus, a Presbytero Cæcílio factus Christiánus, substántiam suam omnem paupéribus erogávit. Présbyter primum, tum Epíscopus ordinátus, ab Aspá-

sio Patérno Africæ procónsule, ob confessiónem nóminis Christi, in exsílium jussus est deportári. Póstmodum a Galério Máximo, Aspásii successóre, Cartháginem revocátus, ac de fide assumptóque Episcopátu interrogátus, diísque offérre jussus, invícta ánimi fortitúdine stetit : datóque sibi ad consuléndum témpore, in re tam justa consultatiónem nullam esse respóndit.

Lectio vj.

QUARE Galérius de consílio senténtiam in eum dixit, qua, uti Románis diis ac légibus infénsus, cujus sánguine disciplína sanciénda foret, tradúctus est. Tum decrétum ex tabélla recitávit in hæc verba : Thascium Cypriánum gládio animadvérti placet. Cui respóndit Cypriánus : Deo grátias. Unde in agrum Sexti ductus, dalmática exútus in línea stetit, áureos vigínti quinque spiculatóri dari jussit, óculos própria manu texit, atque ita gládio petítus, disciplínam christiánam suo sánguine sanxit. Passus est eádem die, qua Romæ Cornélius, at non eódem anno. Egrégia relíquit ingénii sui monuménta.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Cum audiéritis prœlia. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 60*.

DIE XIX. SEPTEMBRIS.

SS. JANUARII EPISCOPI ET SOCIORUM MARTYRUM.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Januárii et Sociórum ejus solemnitáte lætíficas : concéde propítius ut quorum gaudémus méritis accendámur exémplis. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

¶ Si tamen hoc festum in Quatuor Temporibus venerit, Lectiones primi Nocturni erunt Exístimo. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 55*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JANUARIUS Benevénti Epíscopus, Diocletiáno et Maximiáno in Christiános sæviéntibus, ad Timótheum Campániæ præsidem ob christiánæ fídei professiónem Nolam perdúcitur. Ibi ejus constántia várie tentáta, in ardéntem fornácem conjéctus, ita illæsus evásit, ut ne vestiméntum aut capíllum quidem flamma violáverit. Hinc præses accénsus iracúndia, Mártyris corpus imperat usque eo dístrahi, quoad nervórum compáges artuúmque solvántur. Festus intérea ejus Diáconus et Desidérius Lector comprehénsi vinctíque una cum Epíscopo ante rhedam præsidis Putéolos pertrahúntur, et in eúmdem cárcerem, in quo Sósius Misénas et Próculus Puteolánus Diáconus, Eutyches et Acútius láici ad béstias damnáti detinebántur, simul conjiciúntur.

Lectio v.

POSTERO die omnes in amphitheátro feris objécti sunt : quæ naturális oblítæ feritátis, ad Januárii pedes se prostravére. Id Timótheus mágicis incantatiónibus tríbuens,

cum senténtiam cápitis in Christi Mártyres pronuntiásset, óculis repénte captus, oránte mox beáto Januário, lumen recépit : quo miráculo, hóminum míllia fere quinque Christi fidem suscepérunt. Verum ingrátus judex, níhilo placátior factus benefício, sed conversióne tantæ multitúdinis actus in rábiem, véritus máxime princípum decréta, sanctum Epíscopum cum Sóciis gládio pércuti jussit.

Lectio vj.

HORUM córpora finítimæ urbes, pro suo quæque stúdio certum sibi patrónum ex iis apud Deum adoptándi, sepeliénda curárunt. Januárii corpus Neapolitáni divíno admónitu extulére : quod primo Benevéntum, inde ad monastérium Montis Vírginis, postrémo Neápolim translátum, et in majóri ecclésia cónditum, multis miráculis cláruit. Sed illud in primis memorándum, quod erumpéntes olim e monte Vesúvio flammárum globos, nec vicínis modo, sed longínquis étiam regiónibus vastitátis metum afferéntes, exstínxit. Præclárum illud quoque, quod ejus sanguis, qui in ampúlla vítrea concrétus asservátur, cum in conspéctu cápitis ejúsdem Mártyris pónitur, admirándum in modum colliquefíeri et ebullíre, perínde atque recens effúsus, ad hæc usque témpora cérnitur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo témpore : Sedénte Jesu super Montem olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes : Dic nobis, quando hæc erunt? Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

(Comm. in Matth. cap. 24.)

DISCIPULI Dóminum intérrogant quando hæc fierent, quodve signum et advéntus sui et consummatiónis sæculi nóscerent. Et quia tria hæc in unum quæsíta sunt, distínctis et témporis et intelligéntiæ significatiónibus separántur. Respondétur ígitur primum de civitátis occásu : et confirmántur veritáte doctrinæ, ne quis fallax ignorántibus posset obrépere. Ventúri enim erant étiam eórum témpore, qui se Christum essent nuncupatúri. Ut ígitur fides pestífero mendácio détrahi posset, admonítio præcéssit.

Lectio viij.

CONFIRMAT ígitur eos ad toleránti am passiónum, fugæ, verberatiónis, intéritus et públici in eos ódii propter nomen ejus. Atque his quidem vexatiónibus multi turbabúntur, et tantis insurgéntibus malis scandalizabúntur, et usque in mútuum ódium excitabúntur. Et falsi prophétæ erunt (ut Nicoláus, unus ex septem Diacónibus fuit) multósque ementíta veritáte pervértent : et abundánte nequítia, cáritas refrigéscet.

Lectio ix.

SED usque in finem perseverántibus salus reserváta est: ac tum per omnes orbis partes, viris Apostólicis dispérsis, Evangélii véritas prædicábitur. Et cum univérsis fúerit

cognítio sacraménti cæléstis invécta, tum Jerúsalem occásus et finis incúmbet : ut prædicatiónis fidem, et infidélium pœna, et metus civitátis érutæ consequátur. Hæc ígitur in eam, ut fúerant prædícta, perfécta sunt : et lapidátis, fugátis, peremptis Apóstolis, fame, bello, captivitáte consúmpta est. Ac tum fuit digna non esse, cum ejéctis prædicatóribus Christi, indignam Dei prædicatióne se præbuit.

DIE XX. SEPTEMBRIS.

B. FRANCISCI DE POSSADAS

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Francíscum Confessórem tuum, supérnæ caritátis dulcédine perfúsum, verbi tui præcónem exímium effecísti : ejus intercessióne concéde ut igne tui amóris incénsi, in tua dilectióne semper vivámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

FRANCISCUS de Possádas, Córdubæ in regno Vandalíciæ Hispaniárum piis honestísque paréntibus natus, ac dulcédinis benedictiónibus prævéntus, ab ipsa infántia sanctitátis indícia præbére visus est. Quibúsdam enim hebdómadæ diébus, velut alter Nicoláus Myrénsis, a lacte sugéndo abstinébat, ac dulcíssimum Maríæ nomen, quod in corde inscúlptum habére videbátur, adhuc balbútiens proférre consuévit. Puer a lúdicris semper abhórrens, ómnibus elúxit virtútibus, quæ illam ornant ætátem; tantámque ex eo témpore in Christi páuperes dilectiónem præ se tulit, ut eis panem, quo se vesci oportébat, ultro distribúeret. Adoléscens æquáles suos válidis supra ætátem ratiónibus ad pietátem in Deum parentésque coléndam excitábat. Ineúnte vero juventúte ascensiónes in corde suo dispónens, Prædicatórum Ordinem, post vária contradictiónes felíciter superátas, in convéntu Scalæ cæli ingréssus, corpus suum jejúniis, flagéllis et aspérrimo cilício in servitútem redégit : et impénsius virtútibus intérnis excoléndis óperam dedit. Expléto studiórum currículo et Sacerdótio initiátus, jugi verbi Dei prædicatióni et confessiónibus audiéndis ádeo incúbuit, ut ódia ad interneciónem usque flagrántia exstínxerit, errántes vero ad pœniténtiam, et pœniténtes ad christiánam perfectiónem addúxerit.

Lectio v.

BONUS itaque Christi miles efféctus, tanto divíni amóris æstu tantóque animárum zelo flagrávit, ut sanctus Vincéntius Ferrérius, quem sibi in hoc imitándum proposúerat, revixísse viderétur. In apostólicis missiónibus obeúndis divína in eo charísmata eluxére, quæ audiéntium ánimos in admiratiónem cordísque compunctiónem trahébant. Ignoránte rudésque persónas in

cathólicæ fídei mystériis sæpe a mane ad vésperam erudiébat. Summa in páuperes, infírmos et cárcere deténtos miseratióne ita ferebátur, ut ipsis vestes, calceaménta, medicínas etália ad próprium usum pertinéntia, alácriter impertíri soléret. A concívibus suis Cordubénsibus eloquéntiæ vi et cæléstis doctrínæ virtúte obtínuit ut theatrália spectácula, quæ non sine máxima animárum jactúra exercebántur, in perpétuum eliminaréntur, æquo ipsórum moderatórum civitátis ánimo.

Lectio vj.

ORANDI stúdio, cordis mansuetúdine, atque in Deum et próximum amóre animíque demissióne ádeo cláruit, ut nedum abjectíssimis quibúsque offíciis exercéndis præsto esset, verum étiam humánas laudes abhórrens, in oppróbriis tantúmmodo, irrisiónibus et illátis calúmniis lætarétur. Miris a dæmone colluctatiónibus vexátus, semper triumphátor evásit, advérsus præsértim castitátis insídias. Prophetía, spirítuum discretióne aliisque supérnis donis a Deo ditátus fuit. Præfectúras Ordinis totis víribus humíliter rejécit, et oblátos sibi Algherénsem et Gadicénsem Episcopátus recusávit. Omnibus tandem ómnia factus, confessárii et sacri concionatóris munéribus per annos ferme quadragínta sanctíssime functus, septuagenárius, sóntico morbo corréptus, extrémum in ósculo Dómini diem clausit, die vigésima Septémbris anni millésimi septingentésimi décimi tértii. Postquam vero heróicas omnes illíus virtútes testimónio divíno, miraculórum ope, Excélsi déxtera confirmávit, Pius Séptimus Póntifex Máximus, expléto de more prodigiórum exámine, rite venerábilem Virum Beatórum fastis adscripsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XXI. SEPTEMBRIS.

S. MATTHÆI

APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

TOTUM DUPLEX.

Omnia de Communi unius Evangelistæ, pag. 36*. præter hic posita.

IN I. VESPERIS.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Matthæi, Apóstoli tui et Evangelístæ, quam prævenímus, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 4.

OBSECRO ítaque vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem Spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus Spíritus sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ.

Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo prudéntes.

Lectio ij.

UNICUIQUE autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit : Ascéndens in altum captívam duxit captivitátem : dedit dona homínibus. Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primum in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cælos, ut impléret ómnia.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

Lectio iij.

ET ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero Evangelístas, álios autem pastóres, et doctóres ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi : donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MATTHÆUS, qui et Levi, Apóstolus et Evangelísta, post Christi Resurrectiónem, ántequam in provínciam proficiscerétur, quæ ei ad prædicándum obtígerat, primus in Judæa, propter eos, qui ex Circumcisióne credíderant, Evangélium Jesu Christi hebráice scripsit : mox in Æthiópiam profóctus Evangélium prædicávit, ac prædicatiónem multis miráculis confirmávit.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes splendídas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

ILLO ígitur in primis miráculo, quo regis fíliam a mórtuis excitávit, regem patrem et uxórem ejus, cum univérsa província ad Christi fidem convértit. Rege mórtuo, Hírtacus ejus succéssor, cum Iphigéniam régiam fíliam vellet sibi dari in matrimónium, Matthæum, cujus ópera illa virginitátem Deo vóverat, et in sancto propósito perseverábat, ad altáre mystérium celebrántem jussit occídi.

℟. v. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum meruérunt præmia ætérna : *Modo coronántur et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur.

Lectio vj.

ITAQUE undécimo Kaléndas Octóbris, munus Apostólicum martyrii glória cumulávit, vere factus víctima virginitátis. Cujus corpus Salérnum translátum, ac póstmodum in ecclésia ejus nómine dedicáta, Gregório Séptimo Summo Pontífice, cónditum, ibidem magno hóminum concúrsu ac pietáte cólitur. Ipsum semínibus, baccis atque oléribus absque cárnibus victitáre sólitum refert Clemens Alexandrínus.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus : *Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9.

IN illo témpore : Vidit Jesus hóminem sedéntem in telónio, Matthæum nómine. Et ait illi : Séquere me. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Hom. 31. in Matth. post init.)

NON est abs re grandem Evangelístæ philosophíam admirári, qui anteáctam vitam suam non celávit, et nomen suum adscrípsit, quod álii mutáta appellatióne occultáverant. Sed cur dixit in telónio sedísse? Virtútem vocántis vóluit osténdere, qui non impósito adhuc fine pravæ publicanórum conversatióni, e médio malórum pélago ipsum abstráxit : sicut beátum Paulum quoque, furéntem, ac omni rabie ardéntem, et ignem Ecclésiæ inferéntem, redúxit.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

Lectio viij.

PUBLICANORUM autem stúdia et exercitátio impudéntiæ ac crudelitátis plena sunt : quæstus nota illiberalitátis, turpis quædam mercatúra, immo rapína lege sæculári concéssa : quæ ómnia non erúbuit Dóminus, si sibi amicum fecit publicánum. Nec mirum, quando nec meretrícem erúbuit, quam non a fornicatióne solum erípuit, verum étiam pedes osculári permísit. Venit enim, non ut córpora solum curáret, verum étiam multo magis, ut ægrótis ánimis incolumitátem præstáret.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix.

QUOD planum in paralytico fecit, cujus cum peccáta dimíserit, tunc ad Matthæum accéssit, ne turbaréntur, si publicánum vidérent in discipulórum consórtio collocátum. Nam qui potest delictórum dissólvere víncula, cur mirum est si peccatórem Apóstolum fecit? Vidísti virtútem vocántis: disce nunc vocáti obediéntiam. Non enim repugnávit, nec ambigéndo secum dixit, Putásne publicánum peccatorémque me recte absque fraude vocáverit? Non est enim hujuscémodi humílitas laudábilis: sed conféstim ita obtemperávit, ut nec domum quidem ad communicándum rem cum suis proféctus sit.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. — Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

IN LAUDIBUS.

Oratio.

BEATI Apóstoli et Evangelístæ Matthæi, Dómine, précibus adjuvémur: ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Per.

¶ Hæc Oratio dicatur etiam ad Tertiam, Sextam, Nonam et ij. Vesperas.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

SS. MAURITII ET SOCIORUM MARTYRUM.

SIMPLEX. Oratio.

ANNUE quæsumus omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii, Exsupérii, Cándidi, Vitális, Innocéntii ac Sociórum eorúmdem nos lætíficet festíva solémnitas, ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

¶ Quando tamen hoc festum in aliqua Feria Quatuor Temporum venerit, Lectiones primi Nocturni erunt Exístimo. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 55*.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Rom. Breviario.)

Lectio iv.

CUM Maximiánus imperátor, ducto in Gálliam exércitu, in fínibus Sedunórum sacrifícii causa constitísset, Thebæórum légio, ne se impiórum sacrórum societáte contamináret, a réliquis cópiis discéssit. Quare imperátor misit ad eos mílites, qui suo nómine nuntiárent ut si salvi esse vellent, in castra ad sacrifícia redírent. Qui cum se christiána religióne impedíri respondérent, eórum respónsum ille indignissime ferens, majóri iracúndia quam ántea exársit.

Lectio v.

ITAQUE immíssa parte exércitus in Thebæos, décimum quemque eórum primum occídi jussit: quod martyrium sua sponte, maximéque hortatóre Maurítio, ferre maluérunt quam imperáta fácere nefárii imperatóris: ac deínde réliquos omnes, constantíssime

Christum prædicántes, décimo Kaléndas Octóbris ab univérso exércitu trucidári ímperat. Máximis porro sancti Mártyres Thebæi miráculis claruérunt.

(Ex Epist. Decani et Canonicorum Castri novi in Galliis ad Philippum Coloniensem Archiepiscopum.)

Lectio vj.

ILLUD in primis memorándum, quod cum beátus Martínus Turonénsis Epíscopus peregríni hábitu Agáunum ad sacra Mártyrum pignora visénda venísset, rogassétque ut sibi de sanctis Reliquiis áliquid donarétur, et ab iis, quibus eárum custódia demandáta erat, repúlsam tulísset: saltem osténdi sibi pétiit locum agónis, ubi Mártyres pro Christo sánguinem fudérunt. Ibi post preces, exémpto vagína cultéllo, mox ut manu viréntis gráminis in gyrum cæspitem incísum sústulit, densus ab ipso cæspite copiósi sánguinis imber distilláre cœpit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Cum audiéritis prœlia. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 60*.

DIE XXIII. SEPTEMBRIS.

S. THECLÆ VIRGINIS FEMINARUM PROTOMARTYRIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, pro cujus nóminis glória magnum certámen passiónum beáta Thecla Virgo et Martyr tua, feminárum prima, invícta fide sustínuit: da nobis ejúsdem fidei imitatióne próspera mundi despicere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Confitébor tibi. de Communi unius Virginis et Martyris, pag. 89*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

THECLA Virgo, ex illústribus paréntibus Icónii in Lycaónia nata, a Paulo Apóstolo fídei præcéptis institúta fuit. Cum enim idem Apóstolus Icónium ad Christi Evangélium prædicándum accessísset, cumque mystéria fídei et castitátis laudes exponéntem Thecla audivísset, sic ad fidem et virginitátis propósitum ánimum inténdit, ut Thamíridem, júvenem nobilitáte ac forma præstantíssimum, cui illam paréntes despónderant, invícto ánimo desérere, ac cæléstis sponsi Jesu Christi núptias amplécti omníno decréverit. Vitam ítaque, quam ex Apóstoli præscrípto ad evangélicæ perfectiónis normam instituérat, aggréssa, quamplúrimas exínde adolescéntulas exémplo suo ad fidem et castitátem coléndam addúxit: ex quibus sanctæ potíssimum mulíeres Tryphéna et Tryphósa in christiána disciplína sub ea póstmodum mirífice profecérunt.

Lectio v.

QUOD cum iníquo ánimo ferrent sponsus et paréntes Theclæ, illam apud júdicem, quod Christiána esset, accusárunt. Cujus jussu in

ardéntem rogum, qui, nisi Christo renuntiáret, ei parátus erat,prius signo Crucis armáta, seípsam injécit. Sed igne plúvia, quæ repénte exórta est, exstíncto, Antiochíam venit : ubi feris objécta, et tauris in divérsa incitátis alligáta, mox conjécta in fossam plenam serpéntibus, ex ómnibus Jesu Christi grátia liberátur. Cujus ardóre fídei et vitæ sanctitáte multi ad Christum convérsi sunt.

Lectio vj.

TANTIS Christi Dómini virtúte periculis erépta Thecla, in pátriam rédiens, in montem sola secéssit, ac præcípua vitæ sanctitáte et miráculis insígnis, nonagenária migrávit ad Dóminum. Sacrum ejus corpus, Seléuciæ sepúltum, celebérrima totíus Oriéntis veneratióne, et frequénti Christianórum concúrsu illuc adeúntium, honorífice hábitum fuit, ac sanctus Gregórius Nazianzénus ad illud venerándum Seléuciam se contulísse testátur. Eam summis láudibus tum ipse tum omnes fere sancti Patres suis scriptis extulérunt, ádeo ut si quando præcelléntem áliquam sanctitáte féminam celebráre vellent, non álio quam Protomártyris Theclæ nómine exornárent.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cælórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 12. in Evang.)

SÆPE vos fratres caríssimi admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre : sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere ut et bona, quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis; ne per hoc, quod a vobis rectum géritur, favor, aut grátia humána requirátur : ne appetítus laudis subrépat, et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur.

Lectio viij.

ECCE enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes recéptæ sunt : quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt. Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elóquio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur : quæ quia ex utróque sexu fidélium collígitur, decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis, et réprobi cum eléctis commísti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse perhibétur.

Lectio ix.

SUNT namque pleríque contiséntes, qui ab exterióri se appetítu custódiunt, et spe ad interióra rapiúntur; carnem mácerant, et toto desidério ad supérnam Pátriam anhélant :

ætérna præmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere humánas laudes nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra conciéntiam cóntegunt. Et sunt pleríque, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

S. MARIÆ DE MERCEDE.

TOTUM DUPLEX.

Omnia quæ hic posita non sunt fiant ut in Festis B. Mariæ V., pag. 1*. et sequentibus. Oratio.

DEUS, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem, ad liberándos Christi fidéles a potestáte paganórum, nova Ecclésiam tuam prole amplificáre dignátus es : præsta, quæsumus, ut quam pie venerámur tanti óperis institutrícem, ejus páriter méritis et intercessióne a peccátis ómnibus et captivitáte dæmonis liberémur. Per eúmdem.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Lectio iv.

QUO témpore major feliciórque Hispaniárum pars diro Saracenórum opprimebátur jugo, innumeríque fidéles sub immáni servitúte, máximo cum perículo christiánæ fídei abjurándæ amittendæque salútis ætérnæ, infeliciter detinebántur : beatíssima cælórum Regína, tot tantísque benígniter occúrrens malis, nímiam caritátem suam in iis redimendis osténdit. Nam sancto Petro Nolásco, pietáte et ópibus florénti, qui sanctis vacans meditatiónibus júgiter ánimo recogitábat qua ratióne tot Christianórum ærúmnis, sub Maurórum captivitáte degéntium, succúrri posset, ipsamet beatíssima Virgo seréna fronte se conspiciéndam dedit, et acceptíssimum sibi ac unigénito suo Fílio fore dixit, si suum in honórem instituerétur Ordo Religiosórum, quibus cura incúmberet captívos e Turcárum tyránnide liberándi. Qua cæléstí visióne Vir Dei recreátus, mirum est quo caritátis ardóre flagráre cœperit, hoc unum servans in corde suo, ut ipse ac instituénda ab eo Relígio máximam illam caritátem sédulo exercérent, ut quisque ánimam suam póneret pro amícis et próximis suis.

℟. iv. Solémnitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David : * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Regáli ex progénie María exórta refúlget. — Cujus vita ínclyta.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

EA ipsa nocte éadem Virgo sanctíssima beáto Raymúndo de Pénnafort Ordinis Prædicatórum et Jacóbo Aragóniæ regi appáruit, idípsum de Religiósis instituéndis ádmonens, suadénsque ut opem pro constructióne tanti óperis ferrent. Petrus autem statim

ad Raymúndi pedes, qui ipsi erat a sacris confessiónibus, ádvolans, ei rem omnem apéruit, quem étiam cælitus instrúctum réperit, ejúsque directióni se humíllime subjécit. At supervéniens Jacóbus rex, quam et ipse accéperat a beatíssima Vírgine, revelatiónem éxsequi státuit.

℟. v. Solémnitas tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : * Ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Felix namque es, quæ sola Genitrícis dignitátem obtinuísti, et virginálem pudicítiam non amisísti. — Ex te enim ortus est.

Benedictio. Stella Maria maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

UNDE collátis inter se consíliis et consentiéntibus ánimis, in honórem ejúsdem Vírginis Matris Ordinem instituere aggréssi sunt, sub invocatióne sanctæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis captivórum. Die ígitur décima Augústi, rex idem Jacóbus eam institutiónem jam pridem ab iisdem sanctis Viris concéptam éxsequi státuit, sodálibus quarto voto astrictis manéndi in pignus sub Paganórum potestáte, si pro Christianórum liberatióne opus fúerit. Quibus rex ipse arma sua régia in péctore deférre concéssit, et a Gregório nono illud tam præcelléntis erga próximum caritátis Institútum et Religiónem confirmári curávit.

℟. vj. Ad nutum Dómini nostrum ditántis honórem, * Sicut spina rosam génuit Judæa Maríam. ℣. Ut vítium virtus operíret, grátia culpam. — Sicut spina rosam. Glória. Sicut spina rosam.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

S. THOMÆ DE VILLANOVA EPISC. ET CONF.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Thomam Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti : quæsumus ut ejus intercessióne, in omnes qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

THOMAS, in óppido Fontispláni Toletánæ diœcéseos in Hispánia natus anno Dómini millésimo quadringentésimo octogésimo octávo, ab óptimis paréntibus, ineúnte vita, pietátem et singulárem in páuperes misericórdiam accépit; cujus adhuc puer complúra dedit exémpla : sed illud in primis nóbile, quod ut nudos operíret, própriis véstibus non semel se ipsum éxuit. Exácta puerítia, Complúto, quo missus fúerat ut lítteris óperam daret, patris óbitu revocátus, univérsam hereditátem egénis virgínibus aléndis dicávit, eodémque statim revérsus est, ut currículum sacræ theologiæ confíceret : ínterim assíduis précibus sciéntiam sanctórum,

et rectam vitæ morúmque normam a Dómino vehementíssime póstulans. Quare divíno instínctu Eremitárum sancti Augustíni ampléxus est Institútum.

Lectio v.

RELIGIONEM proféssus, ómnibus religiósi hóminis virtútibus et ornaméntis excélluit, humilitáte, patiéntia, continéntia, sed ardentíssima caritáte summe conspícuus: inter vários et assíduos labóres, oratióni rerúmque divinárum meditatióni invícto spíritu semper inténtus. Prædicándi onus, útpote sanctimónia et doctrína præstans, subíre jussus, cæléstí aspiránte grátia, innumerábiles e vitiórum cœno in viam salútis edúxit. Regéndis deínde frátribus admótus, prudéntiam, æquitátem et mansuetúdinem pari cum sedulitáte ac severitáte conjúnxit: ádeo ut priscam sui Ordinis disciplínam multis in locis vel firmáverit, vel restitúerit.

Lectio vj.

GRANATENSIS Archiepíscopus designátus, mira humilitáte et constántia insígne munus rejécit. Verum non multo post Valentínam Ecclésiam, Superiórum auctoritáte coáctus, gubernándam suscépit: quam annis ferme úndecim ita rexit, ut sanctíssimi et vigilantíssimi pastóris partes expléverit. Céterum consuéta vivéndi ratióne nihil ádmodum immutáta, inexplébili caritáti multo magis indúlsit, cum amplos Ecclésiæ réditus in egénos dispérsit, ne léctulo quidem sibi relícto: nam eum, in quo decumbébat, cum in cælum evocarétur, ab eódem commodátum hábuit, cui paulo ante eleemósynæ loco donáverat. Obdormívit in Dómino, sexto Idus Septémbris, annos natus octo et sexagínta. Servi sui sanctitátem adhuc vivéntis, et exínde post mortem, miráculis Deus testátam vóluit: præsértim cum hórreum, fruménto paupéribus distribúto, pénitus vácuum, repénte plenum invéntum est; et cum ad ejus sepúlcrum puer mórtuus revíxit. Quibus aliísque non paucis fulgéntem signis Alexánder Séptimus Póntifex Máximus Sanctórum número adscrípsit, atque ejus memóriam quartodécimo Kaléndas Octóbris celebrári mandávit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 78*.

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

B. DALMATII MONERII

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui húmilem fámulum tuum Dalmátium multis signis atque virtútibus decorásti, ac mirabíliter in tuo amóre, spretis temporálibus, inflammásti: tríbue nobis, quæsumus, ut ejus intercessióne a terrénis afféctibus expedíti et a cunctis adversitátibus liberáti, sola cæléstia appetámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DALMATIUS Monérius, natióne Hispánus, in Catalániæ principátu Villa sanctæ Colúmbæ de Farnésiis diœcésis Gerundénsis, honéstis piísque paréntibus ortus, ab ineúnte ætáte, morum candóre ac innocéntia futúræ sanctitátis indícia præbuit. Adoléscens liberálibus disciplínis Gerúndæ instrúctus, ad altiórem doctrínæ ac virtútis palmam aspírans, Montem Pessulánum ádiit: ubi mentem lítteris bonísque móribus éxcolens, et cuncta malórum incitaménta sédulo devítans, illibátum a quólibet inquinaménto corpus et ánimum studióse custodívit. Cumque in sciéntiis et virtútibus plúrimum profecísset, in pátriam revérsus est. Hinc a Deo vocátus, mundo, cui corde nunquam adhæserat, núntium remíttens, Gerúndæ hábitum Ordinis Prædicatórum suscépit. In ipso Religiónis exórdio mores suos ad legum præscripta exactíssime compósuit: eamdémque vivéndi ratiónem, quam sibi primo constítuit, perseveránter usque in finem servávit.

Lectio v.

TERRENA cuncta despíciens, ac sola cæléstia concupíscens, ut libérius Deo posset inservíre, docéndi offício, quod per plures annos summa cum laude perégerat, humíliter se abdicávit. Duríssimæ austeritátis ac mirábilis abstinéntiæ fuit. Legumínibus herbarúmque radicibus vix igni expósitis ut plúrimum vescebátur: carnes vero non nisi cogénte infirmitáte sumébat. Vino vel nunquam, vel raríssime utebátur: sæpius etiam per vigínti dies vel æstívo témpore ab omni potu pénitus abstinébat. In oratióne et meditatióne diu noctúque assíduus, vigíliis ac jejúniis fatigátus, super nudam humum páululum quiescébat. Virgíneam quoque carnem áspero cilício et crebris flagéllis ad sánguinis usque effusiónem affligébat. Spíritu prophético multa futúra prædíxit. Secréta córdium plúries penetrávit, ac inter orándum sæpius in sublíme tolli visus est. Propter familiárem cum Angelo consuetúdinem, Frater cum Angelo loquens dicebátur: et qui áliqua adversitáte premebántur, quandóque cælitus móniti, ad ipsum velut ad ómnium consolatórem confluébant.

Lectio vj.

TEMPORALIS vitæ subsídia secum, dum iter ágeret, nulla deferébat; immo et ab áliis oblàta modéste recusábat, omnem spem suam in solo Dómino repónens, a quo plúries juxta indigéntiam sibi per Angelos missa sunt. Sanctæ Maríæ Magdalénæ, quam peculiáriter venerabátur, pœniténtiam quadántenus imitatúrus, secrétum sibi atque hórridum habitáculum intra septa monastérii vivo saxo incídit,

ubi per annos quátuor usque ad mortem latitávit. Hoc in ergástulo rigidióris pœniténtiæ opéribus corpus in servitútem rédigens, talem ac tantam integritátem retínuit, ut nec carnis, nec mentis unquam sénserit corruptélam. Tandem virtútibus et méritis plenus, die vigésima quarta Septémbris, anno Salútis millésimo trecentésimo quadragésimo primo, ætátis vero suæ quinquagésimo, Gerúndæ obdormívit in Dómino : quem viéntem, et vita functum plúribus ferunt miráculis coruscásse. Ejus porro cultum Innocéntius Papa Décimus tértius approbávit. Ut autem festum ejus cum Offício et Missa tam in univérso Prædicatórum Ordine quam in civitáte Gerundénsi, quæ singulári ejus protectióne lætátur, atque innúmeris a Deo beneficiis ejus patrocínio in dies augétur, ac tota respectíve diœcési, ab omni ejus Clero celebrarétur, Benedíctus Décimus tértius benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XXVII. SEPTEMBRIS.

SS. COSMÆ ET DAMIANI MARTYRUM.

SIMPLEX. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Cosmæ et Damiáni natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per.

IN II. NOCTURNO.

(Ex S. Greg. Turon., Procopio Cæsariensi, et aliis.)

Lectio iv.

COSMAS et Damiánus fratres Arabes, in Ægéa urbe nati, nóbiles médici, imperatóribus Diocletiáno et Maximiáno, non magis medicínæ sciéntia quam Christi virtúte, morbis étiam insanabílibus medebántur. Quorum religiónem cum Lysias præféctus cognovísset, addúci eos ad se jubet ac deos venerári : et christiánam fidem líbere prædicántibus, cruciátus et necem acerbíssimam comminátur.

Lectio v.

VERUM ut se frustra hæc illis propónere intélligit, colligátis mánibus et pédibus, torquéri atque in profúndum mare prójici præcipit : unde cum salvi ac solúti essent egréssi, mágicis ártibus factum assignans, eos in cárcerem tradit; ac postrídie edúctos, in ardéntem rogum ínjici, flammáque ab ipsis refugiénte, demum secúri pércuti jubet.

Lectio vj.

MULTA mirácula íncolis osténdunt. Nam si quis ad eórum sepúlcrum fide plenus oráverit, statim adipíscitur medicínam sanitátis. Réferunt étiam pleríque apparére eos per visum languéntibus, et quid fáciant indicáre : quod cum fécerint, sani discédunt. Justiniánum imperatórem inter céteros gráviter ægrotántem, et jam a médicis desperátum, per visum ei apparéntes, curásse perhibéntur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Descéndens Jesus de monte. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 65*.

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

S. JOSEPHI A CUPERTINO CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui ad unigénitum Fílium tuum exaltátum a terra ómnia tráhere disposuísti : pérfice propítius ut méritis et exémplo seráphici Confessóris tui Joséphi, supra terrénas omnes cupiditátes eleváti, ad eum pervenire mereámur : Qui tecum vivit.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Venceslai Ducis et Martyris. Oratio.

DEUS, qui beátum Vencesláum per martyrii palmam a terréno principátu ad cæléstem glóriam transtulísti : ejus précibus nos ab omni adversitáte custódi, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 4.

DEUS, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus : ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur : aporiámur, sed non destitúimur : persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur : dejícimur, sed non perímus : semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum : ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli.

Lectio ij. Cap. 5.

SCIMUS enim quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cælo est, superíndui cupiéntes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti : eo quod nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, a vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spíritus. Audéntes ígitur semper, sciéntes quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur a Dómino (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem) : audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, et præséntes esse ad Dóminum.

Lectio iij. Cap. 12.

SI gloriári opórtet (non éxpedit quidem) : véniam autem ad visiónes, et revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim, sive in córpore néscio,

sive extra corpus néscio, Deus scit, raptum hujúsmodi usque ad tértium cælum. Et scio hujúsmodi hóminem sive in córpore, sive extra corpus néscio, Deus scit : quóniam raptus est in Paradísum : et audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor: pro me autem nihil gloriábor nisi in infirmitátibus meis. Nam, et si volúero gloriári, non ero insípiens : veritátem enim dicam : parco autem, ne quis me exístimet supra id, quod videt in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ ángelus Sátanæ, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi ut discéderet a me : et dixit mihi : Súfficit tibi grátia mea : nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOSEPHUS a Cupertíno, óppido in Salentínis diœcésis Neritonénsis, anno reparátæ Salútis millésimo sexcentésimo tértio piis ibídem paréntibus ortus, Deíque amóre prævéntus, puerítiam atque adolescéntiam summa cum simplicitáte morúmque innocéntia transégit. A diutúrno molestóque morbo patientíssime toleráto Deíparæ Vírginis ope liberátus, se totum pietátis opéribus ac excoléndis virtútibus dedit: utque Deo, ad majóra vocánti, se intímius conjúngeret, Ordini Seráphico nomen dare constítuit. Post vários evéntus voti tandem compos factus, apud Minóres Conventuáles in cœnóbio Cryptulæ, inter láicos primum ob litterárum imperítiam, deínde inter cléricos divína dispositióne connumerátus est. Sacerdótio post solémnia vota initiátus, perféctius sibi vitæ institútum propósuit. Quam ob rem mundánis quibuscúmque affléctibus terrenísque rebus pene ad vitam necessáriis íllico a se abdicátis, cilíciis, flagéllis, caténis, omni demum asperitátum ac pœnárum génere corpus afflíxit : spíritum vero sanctæ oratiónis altissimæque contemplatiónis assiduitáte dúlciter enutrívit. Hinc factum est ut cáritas Dei, quæ jam erat in ejus corde a prima ætáte diffúsa, miro planéque singulári modo in dies coruscáverit.

Lectio v.

ELUXIT præcípue ardentíssima ejus cáritas in extásibus ad Deum suavíssimis stupendísque ráptibus, quibus frequénter afficiebátur. Mirum autem quod alienáto a sénsibus ánimo, statim ab éxtasi eum revocábat sola obediéntia. Hanc quippe virtútem exímio stúdio prosequebátur, dícere sólitus se ab ea véluti cæcum circumdúci, et mori pótius velle quam non obedíre. Paupertátem vero Seráphici Patriárchæ ita æmulátus est, ut morti próximus Prælato suo assérere vere potúerit se nihil habére, quod more Religiosórum resignáret. Itaque mundo sibíque mórtuus, vitam Jesu manifestábat in carne sua :

quæ dum in alíquibus ex turpitúdine obscénum flagítium sentiébat, prodigiósum de se afflábat odórem, indícium nitidíssimæ illíus puritátis, quam immúndo spíritu vehementíssimis tentatiónibus frustra obnubiláre diu conánte, servávit illæsam, tum arcta sénsuum custódia, tum jugi córporis maceratióne, tum dénique speciáli protectióne puríssimæ Vírginis Maríæ, quam Matrem suam appelláre consuévit, ac véluti matrem dulcíssimam íntimo cordis afféctu venerabátur, eámque ab áliis venerári exoptábat, ut cum ejúsdem patrocínio, sicut ipse aiébat, ómnia bona consequeréntur.

Lectio vj.

HÆC beáti Joséphi sollicitúdo a sua erga próximos caritáte prodíbat : tanto enim animárum zelo exardébat, ut ómnium salútem modis ómnibus instantíssime procuráret. Exténdens páriter caritátem suam in próximum, sive páuperem, sive infírmum, sive quacúmque ália tribulatióne vexátum, quantum in ipso erat, illum recreábat. Nec aliéni erant ab ejus caritáte, qui objurgatiónibus, probris omnísque géneris injúriis ipsum appéterent : nam eádem patiéntia, mansuetúdine vultúsque hilaritáte tália excipiébat, qua tot inter ac tantas vicissitúdines resplénduit, dum vel moderatórum Ordinis, vel sacræ Inquisitiónis jussu hac illac erráre versaríque coáctus est. Quamquam vero pópuli non solum, sed viri príncipes exímiam ejus sanctitátem et supérna charísmata admiraréntur : ea nihilóminus erat humilitáte, ut magnum se peccatórem réputans, Deum enixe deprecarétur ut sua ab eo illústria dona removéret, hómines vero exoráret ut in eum locum mórtuum ejus corpus injícerent, ubi memória sui esset prorsus oblitteráta. At Deus, qui ponit húmiles in sublíme, quique Servum suum, dum víveret, cælésti sapiéntia, prophetía, córdium perscrutatióne, curatiónum grátia ceterísque donis cumulatíssime exornáverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse ántea prædíxerat, loco ac témpore, anno ætátis suæ sexagésimo primo, Auxími in Picéno pretiósam réddidit, sepulcrúmque glorióssum. Illum dénique étiam post óbitum miráculis coruscántem Benedíctus Quartus décimus Beatórum, Clemens Tértius décimus Sanctórum fastis adscrípsit; Ejus autem Offícium et Missam Clemens Quartus décimus ejúsdem Ordinis, ad univérsam Ecclésiam exténdit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo témpore : Loquebátur Jesus princípibus sacerdótum et Pharisæis in parábolis, dicens : Símile factum est regnum cælórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Lib. 2. Homiliarum, Homilia 38. circa medium.)

QUIA jam, largiénte Dómino, nuptiárum domum,

id est sanctam Ecclésiam, intrástis, solérter fratres aspícite ne áliquid de mentis vestræ hábitu Rex ingrédiens reprehéndat. Cum magno enim cordis timóre pensándum est quod prótinus súbditur : Intrávit autem Rex ut vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Quid, fratres caríssimi, éxprimi per nuptiálem vestem putámus? Si enim vestem nuptiálem baptísma vel fidem dícimus : quis sine baptísmate et fide has núptias intrávit? Eo enim ipso foris est, qui necdum crédidit. Quid ergo debémus intellígere per nuptiálem vestem, nisi caritátem? Intrat enim ad núptias, sed cum nuptiáli veste non intrat, qui in sancta Ecclésia assístens fidem habet, sed caritátem non habet. Recte enim cáritas nuptiális vestis vocátur, quia hanc in se Cónditor noster hábuit, dum ad sociándæ sibi Ecclésiæ núptias venit.

Lectio viij.

SOLA quippe dilectióne Dei actum est ut ejus Unigénitus mentes sibi electórum hóminum uníret. Unde et Joánnes dicit : Sic enim diléxit Deus mundum, ut Fílium suum unigénitum daret pro nobis. Qui ergo per caritátem venit ad hómines, eámdem caritátem innótuit vestem esse nuptiálem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclésia pósitus Deo crédidit, jam ad núptias intrávit : sed cum nuptiáli veste non venit, si caritátis grátiam non custódit. Et certe, fratres, si quis ad carnáles núptias esset invitátus, vestem mutáret, congaudére se sponso et sponsæ ex ipso sui hábitus decóre osténderet : inter gaudéntes et festa celebrántes despéctis véstibus apparére erubésceret. Nos ad Dei núptias venímus, et cordis vestem mutáre dissimulámus. Congáudent ángeli, cum ad cælum assumúntur elécti. Qua ergo mente hæc spirituália festa conspícimus, qui nuptiálem vestem, id est caritátem, quæ sola nos speciósos éxhibet, non habémus?

Lectio ix.

SCIENDUM vero est quia sicut in duóbus lignis, superióre vidélicet et inferióre, vestis téxitur : ita in duóbus præcéptis cáritas habétur, in dilectióne scílicet Dei et próximi. Scriptum quippe est : Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota virtúte tua : et próximum tuum sicut teípsum. Qua in re notándum est quia in dilectióne próximi mensúra amóris pónitur : cum dícitur, Díliges próximum tuum sicut teípsum. Dei autem diléctio nulla mensúra constríngitur : cum dícitur, Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota ánima tua, ex tota virtúte tua. Non enim jubétur quisque quantum díligat, sed ex quanto : cum dícitur, Ex toto. Quia ille veráciter Deum díligit, qui sibi de se nihil relínquit. Duo ergo necésse est ut caritátis præcépta custódiat, quisquis habére in núptiis vestem nuptiálem curat.

DIE XXIX. SEPTEMBRIS.

S MICHAELIS ARCHANGELI.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Dum committeret bellum draco cum Michaéle Archángelo, audíta est vox míllia míllium dicéntium : Salus Deo nostro. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Apoc. 1.

SIGNIFICAVIT Deus quæ opórtet fieri cito, loquens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, et testimónium Jesu Christi, quæcúmque vidit.

℟. Te sanctum Dóminum in excélsis laudant omnes Angeli dicéntes : * Te decet laus Et honor Dómine. ℣. Chérubim quoque et Séraphim Sanctus proclámant, et omnis cælicus ordo, dicéntes. — Te decet laus. Glória. Et honor Dómine.

Hymnus.

TIBI Christe splendor Patris,
Vita, virtus córdium,
In conspéctu Angelórum
Votis, voce psállimus :
Alternántes concrepándo
Melos damus vócibus.

COLLAUDAMUS venerántes
Omnes cæli mílites,
Sed præcípue Primátem
Cæléstis exércitus
Michaélem, in virtúte
Conteréntem Zábulum.

QUO custóde, procul pelle
Rex Christe piíssime
Omne nefas inimíci :
Mundo corde et córpore
Paradíso redde tuo
Nos sola cleméntia.

GLORIAM Patri melódis
Personémus vócibus :
Glóriam Christo canámus,
Glóriam Paráclito :
Qui trinus et unus Deus
Exstat ante sæcula.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnificat Aña. Dum sacrum mystérium cérneret Joánnes, Archángelus Michael tuba cécinit : Dignus es Dómine Deus noster accípere librum, et sólvere signácula ejus, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas, concéde propítius : ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Angelórum Dóminum * Venite adorémus.

Hymnus Tibi Christe splendor Patris., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 5.

VERBA mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Ódisti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣ linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Aña. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini de manu Angeli.

Psalmus 10.

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit ?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Aña. Míchael Archángele veni in adjutórium pópulo Dei.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 7.

ASPICIEBAM donec throni pósiti sunt, et Antíquus diérum sedit : vestiméntum ejus cándidum quasi nix, et capílli cápitis ejus quasi lana munda : thronus ejus flammæ ignis : rotæ ejus ignis accénsus. Flúvius ígneus, rapidúsque egrediebátur a fácie ejus. Míllia míllium ministrábant ei, et décies míllies centéna millia assistébant ei : judícium sedit, et libri apérti sunt. Aspiciébam propter vocem sermónum grándium, quos cornu illud loquebátur : et vidi quóniam interfécta esset béstia, et periísset corpus ejus, et tráditum esset ad comburéndum igni.

℟. j. Factum est siléntium in cælo, dum commítteret bellum draco cum Michaéle Archángelo : audíta est vox míllia míllium dicéntium : Salus, honor et virtus * Omnipoténti Deo. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, et décies centéna millia assistébant ei. — Omnipoténti Deo.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio ij. Cap. 28.

HÆC dicit Dóminus Deus : Tu signáculum similitúdinis, plenus sapiéntia, et perféctus decóre, in delíciis paradísi Dei fuísti : omnis lapis pretiósus operiméntum tuum : sárdius, topázius, et jaspis, chrysólithus, et onyx, et beryllus, sapphírus, et carbúnculus, et smarágdus : aurum opus decóris tui : et forámina tua in die, qua cónditus es, præparáta sunt. Tu Cherub exténtus, et prótegens, et pósui te in monte sancto Dei, in médio lápidum ignitórum ambulásti. Perféctus in viis tuis a die conditiónis tuæ.

℟. ij. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua : et data sunt ei incénsa multa. * Et ascéndit fumus arómatum de manu Angeli in conspéctu Dómini. ℣. Factum est siléntium in cælo : et accépit Angelus thuríbulum, et implévit illud de igne altáris. — Et ascéndit fumus arómatum.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio iij. Cap. 12.

ET factum est prœlium magnum in cælo : Míchael, et Angeli ejus prœliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et ángeli ejus : et non valuérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo. Et projéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur Diábolus et Sátanas, qui sedúcit univérsum orbem : et projéctus est in terram, et ángeli ejus cum illo missi sunt. Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus : quia projéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte.

℟. iij. Hic est Míchael Archángelus, Princeps militiæ Angelórum : * Cujus honor præstat benefícia populórum, Et orátio perdúcit ad regna cælórum. ℣. Archángele Christi, per grátiam quam meruísti, te deprecámur ut erípias nos a láqueo mortis. — Cujus honor præstat. Glória. Et orátio perdúcit ad regna cælórum.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 14.

DOMINE quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum gloríficat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Aña. Míchael Præpósitus Paradísi, quem honorificant Angelórum cives.

Psalmus 29.

EXALTABO te Dómine quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus: * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine Deus meus in ætérnum confitébor tibi.

Aña. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini : proptérea decórem índuit te Dóminus.

Psalmus 46.

OMNES gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti sunt.

Aña. Angelus Archángelus Míchael, Dei núntius pro animábus justis suscipiéndis.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Gregórii Papæ. (Hom. 34. in Evang. ante med.)

Lectio iv.

NOVEM Angelórum órdines esse, testánte sacro elóquio, scimus : Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim atque Séraphim. Esse namque Angelos et Archángelos pene omnes sacri elóquii páginæ testántur. Chérubim vero atque Séraphim sæpe, ut notum est, libri Prophetárum loquúntur. Quátuor quoque órdinum nómina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens : Supra omnem Principátum, et Potestátem, et Virtútem, et Dominatiónem.

℟. iv. Venit Míchael Archángelus cum multitúdine Angelórum, cui trádidit Deus ánimas sanctórum : * Ut perdúcat eas in Paradísum exsultatiónis. ℣. Data est potéstas Archángelo Michaéli super ánimas sanctórum. — Ut perdúcat eas.

Lectio v.

QUI rursus ad Colossénses scribens, ait : Sive Throni, sive Dominatiónes, sive Principátus, sive Potestátes. Dum ergo illis quátuor, quæ ad Ephésios dixit, conjungúntur Throni, quinque sunt órdines : quibus dum Angeli et Archángeli, Chérubim atque Séraphim adjúncti sunt, procul dúbio novem esse Angelórum órdines inveniúntur.

Sciéndum quoque quod Angelórum vocábulum nomen est offícii, non natúræ. Nam sancti illi cæléstis Pátriæ Spíritus semper quidem sunt Spíritus, sed semper vocári Angeli nequáquam possunt : quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos áliqua nuntiántur.

℟. v. Archángeli Michaélis interventióne suffúlti, te Dómine deprecámur * Ut quos honóre proséquimur, contingámus et mente. ℣. Perpétuum nobis Dómine tuæ miseratiónis præsta subsídium, quibus et angélica præstitísti suffrágia non deésse. — Ut quos honóre proséquimur.

Lectio vj.

Hi autem, qui mínima núntiant, Angeli : qui vero summa, Archángeli vocántur. Hinc est enim quod ad Maríam Vírginem non quílibet Angelus, sed Gábriel Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium, summum Angelum veníre dignum fúerat, qui Summum ómnium nuntiábat. Qui idcírco étiam privátis nomínibus censéntur, ut signétur per vocábula, étiam in operatióne quid váleant. Míchael namque, Quis ut Deus: Gábriel autem, Fortitúdo Dei: Ráphael vero dícitur Medicína Dei. Et quóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchael mitti perhibétur.

℟. vj. Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus : Míchael Archángelus pugnávit cum diábolo : * Grátia Dei ille victor in cælis éxstitit, Et illi hosti antíquo pátuit ruína magna. ℣. Gaudent Angeli, lætántur Archángeli, et colláudant in cælis Fílium Dei. — Grátia Dei ille victor. Glória. Et illi hosti antíquo.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 96.

Dominus regnávit, exsúltet terra : * læténtur insulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet : * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Concússum est mare, et contrémuit terra, ubi Arch-

ángelus Míchael descendébat de cælo.

Psalmus 98.

DOMINUS regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : ℣ quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℣ et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses, et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos : * Deus tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℣ et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Aña. Data sunt ei incénsa multa, ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

Psalmus 102.

BENEDIC ánima mea Dómino : * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus :

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua :

Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Miserátor, et miséricors Dóminus : * longánimis, et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur : * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cæli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, ℣ misértus est Dóminus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : ℣ homo, sicut fœnum dies ejus, * tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in filios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus:

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam: * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus: * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus: * ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Aña. Laudémus Dóminum, quem laudant Angeli, cui Chérubim et Séraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus proclámant.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

(Lib. 3. Comm. in c. 18. Matth.)

POST invéntum statérem, post tribúta réddita, quid sibi vult Apostolórum repentina interrogátio, Quis putas, major est in regno cælórum? Quia víderant pro Petro et Dómino idem tribútum réddítum, ex æqualitáte prétii arbitráti sunt Petrum ómnibus Apóstolis esse prælátum, qui in redditióne tribúti Dómino fúerat comparátus: ídeo intérrogant quis major sit in regno cælórum?

℟. vij. In conspéctu géntium nolíte timére: vos enim in córdibus vestris adoráte, et timéte Dóminum: * Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Cantáte ei cánticum novum: bene psállite ei in vociferatióne. — Angelus enim ejus vobíscum est.

Lectio viij.

NISI efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Non præcípitur Apóstolis ut ætátem hábeant parvulórum, sed ut innocéntiam: et quod illi per annos póssident, hi possídeant per indústriam: ut malítia, non sapiéntia, párvuli sint. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cælórum. Sicut iste párvulus (cujus vobis exémplum tríbuo) non persevérat in iracúndia, non læsus méminit, non videns pulchram mulíerem delectátur, non áliud cógitat et áliud lóquitur: sic et vos, nisi talem habuéritis innocéntiam et ánimi puritátem, non potéritis regnum cælórum intráre.

℟. viij. In conspéctu Angelórum psallam tibi, et adorábo ad templum sanctum tuum, * Et confitébor nómini tuo Dómine. ℣. Deus meus es tu, et confitébor tibi: Deus meus es tu,

et exaltábo te. — Et confitébor nómini tuo Dómine.

Lectio ix.

VIDETE ne contemnátis unum ex his pusíllis : quia Angeli eórum in cælis semper vident fáciem Patris mei. Magna dignitas animárum, ut unaquæque hábeat ab ortu nativitátis in custódiam sui Angelum delegátum. Unde légimus in Apocalypsi Joánnis: Angelo Ephesi, et reliquárum Ecclesiárum scribe hæc. Apóstolus quoque præcipit velári cápita feminárum in Ecclésiis propter Angelos.

℟. ix. Te sanctum Dóminum in excélsis laudant omnes Angeli dicéntes : * Te decet laus Et honor Dómine. ℣. Chérubim quoque et Séraphim Sanctus proclámant, et omnis cælicus ordo dicéntes. — Te decet laus. Glória. Et honor Dómine.

Ante Laudes ℣. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Dum prœliarétur Míchael Archángelus cum dracóne, audíta est vox dicéntium : Salus Deo nostro, allelúia. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Dum committeret bellum draco cum Michaéle Archángelo, audíta est vox míllia míllium dicéntium : Salus Deo nostro.

3. Archángele Míchael, constitui te Príncipem super omnes ánimas suscipiéndas.

4. Angeli Dómini Dóminum benedícite in ætérnum.

5. Angeli, Archángeli, Throni et Dominatiónes, Principátus et Potestátes, Virtútes cælórum laudáte Dóminum de cælis, allelúia.

Capitulum. Apoc. 1.

SIGNIFICAVIT Deus, quæ opórtet fíeri cito, loquens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, et testimónium Jesu Christi, quæcúmque vidit.

Hymnus.

CHRISTE, sanctórum decus Angelórum,
Auctor humáni géneris et rector,
Nobis ætérnum tríbue benígnus
Scándere cælum.
ANGELUM pacis Míchael ad istam
Cælitus mitti rogitámus aulam :
Nobis ut crebro veniénte crescant
Próspera cuncta.
ANGELUS fortis Gábriel, ut hostem
Pellat antíquum, vólitet ab alto,
Sæpius templum véniens ad istud
Vísere nostrum.
ANGELUM nobis médicum salútis
Mitte de cælis Ráphael, ut omnes
Sanet ægrótos, paritérque nostros
Dírigat actus.
HINC Dei nostri Génitrix María,
Totus et nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et beáta
Cóncio tota.

PRÆSTET hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus réboat in omni Glória mundo. Amen.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

Ad Benedictus Aña. Factum est siléntium in cælo, dum draco commítteret bellum : et Míchael pugnávit cum eo, et fecit victóriam, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas, concéde propítus : ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Significávit Deus., ut in Laudibus.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi, * Allelúia, allelúia. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Allelúia. Glória. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 12.

FACTUM est prœlium magnum in cælo : Míchael et Angeli ejus prœliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et ángeli ejus : et non prævaluérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo.

℟. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini, * Allelúia, allelúia. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. Allelúia. Glória. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 5.

AUDIVI vocem Angelórum multórum in circúitu throni, et animálium, et seniórum: et erat número eórum míllia míllium, voce magna dicéntium : Salus Deo nostro.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus,* Allelúia, allelúia. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Allelúia. Glória. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos,* scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus:℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Psalmus 111.

BEATUS vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * misércors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: ℣ justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 137.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine misericórdia tua in sæculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ańa. Dum prœliarétur Míchael Archángelus cum dracóne, audíta est vox dicéntium : Salus Deo nostro, allelúia.

Capitulum Significávit Deus. et Hymnus Tibi Christe. ut in j. Vesperis, pag. 813.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnificat Ańa. Archángeli Michaélis interventióne suffúlti, te Dómine deprecámur ut quos honóre proséquimur contingámus et mente, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas, concéde propítius : ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per.

PER OCT. S. MICHAELIS.

Ad Memoriam in Laudibus Ańa. Factum est siléntium in cælo, dum draco commítteret bellum : et Míchael pugnávit cum eo, et fecit victóriam, allelúia.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

Oratio Deus, qui miro órdine., ut supra in ij. Vesperis Festi.

Ad Memoriam in Vesperis Ańa. Archángeli Michaélis interventióne suffúlti, te Dómine deprecámur ut quos honóre proséquimur contingámus et mente, allelúia.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Oratio Deus, qui miro órdine., ut supra in ij. Vesperis Festi.

DIE XXX. SEPTEMBRIS.

S. HIERONYMI PRESBYTERI CONF. ET ECCL. DOCT.

TOTUM DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum,

Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es : præsta, quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit te adjuvánte exercére valeámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 28.

HABET argéntum venárum suárum princípia : et auro locus est, in quo conflátur. Ferrum de terra tóllitur : et lapis solútus calóre, in æs vértitur. Tempus pósuit ténebris, et universórum finem ipse considerat, lápidem quoque caliginis, et umbram mortis. Dívidit torrens a pópulo peregrinánte, eos, quos oblítus est pes egéntis hóminis, et ínvios. Terra, de qua oriebátur panis in loco suo, igni subvérsa est. Locus sapphíri lápides ejus, et glebæ illíus aurum.

Lectio ij.

SEMITAM ignorávit avis, nec intúitus est eam óculus vúlturis. Non calcavérunt eam fílii institórum, nec pertransívit per eam leæna. Ad sílicem exténdit manum suam, subvértit a radícibus montes. In petris rivos excídit, et omne pretiósum vidit óculus ejus. Profúnda quoque fluviórum scrutátus est, et abscóndita in lucem produxit.

Lectio iij.

SAPIENTIA vero ubi invenítur? et quis est locus intelligéntiæ? Nescit homo prétium ejus, nec invenítur in terra suáviter vivéntium. Abyssus dicit : Non est in me : et mare lóquitur : Non est mecum. Non dábitur aurum obrízum pro ea, nec appendétur argéntum in commutatióne ejus. Non conferétur tinctis Indiæ colóribus, nec lápidi sardónycho pretiosíssimo, vel sapphíro. Non adæquábitur ei aurum vel vitrum, nec commutabúntur pro ea vasa auri.

IN II. NOCTURNO.

(Partim ex ipso S. Hieronymo, partim ex gravissimis Script.)

Lectio iv.

HIERONYMUS, Eusébii fílius, Stridóne in Dalmátia natus, Romæ adoléscens baptizátus est, et in liberálibus disciplínis a doctíssimis viris erudítus. Tum discéndi stúdio Gálliam peragrávit, ubi pios áliquot et in divínis lítteris erudítos viros cóluit. Mox Thráciam, Pontum, Bithyniam, Galátiam, Cappadóciam lustrans, per Cilíciam in Syriam descéndit : ubi in ea erémi parte, quæ inter Syros et Saracénos vastum límitem ducit, mónachi institútum ardénti stúdio exércuit. Présbyter a Paulíno Epíscopo Antiochíæ factus, Constantinópolim proféctus, Gregório Nazianzéno doctóre, sacras lítteras dídicit.

Lectio v.

ELAPSIS áliquot annis, cum sanctis Epíscopis Paulíno et Epiphánio Romam venit, ubi Dámaso Pontífici ab epístolis fuit. Verum prístinæ solitúdinis ardóre succénsus, in Oriéntem revérsus, Béthlehem ad Christi Dómini præsépe, in monastério, quod a Paula Romána exstrúctum erat, cæléstem quamdam vitæ ratiónem instítuit. Ad ipsum, uti ad

oráculum, ex ómnibus terræ pártibus Scriptúræ sacræ quæstiónes explicándæ referebántur. Latíne, græce, hebráice, et chaldáice perítus, omnes pene scriptóres legit, infatigábili stúdio in legéndo ac scribéndo perpétuo usus.

Lectio vj.

HÆRETICOS acérrimis libris exagitávit. Vetus Testaméntum ex hebræo convértit : Novum jussu Dámasi græcæ fídei réddidit, magna étiam ex parte explicávit. Multa prætérea latíne réddidit scripta virórum doctórum, et ipse áliis próprii ingénii monuméntis Ecclésiam illustrávit. Ac demum, fracta labóribus, morbis ac stúdiis senectúte, Honório imperánte, ad ætérnam felicitátem commigrávit. Hujus egrégias laudes, cum omnes sint admiráti, potíssimum sanctus Augustínus non semel magnífice prædicávit : quem ab Oriénte usque ad Occidéntem instar lámpadis resplenduísse commémorat.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Vos estis sal terræ. de Communi unius Doctoris, pag. 80*.

DOMINICA I. OCTOBRIS.

IN FESTO SS. ROSARII B. M. V.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hæc est Regína Vírginum, quæ génuit Regem, velut rosa decóra Virgo. Dei Génitrix, per quam repérimus Deum et hóminem, alma Virgo intercéde pro nobis ómnibus. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 39.

OBAUDITE me divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

℟. Súmite Psaltérium jucúndum in insígni die solemnitátis vestræ,* Et exsultáte Vírgini adjutrici nostræ. ℣. Cantáte ei cánticum novum : annuntiáte inter gentes glóriam ejus.— Et exsultáte. Glória. Et exsultáte.

Hymnus.

CÆLESTIS aulæ Núntius,
Arcána pandens Núminis,
Plenam salútat grátia
Dei Paréntem Vírginem.

VIRGO propínquam sánguine
Matrem Joánnis vísitat,
Qui, clausus alvo géstiens,
Adésse Christum núntiat.

VERBUM, quod ante sæcula
E mente Patris pródiit,
E Matris alvo Vírginis
Mortális infans náscitur.

TEMPLO Puéllus sístitur,
Legíque paret Légifer :
Hic se Redémptor, páupere
Prétio redémptus, ímmolat.

QUEM jam dolébat pérditum
Mox læta Mater ínvenit,

Ignóta doctis méntibus
Edisseréntem Fílium.
SIT Trinitáti glória,
Quæ sacra per Mystéria
Orántibus det grátiam
Qua consequántur glóriam.
Amen.

¶ Hæc Stropha Sit Trinitáti. dicitur tantum in fine Hymnorum propriorum de SS. Rosario, videlicet ad utrasque Vesperas, Matutinum et Laudes.

℣. Regína sacratíssimi Rosárii ora pro nobis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Speciósa facta est et suávis in delíciis virginitátis sancta Dei Génitrix : quam vidéntes fíliæ Sion vernántem in flóribus rosárum et líliis convállium beatíssimam prædicavérunt, et regínæ laudavérunt eam. Oratio.

DEUS cujus Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ præmia comparávit : concéde, quæsumus, ut hæc Mystéria sanctíssimo Rosário beátæ Maríæ Vírginis recoléntes et imitémur quod cóntinent, et quod promittunt assequámur. Per eúmdem.

AD COMPLETORIUM.

Super Psalmos Aña. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

In fine Hymni dicantur hæ duæ Strophæ :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

Ad Nunc dimittis Aña. Corde et ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

¶ Sic dicatur Completorium per totam Octavam, etiam in festis Sanctorum.

¶ Prædictæ vero duæ Strophæ María Mater. et Glória tibi. dicantur ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam et Completorium quando fit Officium de SS. Rosario, et ad quoscumque Hymnos ejusdem metri in festis Sanctorum, per totam Octavam, nisi aliter notatum fuerit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Solemnitátem Rosárii Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus.

IN monte olívis cónsito
Redémptor orans, prócidit,
Mæret, pavéscit, déficit,
Sudóre manans sánguinis.
A PRODITORE tráditus,
Raptátur in pœnas Deus,
Durísque vinctus néxibus,
Flagris cruéntis cæditur.
INTEXTA acútis séntibus,
Coróna contuméliæ
Squalénti amíctum púrpura
Regem corónat glóriæ.
MOLIS crucem ter árduæ,
Sudans, anhélans, cóncidens,
Ad montis usque vérticem
Gestáre vi compéllitur.
CONFIXUS atro stípite
Inter sceléstos ínnocens,
Orándo pro tortóribus
Exsánguis efflat spíritum.

Sit Trinitáti glória,
Quæ sacra per Mystéria
Oránti bus det grátiam,
Qua consequántur glóriam.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

Domine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi :

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Angelus Gábriel nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu sancto.

Psalmus 18.

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Aña. Intrávit María in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introibit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Péperit Fílium suum primogénitum, et reclinávit eum in præsépio.

℣. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 24.

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. j. Súmite Psaltérium jucúndum, in insígni die solemnitátis vestræ : * Et exsultáte Vírgini adjutrici nostræ. ℣. Cantáte ei cánticum novum : annuntiáte inter gentes glóriam ejus. — Et exsultáte.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ij.

QUASI cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho : quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in patéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris : et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mistum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ.

℟. ij. Vidi speciósam ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis : * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : circúmdata varietáte. — Et sicut dies verni.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iij.

EGO mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient : et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. iij. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt : *Et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. — Et regínæ laudavérunt eam. Glória. Et regínæ laudavérunt eam.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ✠ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ✠ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines

post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Ańa. Cum indúcerent Jesum Paréntes ejus, ut sísterent eum Dómino, Símeon accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum.

Psalmus 45.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret et confríget arma : * et scuta combúret igni: Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ańa. Requiréntes Jesum Paréntes ejus, invenérunt illum post tríduum in médio doctórum.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, ℣ et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ańa. Cœpit contristári, et factus est sudor ejus in horto, sicut guttæ sánguinis.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Lectio iv.

CUM Albigénsium hæresis, sacrosánctæ Matris Dei dignitáti potíssimum infésta, in regióne Tolosátium ímpie grassarétur, beatíssimus Pater Domínicus, qui eo témpore

Prædicatórum Ordinis fundaménta jecit, in eam hæresim debellándam totus incúmbens, ob idque beatíssimam Vírginem assíduis précibus interpéllans, ab ipsa monétur ut Rosárium omni mentis fervóre prædicet, velut singuláre ad everténdas hæreses et vítia exstinguénda præsídium. Cœpit ergo deínceps incredíbili cum animárum fructu salubérrimum Rosárii institútum per beátum Domínicum promulgári : quem ejus auctórem fuísse, Leo Décimus, Pius Quintus, Gregórius Tértius décimus, et Sixtus Quintus Apostólicis diplomátibus profiténtur.

℟. iv. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri : fecísti viríliter : * Quia cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Pulchra es et decóra, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. — Quia cunctas hæreses.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

Est autem Rosárium, sive Psaltérium, sacra quædam fórmula precándi Deum in honórem beátæ Maríæ : qua per quíndecim Salutatiónis Angélicæ décades, interjécta síngulis Oratióne Domínica, quíndecim præcípua Redemptiónis humánæ Mystéria piis meditatiónibus percenséntur. Inter innúmeros porro ejus fructus mérito navális ea victória celebrátur, quam anno Dómini millésimo quingentésimo septuagésimo primo, die séptima Octóbris, quæ Domínica fuit, ad Naupáctum Achái-ci sinus de Turcárum classe longe potentióri, christiáni Príncipes reportárunt. Nam cum eo die sodalitátes Rosárii sólitas preces ac processiónes habérent, eas pie créditum est pro christiána classe plúrimum profuísse.

℟. v. Déxtera tua magnificáta est in fortitúdine, déxtera tua confrégit inimícos : * Submérsi sunt in aquis veheméntibus, et opéruit eos mare. ℣. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. — Submérsi sunt in aquis veheméntibus.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

Illud étiam ipsum Gregórius Tertius décimus lítteris Apostólicis apérte testátus est. Quocírca Clemens Octávus Apostólica auctoritáte confírmans festum Rosárii, Domínica prima Octóbris ab eódem Gregório proptérea institútum, públicis Ecclésiæ tábulis hæc inscribénda præcépit : Die séptima Octóbris, Commemorátio sanctæ Maríæ de Victória, quam Pius Quintus Póntifex Máximus ob insígnem victóriam a Christiánis bello naváli, ejúsdem Dei Genitrícis auxílio, hac ipsa die de Turcis reportátam, quotánnis fieri instítuit : et Gregórius Tértius décimus, prima hujus mensis Domínica die, ánnuam solemnitátem Rosárii ejúsdem beatíssimæ Vírginis celebrándam decrévit.

℟. vj. Signum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Dábitur cápiti tuo augméntum gratiárum, et coróna ínclyta próteget te. — Et in cápite ejus. Glória. Et in cápite ejus.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt filiæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt super caput ejus.

Psalmus 97.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : ℣ moveátur mare, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Aña. Crucis impérium super húmerum ejus : regnávit a ligno Deus.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

(Sermo de S. Maria.)

AD commendatiónem grátiæ suæ, et ad destructiónem humánæ sapiéntiæ, Deus de fémina, sed Vírgine, dignátus est carnem assúmere : ut símilem símili rédderet, contrárium contrário curáret, pestíferam spinam evélleret, peccáti chirógraphum potentíssime deléret. Heva spina fuit : María rosa éxstitit. Heva spina vulnerándo : María rosa ómnium afféctus mulcéndo. Heva spina infígens ómnibus mortem : María rosa reddens salutíferam ómnibus sortem. María rosa fuit cándida per virginitátem, rubicúnda per caritátem. Cándida carne, rubicúnda mente : cándida virtútem sectándo, rubicúnda vítia calcándo. Cándida afféctum purificándo, rubicúnda carnem mortificándo : cándida Deum diligéndo, rubicúnda próximo compatiéndo.

℟. vij. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : * Et flores mei fructus honóris et honestátis. ℣. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. — Et flores mei.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

(In serm. de Aquæductu.)

Lectio viij.

VERBUM caro factum est : et hábitat jam in nobis. Hábitat in memória nostra, hábitat in cogitatióne : quia usque ad ipsam descéndit imaginatiónem. Quonam modo? inquis. Nimíruni jacens in præsépio, in virgináli grémio cubans, in monte prædicans, in oratióne pernóctans, in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mórtuos, et in inférno ímperans : seu étiam tértia die resúrgens, et Apóstolis loca clavórum, victóriæ signa, demónstrans, novíssime coram eis cæli secréta conscéndens. Quid horum non vere, non pie, non sancte cogitátur?

℟. viij. Surge, própera amíca mea : jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit :* Flores apparuérunt in terra nostra. ℣. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum. — Flores apparuérunt in terra nostra.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix.

QUIDQUID horum cógito, Deum cógito, et per ómnia ipse est Deus meus. Hæc ego meditári dixi sapiéntiam, et prudéntiam judicávi eructáre memóriam suavitátis, quam in hujuscémodi núcleis virga sacerdotális copióse prodúxit, quam in supérnis háuriens, ubérius nobis María refúdit. In supérnis plane, et ultra ángelos : quæ Verbum ex ipso Patris corde suscépit.

℟. ix. Obaudíte me divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. * Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte. ℣. Floréte flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam. — Quasi Líbanus. Glória. Quasi Líbanus.

Ante Laudes ℣. Regína sacratíssimi Rosárii ora pro nobis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Lætáre Virgo Mater, allelúia : surréxit Christus de sepúlcro, allelúia. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ, allelúia.

3. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia.

4. Assúmpta est María in cælum : gaudent ángeli, laudántes benedícunt Dóminum, allelúia.

5. Exaltáta est Virgo María super choros angelórum : et in cápite ejus coróna stellárum duódecim, allelúia.

Capitulum. Eccli. 39.

OBAUDITE me divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

Hymnus.

JAM morte victor óbruta
Ab ínferis Christus redit,
Fractísque culpæ vínculis,
Cæli reclúdit límina.

VISUS satis mortálibus
Ascéndit ad cæléstia,
Dextræque Patris ássidet,
Consors patérnæ glóriæ.

QUEM jam suis promíserat,
Sanctum datúrus Spíritum,
Linguis amóris ígneis
Mæstis alúmnis ímpluit.

SOLUTA carnis póndere
Ad astra Virgo tóllitur,
Excépta cæli júbilo,
Et angelórum cánticis.

BIS sena cingunt sídera
Almæ Paréntis vérticem :
Throno propínqua Fílii
Cunctis creátis ímperat.

SIT Trinitáti glória,
Quæ sacra per Mystéria
Orántibus det grátiam,
Qua consequántur glóriam.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus Aña. Solemnitátem hodiérnam sanctíssimi Rosárii Genitrícis Dei Maríæ devóte celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. Oratio.

DEUS cujus Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ præmia comparávit : concéde, quæsumus, ut hæc Mystéria sanctíssimo Rosário beátæ Maríæ Vírginis recoléntes et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt assequámur. Per eúmdem.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe. ℟. Qui natus es de Vírgine María.

℣ Iste ℣. dicatur per totam Octavam, etiam in festis Sanctorum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 39.

OBAUDITE me divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

℟. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María, * Allelúia, allelúia. Sancta. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Allelúia. Glória. Sancta.

℣. Post partum Virgo inviolráta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 39.

FLORETE flores quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam : collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis.

℟. Post partum Virgo inviolráta permansísti, * Allelúia, allelúia. Post partum Virgo. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Allelúia. Glória. Post partum Virgo.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

QUASI cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho.

℟. Speciósa facta es et suávis, * Allelúia, allelúia. Speciósa. ℣. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix. Allelúia. Glória. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Lætáre Virgo Mater, allelúia : surréxit Christus de sepúlcro, allelúia. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum. Eccli. 39.

OBAUDITE me divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.

Hymnus.

TE gestiéntem gáudiis,
Te sáuciam dolóribus,
Te jugi amíctam glória,
O Virgo Mater pángimus.

AVE redúndans gáudio,
Dum cóncipis, dum vísitas,
Et edis, offers, ínvenis
Mater beáta Fílium.

AVE dolens, et íntimo
In corde agónem, vérbera
Spinas crucémque Fílii
Perpéssa, Princeps mártyrum.

AVE in triúmphis Fílii,
In ígnibus Paráclíti,
In regni honóre et lúmine,
Regína fulgens glória.

VENITE gentes, cárpite
Ex his rosas Mystériis,
Et pulchri amóris ínclytæ
Matri corónas néctite.

SIT Trinitáti glória,
Quæ sacra per Mystéria
Oántibus det grátiam,
Qua consequántur glóriam.
Amen.

℣. Regína sacratíssimi Rosárii ora pro nobis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Beáta Mater et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sacratíssimi Rosárii solemnitátem.

Oratio.

DEUS cujus Unigénitus per vitam, mortem, et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ præmia comparávit : concéde quæsumus, ut hæc Mystéria sanctíssimo Rosário beátæ Maríæ Vírginis recoléntes et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt assequámur. Per eúmdem.

PER OCTAVAM SS. ROSARII.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Speciósa facta est et suávis in delíciis virginitátis sancta Dei Génitrix : quam vidéntes fíliæ Sion vernántem in flóribus rosárum et líliis convállium beatíssimam prædicavérunt, et regínæ laudavérunt eam.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio Deus cujus Unigénitus., ut supra in ij. Vesperis Festi.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Sancta María, vírginum piíssima, súscipe vota servulórum assídua : lapsos érige, errántes córrige, treméntes corróbora, pusillánimes confórta : ut tibi semper referámus laudes, quam Dei summi cólimus Genitrícem.

℣. Regína sacratíssimi Rosárii ora pro nobis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio Deus, cujus Unigénitus., ut supra in ij. Vesperis Festi.

IN OCTAVA SS. ROSARII.

SOLEMNE.

AD I. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus, ℣., Antiphona ad Magnificat et Oratio ut in j. Vesperis Festi, pag. 826. et pag. 827.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus ut in Festo, pag. 827.

¶ In tribus Nocturnis Psalmi, Antiphonæ et ℣℣. ut in Festo, pag. 828. et sequentibus, cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Benedictiones ut in Festo; Lectiones de Apostolo Dominicæ occurrentis; ℟℟. ut in Festo, pag. 829. et pag. 830.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Lectio iv.

CUM, beáto Domínico morte in cælum recépto, célebris Rosárii consuetúdo, vel hóminum negligéntia, vel dæmonis arte paulátim cœpísset excídere, ut pene jam exstíncta viderétur : sacratíssima Virgo, immenso circúmdata lúmine, fratri Aláno Británno, exímio concionatóri, se viséndam exhíbuit, atque mónuit ut tum ipse tum ejus sócii Prædicatóres collápsam sacri Rosárii devotiónem totis víribus restitúere conaréntur.

℟. iv. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri : fecísti viríliter : * Quia cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Pulchra es et decóra, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. — Quia cunctas hæreses.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

EIDEM étiam fratri Aláno affirmávit cælórum Regína hoc genus orándi, promptum ac fácile, esse sibi gratíssimum, et ad impetrándam divínam misericórdiam accommodatíssimum, pópulis salutáre, et contra quævis advérsa præsens auxílium. Sed et Priórem convéntus Prædicatórum Colóniæ civitátis éadem sanctíssima Virgo ad eúmdem instaurándum sacrum ritum, cum se illi fecísset conspícuam, veheménter accéndit.

℟. v. Déxtera tua magnificáta est in fortitúdine, déxtera tua confrégit inimícos : * Submérsi sunt in aquis veheméntibus, et opéruit eos mare. ℣. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. — Submérsi sunt.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

VIX verbis éxprimi potest, quantum prædicatióne et ópera Fratrum Prædicatórum divína ista devótio in christiáno pópulo fúerit ubíque propagáta : quot quantæque in honórem Dei Genitrícis sub Rosárii nómine fundátæ sint societátes, in quas príncipes, reges, imperatóres atque Eccléstæ præsides pro summo ducunt honóre cooptári.

℟. vj. Signum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus,

* Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Dábitur cápiti tuo augméntum gratiárum, et coróna ínclyta próteget te. — Et in cápite ejus. Glória. Et in cápite ejus.

IN III. NOCTURNO.

Benedictio. Oret voce pia pro nobis Virgo María. ℟. Amen.

Lectio vij.

ROMANI étiam Pontífices innúmeris Indulgéntiis, privilégiis, favóribus atque grátiis sacrum hoc Rosárium egrégie ornárunt. Inter quos Leo Décimus hujus instituti ritum, modúmque orándi tribus diébus cujuslibet hebdómadæ ad honórem Dei et beatíssimæ Vírginis, conjúnctim vel divísim, Apostólica auctoritáte confirmávit, ac Indulgéntias omnes per suos prædecessóres eídem concéssas de novo largítus est : quod étiam céteri ejus successóres liberalíssime præstitérunt.

℟. vij. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : * Et flores mei fructus honóris et honestátis. ℣. Ego Mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. — Et flores mei.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viij.

GREGORIUS vero Tertius décimus, post commemorátum ínclytum illum de Turcis Rosárii ope reportátum triúmphum : Ad tantæ, inquit, victóriæ, cælitus procul dúbio concéssæ, memóriam conservándam, et ad grátias Deo et beatíssimæ Vírgini agéndas, festum solémne sub nuncupatióne Rosárii in prima Domínica mensis Octóbris, síngulis annis, perpétuis futúris tempóribus, per univérsi orbis partes in ecclésiis, in quibus altáre vel capélla Rosárii fúerit, ab ómnibus et síngulis utriúsque sexus Christi fidélibus sub Dúplicis majóris Officio, ad instar aliárum solémnium festivitátum, de Apostólicæ potestátis plenitúdine, celebrándum et sanctificándum decérnimus.

℟. viij. Surge, própera amica mea : jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit : * Flores apparuérunt in terra nostra. ℣. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum. — Flores apparuérunt.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix.

SED ipsa potíssimum divíni hujus instituti invéntrix Deípara María hoc idem mirífice fovet et amplíficat, cultóres ejus innúmeris grátiis cúmulat et claríssimis miráculis illústrat. Hanc ítaque sanctíssimam cælórum Regínam, Dei Matrem et peccatórum advocátam, sub hoc salubérrimo ritu assídue venerémur, tántaque in nos per sacrosánctum Rosárium liberáliter ab ejus Fílio colláta benefícia, grata memória ita prosequámur, ut ejus tandem úberes fructus in cæléstí regno perpétuo cónsequi mereámur. Tu autem...

℟. ix. Obaudíte me diviní fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte. * Quasi Líbanus odórem suavitátis habéte. ℣. Floréte flores quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam. — Quasi Líbanus. Glória. Quasi Líbanus.

Ante Laudes ℣. Regína sacratíssimi Rosarii ora pro nobis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES,
HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia ut in Festo, pag. 835, et sequentibus, servato modo Octavæ diei Solemnis.

AD PRETIOSA.

Evangelium.

Secúndum Lucam. Cap. 1.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Tu autem Dómine.

¶ Si dies viij. Octobris in Dominica occurrerit, fiat Officium de Octava die SS. Rosarii; festum vero S. Birgittæ infra quindecim dies transferatur. Quod si transferri nequiverit, habeat solam Memoriam in die Octava SS. Rosarii ad utrasque Vesperas et Laudes, ut hic notatum est :

Ad Memoriam S. Birgittæ in j. Vesperis Aña. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : quia concupívit Rex spéciem tuam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

DOMINE Deus noster, qui beátæ Birgíttæ per Fílium tuum unigénitum secréta cæléstia revelásti : ipsíus pia intercessióne, da nobis fámulis tuis in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére lætántes. Per eúmdem.

Ad Memoriam S. Birgittæ in Laudibus Aña. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem: fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Oratio Dómine Deus noster.

Ad Memoriam S. Birgittæ in ij. Vesperis Aña. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum : gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio Dómine Deus noster.

DIE I. OCTOBRIS.
SS. EUSTACHII ET SOCIORUM
MARTYRUM.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Eustáchii et Sociórum ejus natalítia cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Remigii Episcopi et Confessoris. Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Remígii,

Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EUSTACHIUS, qui et Plácidus, génere, ópibus et militári glória inter Romános insígnis, sub Trajáno imperatóre Magístri mílitum títulum méruit. Cum vero sese aliquándo in venatióne exercéret, ac fugiéntem miræ magnitúdinis cervum insequerétur, vidit repénte inter consisténtis feræ córnua excélsam atque fulgéntem Christi Dómini e cruce pendéntis imáginem. Cujus voce ad immortális vitæ prædam invitátus, una cum uxóre Theopísta ac duóbus párvulis fíliis Agápito et Theopísto, christiánæ milítiæ nomen dedit.

Lectio v.

MOX ad visiónis prístinæ locum, sicut ei Dóminus præcéperat, regréssus, illum prænuntiántem audívit quanta sibi deínceps pro ejus glória perferénda essent. Quocírca incredíbiles calamitátes mira patiéntia perpéssus, brevi in summam egestátem redáctus est. Cumque clam se subdúcere cogerétur, in itínere cónjugem primum, deínde étiam líberos sibi miserabíliter eréptos ingémuit. Tantis obvolútus ærúmnis, in regióne longínqua víllicum agens longo témpore delítuit : donec cælésti voce recreátus, ac nova occasióne a Trajáno conquisítus, iterum bello præfícitur.

Lectio vj.

ILLA in expeditióne, líberis simul cum uxóre insperáto recéptis, victor Urbem ingénti ómnium gratulatióne ingréditur. Sed paulo post inánibus diis pro parta victória sacrificáre jussus, constantíssime rénuit. Cumque váriis ártibus ad Christi fidem ejurándam frustra tentarétur, una cum uxóre et líberis leónibus objícitur. Horum mansuetúdine concitátus imperátor, æneum in taurum, subjéctis flammis candéntem, eos immítti jubet, ubi divínis in láudibus consummáto martyrio, duodécimo Kaléndas Octóbris ad sempitérnam felicitátem convolárunt. Quorum illæsa córpora, religióse a fidélibus sepúlta, póstmodum ad ecclésiam eórum nómine eréctam honorífice transláta sunt.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Descéndens Jesus de monte. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 65*.

DIE II. OCTOBRIS.

SS. ANGELORUM CUSTODUM.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Exodi 23.

ECCE ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum, et audi vocem ejus.

℟. In conspéctu géntium nolíte timére : vos enim in córdibus vestris adoráte et timéte Dóminum : * Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua. — Angelus. Glória. Angelus.

Hymnus.

CUSTODES hóminum psállimus Angelos,
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cæléstis cómites, insidiántibus
Ne succúmberet hóstibus.
NAM, quod corrúerit próditor ángelus,
Concéssis mérito pulsus honóribus,
Ardens invídia péllere nítitur
Quos cælo Deus ádvocat.
HUC Custos ígitur pérvigil ádvola,
Avértens pátria de tibi crédita
Tam morbos ánimi quam requiéscere
Quidquid non sinit íncolas.
SANCTÆ sit Tríadi laus pia júgiter,
Cujus perpétuo númine máchina
Triplex hæc régitur, cujus in ómnia
Regnat glória sæcula.
Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Magnificat Aña. Omnes sunt administratórii Spíritus, in ministérium missi, propter eos qui hereditátem cápiunt salútis.

Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris : largíre supplícibus tuis et eórum semper protectióne defendi, et ætérna societáte gaudére. Per.

¶ Si festum SS. Angelorum propria die, idest secunda Octobris, celebretur, Memoria de Octava S. Michaelis in utrisque Vesperis et Laudibus fiat ut infra suis locis notatum est :

Ad Memoriam de Octava S. Michaelis in Vesperis Aña. Archángeli Michaélis interventióne suffúlti, te Dómine deprecámur ut quos honóre proséquimur contingámus et mente, allelúia.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas, concéde propítius : ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Angelórum Dóminum * Veníte adorémus.

Hymnus Custódes hóminum., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos,

ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : insuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Dóminus Deus cæli et terræ, ipse mittet Angelum suum coram te.

Psalmus 10.

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Aña. Deus meus misit Angelum suum, et conclúsit ora leónum, et non nocuérunt mihi.

Psalmus 14.

DOMINE quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorífical :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Aña. Bene ambulétis, et Dóminus sit in itínere vestro, et Angelus ejus comitétur vobíscum.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 23.

ECCE ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum, et audi vocem ejus, nec contemnéndum putes :

quia non dimíttet cum peccáveris, et est nomen meum in illo. Quod si audíeris vocem ejus, et féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, et affligam affligéntes te. Præcedétque te Angelus meus.

℟. j. Angelis suis Deus mandávit de te : ut custódiant te in ómnibus viis tuis. * In mánibus portábunt te : ne unquam offéndas ad lápidem pedem tuum. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, et décies míllies centéna míllia assistébant ei. — In mánibus portábunt te : ne unquam.

Ex Zacharía Prophéta.

Lectio ij. Cap. 1.

FACTUM est verbum Dómini ad Zachariam fílium Barachíæ, fílii Addo, prophétam, dicens : Vidi per noctem, et ecce vir ascéndens super equum rufum, et ipse stabat inter myrtéta, quæ erant in profúndo : et post eum equi rufi, várii et albi. Et dixi : Quid sunt isti, Dómine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebátur in me : Ego osténdam tibi quid sint hæc. Et respóndit vir, qui stabat inter myrtéta, et dixit : Isti sunt, quos misit Dóminus ut perámbulent terram.

℟. ij. Respóndit Angelus Dómini, et dixit : Dómine exercítuum * Usquequo tu non miseréberis Jerúsalem et úrbium Juda, quibus irátus es? ℣. Iste enim septuagésimus annus est. — Usquequo.

Lectio iij. Cap. 2.

ET levávi óculos meos, et vidi : et ecce vir, et in manu ejus funículus mensórum. Et dixi : Quo tu vadis? Et dixit ad me : Ut métiar Jerúsalem, et vídeam quanta sit latitúdo ejus, et quanta longitúdo ejus. Et ecce Angelus, qui loquebátur in me, egrediebátur, et Angelus álius egrediebátur in occúrsum ejus. Et dixit ad eum : Curre, lóquere ad púerum istum dicens: Absque muro habitábitur Jerúsalem præ multitúdine hóminum, et jumentórum in médio ejus. Et ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu : et in glória ero in médio ejus.

℟. iij. In conspéctu géntium nolíte timére : vos enim in córdibus vestris adoráte et timéte Dóminum : * Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua. — Angelus enim ejus vobíscum est. Glória. Angelus enim ejus vobíscum est.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 18.

CÆLI enárrant glóriam Dei,* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Aña. Cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram : ipsum benedícite, et cantáte ei.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Tollens se Angelus Dómini, qui præcedébat castra Israel, ábiit post eos.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Divites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Aña. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : et erípiet eos.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

(In Ps. Qui hábitat. Serm. 12)

Lectio iv.

ANGELIS suis mandávit de te. Mira dignátio, et vere magna diléctio caritátis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandávit? Studióse consideremus, fratres, diligénter commendémus memóriæ hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? cujus sunt Angeli? cujus mandátis obtémperant? cujus obédiunt voluntáti? Nempe Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis : nec cunctántur, quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo Majéstas mandávit Angelis, et Angelis suis mandávit. Illis útique sublímibus, tam beátis, tam próxime sibi cohæréntibus et vere domésticis Dei mandávit de te.

℟. iv. Vivit ipse Dóminus, * Quóniam custodívit me Angelus ejus et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde huc reverténtem. ℣. Et non permísit me Dóminus ancíllam suam coinquinári. — Quóniam custodívit me Angelus ejus, et.

Lectio v.

SED quid, putas, mandávit de te? Ut custódiant te. Quantam tibi debet hoc verbum inférre reveréntiam, afférre devotiónem, conférre fidúciam! Reveréntiam pro præs-

éntia, devotiónem pro benevoléntia, fidúciam pro custódia. Caute ámbula, ut vidélicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandátum est, in ómnibus viis tuis. In quovis diversório, in quovis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne áudeas illo præsénte, quod vidénte me non audéres. An præséntem esse dúbitas, quem non vides? Si fidem cónsulas, ea tibi angélicam probat præséntiam non deésse.

℟. v. Angelus Dómini descéndit cum Azaría et sóciis ejus in fornácem : et excússit flammam ignis de fornáce, * Et non tétigit eos omníno ignis neque contristávit. ℣. Benedíctus Deus eórum, qui misit Angelum suum, et éruit servos suos, qui credidérunt in eum. — Et non tétigit eos.

Lectio vj.

ADSUNT ígitur Angeli, et adsunt tibi, non modo tecum, sed étiam pro te. Adsunt, ut prótegant : adsunt, ut prosint. Quid sub tantis custódibus timeámus? Nec superári, nec sedúci, minus autem sedúcere possunt, qui custódiunt nos in ómnibus viis nostris. Fidéles sunt, prudéntes sunt, poténtes sunt : quid trepidámus? Tantum sequámur eos, adhæreámus eis, et in protectióne Dei cæli commorémur. Quóties ergo gravíssima cérnitur urgére tentátio, et tribulátio véhemens imminére, invoca Custódem tuum, ductórem tuum, adjutórem tuum in opportunitátibus, in tribulatióne. Incláma eum, et dic : Dómine salva nos, perímus.

℟ vj. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, * Et Angelus faciéi ejus salvávit eos. ℣. In dilectióne sua et indulgéntia sua ipse redémit eos, et portávit eos, et elevávit eos cunctis diébus sæculi. — Et Angelus faciéi ejus. Glória. Et Angelus faciéi ejus.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætántur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Misit Dóminus Angelum suum, qui percússit omnem virum robústum, et bellatórem, et príncipem exércitus regis Assyriórum.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus, * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Adoráte Dóminum omnes Angeli ejus : audívit, et lætáta est Sion.

Psalmus 102.

BENEDIC ánima mea Dómino : * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus :

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua :

Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Miserátor, et miséricors Dóminus : * longánimis, et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur : * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cæli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, ℣ misértus est Dóminus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : ℣ homo, sicut fœnum dies ejus, * tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spiritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus :

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam : * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus : * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Aña. Benedícite Dómino omnes Angeli ejus : poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis putas major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(Comment. in Matth. cap. 18.)

NONNISI revérsos in natúram puerórum introíre regnum cælórum Dóminus docet : id est per simplicitátem puerílem vítia córporum nostrórum animæque revocánda. Púeros autem, credéntes omnes per audiéntiæ fidem nuncupávit. Hi enim patrem sequúntur, matrem amant, próximo velle malum nésciunt, curam opum négligunt : non insoléscunt, non odérunt, non mentiúntur, dictis credunt, et quod áudiunt verum habent. Reverténdum ígitur est ad simplicitátem infántium : quia in ea collocáti, spéciem humilitátis Dominicæ circumferémus.

℟. vij. Machabæus, et qui cum eo erant, cognoscéntes expugnári præsídia, * Cum fletu et lácrimis rogábant Dóminum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israel. ℣. Cum páriter prompto ánimo procéderent, Jerosólymis appáruit præcédens eos eques in veste cándida. — Cum fletu.

Lectio viij.

VÆ huic mundo a scándalis. Humílitas Passiónis, scándalum mundo est. In hoc enim máxime ignorántia detinétur humána, quod sub deformitáte Crucis, ætérnæ glóriæ Dóminum nóluit accípere. Et quid

mundo tam periculósum quam non recepísse Christum? Ideo vero necésse esse ait veníre scándala : quia, ad sacraméntum reddéndæ nobis ætérnitátis, omnis in eo Passiónis humílitas esset explénda.

℟. viij. Tu Dómine, qui misísti Angelum tuum sub Ezechía rege Juda, et interfecísti de castris Sennácherib centum octogínta quinque míllia : * Et nunc dominátor cælórum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre et tremóre magnitúdinis bráchii tui. ℣. Ut métuant qui cum blasphémia véniunt advérsus sanctum pópulum tuum. — Et nunc.

Lectio ix.

VIDETE ne contemnátis unum de pusíllis istis, qui credunt in me. Arctíssimum vínculum mútui amóris impósuit, ad eos præcípue, qui vere in Dómino credidíssent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident : quia Fílius hóminis venit salváre quæ pérdita sunt. Ergo et Fílius hóminis salvat, et Deum Angeli vident, et Angeli pusillórum præsunt fidélium oratiónibus. Præésse Angelos absolúta auctóritas est. Salvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deo ófferunt. Ergo periculóse ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad ætérnum et invisíbilem Deum ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehúntur.

℟. ix. In conspéctu Angelórum psallam tibi, et adorábo ad templum sanctum tuum, * Et confitébor nómini tuo Dómine. ℣. Deus meus es tu, et confitébor tibi : Deus meus es tu, et exaltábo te. — Et confitébor. Glória. Et confitébor.

Ante Laudes ℣. Muro inexpugnábili protectiónis tuæ custódi nos Angele Dei. ℟. Et armis tuæ poténtiæ prótege nos semper.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Laudémus Dóminum, quem laudant Angeli, cui Chérubim et Séraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus proclámant.

3. Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei, qui est in cælis.

4. Benedíctus Deus, qui misit Angelum suum, et éruit servos suos, qui credidérunt in eum.

5. Laudáte Deum omnes Angeli ejus : laudáte eum omnes Virtútes ejus.

Capitulum. Exodi 23.

ECCE ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum, et audi vocem ejus.

Hymnus.

ORBIS Patrátor óptime,
Qui quidquid est poténtia
Magna creásti, nec regis
Minóre providéntia :
ADESTO supplicántium
Tibi reórum cœtui,
Lucísque sub crepúsculum
Lucem novam da méntibus :
TUUSQUE nobis Angelus
Eléctus ad custódiam
Hic adsit, a contágio
Ut críminum nos prótegat :

NOBIS dracónis æmuli
Versútias extérminet,
Ne rete frauduléntiæ
Incáuta nectat péctora.
METUM repéllat hóstium
Nostris procul de fínibus :
Pacem procúret cívium,
Fugétque pestiléntiam.

℣ Infra Octavam SS. Rosarii, ante ultimam Stropham Deo Patri., dicatur sequens :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.
DEO Patri sit glória,
Qui quos redémit Fílius,
Et sanctus unxit Spíritus,
Per Angelos custódiat. Amen.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

Ad Benedictus Aña. Revérsus est Angelus, qui loquebátur in me, et suscitávit me, quasi virum qui suscitátur a somno suo.

Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris : largíre supplícibus tuis et eórum semper protectióne defendi, et ætérna societáte gaudére. Per.

Ad Memoriam de Octava S. Michaelis in Laudibus Aña. Factum est siléntium in cælo, dum draco commítteret bellum : et Míchael pugnávit cum eo, et fecit victóriam, allelúia.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas, concéde propítius : ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Ecce ego mittam., ut in Laudibus.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi, * Allelúia, allelúia. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Allelúia. Glória. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Capitulum. Exodi 23.

NEC contemnéndum putes : quia non dimíttet cum peccáveris, et est nomen meum in illo.

℟. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini, * Allelúia, allelúia. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. Allelúia. Glória. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Capitulum. Exodi 23.

SI audíeris vocem ejus, et féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, et afflígam affligéntes te : præcedétque te Angelus meus.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus, *Allelúia, allelúia. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Allelúia. Glória. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

AD II. VESPERAS.

Psalmi ut in Festo S. Michaelis ad ij. Vesperas, pag. 822.

Super Psalmos Aña Angelis suis., Capitulum Ecce ego mittam. et Hymnus Custódes hóminum., ut in j. Vesperis, hujus Festi, pag. 841. et pag. 842.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Magnificat Aña. Sancti Angeli Custódes nostri defénditе nos in prœlio, ut non pereámus in treméndo judício.

Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris : largíre supplícibus tuis et eórum semper protectióne deféndi, et ætérna societáte gaudére. Per.

Ad Memoriam de Octava S. Michaelis in Vesperis Aña. Archángeli Michaélis interventióne suffúlti, te Dómine deprecámur ut quos honóre proséquimur contingámus et mente, allelúia.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas, concéde propítius : ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per.

DIE III. OCTOBRIS.
B. JOANNIS MASSIAS
CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Joánnem Confessórem, grátiæ tuæ ubertáte prævéntum, in húmili vitæ génere morum candóre floréscere voluísti : da nobis, quæsumus, ita ejus vestígia pérsequi, ut ad te puris méntibus pervenire mereámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES ex cómpatris nómine, uti fertur, Massías dictus, in óppido Rivéra Palentínæ diœcésis in Hispánia ex Joánne de Arcas et Agnéte Sanchez, avíta nobilitáte claris, sed ob vários instábilis fortúnæ casus mundi honóribus ac divítiis destitútis, morum tamen candóre claríssimis, ortum hábuit anno millésimo quingentésimo octogésimo quinto. Primo ætátis lustro nondum peráctо, mentem senílem jam habuísse videbátur. In eo quippe et perféctus rationis usus, et moráles virtútes ádeo effulgébant, ut ómnibus esset admiratiónis et gáudii. Spretis enim puerílibus nugis et oblectaméntis, Deíparæ Vírgini Rosárii Regínæ se totum dicávit. Ter in die ejus Psaltérium recitáre ánimo sibi propósuit, pro semetípso scílicet, pro peccatórum conversióne, et pro animábus piaculári-

bus flammis addíctis. Quem morem toto vitæ suæ cursu, nec sine máximo emoluménto, retínuit. Statim ac per ætátem licuit, ad Pœniténtiæ et Eucharístiæ Sacraménta accédere ferventíssimo amóris ardóre in delíciis hábuit. Sermónes divínis de rebus libéntius excípiens, eísdem párvulos erúdiens, eórum corda ad pietátem efformábat.

Lectio v.

PARENTIBUS brevi témporis spátio orbátus, sub pátrui disciplína relíctus, in pascéndis óvibus sibi commíssis adolescéntiam perégit. Hoc in humili vitæ génere, magis magísque ætérno animárum Pastóri placére stúduit, ut inter oves déxteræ suæ perpétuo collocári mererétur. Contemplátis in visióne cæléstis Pátriæ mansiónibus, egréssus de terra et cognatióne sua, permúltis Indiárum regiónibus peragrátis, ubíque relínquens sanctitátis suæ vestígia, Limam regálem urbem tandem pervénit. Abdicátis fortúnæ bonis sudóre vultus sui comparátis, ad cœnóbium sanctæ Maríæ Magdalénæ Pœniténtis convolávit, lácrimis orans ut inter alúmnos, quos Convérsos vocant, sancti Patriárchæ Domínici reciperétur. Voti compos factus, exácto summa cum laude tirocínio, solémnibus votis Deo se árctius mancipávit. Nihil áliud dein optátius in corde hábuit quam perfécta próprii múneris satisfactióne réddere Altíssimo vota sua. Quod ut plénius cónsequi posset, jejúniis, cilíciis, férreis flagéllis corpus suum cruentábat, et mentem diu noctúque divinárum rerum meditatióne fovébat. Mira constántia molestíssimos morbos hominúmque convícia ac injúrias non solum, sed furéntes dæmonum ímpetus per duódecim et ámplius annos ádeo tolerávit, ut semper victor ac triumphátor de eórum nequíssimis ártibus eváserit.

Lectio vj.

DE proximórum salúte cupidíssimus, a via justítiæ errántes mónitis ac précibus in viam salútis revocábat, et ad Dei amórem excitábat. Míseros, ægrótos ac paupérrimos, quorum bis centum in die alébat, se ipso carióres habens, iis flexis génibus inservíre, véstibus atque emendicáta pecúnia eos recreáre, et humilióra quæque ministéria exércens, opem illis conférre satagébat. Tam sublímis Joánnis sánctitas quidem méruit ut magnífice illustrarétur a Deo. Hinc divíno spíritu afflátus futúra prædíxit, de augústis fídei mystériis, licet illitterátus, sapientíssime loquebátur. Arcána collóquia cum cælítibus frequénter tenére, non raro miránda prodígia operári, et sublátus a terra divínas perfectiónes contemplári sæpe sæpius visus est. Jam vero cælo matúrus, tot ac tantis heróicis virtútibus clarus, gravi morbo corréptus, Ecclésiæ Sacraméntis munítus, prænuntiáto mortis suæ die, férrea ad lumbos præcínctus caténa, óculis in cælum sublátis, et divínæ caritátis igne consúmptus, ex hac ploratiónis valle ad immortálem glóriam advolávit,

décimo sexto Kaléndas Octóbris, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo quinto, ætátis suæ sexagésimo primo. Quem Gregórius Décimus sextus Póntifex Máximus, ante et post óbitum fulgéntem signis, inter Beatórum fastos solémni ritu adscrípsit, et festum de beáto Joánne cum Offício et Missa ab univérso Fratrum Prædicatórum Ordine, nec non dicœcési Limána et Palentína, benígne celebrári indúlsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

SI quarta dies Octobris in Dominica evenerit, fiat in ea Officium sanctissimi Rosarii B. Mariæ V., et festum S. P. N. Francisci in crastina die quinta celebretur. Festum vero B. Raymundi a Capua in aliam diem suo ordine transferatur illo anno.

DIE IV. OCTOBRIS.

S. P. N. FRANCISCI CONFESSORIS

ORDINIS MINORUM FUNDATORIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Franciscus, vir cathólicus et totus apostólicus, Ecclésiæ tenéri fidem Románæ dócuit, Presbyterósque mónuit præ cunctis reveréri. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Galat. 6.

FRATRES, Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

℟. Mihi absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : * Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. Ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. — Per quem. Glória. Per quem.

Hymnus.

PROLES de cælo pródiit,
Novis utens prodígiis :
Cælum cæcis apéruit,
Siccis mare vestígiis,
SPOLIATIS Ægyptiis,
Transit dives : sed páuperis
Nec rem nec nomen pérdidit,
Factus felix pro míseris.
ASSUMPTUS cum Apóstolis
In montem novi lúminis,
In paupertátis prædiis
Christo Francíscus íntulit :
FAC tria tabernácula :
Petri secútus stúdia,
Cujus exémplo nóbili
Sponte relíquit ómnia.
LEGI, Prophétæ, Grátiæ
Gratum gerens obséquium,
Trinitátis offícium
Festo solémni célebrat,

DUM réparat virtútibus
Hospes triplex hospítium,
Et beatárum méntium
Dum templum Christo cónsecrat.

DOMUM, portam et túmulum
Pater Francísce vísita,
Et Hevæ prolem míseram
A somno mortis éxcita.
Amen.

℣ Infra Octavam SS. Rosarii, post Stropham Domum, portam., addantur hæ Strophæ :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Francísce. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. O stupor et gáudium, o judex homo méntium, tu nostræ milítiæ currus et auríga. Ignea, præséntibus transfigurátum frátribus in solári spécie, vexit te quadríga. In te signis rádians, in te ventúra núntians requiévit spíritus duplex Prophetárum. Tuis asta pósteris Pater Francísce miseris : nam increscunt gémitus óvium tuárum.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam, beáti Patris nostri Francísci méritis, fetu novæ prolis amplíficas : tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regi, quæ fecit, ópera Christo confiteántur :* Cujus in sancto vúlnera Francísco renovántur.

Hymnus.

IN cælésti collégio
Novus colléga cólitur :
In Sanctórum rosário
Novéllus flos prodúcitur.

FRANCISCUS florens grátia,
Forma factus humílium,
Lætus potítur glória,
Sortis consors sublímium.

METIT de sparso sémine
Plenæ messis manípulum,
Fallens sub terræ tégmine
Nostræ salútis æmulum.

HIC carnis supercílium
Legi subjécit spíritus :
Mundum vicit et vítium,
Se victo victor ínclytus.

LINGUÆ manus præámbula
Verbo parávit sémitam :
Et amplectúntur sæcula
Doctrínam facto próditam.

IN paupertátis prædio
Minórum plantans víneam,
Osténdit, magistério
Vitæ, vivéndi líneam.

AD ætérnas divítias
Turbam alléxit páuperum,
Quos ad cæli delícias
Lingua vocávit óperum.

VITA, doctrína splénduit,
Respléndet et miráculis :
Sic præfuit, quod prófuit,
Viva lucérna pópulis.

SUMMI Regis palátio
Doctor loca discípulos :
Salútis privilégio
Christi præmúni fámulos.

DE ténebris miséria,
Sequáces stellæ prævíæ,
Quærámus Patrem grátiæ,
Consórtes tandem glóriæ.
Amen.

℣ Infra Octavam SS. Rosarii,

post Stropham De ténebris misériæ. etc. adduntur duæ ultimæ Strophæ María Mater grátiæ. et Glória tibi Dómine, Qui natus es de Vírgine, ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Hic Vir de vanitátibus dum cógitat frequénter, divínis charismátibus prævéntus est cleménter. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68* et sequentibus.

Aña. Excélsi dextræ grátia in dies confortátus, cæli suspírat præmia, quæ tenet nunc beátus.

Aña. Edóctus autem cælitus per visum, per languóres, mundi contémnit pénitus thesáuros et honóres.

℣. Pósuit me sibi quasi in signum. ℟. Circúmdedit me lánceis suis.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 5. et cap. 6.

SI spíritu vívimus, spíritu et ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. Fratres, et si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, considerans teípsum, ne et tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis existimat se áliquid esse, cum nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, et sic in semetípso tantum glóriam habébit, et non in áltero. Unusquísque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is, qui catechizátur verbo, ei, qui se catechízat, in ómnibus bonis.

℟. j. Francíscus ut in públicum cessat negotiári, in agrum mox Domínicum secédit meditári : * Invéntum evangélicum thesáurum vult mercári. ℣. Deum quid agat únicum consúltans, audit cælicum insígne sibi dari. — Invéntum.

Lectio ij.

NOLITE erráre : Deus non irridétur. Quæ enim seminéverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem : qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus : témpore enim suo metémus non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxime autem ad domésticos fídei. Vidéte quálibus lítteris scripsi vobis mea manu. Quicúmque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantum ut Crucis Christi persecutiónem non patiántur. Neque enim qui circumcidúntur, legem custódiunt : sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestra gloriéntur.

℟. ij. In Dei fervens ópere, statim ut sua véndidit, paupéribus impéndere pecúniam inténdit : * Quæ gravi suo póndere cor líberum offéndit. ℣. Quam formidánte páupere Presbytero recípere, abjéctam vilipéndit. — Quæ gravi.

Lectio iij.

MIHI autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid

valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israel Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit : ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, cum spíritu vestro, fratres, amen. Tu autem Dómine....

℟. iij. Dum pater hunc perséquitur, latens dat locum iræ; constánter post aggréditur in públicum prodíre : * Squalénti vultu cérnitur, putátur insaníre. ℣. Luto, saxis impétitur : sed pátiens Vir nítitur, ut surdus pertransíre. — Squalénti vultu cérnitur. Glória. Squalénti vultu cérnitur.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Pertráctum domi vérberat plus cunctis furens pater: objúrgans vincit, cárcerat, quem furtim solvit mater.

Aña. Jam liber patris fúriæ non cedit effrenáti, clamans se voluntárie pro Christo mala pati.

Aña. Ductus ad loci Præsulem, sua patri resignat : nudúsque manens, éxsulem in mundo se designat.

℣. Sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi. ℟. Et confirmásti super me manum tuam.

Ex Commentáriis sancti Bonaventúræ Epíscopi.

Lectio iv.

FRANCISCUS, de vallis Spoletánæ pártibus civitáte Assísii trahens orígínem, primúmque Joánnes vocátus a matre, dehinc Francíscus a patre, vocatiónis quidem patérnæ vocábulum ténuit, sed et rem matérni nóminis non relíquit. Licet enim inter vanos fúerit hóminum fílios juveníli ætáte nutritus in vanis, et post aliquálem litterárum notítiam, lucratívis mercatiónum deputátus negótiis : supérno tamen sibi assisténte præsídio, nec inter lascívos júvenes post carnis petulántiam ábiit, nec inter cúpidos mercatóres sperávit in pecúnia et thesáuris. Inerat namque júvenis Francísci præcórdiis divínitus índita, cum lenitáte mansuetúdinis, quædam ad páuperes miserátio liberális : quæ secum ab infántia crescens, tanta cor illíus benignitáte repléverat, ut jam Evangélii non surdus audítor, omni propóneret se peténti tribúere, máxime si divínum allegáret amórem. In ipso namque juventútis flore, firma se Dómino sponsióne constríngens, quod nunquam (si possibílitas áfforet) peténtibus pro amóre Dómini se negáret : dum promíssum tam nóbile usque ad mortem serváre non déstitit, ad copiosióra in Deum dilectiónis et grátiæ increménta pervénit.

℟. iv. Dum seminúdo córpore laudes decántat gállice zelátor novæ legis, latrónibus in némore * Respóndet sic prophétice : Præco sum magni Regis. ℣. Audit in nivis frígore projéctus : Jace rústice, futúrus pastor gregis. — Respóndet.

Lectio v.

VERUM licet huic júgiter in corde ipsíus divíni amóris vigéret ignículus : ignorábat adhuc adoléscens, curis terrénis implícitus, cæléstis allocutiónis arcánum : donec facta manu Dómini super eum,

et castigátus fuit extérius prolíxi languóris gravédine, et clarificátus intérius sancti Spíritus unctióne. Corpóreis póstmodum víribus utcúmque resúmptis, ménteque mutáta in mélius, cum mílitem quemdam, nóbilem quidem génere sed ínopem rebus, óbvium insperáto habuísset occúrsu : generósi Regis et páuperis Christi memor efféctus, tanta fuit erga virum pietáte permótus, ut decéntia, quæ sibi de novo paráverat, induménta depóneret, illúmque prótinus, se nudáto, vestíret. Nocte vero sequénti, cum se sopóri dedísset, palátium spatiósum et magnum, cum militáribus armis Crucis signáculo insignítis, is, pro cujus amóre míliti egéno subvénerat, dignatíva sibi revelatióne monstrávit : necnon visa ómnia sua fore militúmque suórum, si Crucis Christi vexíllum constánter assúmeret, sub asseveratiónis certitúdine repromísit.

℟. v. Amícum quærit prístinum, qui spretum in cœnóbio tunícula contéxit : contémptu gaudens hóminum * Leprósis fit obséquio, quos ántea despéxit. ℣. Sub typo trium Ordinum, tres, nutu Dei prævio, ecclésias eréxit. — Leprósis fit obséquio.

Lectio vj.

Ex tunc a públicæ negotiatiónis tumúltu se súbtrahens, solitária loca quærébat amíca mæróribus. In quibus cum gemítibus inenarrabílibus incessánter inténderet, post longam precum instántiam, qua sibi perfectiónis sémitam a Dómino postulábat osténdi, ad votum exaudíri proméruit. Una quippe diérum, dum sic sequestrátus oráret, appáruit ei Christus Jesus véluti cruci confíxus, eídem tam efficáciter íngerens Evangélicum illud, Qui vult venire post me ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me, ut mentem ipsíus intrínsecus et incéndio dilectiónis adúreret, et absínthio compassiónis impléret. Nam et ad præmíssæ visiónis contúitum liquefácta est ánima ejus, et memória Passiónis Christi viscéribus cordis ipsíus ádeo impréssa medúllitus : ut et Crucifíxi plagas óculis mentis intérius quasi júgiter cérneret, et vix extérius a lacrimósis gemítibus continéri valéret.

℟. vj. Audit in Evangélio quæ suis Christus lóquitur ad prædicándum missis : Hoc, inquit, est quod cúpio : * Lætánter his innítitur memóriæ commíssis. ℣. Non utens virga, cálceo, nec pera, fune cíngitur, duplícibus dimíssis. — Lætánter his innítitur. Glória. Lætánter his innítitur.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Cor verbis novæ grátiæ sollícitus appónit, verbúmque pœniténtiæ simpliciter propónit.

Aña. Pacem, salútem núntiat in spíritus virtúte, veræque paci sóciat longínquos a salúte.

Aña. Ut novis Sancti mérita remuneréntur natis, his nova tradit mónita, viam simplicitátis.

℣. Manus meæ stillavérunt myrrham. ℟. Et dígiti mei pleni myrrha probatíssima.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Quæ est 38. alias 39. in Matth. sup. hoc Evang.)

CONFITEOR tibi, hic significat, Grátias ago tibi. Grátias ago, inquit, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus. Sapiéntes autem hic vocat Scribas et Pharisæos. Hæc porro dicit, ut discípulos alacrióres reddat, et osténdat quanta consecúti sint piscatóres, a quibus illi omnes excidérunt. Cum vero Sapiéntes vocat illos, non de vera et laudábili sapiéntia lóquitur, sed de illa, quam videbántur ex gravitáte consecúti : idcírco non dixit, Revelásti stultis, sed, Párvulis, sincéris scílicet, ac simplícibus; ostendítque illos, non solum quod digni non essent, sed jure étiam hæc non esse adéptos. Nosque per ómnia docet ut a supérbia fugiámus, sed simplicitátem sectémur. Deínde cum per ea, quæ díxerat, ipsis desidérium indidísset, suámque ineffábilem poténtiam demonstrásset : tunc vocávit illos dicens : Veníte ad me omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos.

℟. vij. Carnis spicam contémptus área Francíscus terens, calcans térrea,* Granum purum, excússa pálea, Summi Regis intrat in hórrea. ℣. Vivo Pani morte junctus, vita vivit vita functus. — Granum purum.

Lectio viij.

VENITE, non ut pœnas éxpetam, sed ut peccáta solvam : veníte, non quod glória vestra égeam, sed quod salútem vestram sítiam. Ego, inquit, refíciam vos. Non ait, Salvos fáciam : sed quod multo magis est, In omni quiéte constítuam. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. Ne timeátis, inquit, cum Jugum audítis : suáve quippe est. Ne formidétis quia dixi, Onus : leve quippe est. Et quómodo supra dixit, Angústa est porta, et arcta via? Nempe si segnis sis, si remíssus; at si supra dicta perféceris, leve erit onus : idcírco nunc illud hujúsmodi esse dixit. Quómodo autem id perfícitur? Si fúeris húmilis, mansuétus et modéstus.

℟. viij. De paupertátis hórreo sanctus Francíscus sátiat turbam Christi famélicam, in via ne defíciat :* Iter pandit ad glóriam, et vitæ viam ámpliat. ℣. Pro paupertátis cópia regnat dives in Pátria, reges sibi substítuens, quos hic ditat inópia. — Iter pandit ad glóriam.

Lectio ix.

JUGUM enim meum suáve est, et onus meum leve. Ita et Paulus suádet dicens : Momentáneum et leve tribulatiónis mire et supra modum

ætérnum glóriæ pondus operátur. Et quómodo leve est onus, inquies, cum dicat, Nisi quis ódio habúerit patrem et matrem; et, Qui non tollit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus; et, Qui non renúntiat ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus : cum júbeat ipsam quoque ánimam ódio habére? Te Paulus dóceat, dicens : Quis nos separábit a caritáte Christi? Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? Et, Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Dóceant te qui a conséssu Judæórum post mille vérbera redíbant gaudéntes, quia digni hábiti fúerant pro nómine Christi contuméliam pati.

℟. ix. Mihi absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : * Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. Ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. — Per quem mihi mundus. Glória. Per quem mihi mundus.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Pater Francísce. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Sanctus Franciscus, prævíis oratiónum stúdiis quid fáciat instrúctus, non sibi soli vívere, sed áliis profícere vult Dei zelo ductus. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Hic prædicándo círcuit, et quem non homo dócuit, fit doctis in stupórem : virtútum verba lóquitur, novúmque nova séquitur milítia ductórem.

3. Tres Ordines hic órdinat : primúmque Fratrum nóminat Minórum : pauperúmque fit Dominárum médius : sed Pœniténtum tértius sexum capit utrúmque.

4. Doctus doctríce grátia, doctus experiéntia quæ sunt perfectiónis : hæc fratres docet ómnia, tam factis quam frequéntia melliflui sermónis.

5. Laudans laudáre mónuit, laus illi semper ádfuit, laus, inquam, Salvatóris : invítat aves, béstias et creatúras álias ad laudem Conditóris.

Capitulum. Galat. 6.

FRATRES, Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Hymnus.

PLAUDE turba paupércula,
Patre ditáta páupere :
Laudis propína pócula
Sacro depréssa úbere.

HIC simplex, rectus, húmilis,
Pacis cultor amábilis,
Lumen in vase fíctili
Ardens, lucens in frágili.

VILI contéctus tégmine,
Sancto caléscens Flámine,
Inter cæli charísmata
Christi recépit stígmata.

CARNEM mundúmque cónterens,
Hostes malígnos próterens,
Auream victor méruit
Auréolam dum dócuit.

PAUPER, nudus egréditur,
Cælum dives ingréditur :
Spargit virtútum múnera,
Ægris proflígat vúlnera.

VERORUM Pater páuperum,
Nos páuperes fac spíritu :
Consórtes redde súperum
Eréptos ab intéritu.

¶ Infra Octavam SS. Rosarii, ante ultimam Stropham. Patri, Nato., dicatur :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

PATRI, Nato, Paráclito
Decus, honor et glória :
Sancti sint hujus mérito
Nobis ætérna gáudia. Amen.

℣. Cor meum et caro mea. ℟. Exsultavérunt in Deum vivum.

Ad Benedictus Aña. O Martyr desidério Francísce, quanto stúdio compátiens hunc séqueris, quem passum libro réperis quem aperuísti! Tu cóntuens in áere Seraph in cruce pósitum, ex tunc in palmis, látere et pédibus effígiem fers plagárum Christi. Tu gregi tuo próvide, qui post felícem tránsitum, diræ prius et lívidæ, glorificátæ spéciem carnis prætendísti. Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam, beáti Patris nostri Francísci méritis, fetu novæ prolis amplíficas : tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Fratres, Mihi autem. ut in Laudibus.

℟. Pósuit me sibi quasi in signum, * Allelúia, allelúia. Pósuit me. ℣. Circúmdedit me lánceis suis. Allelúia. Glória. Pósuit me.

℣. Sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi. ℟. Et confirmásti super me manum tuam.

AD SEXTAM.

Capitulum. Galat. 6.

ET quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israel Dei.

℟. Sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi, * Allelúia, allelúia. Sagíttæ. ℣. Et confirmásti super me manum tuam. Allelúia. Glória. Sagíttæ.

℣. Manus meæ stillavérunt myrrham. ℟. Et dígiti mei pleni myrrha probatíssima.

AD NONAM.

Capitulum. Galat. 6.

DE cétero nemo mihi moléstus sit : ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro fratres, amen.

℣. Manus meæ stillavérunt myrrham, * Allelúia, allelúia. Manus meæ. ℣. Et dígiti mei pleni myrrha probatíssima. Allelúia. Glória. Manus meæ.

℣. Cor meum et caro mea. ℟. Exsultavérunt in Deum vivum.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Sanctus Francíscus, prævíis oratiónum stúdiis quid fáciat instrúctus, non sibi soli vívere, sed áliis profícere vult Dei zelo ductus. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Fratres, Mihi autem. ut in Laudibus.

Hymnus.

DECUS morum, dux Minórum
Francíscus, tenens præmium,
In te vite datur vitæ,
Christe Redémptor ómnium.
PLAUDAT frater, regnat Pater
Concivis cæli cívibus :
Cedat fletus, psallat cœtus,
Exsúltet cælum láudibus.
DEMPTUM solo, datum polo
Signórum probant ópera :
Ergo vivit, nam adívit
Ætérna Christi múnera.
PRO terrénis votis plenis
Repórtat dona glóriæ :
Quem decóras, quem honóras,
Summæ Deus cleméntiæ.
HUNC sequántur, huic jungántur
Qui ex Ægypto éxeunt :
In quo duce, clara luce
Vexílla Regis pródeunt.
REGIS signum ducem dignum
Insígnit manu, látere :
Lux accédit, nox recédit,
Jam lucis orto sídere.
EST dux fidus, clarum sidus,
Ducit, relúcet, dévia
Devitándo, demonstrándo
Beáta nobis gáudia.
MINA gregem dux ad Regem,
Collísor hostis cállidi :
Nos condúcas et indúcas
Ad cenam Agni próvidi.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Francísce. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. O Virum mirábilem in signis et prodígiis, languóres cum dæmóniis quóslibet pelléntem! Dat aurem suis ávium prædicans silvéstrium verbis intendéntem. O vitam laudábilem, qua fidem sic magnificat, sed et multos vivificat mórtuos defúnctus! Francísce nos cæléstium fac consórtes cívium, quibus es conjúnctus.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam, beáti Patris nostri Francísci méritis, fetu novæ prolis amplíficas : tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per.

PER OCT. S. P. FRANCISCI.

Ad Memoriam in Laudibus

Aña. Sancte Francísce própera, veni Pater, accélera ad pópulum, qui prémitur et téritur sub ónere, pálea, luto, látere : et sepúlto Ægyptio sub sábulo, nos líbera, carnis exstíncto vítio.

℣. Cor meum et caro mea. ℟. Exsultavérunt in Deum vivum.

Oratio Deus, qui Ecclésiam tuam., ut supra in ij. Vesperis Festi.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Salve sancte Pater, pátriæ lux, forma Minórum, virtútis spéculum, recti via, régula morum : carnis ab exsílio duc nos ad regna polórum.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Francísce. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio Deus, qui Ecclésiam tuam., ut supra.

¶ Si propter translationem, contigerit fieri Officium de S. Francisco infra Octavam ejusdem, Lectio iij. in Nocturno erit sequens.

Lectio iij.

INSIGNIS sectátor crucifíxi Jesu vir Dei Francíscus a suæ conversiónis primórdiis tanta disciplínæ rigiditáte carnem crucifigébat cum vítiis, motúsque sensuáles tam stricta frenábat modéstiæ lege, ut vix necessária súmeret sustentatióni natúræ. Nam cocta cibária sanitátis témpore vix admittébat, et raro; admíssa vero, aut commistióne cíneris intérdum faciébat amára, aut áquei superinfusióne liquóris ut plúrimum reddébat insípida. Quam vero districtam in potu parcitátem serváverit, carnem suam a vino ábstrahens, ut transférret ánimam ad sapiéntiæ lucem, hinc líquido valémus advértere, quod et de aqua frígida, cum sitis æstuábat ardóre, vix audébat ad sufficiéntiam bíbere. Nuda humus, ut sæpius, lectus erat lassáto corpúsculo : cervical, lapis vel lignum; vestísque simplex, rugósa et híspida, teguméntum : pro eo quod experiéntia certa didícerat, hostes malígnos duris et ásperis in fugam convérti; delicátis autem et móllibus ad tentándum fórtius animári.

IN OCTAVA S.P.N.FRANCISCI.

SOLEMNE.

AD I. VESPERAS.

℣ Si Octava S.P.N.Francisci primas Vesperas a Capitulo habuerit, Capitulum, Hymnus, ℣., Antiphona ad Magnificat et Oratio dicantur ut in primis Vesperis Festi, pag. 854.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus ut in Festo, pag. 855.

℣ Quæ in tribus Nocturnis hic posita non sunt fiant ut in Festo.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SANCTUS Francíscus tránsitum suum longe ante præscívit : diéque óbitus imminénte, dixit frátribus, sui córporis tabernáculum deponéndum in próximo, quemádmodum demonstrátum sibi fúerat a Christo. Biénnio ítaque ab impressióne sacrórum Stígmatum, anno vidélicet a sua conversióne vigésimo, ad sanctam Maríam de Portiúncula se deférri popóscit : ut ubi, per Vírginem Matrem Dei, spíritum concéperat perfectiónis et grátiæ, ibídem mortis solúto débito, ad bravium perveníret retributiónis ætérnæ. Perdúctus autem ad locum præfátum, ut veritátis exémplo monstráret quod nihil erat ei commúne cum mundo, in illa infirmitáte tam gravi super nudam humum se totum nudátum depósuit : quátenus hora illa extréma, in qua pótterat adhuc hostis irásci, nudus luctarétur cum nudo. Décubans sic in terra et púlvere nudátus athléta, manu sinistra dextri láteris vulnus, ne viderétur, obtéxit : faciéque seréna sólito more leváta in cælum, inténdens illi glóriæ totus, magnificáre cœpit Altíssimum, pro eo quod expedítus ab ómnibus, liber jam transíret ad ipsum.

℟. iv. Dum seminúdo córpore laudes decántat gállice zelátor novæ legis, latrónibus in némore * Respóndet sic prophétice : Præco sum magni Regis. ℣. Audit in nivis frígore projéctus : Jace rústice, futúrus pastor gregis. — Respóndet sic prophétice.

Lectio v.

HORA dénique sui tránsitus jam instánte, omnes fratres exsisténtes in loco ad se fecit vocári, et eos consolatiónis verbis pro sua morte demúlcens, patérno affléctu ad divínum est hortátus amórem. Possessiónem quoque paupertátis et pacis hereditária ipsis successióne relínquens et legans, ut se ad ætérna proténderent, ac contra mundi hujus munírent perícula, vigilánter admónuit : et ad crucifíxi Jesu perfécte sectánda vestígia, omni, qua pótuit, efficácia sermónis indúxit. Circumsedéntibus vero fíliis coram páuperum Patriárcha, cujus jam caligáverant óculi, non senectúte, sed lácrimis, Vir sanctus, cæcútiens et morti jam próximus, exténdit super eos manus in modum crucis bráchiis cancellátis, pro eo quod hoc signum semper amábat : et ómnibus frátribus, tam præséntibus quam absséntibus, in Crucifíxi virtúte ac nómine benedíxit.

℟. v. Amícum quærit prístinum, qui spretum in cœnóbio tunícula contéxit : contémptu gaudens hóminum * Leprósis fit obséquio, quos ántea despéxit. ℣. Sub typo trium Ordinum, tres, nutu Dei prævio, ecclésias eréxit. — Leprósis fit obséquio.

Lectio vj.

POST hæc Evangélium secúndum Joánnem ab illo loco, Ante diem festum Paschæ, sibi legi popóscit, ut in eo vocem Dilécti pulsántis audíret, a quo solus eum jam páries carnis disjungébat. Tandem cunctis in eum complétis mystériis, orans et psallens, Vir beátus obdormívit in Dómino, et ánima illa sanctíssima, carne solúta, in ætérnæ claritátis abyssum absórpta est. Ipsa tunc hora unus ex frátribus et discípulis ejus, vir útique sanctitáte famósus, ánimam illam felícem conspéxit, sub spécie stellæ præfúlgidæ, cándida subvéctam nubécula, super aquas multas in cælum trámite recto conscéndere : útpote quæ consciéntiæ nitóre candéscens et meritórum prærogatíva refúlgens, tam efficáciter sursum ferebátur affluéntia gratiárum, et deiformitáte virtútum, ut a visióne cæléstis lucis et glóriæ nec módicum retardári valéret.

℟. vj. Audit in Evangélio quæ suis Christus lóquitur ad prædicándum missis. Hoc, inquit, est quod cúpio :* Lætánter his innítitur memóriæ commíssis. ℣. Non utens virga, cálceo, nec pera, fune cíngitur, duplícibus dimíssis. — Lætánter his innítitur. Glória. Lætánter his innítitur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Dominicæ præcedentis.

¶ Si vero jam lecta fuerit, dicantur sequentes Lectiones.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Serm. 12. de Verbis Apostoli, cap. 7. et cap. 8.)

DISCITE a me, inquit, quóniam mitis sum et húmilis corde. Quid tamen fecit propter te? Semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Ecce propter te Deus factus est homo : et non te vis agnóscere, cum sis homo? Ecce propter te Deus factus est homo sine peccáto : et non vis te agnóscere cum peccáto, ut vénias ad illum, qui ait, Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego vos refíciam?

℟. vij. Carnis spicam contémptus área Francíscus terens, calcans térrea, * Granum purum, excússa pálea, Summi Regis intrat in hórrea. ℣. Vivo Pani morte junctus, vita vivit vita functus.—Granum purum.

Lectio viij.

TOLLITE jugum meum super vos. Tulísti hoc jugum? Tulísti? Sentis te habére sessórem? Tulísti hoc jugum? Dicis, Tuli. Sentis te habére sessórem? Sentis te habére rectórem? Séntio, inquis. Illi ergo dic : Gressus meos dírige secúndum verbum tuum. Regit te sub jugo suo et sub sárcina sua. Ut enim sárcina ejus sit tibi levis et jugum ejus suáve : ille tibi amórem inspirávit. Amánti suáve est, non amánti durum est. Amánti suáve est : Dóminus dedit suavitátem.

℟. viij. De paupertátis hórreo sanctus Francíscus sátiat turbam Christi famélicam, in via ne defíciat : * Iter pandit ad glóriam, et vitæ viam ámpliat. ℣. Pro paupertátis cópia regnat dives in Pátria, reges sibi substítuens, quos hic ditat inópia. — Iter pandit ad glóriam.

Lectio ix.

AN forte, quia venísti áudiens, Veníte ad me : hoc ipsum tibi arrogáre conténdis, quia venísti? Ecce, inquis, veni ad illum arbítrio meo, voluntáte mea. Quia veni, réficit me; quia veni, jugum suum impónit mihi suáve; quia dat amórem, sárcinam suam levem impónit mihi amánti et diligénti. Hæc ómnia fecit in me; sed quia veni ad eum. Ergo hoc sapis, quia venísti : tu tibi hoc præstitísti? Quid enim habes, quod non accepísti? Quómodo venísti? Credéndo venísti, sed nondum pervenísti. Adhuc in via sumus. Vénimus, sed nondum pervénimus. Vis nosse quia et hoc præstitum est tibi? Ipsum audi vocántem : Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum.

℟. ix. Mihi absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : * Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. Ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. — Per quem mihi. Glória. Per quem mihi.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Pater Francísce. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia ut in Festo, servato modo Octavæ diei Solemnis.

DIE V. OCTOBRIS.
B. RAYMUNDI A CAPUA
CONF. ORD. PRÆD.
DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Raymúndum, Confessórem tuum, insígnem perfectiónis evangélicæ magístrum, et Apostólicæ auctoritátis fidélem assertórem esse voluísti : concéde propítius ut ejus exémplo vivéntes in terris, cum ipso coronári mereámur in cælis. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria SS. Placidi ac Sociorum Martyrum. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui hodiérna die beátum Plácidum cum Sóciis suis per martyrii palmam ad regna sidérea sublevásti : concéde propítius ut quod in eórum festivitáte depóscimus, ipsórum intercessióne cónsequi mereámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

RAYMUNDUS Cápuæ prænóbili gente De Víneis anno Dómini círciter millésimo trecentésimo trigésimo natus, a púero morum candóre, religióne et effúsa in Deiparam pietáte cláruit. Ad Prædicatórum famíliam mira ratióne vocátus a beáto Patre Domínico, uti fertur, divínis eruditus est disciplínis, quas mox ipse váriis in locis cum laude trádidit. Inde sacris virgínibus in Monte Politiáno moderátor datus, júvenis licet ætáte, absolútum se exhíbuit sanctitátis magístrum. Romam accítum eum sibi præfecérunt sodáles, qui ad Maríæ supra Minérvam incolébant. At paulo post, homínibus ad virtútem instituéndis únice studére volens, eo múnere se abdicávit. Eximiæ sanctitátis opinióne tunc florébat beáta Catharína Virgo Senénsis, quæ per Cæli Regínam præmónita, ut ipsa scriptis testáta est, Raymúndum conscientiæ árbitrum agendorúmque consiliárium elégit. Eo adjutóre in Ecclésiæ ac civitátis emoluméntum árdua quæque suscépit, et fausto eventu sæpius perfécit, peccatóres ad bonam frugem revocávit, multísque perfectiónis trámitem osténdit.

Lectio v

POST Catharínæ tránsitum Raymúndus, prout ea vivens prædixerat, Prædicatórum Ordinis Magíster creátus, regulárem disciplínam, ob témporum calamitátes inclinátam, in statum prístinum erígere mínime cunctátus est. In plerísque provínciis suo regímini créditis unam alterámve domum destinávit, ubi ad amússim Prædicatórum institúta servaréntur, ut inde accíperent cétera cœnóbia regulá-

ris vitæ magístros, ac demum per totum Ordinem relígio primæva revirésceret. Tam grande opus omni contentióne promóvit, nec labóribus fractus, nec minis aut calúmniis detérritus. Religiosárum legum amántes impénse fovit, a vexántium moléstia prohíbuit, et modo per lítteras, modo per præséntiam in propósito firmávit. Ordinis sui statúta tam apte defendit, ut ea vindicáre deinceps nemo tentáverit, quin Raymúndi commentários potíssime referret. Res quoque a beáta Agnéte de Monte Politiáno sanctíssime gestas posteritáti trádidit, et librum de beátæ Catharínæ Senénsis vita mirábili conscrípsit, ómnium ore celebrátum.

Lectio vj.

NEQUE vero intra domésticos véluti paríetes caritátem suam coarctávit Raymúndus, sed ad totam exténdit Ecclésiam, ádeo quidem, ut nec Gregórius Papa Undécimus, nec ejus successóres Urbánus Sextus et Bonifácius Nonus fideliórem Raymúndo ullum expérti sint adjutórem. Dirum nimis ea ætáte circa Petri Sedem exárserat dissídium, ad quod compescéndum Vir Dei nulli pepércit labóri, nullum non sprevit periculum. Vidére tunc erat a cellæ deliciis frequénter exsulántem, árduis pro legítimo Pontífice legatiónibus deténtum, longis molestísque itinéribus, infírma licet valetúdine, obstrictum, terra marí-que cápite periclitántem, fórtiter demum áspera cuncta perferéntem et honóres sibi oblátos demissíssime recusántem. Nurimbérgæ tandem, cum in Germánia tuéndis Ecclésiæ Románæ júribus simul atque Ordinis sui instauratióni incúmberet, letháli morbo corréptus, placidíssime in Dómino quiévit, anno Salútis millésimo trecentésimo nonagésimo nono, tértio nonas Octóbris. Cujus corpus, perhonorífice in Ecclésia sui Ordinis sepúltum, póstea Neápolim ad S. Domínici Majóris translátum est. Cultum vero beáto Raymúndo statim post óbitum tribútum, nec unquam póstea interrúptum sed auctum magis et dilatátum, Leo Décimus tértius Summus Póntifex ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto ratum hábuit, quinto post óbitum sancti Viri sæculo ad finem vergénte, facta ínsuper facultáte Ordini Prædicatórum, nec non diœcésibus Capuánæ et Senénsi ejus Missam et Officium celebrándi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE VI. OCTOBRIS.

S. BRUNONIS

CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

SANCTI Brunónis Confessóris tui, quæsumus Dómine, intercessiónibus adjuvémur : ut qui majestátem tuam gráviter delinquéndo offéndimus, ejus méritis et précibus, nostrórum delictórum véniam consequámur. Per.

¶ Si festum S. Brunonis propria die celebretur, fiat in

utrisque Vesperis et in Laudibus ejusdem festi Memoria de Octava die S. Michaelis, ut infra post Lectiones iij. Nocturni notatum est, sub titulo Eadem die vj. Octobris.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BRUNO Carthusiánæ Religiónis Institútor, Colóniæ Agrippínæ natus est. Ab ipsis incunábulis spécimen futúræ sanctitátis præferens, morum gravitáte, puerília illíus ætátis, divína favénte grátia, declínans, ádeo excélluit, ut jam inde monachórum Pater vitæque anachoréticæ futúrus instaurátor agnoscerétur. A paréntibus génere ac virtúte claris Lutétiam Parisiórum missus, tantum ibi in philosophíæ ac theologíæ stúdiis profécit, ut doctóris ac magístri munus in utráque facultáte sit adéptus, nec multo post, ob egrégias ipsíus virtútes, Eccléstæ Rheménsis canonicátu potítus.

Lectio v.

ELAPSIS áliquot annis, cum sex áliis familiáribus mundo renúntians, sanctum Hugónem Epíscopum Gratianopolitánum ádiit. Qui causa eórum advéntus cógnita, eosdémque intélligens esse, quos eádem nocte véluti septem stellas ad suos pedes corruéntes in somnis víderat, montes suæ diœcésis aspérrimos, quos Carthusiános appéllant, illis concéssit. Illuc Bruno cum sóciis, ipso Hugóne comitánte, secédens, cum per áliquot annos eremíticam vitam egísset, ab Urbáno Secúndo, qui ejúsdem Brunónis discípulus fúerat, Romam accersítur. Ejus consíliis ac doctrína Póntifex in tot illis Ecclésiæ calamitátibus per áliquot annos usus est, donec Bruno, recusáto Rhegiénsi Archiepiscopátu, discedéndi facultátem obtínuit.

Lectio vj.

IGITUR solitúdinis amóre erémum quamdam apud Squillacum in Calábriæ fínibus pétiit. Quo in loco, cum ipsum orántem Rogérius comes Calábriæ inter venándum, latrántibus ad illíus spelúncam cánibus, reperísset, sanctitáte Viri permótus, illum ac sócios fovére et cólere impénse cœpit. Nec liberálitas sine præmio fuit. Cum enim idem Rogérius Cápuam obsidéret, eúmque Sérgius quidam excubiárum magíster pródere statuísset, Bruno adhuc in dicta erémo vivens, in somnis illi ómnia apériens, ab imminénti perículo cómitem liberávit. Tandem virtútibus ac méritis plenus, nec sanctitáte minus quam doctrínæ fama clarus, obdormívit in Dómino, sepultúsque est in monastério sancti Stéphani ab ipso Rogério constrúcto, ubi háctenus honorífice cólitur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus ex-

spectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. Et réliqua.

Homilía sancti Brunónis Confessóris.

(Ex Serm. 5. de Confessoribus.)

NON possunt álii esse lucérnæ ardéntes, nisi illi qui lumbos præcínctos habent. Lucérnæ quidem esse possunt : ardéntes esse non possunt. Nisi enim ignis inférior exstinguátur, supérior lucére non potest. Inférior ignis luxúria est; supérior vero quis álius, nisi grátia Spíritus sancti? Lucérnæ autem ipsi sunt, qui nisi continéntiam et castitátem habúerint, non lumen et claritátem sed ténebras minístrant et cæcitátem. Cæcus enim si cæcum dúxerit, ambo in fóveam cadunt : Dómini senténtia est. Qui autem lucérna ardens esse vult lumbos præcíngat, continéntiam et castitátem custódiat.

Lectio viij.

SIC enim præcínctos esse opórtet, qui Salomónis custódiunt lectum. Lectus Salomónis est Ecclésia : illíus vidélicet Salomónis, qui ait : Ecce plus quam Sálomon hic. Unde illi bene præcíncti sunt, qui super femur suum, suum gládium habent : illum vidélicet gládium, quo castíssima Judith Holoférnem interfécit. Apóstolus enim non solum Epíscopos et Sacerdótes, verum étiam omnes Christiános, sanctos, castos, et continéntes esse jubet, cum dicit : Qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et, Qui solútus est ab uxóre, non ducat uxórem.

Lectio ix. (Ex Serm. 7.)

SEQUITUR : Beáti servi illi, quos cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes. Si ad últimum advéntum respiciámus, et bonos et malos omnes vigilántes invéniet. Non erit tunc tempus dormiéndi, sive boni sive mali áliquid agéndi, sed solúmmodo timéndi et judícium exspectándi. Ergo dum tempus habémus, cum Apóstolo operémur bonum ad omnes. Hoc est enim vigiláre, in bonis opéribus perseveráre. Illa ánima dormit, immo quasi mórtua jacet, quæ négligens et desidiósa est, et nihil boni operátur. Ille bene vigilábat, qui ait : Média nocte surgébam ad confiténdum tibi. Iste enim non solum vigilábat, sed et vigilándo Deum laudábat.

EADEM DIE VI. OCTOBRIS.

IN OCTAVA S. MICHAELIS.

SIMPLEX.

Ad Memoriam in j. Vesperis Aña. Dum sacrum mystérium cérneret Joánnes, Archángelus Míchael tuba cécinit : Dignus es Dómine Deus noster accípere librum, et sólvere signácula ejus, allelúia.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas, concéde propítius : ut a quibus tibi minístrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Factum est siléntium in cælo, dum draco commítteret bellum : et Míchael pugnávit cum eo, et fecit victóriam, allelúia.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

Oratio Deus, qui miro órdine., pag. 869.

Ad Memoriam in ij. Vesperis Aña. Archángeli Michaélis interventióne suffúlti, te Dómine deprecámur ut quos honóre proséquimur contingámus et mente, allelúia.

℣. Stetit Angelus. et Oratio Deus, qui miro órdine., pag. 869.

DIE VII. OCTOBRIS.

B. MATTHÆI CARRERII

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

EXCITA Dómine in córdibus nostris Crucis et Passiónis amórem : ut beáti Matthæi intercessióne et exémplo, dolórum Christi partícipes efficiámur et glóriæ : Qui tecum vivit.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MATTHÆUS ex nóbili Carreriórum família, piis paréntibus Mántuæ ortus est. Adoléscens Prædicatórum Institútum in pátria amplexus, aspérrimam vitæ ratiónem íniit : quam etsi Superiórum nutu aliquándo mitigáverit, mira tamen fuit, dum vixit, potus cibíque abstinéntia, siléntii item et solitúdinis tenax ádeo, ut quoad lícuit, vix e cella prodíret, ac nonnísi de Deo rebúsque divínis loquerétur. Puritátem ánimi et córporis mirífice cóluit : humilitáte cum primis excélluit, ab ináni glória, quam subtile vítium appelláre consuéverat, vehemènter abhórrens. In divínis láudibus persolvéndis tanto æstuábat pietátis ardóre, ut extra se rapi sæpe viderétur.

Lectio v.

AD apostólicæ prædicatiónis munus, quo ad mortem usque se exércuit, jugi stúdio assiduáque oratióne se comparábat. Ferventíssimus illi animárum zelus, quo gravíssimos peccatóres ad viam salútis revocávit. Proximórum ærúmnis veheménter ádeo commovebátur, ut seípsum in servitútem aliquándo déderit pro vírgine quadam, una cum matre ab iníquo prædóne intercéptis, rediménda : quam ille tamen, eximiam Viri caritátem admirátus, utrámque et illum libertáte donávit.

Lectio vj.

JUGI altissimáque divinárum rerum contemplatióne defíxus, præsértim dum Sacris operarétur, in lácrimas solvebátur. Dolórum Christi, ántequam e vita migráret, párticeps fíeri veheménter optábat, votíque compos efféctus est. Nam cum mente in Domínicam Passiónem erécta, ejus cálicem admovéri sibi enixe flagitáret, cor suum quasi acúta sagítta transfíxum eo sensit

dolóre, ut exánimis pene defíceret. Quo signo horam sibi imminére suprémam præséntiens, Sacraméntis Ecclésiæ devotíssime suscéptis, ac vénia a Superióre humíliter petíta, placidíssime exspirávit, Viglévani in Insúbria, anno Salútis millésimo quadringentésimo septuagésimo. Miráculis statim post mortem inclaréscere et magna frequéntia coli cœpit. Quibus Xystus Quartus permótus, duodécimo ab ejus óbitu anno, ipsíus córporis translatiónem, atque in divínis Offíciis commemoratiónem fíeri indúlsit. Benedíctus vero Décimus quartus ejus Offícium et Missam in Ecclésiis Mantuána et Viglevanénsi atque univérso Prædicatórum Ordine celebrári concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE VIII. OCTOBRIS.

S. BIRGITTÆ

VIDUÆ.

SIMPLEX. Oratio.

DOMINE Deus noster, qui beátæ Birgíttæ per Fílium tuum unigénitum secréta cæléstia revelásti : ipsíus pia intercessióne, da nobis fámulis tuis in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére lætántes. Per eúmdem.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BIRGITTA in Suécia illústribus et piis paréntibus orta, sanctíssime vixit. Cum adhuc in útero gestarétur, a naufrágio propter eam mater erépta est. Decénnis, post audítum de Passióne Dómini sermónem, sequénti nocte Jesum in cruce, recénti sánguine perfúsum, vidit, et de eádem Passióne secum loquéntem. Quo ex témpore in ejúsdem meditatióne ita afficiebátur, ut de ea sine lácrimis cogitáre deínceps nunquam posset.

Lectio v.

ULFONI Neríciæ príncipi in matrimónium trádita, virum ipsum ad pietátis offícia, tum óptimis exémplis, tum efficácibus verbis adhortáta est. In filiórum educatióne piíssima, paupéribus, et máxime infírmis, domo ad id múneris dicáta, inserviébat quam diligentíssime, illórum pedes sólita laváre et osculári. Cum autem una cum viro suo rediret Compostélla, ubi sancti Jacóbi Apóstoli sepúlcrum visitáverant, et Atrébati Ulfo gráviter ægrotáret, sanctus Dionysius Birgíttæ noctu appáruit, et de mariti salúte aliísque de rebus, quæ futúræ erant, prænónuit.

Lectio vj.

VIRO Cisterciénsi mónacho facto, et paulo post defúncto, Birgítta, audíta Christi voce in somnis, arctiórem vitæ formam est aggréssa. Cui deínde arcána multa fuérunt divínitus reveláta. Monastérium Vastanénse sub Régula sancti Salvatóris, ab ipso Dómino accépta, instítuit. Romam Dei jussu venit, ubi plúrimos ad amórem divínum veheménter accéndit. Inde Jerosólymam

pétiit, et íterum Romam. Qua ex peregrinatióne cum in febrim incidísset, grávibus per annum íntegrum afflictáta morbis, cumuláta méritis, prænuntiáto mortis die, migrávit in cælum. Corpus ejus ad Vastanénse monastérium translátum est : et miráculis illústrem Bonifácius Nonus in Sanctórum númerum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito. de Communi unius nec Virginis nec Martyris, pag. 111*.

¶ Si Festum S. Birgittæ in aliqua die infra Octavam SS. Rosarii contigerit, de prædicta Octava in utrisque Vesperis S. Birgittæ fiat Memoria ut pag. 837. notatum est; sic vero fiat in Laudibus :

Ad Memoriam de Octava SS. Rosarii in Laudibus Aña. Speciósa facta est et suávis in delíciis virginitátis sancta Dei Génitrix : quam vidéntes fíliæ Sion vernántem in flóribus rosárum et líliis convállium beatíssimam prædicavérunt, et regínæ laudavérunt eam.

℣ Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix. Oratio.

DEUS cujus Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ præmia comparávit : concéde, quæsumus, ut hæc Mystéria sanctíssimo Rosário beátæ Maríæ Vírginis recoléntes et imitémur quod cóntinent, et quod promittunt assequámur. Per eúmdem.

DIE IX. OCTOBRIS.

SS. DIONYSII EPISCOPI ET SOCIORUM MARTYRUM.

TOTUM DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui hodiérna die beátum Dionysium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus, ex eórum imitatióne pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 17.

STANS autem Paulus in médio Areopági, ait : Viri Athenienses per ómnia quasi superstitiosióres vos vídeo. Prætériens enim, et videns simulácra vestra, invéni et aram, in qua scriptum erat : Ignóto Deo. Quod ergo ignoránte cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus, qui fecit mundum, et ómnia quæ in eo sunt, hic cæli et terræ cum sit Dóminus, non in manufáctis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cum ipse det ómnibus vitam, et inspiratiónem, et ómnia.

Lectio ij.

FECITQUE ex uno omne genus hóminum inhabitáre super univérsam fáciem terræ, defíniens statúta témpora, et términos habitatiónis eórum, quærere Deum si forte attréctent eum, aut invéniant,

quamvis non longe sit ab unoquóque nostrum. In ipso enim vívimus, et movémur, et sumus : sicut et quidam vestrórum poetárum dixérunt : Ipsíus enim et genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debémus æstimáre auro, aut argénto, aut lápidi, sculptúræ artis, et cogitatiónis hóminis, Divínum esse símile.

Lectio iij.

Et témpora quidem hujus ignorántiæ despíciens Deus, nunc annúntiat homínibus ut omnes ubíque pœniténtiam agant, eo quod státuit diem, in quo judicatúrus est orbem in æquitáte, in Viro, in quo státuit, fidem præbens ómnibus, súscitans eum a mórtuis. Cum audíssent autem resurrectiónem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam vero dixérunt : Audiémus te de hoc iterum. Sic Paulus exívit de médio eórum. Quidam vero viri adhæréntes ei, credidérunt : in quibus et Dionysius Areopagíta, et múlier nómine Dámaris, et álii cum eis.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Metaphr. et ex vetustis tum Græcis, tum Latinis monumentis, ab Hilduino Abbate, et Hincmaro Rhemensi Episcopo collectis, et ex Romano Brev.)

Lectio iv.

Dionysius Atheniénsis, unus ex Areopagítis judícibus, vir fuit omni doctrínæ génere instructus. Qui cum adhuc in gentilitátis erróre versarétur, eo die, quo Christus Dóminus cruci affixus est, solem præter natúram defecísse animadvértens, exclamásse tráditur : Aut Deus natúræ pátitur, aut mundi máchina dissólvitur. Sed cum Paulus Apóstolus véniens Athénas, et in Areopágum ductus, ratiónem reddidísset ejus doctrínæ, quam prædicábat, affírmans Christum Dóminum resurrexísse, et mórtuos omnes in vitam reditúros esse : cum álii multi, tum ipse Dionysius in Christum crédidit.

Lectio v.

Itaque et baptizátus est ab Apóstolo, et Atheniénsium Ecclésiæ præféctus. Qui cum póstea Romam venísset, a Cleménte Pontífice missus est in Gálliam prædicándi Evangélii causa. Quem Lutétiam usque Parisiórum Rústicus Présbyter et Eleuthérius Diáconus prosecúti sunt : ubi a Fescénnio præfécto, quod multos ad christiánam religiónem convertísset, ipse, cum Sóciis, virgis cæsus est. Cumque in prædicatióne christiánæ fídei constantíssime perseveráret, in craticulam subjécto igne injícitur, multísque prætérea supplíciis una cum Sóciis cruciátur.

Lectio vj.

Sed ea tormentórum génera ómnibus forti ac libénti ánimo perferéntibus, Dionysius annum agens supra centésimum, cum réliquis secúri percútitur séptimo Idus Octóbris. De quo illud memóriæ próditum est, abscíssum suum caput sustulísse, et progréssum ad duo míllia pássuum in mánibus gestásse. Libros scripsit admirábiles ac plane cæléstes,

de divínis nomínibus, de cæléstі et ecclesiástica hierarchía, de mystica theología, et álios quosdam. Ejus scripta miráculis fuísse illustráta prodúntur.

IN III. NOCTURNO.

Homília in Evangélium Atténdite a ferménto Pharisæórum. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 66*.

DIE X. OCTOBRIS.

S. LUDOVICI BERTRANDI

CONF. ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Quasi meridiánus fulgor consúrget tibi ad vésperam : et cum te consúmptum putáveris, oriéris ut lúcifer. Psalmus Laudáte púeri Dóminum. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Apoc. 14.

VIDI álterum Angelum volántem per médium cæli, habéntem Evangélium ætérnum, ut evangelizáret sedéntibus super terram, et super omnem gentem.

℟. In nómine meo dæmónia ejícient : linguis loquéntur novis : serpéntes tollent : * Et si mortíferum quid bíberint, Non eis nocébit. ℣. Fílios tuos nec dracónum venenatórum vicérunt dentes : quia misericórdia tua advéniens sanábat illos. — Et si mortíferum quid. Glória. Non eis nocébit.

Hymnus.

DUM Ludovíci glória
Corúscat inter sídera,
Fecúnda Sanctórum parens
Det júbilos Valéntia.

IMMO parens Ecclésia
Lætis canóra vócibus
Grates ubíque pérsonet
Pro Núminis cleméntia.

HÆC, Ludovíci párvuli
Primam rigans infántiam,
Prævénit in dulcédine
Lacténtis innocéntiam.

HÆC jugis illi præfuit
Ad usque vitæ vésperam
Armísque pœniténtiæ
Perdúxit ad victóriam.

¶ Infra Oct. SS. Rosarii, ante ultimam Stropham dicatur :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

SIT laus Patri cum Fílio,
Simúlque sancto Flámini :
Laus sit polórum cívibus
In tympanis et cymbalis.
Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Ludovíce. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. O novi Mundi lampas præfúlgida sancte Ludovíce, qui Indis Evangélium Christi nuntiándo Apostolórum glóriæ consors fieri meruísti, semper pius exorátor adsis pro nobis apud Deum, qui te elégit. Oratio.

DEUS, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum, per córporis mortificatiónem et fídei præcónium Sanctórum glóriæ coæquásti : præsta ut quod fide profitémur pietátis opéribus júgiter impleámus. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Jubilémus magno Regi, conditóri sæculórum :* In quo vivit Ludovícus, consors glóriæ Sanctórum.

Hymnus.

NOCTURNA cæli lúmina,
Suspiriórum cónscia,
Quæ Ludovícus ætheri
Mittébat inter vérbera :
PLAGAS cruéntas dícite,
Flagélla, sulcos, vúlnera,
Quæ Sanctus ultro próprium
Vibrábat in corpúsculum.
FLUXIT paviménto cruor,
Cellæ madébat ámbitus,
Postquam supína lígneus
Luxárat ossa léctulus.
SED tunc flagéllis lívidum
Supérna lux circúmdabat :
Divæque binæ débilem
Castis levábant bráchiis.

¶ Infra Oct. SS. Rosarii, ante ult. Stropham dicatur María Mater grátiæ., ut in j. Vesperis.

LAUS et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Et utriúsque Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Tamquam lignum secus decúrsus aquárum, Ludovícus Orbi novo fructum dedit in témpore suo. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68*. et sequentibus.

Aña. Fremuérunt gentes, simulácra cadunt inánia, dum prædicans Indis pandit Christi magnália.

Aña. Non timébat míllia pópuli se circumdántis, non saxa, clavas, jácula, zelus evangelizántis.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.
Lectio j. Cap. 5.

SCIMUS enim quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cælo est, superíndui cupiéntes : si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti : eo quod nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, a vita.

℟. j. Ecce servus meus, suscípiam eum : eléctus meus, complácuit sibi in eo ánima mea : * Dedi spíritum meum super eum. ℣. Bonum est viro, cum portáverit jugum Dómini ab adolescéntia sua. — Dedi spíritum meum super eum.

Lectio ij.

AUDENTES ígitur semper, sciéntes quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur a Dómino : (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem) audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus sive abséntes, sive præséntes placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. ij. Omnis quidem disciplína in præsénti vidétur non esse gáudii, sed mæróris : at póstea * Fructum pacatíssimum reddit exercitátis per eam. ℣. Pósui vestiméntum meum cilícium, et opérui in jejúnio ánimam meam. — Fructum pacatíssimum.

Lectio iij.

SCIENTES ergo timórem Dómini homínibus suadémus, Deo autem manifésti sumus. Spero autem et in consciéntiis vestris maniféstos nos esse. Non íterum commendámus nos vobis, sed occasiónem damus vobis gloriándi pro nobis : ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriántur, et non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo : sive sóbrii sumus, vobis. Cáritas enim Christi urget nos.

℟. iij. Ecce odor fílii mei sicut odor agri pleni, cui benedíxit Dóminus. * Incurvéntur ante te fílii matris tuæ. ℣. Deus odórem notítiæ suæ maniféstat per nos : quia Christi bonus odor sumus Deo. — Incurvéntur ante te. Glória. Incurvéntur ante te.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Scitóte quia Dóminus Sanctum suum mirificávit : invocántis cor húmile in tribulatióne dilatávit.

Aña. Justi clamórem intélligens Rex ætérnæ majestátis, Ludovícum coronávit scuto bonæ voluntátis.

Aña. Dóminus, ut déstruat ultórem et inimícum, perfécit sui nóminis laudem per Ludovícum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Lectio iv.

LUDOVICUS Bertrándus, Valéntiæ in Hispánia Tarraconénsi honéstis piísque paréntibus natus, ab ipsa pene infántia, sanctitátis ac pœniténtiæ tirocínium inchoávit. Exácta puerítia, intérdum nuda cubábat humo, noctes sæpe ducébat insómnes, ac in pietátis et caritátis offícia sédulus incumbébat. Mundi contémptu ac religiósæ vitæ ardóre succénsus, paréntum artes, quibus eum a sancto propósito dimovére conabántur, mira constántia superávit. Sui tandem voti compos efféctus, Prædicatórum Ordini nomen dedit : ubi brevi tantum profécit, ut vel provectióribus ipsis, quamvis tiro, fúerit exémplo. Emíssa professióne, mirum quot et quantis virtútum increméntis priórem vitæ ratiónem cumulárit. Jejúniis, flagéllis, cilíciis vigiliísque carnem domans, mentem jugi oratiónis pábulo nutriébat. Ex quo tantum intérnæ ánimi modéstiæ ac puritátis hauriébat, ut vel in ejus óculis ac vultu appareret.

℟. iv. Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus : grátias ago Deo meo, quod * Omnium vestrum lingua loquor. ℣. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam : in ipsa laudábo eum : apérui os meum, et locútus sum. — Omnium vestrum lingua loquor.

Lectio v.

ADHUC júvenis, novitiórum præféctus institutióni, eos ad omnem verbo et exémplo sanctimóniam efformábat. Ad occidentáles Indos evangélicus prædicátor missus, quamvis uno tantum Hispánico utertur idiómate, eum tamen divérsæ atque inter se díssitæ natiónes, sua véluti loquéntem lingua, singulæ audiébant : ex quibus innúmeros ad christiá-

nam fidem addúxit. Ibíque venénum, non semel sibi a Bárbaris propinátum, innóxie hausit. Públicam vitiórum objurgatiónem, tamquam in se unum diréctam, nóbilis quidam ultúrus, mortem Ludovíco inténtat, cum strictus in eum sclopus in Crucifixi formam repénte convértitur. Quo miráculo nefárius aggréssor permótus, ad sancti Viri pedes provolútus, tanti facínoris véniam eníxe deprecátur.

℟. v. Annuntiávit in géntibus, et auditum fecit : levávit signum Crucis in pópulis : confúsa sunt sculptília, * Superáta sunt idóla eórum. ℣. Quod ergo tu signum facis ut videámus, et credámus tibi? — Superáta sunt idóla eórum.

Lectio vj.

HUMILITATE ac patiéntia insígnis, illud idéntidem usurpábat : Dómine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in ætérnum parcas. Prophético afflátus spíritu, multa prædíxit. Ignem signo Crucis extínxit, tempestátem sedávit, ferárum ímpetus cohíbuit, mórtuis vitam, cæcis visum, claudis gressum, surdis réddidit auditum. Tandem durióris pœniténtiæ labóribus fractus, in morbum incidit, sacrísque mystériis rite expiátus, migrávit in cælum, séptimo Idus Octóbris, anno millésimo quingentésimo octogésimo primo, ætátis vero suæ quinquagésimo quinto. Quem, multis étiam post óbitum miráculis clarum, Paulus Quintus Beatórum, Clemens vero Décimus Sanctórum número adscrípsit. Ejus demum festum Alexánder Octávus, instánte rege Cathólico, ab univérso ditiónis ipsíus Clero sæculári sub ritu Dúplici celebrándum decrévit, sanctúmque Confessórem Novi regni Granaténsis Patrónum Apostólica auctoritáte declarávit.

℟. vj. Castígo corpus meum, et in servitútem rédigo : * Ne forte cum áliis prædicáverim, ipse réprobus efficiar. ℣. Dómine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in ætérnum parcas. — Ne forte. Glória. Ne forte.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Ingréssus sine mácula et operátus justítiam, in montis tabernáculo jam póssidet lætítiam.

Aña. In benedictiónibus dulcédinis prævéntus, nunc cordis desidério perfrúitur conténtus.

Aña. In dolo jurávit némini, cavens a culpárum sorde : ascéndit in montem Dómini, innocens mánibus et mundo corde.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 29. in Evang. post initium.)

POTEST omnis creatúræ nómine, omnis nátio géntium designári. Ante étenim dictum fúerat, In viam géntium ne abiéritis; nunc autem dícitur :

Prædicáte omni creatúræ. Ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. vij. Consiliátus sum ut fácerem sapiéntiam, et in faciéndo eam confirmátus sum : * Zelátus sum bonum, et non confúndar. ℣. Si adhuc homínibus placérem. Christi servus non essem. — Zelátus sum.

Lectio viij.

NEQUE étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur : Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. viij. Non perímus, semper mortificatiónem Jesu circumferéntes, * Ut et vita Jesu manifestétur in córpore nostro. ℣. Da mihi Dómine ut ego móriar pro te, sicut tu dignátus es mori pro me. — Ut et vita.

Lectio ix.

SIGNA autem eos, qui credíturi sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient : linguis loquéntur novis : serpéntes tollent : et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, minime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse vidémus; et si semel radícem fixerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

℟. ix. Indue te decóre ejus, quæ a Deo tibi est, sempitérnæ glóriæ : Deus enim osténdet splendórem suum in te, et impónet mitram cápiti * Honóris ætérni. ℣. Conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia : ut cantet tibi glória mea. — Honóris ætérni. Glória. Honóris ætérni.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Ludovíce. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Mirábilem in altis Dóminum Ludovíce dum affáris, repénte silent mirábiles elatiónes maris. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. In tali Servo Dóminum

laudent grandes et pusílli : átria ejus in hymnis confitémini illi.

3. Ad te de luce vígilans sitívit ánima ejus, suspírans et ingéminans : O Deus, Deus meus!

4. Carmen trium Puerórum flamma camini tímuit : flammas quoque vi signórum Ludovícus cohíbuit.

5. Ignis, grando, nix, bélluæ spirítúsque procellárum sæpe non ausa tángere Ludovícum Deo carum.

Capitulum. Apoc. 14.

VIDI álterum Angelum volántem per médium cæli, habéntem Evangélium ætérnum, ut evangelizáret sedéntibus super terram, et super omnem gentem.

Hymnus.

EN Ludovíci láudibus
Auróra laxat púrpuram :
Nox atra condit pállium,
Festívus albéscit dies.

SIC Ludovícus Indiis
Noctis tenébras díspulit,
Idóla fregit, et Cruce
Stitit feróces tígrides.

BIS ob fidem sævíssimi
Hausit venéni pócula :
Sedávit undas æquoris,
Igníque fixit límitem.

HEROICIS virtútibus
Idéa factus Ordini :
Efflans ad astra spíritum
Exhálat ore lúmina.

¶ Infra Oct. SS. Rosarii, ante ultimam Stropham dicatur :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

SIT Trinitáti júgiter
Laus et perénnis glória,
Quæ Ludovíci fúlgida
Respléndet in victória. Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. Dóminus Deus Israel visitávit plebem suam in terris Indiárum, mittens ei Púerum suum, qui præíret ante fáciem Dómini paráre vias ejus. Oratio.

DEUS, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum, per córporis mortificatiónem et fídei præcónium Sanctórum glóriæ coæquásti : præsta ut quod fide profitémur pietátis opéribus júgiter impleámus. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Vidi álterum Angelum., ut in Laudibus.

¶ ℟℟. et ℣℣. Horarum de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 12.

TAMETSI nihil sum : signa tamen Apostolátus mei facta sunt super vos in omni patiéntia, in signis, et prodígiis, et virtútibus.

AD NONAM.

Capitulum. Rom. 1.

PRO Jesu Christo accépimus grátiam, et Apostolátum ad obediéndum fídei in ómnibus Géntibus, in quibus estis et vos vocáti Jesu Christi.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Mirábilem in altis Dóminum Ludovíce dum affáris, repénte silent mirábiles elatiónes maris. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Capitulum Vidi álterum Angelum., Hymnus Dum Ludovíci glória. et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis, pag. 874.

Ad Magnificat Aña. Respéxit Dóminus humilitátem Servi sui, per quem esuriéntes Indos implévit bonis : et ex hoc beátum hunc dicent omnes generatiónes.

PER OCTAVAM.

Ad Benedictus, vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Laudábit ánimam suam, et in Deo honorábitur : in multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedíctos benedicétur.

Oratio.

DEUS, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum, per córporis mortificatiónem et fídei prædcónium Sanctórum glóriæ coæquásti : præsta ut quod fide profitémur pietátis opéribus júgiter impleámus. Per.

Ad Magnificat, vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Dóminus Deus ejus erat cum eo, et magnificávit eum in excélsum : confortátus est in regno suo.

UNICA DIE INFRA OCTAVAM.

(Ex Bulla canonizationis.)

Lectio iij.

CETERAS inter virtútes, quibus sancti Ludovíci mentem ornáverat Deus, summa fulsit humílitas, qua se ómnium in virtútibus mínimum, in peccátis máximum prædicábat. Ab inferióribus atque ab ipsis novítiis de própriis defectibus admónitus, nedum grato ánimo excipiébat, sed seípsum probris ac convíciis onerábat. Summo ánimi dolóre, dum ab áliis honóre exciperétur, afficiebátur. Si quem vel léviter læsísse timuisset, genufléxus véniam rogábat. In ipsis étiam favóribus cælestibus divinísque revelatiónibus, própriæ semper infirmitátis sensu detinebátur.

IN OCTAVA S. LUDOVICI BERTRANDI.

SIMPLEX.

AD I. VESPERAS.

Capitulum, Hymnus, ℣., Antiphona ad Magnificat et Oratio ut in j. Vesperis Festi, pag. 874.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus ut in Festo.

¶ In tribus Nocturnis omnia ut in Festo, præter hic posita.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Bulla Canonizationis.)

Lectio iv.

APOSTOLICO zelo succénsus beátus Ludovícus, ad occidentáles Indos, repugnántibus licet frátribus et amícis, iter arrípuit, quod non absque miráculo confécit. Précibus a Deo obtínuit ut pátria lingua usus, ab Indis sine intérprete intelligerétur. Vigílias, sitim, famem, æstum et frígora in hoc ministério ferens, plúrimos vocávit ad fidem. Visus est sæpius in itínere a via secédens duris se flagéllis cædere. Feras sibi óbvias signo Crucis mansuefécit: Stérilem árborem

moménto pomíferam fecit, fontémque ex radíce ejus elícuit.

Lectio v.

TUBARAM a Superióribus missus, ut gentes illas Dei cognitióne imbúeret et sacris initiáret, eórum ómnium infidélium conversiónem fusis ad Deum précibus obtínuit. Dæmonem, ibi mentíto hábitu eum a sancto ministério dehortántem, detéxit ac dedit in fugam. Idolórum lucos succéndit, státuas commínuit, profános sacerdótes sacro baptísmate tinxit. Tanta apud bárbaros illos grátia et auctoritáte váluit, ut furéntes illos sola præséntia sedárit; iíque vicíssim abeúntem illum amarissime fléverint.

Lectio vj.

IN cœnóbio Valéntiæ Superiórum jussu, invítus licet, Prior constitútus, in cella sancti Vincéntii Ferrérii, régimen ipsi comméndans, ab ejus imágine, coram qua genufléxus orábat, se inclinánte méruit amplexu honorári. Ut studiórum exercítia accuráte perficeréntur, sédulo invigilábat; cúpiens Religiósos in sanctis aut erudítis exercitatiónibus semper occupári : eorúmque propterea e claustro éxitum urgénte dumtáxat necessitáte permittébat. Ostio cubículi sui Apostólicam illam senténtiam, cujus observantíssimus fuit, inscríbi vóluit : Si homínibus placérem, servus Christi non essem.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Dominicæ. Si vero jam lecta fuerit, Homilia ut in Festo, pag. 877.

DIE XI. OCTOBRIS.

S. LEODEGARII

EPISCOPI ET MARTYRIS.

MEMORIA IN I. VESPERIS ET LAUDIBUS.

Oratio.

LÆTETUR Ecclésia tua Deus, beáti Leodegárii Mártyris tui atque Pontificis confísa suffrágiis : atque ejus précibus gloriósis et devóta permáneat, et secúra consístat. Per.

DIE XII. OCTOBRIS.

B. JACOBI AB ULMA

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Jacóbum, Confessórem tuum, humilitátis et obediéntiæ virtúte mirabíliter decorásti : ejus intercessióne fac nos terréna despícere, et mandátis tuis júgiter inhærére. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JACOBUS, Ulmæ in Germánia ex honésta família natus, a patre pie sanctéque educátus, in deliciis habébat conciónes adíre divinísque Offíciis interésse. Adoléscens, annuénte patre, Romam pétiit, ut própius Príncipis Apostolórum et tot Christi athletárum certámine loca illustrióra contemplarétur. In pátriam rédiens, ubi primum Bonóniam pervénit, divíno consílio factum est ut præ céteris ecclésiam

Ordinis Prædicatórum oratúrus potíssime ingrederétur, ibíque paulátim patris patriæque oblivíscens, Religiónis sancti Domínici hábitum assúmere constítuit. Lítteris licet mediócriter erudítus esset, tamen ob exímiam suam humilitátem ex eórum número esse vóluit, qui Convérsi nuncupántur.

Lectio v.

In Religióne cooptátus, contínuo se totum Deo mancipávit, nec quidquam omísit, quod ad verum illíus cultórem pertinéret. Ita demísse de se sentiébat, ut quamvis perfectióne némini secúndus, ántequam solémnia vota emítteret, ad singulórum génua provolútus, supplíciter ne suis offénsi crimínibus ab eórum consórtio repéllerent flagitávit. Quæ autem profiténdo promíserat, tam constánter servábat, ut mirábile ómnibus obediéntiæ, paupertátis ac patiéntiæ exémplar foret. Pudicítiam jejúniis, vigíliis, oratiónibus perpétuo custodívit. Servatóris cruciátus et acerbíssimam mortem multis cum lácrimis contemplabátur : pro vivis ac pro defúnctis assídue preces Deo fundébat. Nihil putábat jucúndius quam ægrotántibus in monastério inservíre.

Lectio vj.

Ut sui Ordinis leges implére-ret, perpétuum ótio bellum indíxit. Ad tantum ígitur sanctitátis gradum pervénit, ut cæléstibus donis cumulári merúerit. Tandem gravíssimis dolóribus patiénter tolerátis, octuagenário major, præséntiens suæ peregrinatiónis finem advenire, Ecclésiæ Sacraméntis piíssime suscéptis, mánibus pedibúsque a semetípso decénter compósitis, felícem efflávit ánimam. Ingens factus est populórum concúrsus ad illíus venerándum corpus, quod separáto in loco tumulátum fuit, et multis claruísse miráculis fertur : unde factum est ut indeficiéntem cultum obtinúerit. Quem, ad hæc usque témpora nunquam intermíssum, Leo Duodécimus Póntifex Máximus ex sacrórum Rituum Congregatiónis consúlto probávit, atque in univérso Prædicatórum Ordine ac diœcési Bononiénsi Offícium recitándi et Missam celebrándi potestátem fecit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XIII. OCTOBRIS.

S. EDUARDI REGIS CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

Deus, qui beátum regem Eduárdum, Confessórem tuum, ætérnitátis glória coronásti : fac nos, quæsumus, ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre possímus in cælis. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Eduardus, cognoménto Conféssor, nepos sancti Eduárdi regis et Mártyris, Anglo-Sáxonum regum últimus, quem futúrum regem Brithuáldo viro sanctíssimo in

mentis excéssu Dóminus demonstrávit, decénnis a Danis Angliam vastántibus quæsítus ad necem, exsuláre cógitur apud avúnculum Normánniæ ducem, ubi in médiis vitiórum illécebris talem se exhíbuit integritáte vitæ morúmque innocéntia, ut ómnibus admiratióni esset. Elúxit in eo vel tum mira píetas in Deum ac res divínas, fuítque ingénio mitíssimo, atque ab omni dominándi cupiditáte aliéno; cujus ea vox fertur, Malle se regno carére, quod sine cæde et sánguine obtinéri non possit.

Lectio v.

EXSTINCTIS mox tyránnis, qui frátribus suis vitam et regnum eripúerant, revocátur in pátriam : ubi summis ómnium votis et gratulatióne regno potitus, ad hostílium irárum delénda vestígia totum se convértit, a sacris exórsus ac divórum templis, quorum ália a fundaméntis eréxit, ália refécit, auxítque redítibus ac privilégiis; in eam curam potíssimum inténtus, ut reflorésceret collápsa relígio. Ab aulæ procéribus compúlsum ad núptias, constans est assértio scriptórum, cum vírgine sponsa virginitátem in matrimónio servásse. Tantus in eo fuit in Christum amor et fides, ut illum aliquándo inter Missárum solémnia vidére merúerit blando vultu et divína luce fulgéntem. Ob profúsam caritátem, orphanórum et egenórum pater passim dicebátur, nunquam lætior quam cum régios thesáuros exhausísset in páuperes.

Lectio vj.

PROPHETIÆ dono illústris, de Angliæ futúro statu multa cælitus prævídit, et illud in primis memorábile, quod Sweyni Danórum regis in mare demérsi mortem, dum Angliam invadéndi ánimo, classem conscénderet, eódem, quo áccidit, moménto, divínitus intelléxit. Joánnem Evangelístam mirífice cóluit, nihil cuíquam, quod ejus nómine peterétur, negáre sólitus. Cui olim sub lácera veste suo nómine stipem roganti, cum nummi deéssent, detráctum ex dígito ánulum porréxit, quem Divus non ita post multo Eduárdo remísit, una cum núntio secutúræ mortis. Quare rex, indíctis pro se précibus, ipso ab Evangelísta prædícto die piíssime óbiit, Nonis vidélicet Januárii, anno Salútis millésimo sexagésimo sexto : quem sequénti sæculo Alexánder Papa Tértius miráculis clarum Sanctórum fastis adscrípsit. At ejus memóriam Innocéntius Undécimus Offício público per univérsam Eccléstam eo die celebrári præcépit, quo, annis ab óbitu sex et trigínta, translátum ejus corpus incorrúptum et suávem spirans odórem repértum est.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

(Ex lib. 8. in Lucam.)

BONUS ordo, ut vocatúrus Gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc præmítteret comparatiónem, ne dicerétur, Nihil déderat pópulo Judæórum, unde mélior póterat fíeri : ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non mediocris ista est mna, quam supra múlier evangélica, quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam. Dénique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus : ille duplícia, id est mystica Legis, et morália probitátis.

Lectio viij.

ET hic póssumus decem mnas, decem verba intellígere, id est Legis doctrínam : quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legisperítum in ómnibus volo esse perféctum. Non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt, non útique æris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniæ fénebris, ália doctrínæ cæléstis usúra. Cum Dóminus dicit, Quare non dedísti pecúniam meam ad mensam? non nostræ, sed suæ pecúniæ quærit usúram. Unus in terra abscondísse se dicit : quod ratiónem, quæ ad imáginem Dei data est nobis, stúdio voluptátis óbruit, et tanquam in fóvea carnis abscóndit.

Lectio ix.

DE áliis silétur, qui, quasi pródigi debitóres, quæ acéperant perdidérunt. In duóbus illis pauci sunt, qui per duas vices ad cultóres víneæ destináti sunt : in réliquis omnes Judæi. Quam comparatiónem Matthæus étiam nobis vóluit aptáre : quod simíliter ut dives, qui pecúniam suam non impártit paupéribus, ita étiam qui doctrínæ suæ grátiam non dividit imperítis, docére cum possit, haud mediocris reus est culpæ. Civitátes autem quinque esse quæ possunt, nisi forte ánimæ, quibus jure præpónitur, qui pecúniam Dómini, et illa elóquia casta probáta sicut argéntum méntibus hóminum feneráverit?

DIE XIV. OCTOBRIS.

B. MAGDALENÆ DE PANATERIIS VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui néminem in te sperántem déseris, et pie deprecántem misericórditer exáudis : tríbue, quæsumus, ut quod nostris méritis non valémus beátæ Magdalénæ Vírginis patrocínio consequámur. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Callisti Papæ et Martyris. Oratio.

DEUS, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere, ad amórem tuum nos misericórditer per Sanctórum tuórum exémpla restáura. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MAGDALENA, honésta stirpe de Panatériis Tridíni diœcésis Vercellénsis orta circa medietátem sæculi décimi quinti, spécie córporis et ánimi amábilis appáruit. Cæléstibus donis prævénta, ómnia perícula declinávit, unde vitæ sanctimóniam ac innocéntiam maculáre posset. Nam luxum, sæculi consórtium, linguæ excéssus, liberámque oculórum vagatiónem cohíbuit; quapróptter nihil mirum, si adhuc puélla virginitátem suam Deo vóverit. Inter Soróres póstmodum de Pœniténtia Ordinis sancti Domínici, ut enixe postuláverat, adscrípta, seráphicæ Catharínæ Senénsis áspera premens vestígia, jejúniis, vigíliis, assíduis precatiónibus, flagéllis, patiéntia, humilitáte ac mansuetúdine dignam se divínis núptiis efformáre stúduit. Cibi ac somni parcíssima, in oratióne ac cæléstium rerum meditatióne ita defíxa erat, ut aliquándo in iis contemplándis íntegras noctes dúceret insómnes. Christi Passióne fervénter affécta, Sponsi sui dolórum párticeps fieri méruit. Sanctíssimum Jesu Nomen summa religióne venerabátur, sólita quotídie ad sacram mensam accédere.

Lectio v.

CARITATE in próximum excéllens, mendícos quacúmque póterat ope juvábat, seípsam oblíta, modo eórum necessitátibus non deésset. Infírmos étiam sédulo invísens, eísque summa diligéntia insérviens, et verbo et ópere ad patiéntiam incitátos consolabátur. Cum die quodam se illi obtulísset Dóminus, uti tráditum est, stricto fúlmine Itáliam eversúrus, ab eo illud obtínuit, ut Tridinénsi saltem óppido indulgéret. Salútis animárum sancti Patris sui Domínici instar sitientíssima, non semel ímpios ad pœniténtiam ferventíssimis exhortatiónibus addúxit, quos inter quemdam géneris nobilitáte claríssimum précibus Deo comméndans, in virum álterum repénte mutávit.

Lectio vj.

PROPHETICO donáta spíritu, bella et calamitátes Itáliæ impendéntes divína revelatióne præscivísse fertur; mortem quoque suam triénnio ante sibi cælitus revelátam novit. Ætáte demum confécta, ac bonis opéribus cumuláta, divínis munita Sacraméntis, et Deum pro Ordine Prædicatórum proque dilectíssima sua pátria votis ómnibus deprecáta, dum Psalmum Davídicum, In te Dómine sperávi, jam ad extrémum recitáret, in illis verbis, In manus tuas comméndo spíritum meum, placidíssime, anno millésimo quingentésimo tértio, obdormívit in ósculo Dómini. Sacrum ejus cadáver tríduo insepúltum suavíssimum semper efflávit odórem. Multis claruísse miráculis vétera monuménta testántur. Ab ipso statim óbitu cultu religióso donáta est, conveniéntibus ad aram ipsíus nómine Deo dicátam ómnium órdinum viris,

tamquam ad tutíssimum pátriæ asylum. Quem cultum, nunquam intermíssum sed pótius propagátum, Leo Duodécimus Póntifex Máximus ex sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto probávit, utque quotánnis beátæ Magdalénæ memória Offícii recitatióne et Missæ celebratióne fíeret, univérso Prædicatórum Ordini ac Vercellénsi diœcési potestátem fecit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE XV. OCTOBRIS.

S. TERESIÆ VIRGINIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Zelo zeláta sum pro honóre sponsi mei Jesu Christi, qui dixit mihi : Ut vera sponsa meum zelábis honórem. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145*.

Capitulum. Sap. 7.

OPTAVI, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

℟. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. — Quem vidi. Glória. In quem crédidi.

Hymnus.

REGIS supérni núntia,
Domum patérnam déseris,
Terris Terésa bárbaris
Christum datúra aut sánguinem.

SED te manet suávior
Mors, pœna poscit dúlcior :
Divíni amóris cúspide
In vulnus icta cóncides.

O CARITATIS víctima,
Tu nostra corda cóncrema,
Tibíque gentes créditas
Avérni ab igne líbera.

SIT laus Patri cum Fílio,
Et Spíritu Paráclito,
Tibique sancta Trínitas,
Nunc, et per omne sæculum.
Amen.

℣. Oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui. ℟. Et concupíscet Rex decórem tuum.

Ad Magnificat Aña. Quæsívi in sponsam mihi eam assúmere : doctrix enim est disciplínæ Dei et eléctrix óperum illíus.

Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ Terésiæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita cæléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, et piæ devotiónis erudiámur affectu. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Vírginum Dóminum * Veníte adorémus.

Hymnus Regis supérni núntia., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum sicut vírgula

fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? Psalmi de Communi unius Virginis, pag. 88*. et sequentibus.

Aña. En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera amíca mea, colúmba mea, et veni.

Aña. Revértere, revértere Sunamítis : revértere, revértere, ut intueámur te.

℣. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis.
℟. Ut non confúndar.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 7.

OPTAVI, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis, et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum, quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem, et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam : quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætáta sum in ómnibus : quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus : quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

℟. j. Habitábit in solitúdine judícium, et justítia in Carmel sedébit. Et erit opus justítiæ pax : * Et cultus justítiæ siléntium, et secúritas usque in sempitérnum. ℣. Et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, et in tabernáculis fidúciæ. — Et cultus justítiæ siléntium.

Lectio ij.

OMNIUM enim ártifex dócuit me sapiéntia. Est enim in illa spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, subtílis, disértus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benignus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, et qui cápiat omnes spíritus : intelligíbilis, mundus, subtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia : attíngit autem ubíque propter suam mundítiam. Vapor est enim virtútis Dei, et emanátio quædam est claritátis omnipoténtis Dei sincéra : et ídeo nihil inquinátum in eam incúrrit. Candor est enim lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. Et cum sit una, ómnia potest : et in se pérmanens, ómnia ínnovat, et per natiónes in ánimas sanctas se transfert, amícos Dei, et prophétas constítuit.

℟. ij. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Lectio iij. Cap. 7. et cap. 8.

NEMINEM enim díligit Deus nisi eum, qui cum sapiéntia inhábitat. Est enim hæc speciósior sole, et super omnem dispositiónem stellárum, luci compará ta invenítur prior. Illi enim succédit nox, sapiéntiam autem non vincit malítia. Attíngit ergo a fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi, et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus glorificat, contubérnium habens Dei : sed et ómnium Dóminus diléxit illam. Doctrix enim est disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus. Et si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur : quis horum, quæ sunt, magis quam illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit : labóres hujus magnas habent virtútes : sobrietátem enim, et prudéntiam docet, et justítiam, et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

℟. iij. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam, * Quia deínceps, ut vera sponsa, meum zelábis honórem. ℣. Sponsábo te mihi in justítia et judício, et in misericórdia et miseratiónibus. — Quia deínceps. Glória. Quia deínceps.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Vidi Dóminum, qui dedit corónam decóris in cápite meo.

Aña. Induit me Génitrix Dómini vestiméntis salútis, et datum est mihi ut coopériar byssino splendénti et cándido.

Aña. Ego autem in Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Jesu meo.

℣. Sitivit in te ánima mea. ℟. Quam multipliciter tibi caro mea.

Lectio iv.

TERESIA Virgo nata est Abulæ in Hispánia paréntibus tum génere tum pietáte præcláris. Ab iis divíni timóris lacte educáta, admirándum futúræ sanctitátis in tenérrima adhuc ætáte spécimen dedit. Nam cum sanctórum Mártyrum acta perlégeret, ádeo in ejus meditatióne sancti Spíritus ignis exársit, ut domo aufúgiens in Africam trajíceret, ubi vitam pro glória Jesu Christi et animárum salúte profúnderet. A pátruo revocáta, ardens martyrii desidérium eleemósynis aliísque piis opéribus compensávit : júgibus lácrimis deplórans óptimam sibi sortem fuísse præréptam. Mórtua matre, cum a beatíssima Vírgine péteret ut se matrem esse monstráret, pii voti compos effécta est, semper perínde ac fília patrocínio Deíparæ pérfruens. Vigésimum ætátis annum agens, ad moniáles sanctæ Maríæ de Monte Carmélo se cóntulit. Ibi per duodevigínti annos gravíssimis morbis et váriis tentatiónibus vexáta, constantíssime méruit in castris christiánæ pœniténtiæ, nullo refécta pábulo cæléstium eárum consolatiónum, quibus solet étiam in terris sánctitas abundáre.

℟. iv. Dixit mihi Dóminus meus : Ne tímeas fília : * Non

rápiet te quisquam de manu mea. ℣. Neque mors, neque vita, neque creatúra ália poterit me separáre a caritáte Dei. — Non rápiet te quisquam de manu mea.

Lectio v.

ANGELICIS ditáta virtútibus, non modo própriam, sed públicam étiam salútem sollícita caritáte curávit. Quare severiórem véterum Carmelitárum Régulam, Deo afflánte, et Pio Quarto approbánte, primum muliéribus, deínde viris observándam propósuit. Efflóruit in eo consílio omnípotens miseréntis Dómini benedíctio. Nam duo supra trigínta monastéria inops Virgo pótuit ædificáre, ómnibus humánis destitúta auxíliis, quinímmo adversántibus plerúmque sæculi princípibus. Tantum opus perfécit subsídio Prædicatórum adjúta, quibus plúrimis doctrína et sanctitáte præcláris usa est a confessiónibus, consíliis spiritualíque regímine. Cælésti visióne sancti Patris Domínici recreáta in Ecclésia Prædicatórum Segobiénsi, dein lítteris sancti Ludovíci Bertrándi de sancti labóris successu præmónita, demum a sancto Pio Quinto singulariter protécta est. Infidélium et hæreticórum ténebras perpétuis deflébat lácrimis, atque ad placándam divínæ ultiónis iram voluntários próprii córporis cruciátus Deo pro eórum salúte dicábat. Tanto autem divíni amóris incéndio cor ejus conflagrávit, ut mérito víderit Angelum ignito jáculo sibi præcórdia transverberántem, et audíerit Christum, data déxtera, dicéntem sibi : Deínceps ut vera sponsa meum zelábis honórem. Eo consiliánte, máxime árduum votum emísit efficiéndi semper quidquid perféctius esse intelligeret. Multa cæléstis sapiéntiæ documénta conscrípsit, quibus fidélium mentes ad supérnæ Pátriæ desidérium máxime excitántur.

℟. v. Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis, * Et induménto justítiæ circúmdedit me. ℣. Quasi sponsam decorátam coróna, et quasi sponsam ornátam monílibus suis. — Et induménto justítiæ circúmdedit me.

Lectio vj.

CUM autem assídua éderet exémpla virtútum, tam ánxio castigándi córporis desidério æstuábat, ut quamvis secus suadérent morbi, quibus afflictabátur, corpus cilíciis, caténis, urticárum manípulis, aliísque aspérrimis flagéllis sæpe cruciáret, et aliquándo inter spinas volutáret, sic Deum álloqui sólita : Dómine, aut pati, aut mori : se semper misérrima morte pereúntem exístimans, quámdiu a cæléstis ætérnæ vitæ Fonte abésset. Prophetíæ dono excélluit : eámque divínis charismátibus tam liberáliter locupletábat Dóminus, ut sæpius exclámans péteret benefíciis in se divínis modum impóni, nec tam céleri oblivióne culpárum suárum memóriam aboléri. Intolerábili ígitur divíni amóris incéndio, pótius quam vi morbi, Albæ cum decúmberet, prænuntiáto suæ mortis die,

ecclesiásticis Sacraméntis munita, alúmnos ad pacem, caritátem et regulárem observántiam adhortáta, sub colúmbæ spécie puríssimam ánimam Deo réddidit, annos nata sexagínta septem, anno millésimo quingentésimo octogésimo secúndo, Idibus Octóbris juxta Kalendárii Románi emendatiónem. Ei moriénti adésse visus est inter Angelórum ágmina Christus Jesus : et arbor árida cellæ próxima statim efflóruit. Ejus corpus usque ad hanc diem incorrúptum, odoráto liquóre circumfúsum, pia veneratióne cólitur. Miráculis cláruit ante et post óbitum, eámque Gregórius Décimus quintus in Sanctárum número rétulit.

℟. vj. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi : *Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea Regi. — Quem vidi. Glória. In quem crédidi, quem diléxi.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Glória Líbani data est ei, decor Carméli et Saron : ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri.

Aña. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Aña. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus.

℣. Deus præcínxit me virtúte. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli, et terræ : quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Ex libr. 7. in Luc. cap. 10. prope finem.)

APERITUR cæléste mystérium, quod placúerit Deo ut párvulis magis quam prudéntibus istíus mundi suam grátiam reveláret. Quod Apóstolus Paulus stylo plenióre digéssit, dicens : Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quóniam in Dei sapiéntia non cognóvit hic mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Párvulum ergo accipiámus, qui se exaltáre non nóverit, et phalerátis sermónibus artem suæ jactáre prudéntiæ : quod philósophi plerique fáciunt.

℟. vij. Habitáre fecit eam Deus stérilem in domo, * Matrem filiórum lætántem. ℣. Cibávit eam pane vitæ et intellectus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illam. — Matrem filiórum lætántem.

Lectio viij.

PARVULUS erat, qui dixit, Dómine, non est exaltátum cor meum, neque eláti sunt óculi mei : neque ambulávi in magnis, neque in mirabílibus super me. Et ut scires párvulum hunc non ætáte, non sensu fuísse, sed humili-

táte sui et quadam declinatióne jactántiæ, áddidit : Sed exaltávi ánimam meam. Vides quam excélsus fúerit hic párvulus, quanto virtútum sublímis vértice. Tales nos párvulos vult esse Apóstolus, cum dicit : Si quis vidétur sápiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sápiens. Sapiéntia enim hujus mundi stultítia est apud Deum.

℟. viij. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri : quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, ídeo et manus Dómini confortábit te, * Et eris benedícta in ætérnum. ℣. Surrexérunt fílii tui, et beatíssimam prædicavérunt. — Et eris benedícta in ætérnum.

Lectio ix.

PULCHERRIMUS connéctitur de fide locus, quando ómnia sibi trádita dicit a Patre suo. Cum Omnia legis, Omnipoténtem agnóscis, non decolórem, non degénerem Patris. Cum Trádita legis, Fílium confitéris, cui per natúram ómnia uníus substántiæ jure sint própria, non dono collláta per grátiam. Addidit : Nemo scit quis est Fílius, nisi Pater : et quis est Pater, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Ut scias autem quia, sicut Fílius Patrem quibus vult revélat, étiam Pater revélat quibus vult Fílium : audi dicéntem ipsum Dóminum Jesum, cum laudáret Petrum quod eum Fílium Dei esse conféssus sit : Beátus es Simon Bar Jona, quia non caro et sanguis revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.

℟. ix. Super salútem et spéciem diléxi sapiéntiam, et propósui pro luce habére illam : * Quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. ℣. Lætáta sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia. — Quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Glória. Quóniam inexstinguíbile est lumen illíus.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta Terésia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Hæc est Virgo sápiens, et una de número prudéntum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

3. Sitívit in te Dómine ánima Sponsæ tuæ, et lætáta est in his quæ dicta sunt illi.

4. Trahe me : post te in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

5. Lætáre Terésia in eo qui te fecit : quóniam benedíxit Dóminus fíliis tuis, et ádipe fruménti sátiat te.

Capitulum. Sap. 7.

OPTAVI, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

Hymnus.

HÆC est dies qua, cándidæ
Instar colúmbæ, cælitum
Ad sacra templa spíritus
Se tránstulit Terésiæ,

SPONSIQUE voces áudiit :
Veni soror de vértice
Carméli ad Agni núptias,
Veni ad corónam glóriæ.
TE Sponse Jesu vírginum
Beáti adórent órdines,
Et nuptiáli cántico
Laudent per omne sæculum.
Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Benedictus Aña. Dedit ei Dóminus sapiéntiam et prudéntiam multam nimis et latitúdinem cordis, quasi arénam quæ est in líttore maris.

Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ Terésiæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita cæléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, et piæ devotiónis erudiámur affléctu. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Optávi., ut in Laudibus.

℟. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea, * Allelúia, allelúia. Tibi dixit. ℣. Fáciem tuam Dómine requíram. Allelúia. Glória. Tibi dixit.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 7.

SUPER salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam : quóniam inexstinguíbile est lumen illíus.

℟. Anima mea exsultábit in Dómino, * Allelúia, allelúia. Anima mea. ℣. Et delectábitur super salutári suo. Allelúia. Glória. Anima mea.

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ. ℟. Dicam Deo : Suscéptor meus es.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 7.

VENERUNT autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætáta sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia.

℟. Apud me orátio Deo vitæ meæ,* Allelúia, allelúia. Apud me. ℣. Dicam Deo : Suscéptor meus es. Allelúia. Glória. Apud me.

℣. Passer invénit sibi domum. ℟. Et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hæc est Virgo sápiens, et una de número prudéntum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Optávi. et Hymnus Regis supérni núntia. ut in j. Vesperis, pag. 886.

℣. Oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui. ℟. Et concupíscet Rex decórem tuum.

Ad Magnificat Aña. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit ecclésia.

DIE XVIII. OCTOBRIS.
S. LUCÆ
EVANGELISTÆ.
TOTUM DUPLEX.

Omnia de Communi unius Evangelistæ, pag. 36*. præter hic posita.

Oratio.

INTERVENIAT pro nobis, quæsumus Dómine, sanctus tuus Lucas Evangelísta, qui Crucis

mortificatiónem júgiter in suo córpore pro tui nóminis amóre portávit. Per.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt cæli, et vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachim, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi sacerdótem in terra Chaldæórum, secus flumen Chobar : et facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, et ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne: et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circúitu ejus : et de médio ejus quasi spécies eléctri, id est de médio ignis. Tu autem...

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo prudéntes.

Lectio ij.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium : et hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, et planta pedis eórum, quasi planta pedis vituli, et scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus : et fácies, et pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum. Tu autem...

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

Lectio iij.

NON revertebántur, cum incéderent : sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur. Similitúdo autem vultus eórum : fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor : fácies autem bovis a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper : duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum : et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat. Tu autem...

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.

(Ex S. Hieron. de Script. eccl. et ex aliis antiquis Patribus.)

Lectio iv.

LUCAS médicus Antiochénus, ut ejus scripta índicant, Græci sermónis non ignárus,

fuit discípulus ac sectátor Apóstoli Pauli, et peregrinatiónum ejus comes. Scripsit Evangélium, de quo idem Paulus, Mísimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias. Nam de ipso Paulum intellexísse pleríque sanctórum Patrum affírmant. In Acháiæ Bœotiæque pártibus Evangélium conscripsísse sanctus Hierónymus refert.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

Lectio v.

ALIUD quoque édidit volúmen egrégium, quod Acta Apostolórum prænotátur : cujus história usque ad biénnium Romæ commorántis Pauli pervénit, id est usque ad quartum Nerónis annum. Ex quo intellígimus in eádem Urbe librum esse compósitum. Evangélium quidem, sicut ab Apóstolis audíerat, scripsit : quod in princípio sui volúminis apérte declárat. Acta vero Apostolórum, sicut víderat ipse, compósuit.

℟. v. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur.

Lectio vj.

EVANGELIUM prædicásse in Dalmátia, Gállia, Itália ac Macedónia sanctus Epiphánius prodit. Insuper arte pingéndi præstántem, Christi ac sacræ Deíparæ Apostolorúmque Petri et Pauli effígies manu, penicíllo, coloribúsque pinxísse permúlti tradidérunt. Vixit octogínta et quátuor annos, uxórem non habens. Spíritu sancto plenus óbiit in Bithynia; et ejus ossa Constantinópolim vigésimo Constántii anno, cum relíquiis Andréæ Apóstoli, transláta sunt de Acháia.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus : *Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. I.

IN illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 17. in Evang.)

DOMINUS et Salvátor noster, fratres caríssimi, binos in prædicatiónem discípulos mittit : quia duo sunt præcépta caritátis, Dei vidélicet amor, et próximi : et minus quam inter duos cáritas ha-

béri non potest. Ecce enim binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit : quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui caritátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenus debet.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : *Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

Lectio viij.

BENE autem dícitur quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur : quia prædicátio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcúrrunt, atque per hæc véritas in mente suscípitur. Hinc namque eísdem prædicatóribus Isaías dicit : Paráte viam Dómini : rectas fácite sémitas Dei nostri.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix.

HINC illis Psalmísta ait : Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit : quia unde in Passióne occúbuit, inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit, quia mortem, quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo, qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus prædicámus : ut eas et ipse post véniens per amóris sui præséntiam illústret.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem — Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

DIE XIX. OCTOBRIS.

S. PETRI DE ALCANTARA

CONFESSORIS.

SIMPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum, Confessórem tuum, admirábilis pœniténtiæ et altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre dignátus es : da nobis, quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis carne mortificáti, facílius cæléstia capiámus. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS, Alcántaræ in Hispánia nobílibus paréntibus natus, a téneris annis futúræ sanctitátis indícia præbuit. Décimo sexto ætátis anno Ordinem Minórum ingréssus, se ómnium virtútum exémplar exhibuit. Tum munus conciónatóris ex obediéntia exércens,

innúmeros a vítiis ad veram pœniténtiam tradúxit. Primævum sancti Francísci institútum exactíssime reparáre cúpiens, ope divína fretus, et Apostólica munitus auctoritáte, angustíssimum et paupérrimum cœnóbium juxta Pedrósum fundávit: quod vitæ genus aspérrimum ibi felíciter cœptum per divérsas Hispániæ províncias usque ad Indias mirífice propagátum fuit. Sanctæ Terésiæ, cujus probáverat spíritum, in promovénda Carmelitárum reformatióne adjútor fuit. Ipsa autem, a Deo edócta quod Petri nómine nihil quisquam péteret, quin prótinus exaudirétur, ejus précibus se commendáre et ipsum, adhuc vivéntem, Sanctum appellare consuévit.

Lectio v.

PRINCIPUM obséquia, qui ipsum velut oráculum consulébant, summa humilitáte declínans, Cárolo Quinto imperatóri a confessiónibus esse recusávit. Paupertátis rigidíssimus custos, una túnica, qua nulla detérior esset, conténtus erat. Puritátem ita cóluit, ut a fratre in extrémo morbo sibi inserviénte nec léviter quidem tangi passus sit. Corpus suum perpétuis vigíliis, jejúniis, flagéllis, frígore, nuditáte atque omni génere asperitátum in servitútem redégit: cum quo pactum iníerat, ne ullam in hoc sæculo ei réquiem præbéret. Cáritas Dei et próximi in ejus corde diffúsa tantum quandóque excitábat incéndium, ut e cellæ angústiis in apértum campum prosilíre, aerísque refrigério concéptum ardórem temperáre cogerétur.

Lectio vj.

GRATIA contemplatiónis admirábilis in eo fuit, qua cum assídue spíritus reficerétur, intérdum áccidit ut ab omni cibo et potu plúribus diébus abstinúerit. In áera frequénter sublátus, miro fulgóre coruscáre visus est. Rápidos flúvios sicco pede trajécit. Fratres, in extréma penúria, cælitus deláta alimónia cibávit. Báculus ab ipso terræ defíxus, mox in víridem ficúlneam excrévit. Cum noctu iter agéret, densa nive cadénte, dirutam domum sine tecto ingréssus est, eíque nix in áere péndula pro tecto fuit, ne illíus cópia suffocarétur. Dono prophetiæ ac discretiónis spirituum imbútum fuísse sancta Terésia testátur. Dénique annum agens sexagésimum tértium, hora, qua prædíxerat, migrávit ad Dóminum, mirábili visióne Sanctorúmque præséntia confortátus. Quem eódem moménto in cælum ferri beáta Terésia procul distans vidit: cui póstea appárens dixit: O felix pœniténtia, quæ tantam mihi proméruit glóriam! Post mortem vero plúrimis miráculis cláruit, et a Clemente Nono Sanctórum número adscríptus est.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Nolíte timére pusíllus grex. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE XX. OCTOBRIS.

S. MARCI

PAPÆ ET CONFESSORIS.

TRES LECTIONES. Oratio.

EXAUDI Dómine preces nostras : et interveniénte beáto Marco Confessóre tuo atque Pontífice, supplicatiónes nostras placátus inténde. Per.

IN NOCTURNO.

(Ex lib. de Romanis Pontif. et Rom. Brev.)

Lectio iij.

MARCUS Románus, Constantíno Magno imperatóre Póntifex, instítuit ut Epíscopus Ostiénsis, a quo Románus Póntifex consecrátur, pállio uterétur. Duas Romæ Basílicas ædificávit, álteram in Urbe, álteram via Ardeatína : quas Constantínus auctas magnis munéribus exornávit. Vixit in Pontificátu menses octo : sepultúsque est in cœmetério Balbínæ.

In Laudibus Memoria SS. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii Martyrum. Oratio.

SANCTORUM Mártyrum tuórum nos Dómine Sérgii, Bacchi, Marcélli et Apuléii beáta mérita prosequántur, et tuo semper fáciant amóre ferventes. Per.

DIE XXI. OCTOBRIS.

SS. URSULÆ ET SOCIARUM

VIRGINUM ET MARTYRUM.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hæ sunt, quæ venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Heb. 11.

SANCTI per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Lavérunt stolas suas, et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Istæ sunt, quæ venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. — In sánguine Agni. Glória. In sánguine Agni.

Hymnus.

SANCTORUM méritis ínclyta gáudia
Pangámus, sócii, géstaque fórtia :
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.
Hi sunt, quos rétinens mundus inhórruit;
Ipsum nam stérili flore peráridum
Sprevére pénitus, teque secúti sunt,
Rex Christe bone cælitus.
Hi pro te fúrias atque ferócia
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera :
Cessit his lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.
Cæduntur gládiis more bidéntium,
Non murmur résonat, non querimónia :
Sed corde tácito, mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.

QUÆ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martyribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine, láureis
Ditántur bene fúlgidis.
TE summa Déitas únaque póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas :
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula.
Amen.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat Aña. Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo regnábunt in ætérnum.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Agnum sponsum vírginum, * Veníte adorémus Dóminum Jesum Christum.

Hymnus Sanctórum méritis. ut in j. Vesperis.

¶ In tribus Nocturnis Psalmi, Antiphonæ et ℣℣. ut in Communi plurimorum Martyrum, pag. 54*. et sequentibus; reliqua ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

℟. j. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. — Quóniam prióra transiérunt.

℟. ij. Vírgines sanctæ gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitátæ sunt eum in morte sua : * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus, et una fides erat in eis. — Et ídeo.

℟. iij. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Istæ sunt, quæ venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Et meruérunt. Glória. Et meruérunt.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Gaufrido Episc. Alaphensi, Comment. de rebus Britannicis, quæ jam ab omnibus ferme probantur.)

Lectio iv.

GRATIANO imperatóre, Flávius Clemens Máximus, Románi exércitus in Británnia dux, arrépta tyránnide, imperátor a milítibus acclamátur. Inde cópias in Gállias transmíttens, ab infénsis Gratiáno legiónibus excéptus, impérium sibi corróborat. Cumque Armoricórum úberem regiónem, ejéctis antíquis habitatóribus,

Británnicis milítibus, quos secum dúxerat, divisísset : quo novas colónias propagáret in pósteros, Connáni Británnici réguli, quem Britannórum ducem habébat in exército, consílio, missa legatióne in Británniam, síngulis milítibus novis colónis síngulas vírgines conjúgio fœderándas póstulat.

℟. iv. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, * Ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : terra appáruit árida, et in Mari rubro via sine impedimento. ℣. Victrícem manum tuam laudavérunt páriter, et decantavérunt Dómine nomen sanctum tuum. — Ut inveniréntur illæsi.

Lectio v.

HAUD visa Británniæ régulis absúrda petítio. Unde in grátiam novi imperatóris, et quod fílias suas nonnísi gentílibus suis, iísque donátis nova província prædivítibus, honestíssime collocándas scirent, pro número mílitum, tótidem deléctæ sunt vírgines, omnes número úndecim mille : quarum princeps erat Ursula Dionóci Cornúbiæ regis fília, desponsáta Connáno duci Britannórum militum in exército Máximi. Cunctæ ígitur Londíni colléctæ, impósitæ sunt invítæ navígiis. Solvéntes nautæ, dum Armoricórum regiónem cógitant, a sæva procélla in Germánicum litus ejiciúntur.

℟. v. Vérbera carnífícum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut herédes fíerent in domo Dómini.

Lectio vj.

CONTIGIT adésse tunc ibi Hunnórum cópias, quas a Gratiáno imperatóre advérsus Máximum evocátas ferunt. Nacti ígitur bárbari præclárum illud Vírginum agmen, impoténti libídinis æstu furéntes, in eas írruunt. Sed cum, hortánte Ursula, mortem pótius oppétere quam virginei pudóris jactúram pati, invícto ánimi vigóre decrevíssent, Hunni in rábiem immanitátis convérsi, ad unam omnes trucídant. Sicque Ursula super Cómitum suárum, velut cæléstium margaritárum pretiósum acérvum, gloriósa víctima procúmbens, púrpura pro Christo fusi sánguinis decoráta, triumphatórem tot Vírginum exércitum, géminis nempe virginitátis et martyrii láureis insígnem, ducens, cælum victrix intrávit. Quarum córpora Coloniénses summo honóre condidérunt, earúmque illústrem agónem christiánus orbis florénti semper memória célebrat.

℟. vj. O veneránda Mártyrum gloriósa certámina, qui in suis corpóribus pro Christo immánia pertulérunt torménta! * Et ídeo percípere meruérunt immarcescíbilem ætérnæ glóriæ corónam. ℣. Despécta namque præséntis vitæ luce, contemptóque suórum córporum cruciátu, sæviéntem mundum Dei pro amóre vicérunt. — Et ídeo percípere meruérunt. Glória. Et ídeo percípere meruérunt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cælórum decem vírgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 12. in Evang.)

SÆPE vos, fratres caríssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre : sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere ut et bona, quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis; ne per hoc, quod a vobis rectum géritur, favor aut grátia humána requirátur : ne appetítus laudis subrépat, et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur.

℟. vij. In circúitu tuo Dómine lumen est, quod nunquam defíciet, ubi constituísti lucidíssimas mansiónes :* Ibi requiéscunt Sanctórum ánimæ. ℣. Magnus Dóminus et laudábilis nimis : in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. — Ibi requiéscunt Sanctórum ánimæ.

Lectio viij.

ECCE enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes recéptæ sunt : quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt. Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elóquio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur : quæ quia ex utróque sexu fidélium collígitur, decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis, et réprobi cum eléctis commísti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse perhibétur.

℟. viij. Sancti mei, qui in isto sæculo certámen habuístis, * Mercédem labórum ego reddam vobis. ℣. Veníte benedicti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem labórum ego reddam vobis.

Lectio ix.

SUNT namque pleríque continéntes, qui ab exteriori se appetítu custódiunt, et spe ad interióra rapiúntur; carnem mácerant, et toto desidério ad supérnam Pátriam anhélant : ætérna præmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere humánas laudes nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt pleríque qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

℟. ix. Lavérunt stolas suas, et cándidas eas fecérunt* In sánguine Agni. ℣. Istæ sunt, quæ venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. — In sánguine Agni. Glória. In sánguine Agni.

Ante Laudes ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD LAUDES.

Antiphonæ (quæ dicantur etiam ad Horas), Capitulum, Hymnus, ℣. et Antiphona ad Benedictus de Communi plurimorum Martyrum, pag. 61*.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 61*. et pag. 62*.

Oratio Da nobis, quæsumus Dómine. ut in Laudibus.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Justórum autem ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris ut in Communi plurimorum Martyrum, pag. 62*.

Capitulum Sancti per fidem., Hymnus Sanctórum méritis. et ℣. Lætámini in Dómino., ut in j. Vesperis, pag. 897. et pag. 898.

Ad Magnificat Aña. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : quóniam prióra transiérunt.

Oratio Da nobis, quæsumus Dómine. ut in Laudibus.

DIE XXII. OCTOBRIS.

B. PETRI A TIFERNO

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui fidéles tuos meméntes novíssima nunquam peccatúros prænuntiásti : fac nos, beáti Petri Confessóris tui précibus et exémplis, ita temporálem mortem mente recólere, ut júgiter admíssa peccáta flentes vitémus ætérnam. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Hilarionis Abbatis. Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus ejus patrocínio assequámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS, nóbili Caputiórum família Tiférni natus anno millésimo tercentésimo nonagésimo, cælésti benedictióne prævéntus, ita a puerílibus oblectaméntis fuit aliénus rebúsque divínis addíctus, ut exímiæ futúræ sanctitátis non obscúra præbúerit arguménta. Etenim sæculi vanitátes perósus, ne mundus, totus in malígno pósitus, illíus intelléctum mutáret unquam, ad Prædicatórum Ordinem convolávit, annum agens décimum quintum. In cœnóbio ejúsdem civitátis, sancti Domínici hábitu suscépto, ibidémque solémni emíssa professióne, mirum est qua morum innocéntia ac honestáte clarúerit, quo ánimi fervóre ómnia, quæ ad Dei cultum pértinent, fúerit prosecútus, qua caritáte, abjectióne sui legúmque Ordinis observántia excellúerit. Solitúdinis

amátor ac divínis contemplatiónibus assídue studens, nil áliud præ óculis habére visus est quam se Deo ferventius conjúngere, ac mentem ecclesiásticis disciplínis locupletáre: ut non solum précibus et exémplis, sed étiam zelo secúndum sciéntiam posset ad sacri sui Institúti normam salúti animárum utílius incúmbere.

Lectio v.

CORTONAM a Superióribus missus, et Sacerdótio initiátus, ómnium admiratiónem in se rápuit cunctárum splendóre virtútum. Adeo autem in humilitáte excélluit, ut quamvis avíta nobilitáte clarus, et magna apud cives univérsos auctoritáte polléret, abjectíssima, tam intra quam extra monastérii límina, álacri ánimo offícia obíre curáret. Hinc et eleemósynas quæritáre per urbem, et paupéribus ægrotísque inservíre summópere cupiébat. Salútis animárum zelo succénsus, non paucos pérditæ vitæ hómines ad meliórem frugem perdúxit : duósque inter céteros, plurimórum facínorum reos et jam cárcere trusos, ac de ætérna salúte desperántes, ad pœniténtiam convértit, et a morte, cujus supplício plecténdi erant, prodígio liberávit, ut monuménta ferunt. Effrénem ítidem júvenem, scélera patránda mente volvéntem, divíno spíritu cognóscens, ut pie créditur, ipsúmque opportúne increpans, ac de futúra morte crástino die (uti áccidit) illi obventúra præmonens, sua perfúsis lácrimis peccáta deflére coégit. Sanctitátis inde fama notíssimus, prophetíæ, éxtasum et miraculórum donis inclaruísse, et præsértim áridum mulíeris bráchium signo Crucis sanásse, vacuúmque dólium suis méritis vino plenum invéntum esse, légitur.

Lectio vj.

TANDEM tot méritis conspícuus, mortem, quam diu meditátus fúerat, sæpius illíus imáginem, sive inter orándum vel concionándum manu tenens, lætus aspéxit; et Ecclésiæ Sacraméntis devotíssime suscéptis, ad cæléstem Pátriam evolávit, in eódem convéntu sancti Domínici Cortónæ, duodécimo Kaléndas Novémbris anni millésimi quadringentésimi quadragésimi quinti. Vix vita functum Cortonénses et Tifernátes cives, qui beáti Petri virtútes alte suspéxerant, ut Sanctum venerári cœpérunt, illiúsque opem imploráre; donec tandem sacrum ejus corpus ántea honorífico loco cónditum, ut devotióni fidélium fíeret satis, in summitáte príncipis altáris elevarétur, anno millésimo quingentésimo nonagésimo séptimo, ubi permánsit usque ad annum millésimum septingentésimum octogésimum sextum. Quo ex témpore piíssimus Hispaniárum Infans Ferdinándus Primus, in Ordinem Prædicatórum, cujus Régulam de Pœniténtia dictam profitebátur, et erga beátum Petrum mirífice afféctus, ad ecclésiam sancti Libórii Colúrni prope Parmam, ad augéndam sacram lypsanothécam amplíssimam, quam ibi

collégerat ipse, transférri impetrávit. Sed illo vita functo, Cortonénsis Antístes pro singulári sua erga Ordinem et beátum Petrum devotióne, sacrum pignus, curis et súmptibus recuperátum, in prióri sede locávit, illiúsque cultus approbatiónem apud Apostólicam Sedem enixe postulávit. Quibus ómnibus matúre perpénsis, Pius Séptimus Póntifex Máximus, ut Offícium et Missa in beáti Petri honórem a Clero Cortonénsi et Tifernáti et Ordine Fratrum Prædicatórum celebrarétur, sacræ Rituum Congregatiónis consúlto benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

B. BARTHOLOMÆI DE BREGANTIA

EPISC. ET CONF. ORD. PRÆD. DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui in fídei hóstibus ab errórum ténebris ad veritátis lucem adducéndis, et in pópulis ad pacem et concórdiam revocándis beátum Bartholomæum Confessórem tuum atque Pontíficem mirábilem effecísti : ejus intercessióne concéde út pax tua, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda nostra et intelligéntias nostras, in Christo Jesu Dómino nostro : Qui tecum vivit.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 70*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BARTHOLOMÆUS Vicéntiæ ex antíqua et nóbili Bregantiárum família, sæculo decimotértio ineúnte, natus est. A paréntibus, ut lítteris imbuerétur, Patávium missus, vix adolescéntiam áttigit, divíni Spíritus afflátu Prædicatórum Ordini recens institúto nomen dedit, atque ab ipso tirocínio mores suos ad sancti Patris sui Domínici præcépta et exémpla conformávit. Quare, cum magnos in religiósa perfectióne rerúmque divinárum cognitióne progréssus fecísset, Sacerdótio initiátus, sacras lítteras summa cum laude explicávit. Multas Itáliæ, præsértim vero Insúbriæ atque Æmíliæ civitátes errórum vitiorúmque collúvie fœdátas, et cruéntis factiónibus discérptas, apostólicis prædicatiónibus lustrans, plúrimos ad cathólicam fidem, ad virtútem et concórdiam, Deo adjuvánte, revocávit.

Lectio v.

LATIUS manánte de ejus sanctimónia et eruditióne fama, Gregórius Nonus illum Romam accítum, et magistérii cáthedra ornátum, apud se consílii causa hábuit. Innocéntius Quartus, Lugdúnum ad concílium generále celebrándum profectúrus, eum sibi cómitem adjúnxit, et Nimociénsi Ecclésiæ Epíscopum præfécit; ac demum Alexánder Quartus a Nimociénsi Sede, quam ille octo annis summa vigilántia réxerat, ad Vicentínam tránstulit, eúmque ab Eccelíno de

Románo, qui Vicéntiæ dominabátur, quæsítum ad necem, prohibitúmque ad novum gregem adíre, pro gravíssimis fídei negótiis ad Anglórum regem legátum misit. Hac legatióne máximo christiánæ reipúblicæ bono functus, Lutétiam Parisiórum se cóntulit, ubi a sancto Ludovíco Nono Galliárum rege, cujus sibi benevoléntiam in Syria conciliáverat, amantíssime excéptus, Domínicæ Crucis partícula, ac una spina ex Coróna Christi cápiti impósita auctus est.

Lectio vj.

IN Itáliam rédiens pretiósa hæc múnera in templum íntulit, quod Ordinis sui frátribus in civitátis colle, quem hæréticæ pravitátis signíferi insidébant, exstruéndum curávit, eique a sacra Coróna nomen índidit. Tum vero curas omnes suas eo cóntulit, ut labes Vicentínæ Ecclésiæ ac reipúblicæ, Eccelíni improbitáte et hæreticórum perfídia illátas, abstérgeret : Deóque ejus votis favénte, brevi cathólicam fidem restítuit, depravátos cleri et pópuli mores emendávit, ac pública et priváta dissídia compósuit. Cumque annis decem commíssum sibi gregem et exémplo et verbo sanctíssime pavísset, Ecclésiæ Sacraméntis magno spíritus fervóre suscéptis, ad Dóminum migrávit anno millésimo ducentésimo septuagésimo,humilíque, ut ipse jússerat, loco in templo Domínicæ Corónæ sepúltus est. Multis vivens et post óbitum miráculis claruísse fertur. Religiósum vero cultum, statim ab óbitu ei tribútum atque ad hæc usque témpora propagátum, Pius Sextus Póntifex Máximus probávit, ac Prædicatórum Ordini Cleróque Vicentíno Offícium et Missam in ejus honórem celebráre concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Vigiláte. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 74*.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Missus est Angelus Ráphael ad Tobíam et Saram, ut curáret eos. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Tob. 12.

QUANDO orábas cum lácrimis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

℟. Te sanctum Dóminum in excélsis laudant omnes Angeli dicéntes : * Te decet laus Et honor Dómine. ℣. Chérubim quoque et Séraphim Sanctus proclámant, et omnis cælicus ordo, dicéntes. — Te decet. Glória. Et honor Dómine.

Hymnus.

TIBI Christe, splendor Patris,
Vita, virtus córdium,
In conspéctu Angelórum
Votis, voce psállimus,
Alternántes concrepándo
Melos damus vócibus.

COLLAUDAMUS veneránte
Omnes cæli príncipes,
Sed præcípue fidélem
Médicum et cómitem
Raphaélem in virtúte
Alligántem dæmonem.

QUO custóde, procul pelle,
Rex Christe piíssime,
Omne nefas inimíci :
Mundo corde et córpore
Paradíso redde tuo
Nos sola cleméntia.

GLORIAM Patri melódis
Personémus vócibus :
Glóriam Christo canámus,
Glóriam Paráclito :
Qui trinus et unus Deus
Exstat ante sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnificat Aña. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dóminum. Vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Oratio.

DEUS, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo cómitem dedísti in via : concéde nobis fámulis tuis ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Archangelórum Dóminum * Veníte adorémus.

Hymnus Tibi Christe splendor Patris., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ✠ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Egréssus Tobías invénit júvenem præcínctum et quasi parátum ad ambulándum : et ignórans quod Angelus esset, salutávit eum.

Psalmus 10.

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ✠ paravérunt sagittas suas in pháretra,* ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Aña. Angelus Ráphael se ipsum occúltans, ait : Ego sum Azarías magni Ananíæ fílius.

Psalmus 14.

DOMINE quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorífical :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit :

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Aña. Sanum ducam fílium tuum in regiónem Medórum, et sanum tibi redúcam, allelúia.

℣. Data sunt Angelo incénsa multa. ℟. Ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 12.

VOCAVIT ad se Tobías fílium suum, dixítque ei : Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Respóndens Tobías, dixit patri suo : Pater, quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit et redúxit sanum, pecúniam a Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, et dæmónium ab ea ipse compéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, me ipsum a devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen cæli, et bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te pater mi, ut roges eum, si forte dignábitur medietátem de ómnibus, quæ alláta sunt, sibi assúmere.

℟. j. In illo témpore exaudítæ sunt preces ambórum in conspéctu glóriæ summi Dei : * Et missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael, ut curáret eos ambos, quorum uno témpore sunt oratiónes in conspéctu Dómini recitátæ. ℣. Tobías et Sara in tribulatióne pósiti, cum lácrimis oráre cœpérunt. — Et missus est.

Lectio ij.

ET vocántes eum, pater scílicet, et fílius, tulérunt eum in partem : et rogáre cœpérunt ut dignarétur dimídiam partem ómnium, quæ attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúlte : Benedícite Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum

regis abscóndere bonum est : ópera autem Dei revelâre et confitéri honorificum est. Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere : quóniam eleemósyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccáta, et facit invenire misericórdiam et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrimis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te.

℟. ij. Egréssus Tobías invénit júvenem splendidum, stantem præcínctum, et quasi parátum ad ambulándum. Et salutávit eum, et dixit : * Unde te habémus bone júvenis? ℣. Et ignórans quod Dómini Angelus esset, salutávit eum, et dixit. — Unde te habémus bone júvenis?

Lectio iij.

Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum. Cumque hæc audíssent, turbáti sunt, et treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus : Pax vobis, nolíte timére. Etenim cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram : ipsum benedícite, et cantáte illi. Vidébar quidem vobíscum manducáre, et bíbere : sed ego cibo invisíbili, et potu, qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo ut revértar ad eum, qui me misit : vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Et cum hoc dixísset, ab aspéctu eórum ablátus est, et ultra eum vidére non potuérunt. Tunc prostráti per horas tres in fáciem, benedixérunt Deum : et exsurgéntes narravérunt ómnia mirabília ejus.

℟. iij. Ingréssus Angelus ad Tobíam salutávit eum, et dixit : Gáudium sit tibi semper : * Forti ánimo esto, in próximo enim est ut a Deo curéris. ℣. Et respóndens Tobías ait : Quale gáudium mihi erit, qui in ténebris sédeo, et lumen cæli non vídeo? — Forti ánimo esto. Glória. Forti ánimo esto.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 18.

Cæli enárrant glóriam Dei,* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Aña. Dixit autem Angelus : Apprehénde bránchiam piscis, et trahe eum extra aquas.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Obsecro te Azaría frater, ut dicas mihi quod remédium habébunt ista, quæ de pisce serváre jussísti.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et eripiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuiérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et persequere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Aña. Lúmina fel sanat : sed virtus cordis et jécoris, diáboli expéllit potestátem.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

(Ex incerto auctore inter opera S. Augustini, Serm. j. in Dom. 15. de B. Tobia, qui est 226. de Temp.)

Lectio iv.

BEATUS Tobías, qui panem suum nóverat frángere esuriénti, mercédem célerem mercenário præparat laboránti. Patiénter lectióne percépta, quæ nuper est recitáta, admirabámur patris filiíque tractátum, quemádmodum Angelus monet, quem æstimábant terrénum sub cælésti glória mercenárium. Ad hoc enim cæcitátis incúrrit exítium, ut Angelum suscíperet médicum, qui divínis fácibus incénsus sic anhelávit. Honésta est orátio cum jejúnio et eleemósyna. Orátio justi, clavis est cæli. Ascéndit precátio, et descéndit Dei miserátio. Licet alta sit terra, altum cælum : audit tamen Deus hóminis linguam, si mundam habet consciéntiam. Cum sénsibus lóquitur, si sit solus noster gémitus. Súfficit áuribus imber oculórum : fletus cítius audit quam voces. Orátio ínvidi solet de áuribus propulsári. Erat patris et fílii ánima una : dum esset propríetas membrórum, erat illis singuláris germánitas animórum. Fili, inquit, dimittámus istum hóminem, adjiciéntes ad mercédem plácitam, quia nobis multa ópere suo cóntulit bona.

Et rogáre cœpit mercenárium ut mercédis suæ sumat efféctum. Frater, inquit, áccipe quod tuum est, et tunc vade salvus. Récipe mercédem tuam, quia mihi et fílio meo bonam præbuísti misericórdiam. Tolle, ut dixi, médiam substántiam, quam cum fílio meo reportásti : nam grátia, quam tibi debémus, non potest ponderári.

℟. iv. Interrogávit Tobías Angelum : De qua domo, aut de qua tribu es tu? Qui respóndens ait : * Ego sum Azarías Ananíæ magni fílius. ℣. Genus quæris mercenárii, an ipsum mercenárium, qui cum fílio tuo eat? Sed ne forte sollícitus sis. — Ego sum Azarías.

Lectio v.

CONTINUO Angelus gaudet de cogitáta mercéde, qui missus fúerat gratis fácere pietátem. Tobis, inquit, vel Tobía, quid de mea mercéde satis supérflue cogitátis? Habéte quod vobis donávit Pater ille cæléstis. Ego minister sum curatiónis, ille est auctor sanitátis. Nescítis cujus mercenárii ope pérfrui meruístis. Defúnctos captivitátis sepelíre non timuístis. Tobis, ascendérunt ad Dóminum ópera tua, quia, relícto prándio, reddidísti mórtuum sepultúræ. Ego Dómino medulláta íntuli sacrifícia pro venerábili sepultúra. Ego diréctus sum operárius fori cæléstis. Mórtuum sepelístis, et mortis acúleum non timuístis. Ipse sepúltus pro vobis voce tácita proclamávit. Probatiónis fúerat cæcitas oculórum, unde patiéntia tua clárius meruísset de cæléstibus ornaméntum. Ego sum Ráphael, unus ex septem Angelis, qui astámus ante claritátem Dei. Non indígeo fructu humánæ mercédis : divítem me facit conversátio Majestátis. Dives est ille, qui me misit : gratis jussit impéndi quod gratis ipse concéssit. Nec ipsum honórem gratiárum mihi deputétis, quia nihil meis víribus percepístis. Deum benedícite, et illi confitémini, et ipsum glorificáte, quia vobíscum fecit bona.

℟. v. Exívit Tobías ut laváret pedes suos, et ecce piscis immánis exívit ad devorándum eum; qui expavéscens clamávit voce magna, dicens : Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus : Apreheénde bránchiam ejus, et trahe eum ad te. * Exéntera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repóne tibi : sunt enim necessária ad medicaménta utíliter. ℣. Attráxit autem Tobías piscem in siccum, et palpitáre cœpit ante pedes ejus : et ait Angelus ei. — Exéntera hunc piscem.

Lectio vj.

SUBITO patefácto mystérii cæléstis honóre, voce Raphaélis Archángeli attóniti Tobis et Tobías, collápsi in terram proruérunt : vocem trémulam pénitus occultavérunt, quia vocem insólitam audiérunt. Quid metuístis pater Tobis, filiúsque Tobía? Mercenárium habére cæléstem, et tamquam operárium locáre terréstrem? Celávit vobis Angelus nomen : Azarías sum, inquit, Ananíæ magni fílius : et

non dixit, Ego sum Ráphael Angelus. Celávit in primo nómine dignitátem, ne fáceret locatóri terrórem. Si enim díceret, Ego sum Angelus : non esset Tobíæ mercenárius. Serváta est dignitas nóminis, ut postrémo magnitúdo claresceret dignitátis. Vidéte caríssimi quantum sit eleemósynæ méritum : Angelum méruit habére operárium. Vidétis quantum próficit mórtuos sepelíre, ut oblátio ejus per Angelum Raphaélem ad cæléstem ascénderet Majestátem. Vidétis quia eleemósyna a morte líberat, et ipsa purgat peccáta; facit purgatiónem oculórum : líberat a ténebris peccatórum. Tobis via sua dedúcitur : Sara, tot viris contristáta, per Angelum matrimónio copulátur.

℟. vj. Ubi introíeris domum tuam, dixit Angelus Ráphael ad Tobíam, statim adóra Dóminum Deum tuum : et grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, et osculáre eum. * Statímque lini super óculos ejus ex felle isto piscis, quem portas tecum; scias enim quóniam mox aperiéntur óculi ejus, et vidébit pater tuus lumen cæli, et in aspéctu tuo gaudébit. ℣ Tolle tecum ex felle isto piscis : erit enim necessárium. — Statímque lini. Glória. Statímque lini.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Est hic Sara Raguélis fília, quæ tibi conjúgio dábitur, et omnis substántia ejus.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ,* propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Septem viros hábuit, quos dæmónium oppréssit : tímeo, ne mihi símile contíngat.

Psalmus 102.

BENEDIC ánima mea Dómino : * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus :

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua :

Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Miserátor, et miséricors Dóminus : * longánimis, et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur:* neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cæli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, ℣ misértus est Dóminus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : ℣ homo, sicut fœnum dies ejus, * tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus :

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam : * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus : * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Aña. Per tres dies oratióni cum uxóre tua vacábis : ut in sémine Abrahæ benedictiónem in fíliis consequáris.

℣. Apprehéndit Angelus Ráphael dæmónium. ℟. Et religávit illud in desérto superióris Ægypti.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 5.

In illo témpore : Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

(Tract. 17. in c. 5. Joan.)

Mirum non esse debet a Deo factum miráculum : mirum enim esset, si homo fecísset. Magis gaudére quam mirári debémus, quia Dóminus noster et Salvátor Jesus Christus homo factus est, quam quod divína inter hómines Deus fecit. Plus est enim ad salútem nostram, quod factus est propter hómines, quam quod fecit inter hómines. Et plus est, quod vítia sanávit animárum, quam quod sanávit languóres córporum moriturórum.

℟. vij. Benedícite Deum cæli, dixit Angelus Ráphael, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, * Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, et cantáte illi, et narráte ómnia mirabília ejus. — Quia fecit vobíscum.

Lectio viij.

Sed quia ipsa ánima non eum nóverat, a quo sanánda erat, et óculos habébat in carne, unde facta corporália vidéret, nondum habébat sanos in corde, unde Deum laténtem agnósceret : fecit quod vidéri póterat, ut sanarétur, unde vidéri non póterat. Ingréssus est locum, ubi jacébat magna multitúdo languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum.

℟. viij. Tempus est ut revértar ad eum, qui me misit, dixit Angelus Ráphael : * Vos autem benedícite Dóminum, et narráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus vivéntibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. — Vos autem.

Lectio ix.

Et cum esset médicus et animárum et córporum, et qui venísset sanáre omnes ánimas crediturórum : de illis languéntibus unum elégit, quem sanáret, ut unitátem significáret. Si mediocri corde, et quasi humáno captu et ingénio considerémus faciéntem : et quod ad potestátem pértinet, non magnum áliquid perfécit; et quod ad benignitátem, parum fecit. Tot jacébant, et unus curátus est, cum posset uno verbo omnes erígere.

℟. ix. Te sanctum Dóminum in excélsis laudant omnes Angeli, dicéntes :* Te decet laus, Et honor, Dómine. ℣. Chérubim quoque et Séraphim Sanctus proclámant, et omnis cælicus ordo, dicéntes. — Te decet laus. Glória. Et honor Dómine.

Ante Laudes. ℣. Glorióus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus.

AD LAUDES ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Missus est Angelus Ráphael ad Tobíam et Saram, ut curáret eos. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Ingréssus Angelus ad Tobíam salutávit eum, et dixit : Gáudium sit tibi semper.

3. Forti ánimo esto Tobía, in próximo enim est ut a Deo curéris.

4. Benedícite Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini illi, quia fecit vobíscum misericórdiam suam.

5. Pax vobis, nolíte timére : Deum benedícite, et cantáte illi.

Capitulum. Tob. 12.

QUANDO orábas cum lácrimis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Hymnus.

CHRISTE, sanctórum decus Angelórum,
Auctor humáni géneris et rector,
Nobis sacrátum tríbue benignus
Scándere cælum.
ANGELUM nobis médicum salútis
Mitte de cælis Ráphael, ut omnes
Sanet ægrótos, paritérque nostros
Dírigat actus.
HINC Dei nostri Génitrix María,
Totus et nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et beáta
Cóncio tota.
PRÆSTET hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Benedictus Aña. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dóminum. Vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo cómitem dedísti in via : concéde nobis fámulis tuis ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Quando orábas, ut in Laudibus.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi, * Allelúia, allelúia. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Allelúia. Glória. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Capitulum. Tob. 12.

ET nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum.

℟. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini, * Allelúia, allelúia. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. Allelúia. Glória. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Capitulum. Tob. 12.

TEMPUS est ut revértar ad eum, qui me misit : vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus, * Allelúia, allelúia. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Allelúia. Glória. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors, et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Psalmus 111.

BEATUS vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : ℣ justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 137.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine misericórdia tua in sæculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Aña. Missus est Angelus Ráphael ad Tobíam et Saram, ut curáret eos.

Capitulum Quando orábas. et Hymnus Tibi Christe. ut in j. Vesperis, pag. 904.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnificat Aña. Princeps gloriosíssime Ráphael Archángele esto memor nostri : hic et ubíque semper precáre pro nobis Fílium Dei. Oratio.

DEUS, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo cómitem dedísti in via : concéde nobis fámulis tuis ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per.

DIE XXV. OCTOBRIS.

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI MARTYRUM.

TRES LECTIONES. Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Crispíni et Crispiniáni natalítia cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per.

IN NOCTURNO.

(Ex Actis sinceris.)

Lectio ij.

CRISPINUS et Crispiniánus, nóbiles Románi, Diocletiáno et Maximiáno rerum potiéntibus, in Gálliam Suessiónes cum veníssent : sequéntes Doctóris Géntium magistérium, ut necessária vitæ labóre mánuum sibi parárent, artem sutóriam didicérunt. Et cum præ ómnibus artifícibus elegántius operaréntur, a nullo tamen mercédem óperis exigébant. Illéxit ea res nonnúllos, ut non tam artifícii eórum necessitáte quam amóre verbi Dei, ad eos crebro convenírent, ac relícto erróre, Christo adjungeréntur.

Lectio iij.

RE ad Rictium Varum præsidem deláta, cum ipsos inquíri jussísset, repérti sunt páuperum calceaménta reficiéntes. Prodúcti, cum nollent fidem Christi abnegáre, ad tróchleas extendúntur, ac fústibus crudéliter cædúntur : inter digitórum ungues et carnem eis sudes præacútæ defigúntur; ex dorsi cute síngulæ corrígiæ exscindúntur : appénsis ad colla ingéntibus molis, in flumen sub gelu demergúntur : deínde in liquefáctum ac fervens plumbum immíssi, cum hæc et ália immaníssima torménta, divína ope, superássent, tandem, gládio trucidánte, victóres ad palmas in cælum convolárunt.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

B. DAMIANI FURCHERII CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui fidélium salúti procurándæ beátum Damiánum, Confessórem tuum, et mira dicéndi vi, et virtútibus decorásti : præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne et exémplo, veram caritátem verbo et ópere exhibeámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DAMIANUS Finárii in Ligúria ex nóbili æque ac locúplete família de Furchériis sæculo décimo quinto ineúnte natus est. Quis futúrus esset puer iste, ex ipsa ejus infántia Deus insígni prodígio testátum vóluit : nam a deménte subréptus, et diu a paréntibus conquisítus, tandem cælésti indício invéntus fuit. Adolescéntiam ingréssus, eam juste sanctéque perégit, et réliquo vitæ témpore nunquam ab institúto declinávit. Ut autem facílius bona cæléstia, quibus inhiábat, assequerétur, mundi opes et illécebras contémnens, Prædicatórum Ordini nomen dedit.

Lectio v.

SCHOLAM perfectiónis ingréssus, in excoléndis ómnibus virtútibus totus fuit. Hinc sólidæ sanctitátis fundaménta jáciens, in humilitáte profúnde se exércuit : jejúnio et abstinéntia corpus spirítui subjécit. Devotióne præcípuus, oratióni stúduit pro víribus, ac omnímoda morum honestáte præfúlsit. Nil ígitur mirum, si in carne præter carnem vivens, caritáte erga Deum exárserit. Ut autem concréditi sibi a Dómino talénti lucrum cáperet, diu noctúque sacris lítteris talem dedit óperam, ut sciéntia clarus eváserit, et brevíssimo témpore, licet gravíssimo incómmodo, nonnúllos scrípserit códices pia unctióne refértos.

Lectio vj.

CUM vero evangelizándi munus Damiáno commissum fuísset, apostólico zelo incénsus, plúribus in locis verbum Dei annuntiávit, multósque e vitiórum cœno ad honéstam vitæ ratiónem tradúxit. Tandem suæ prædicatiónis cursu consummáto, Régii Lépidi decúmbens, magno fervóris spíritu et devotióne ómnia christiánæ religiónis adjumenta suscépit, ac méritis onústus, mortálem vitam cum ætérna commutávit, anno Dómini millésimo quadringentésimo octogésimo quarto. Sepúltus in ecclésia cœnóbii sui Ordinis, miráculis coruscáre cœpit. Quaprópter ejus Relíquiis in várias regiónes delátis, exínde públicum ecclesiásticum cultum obtínuit. Quem ad hæc usque témpora propagátum Pius Nonus Póntifex Máximus ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto approbávit, et ut ejus festum cum Offício et Missa in univérso Prædicatórum Ordine celebrarétur benígne indúlsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XXVII. OCTOBRIS.
IN VIGILIA
SS. SIMONIS ET JUDÆ
APOSTOLORUM.

Homilia in Evangelium Ego sum vitis vera., ut in Communi unius Martyris, pag. 51*.

DIE XXVIII. OCTOBRIS.

SS. SIMONIS ET JUDÆ APOSTOLORUM.

TOTUM DUPLEX.

IN I. VESPERIS.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut sicut Apostolórum tuórum Simónis et Judæ gloriósa natalítia prævenímus, sic ad tua benefícia promerénda, majestátem tuam pro nobis ipsi prævéniant. Per.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Judæ Apóstoli.

Lectio j. Cap. 1.

JUDAS Jesu Christi servus, frater autem Jacóbi, his, qui sunt in Deo Patre diléctis, et Christo Jesu conservátis, et vocátis. Misericórdia vobis, et pax, et cáritas adimpleátur. Caríssimi, omnem sollicitúdinem fáciens scribéndi vobis de commúni vestra salúte, necésse hábui scríbere vobis : déprecans supercertári semel tráditæ sanctis fídei. Subintroiérunt enim quidam hómines (qui olim præscripti sunt in hoc judícium) ímpii, Dei nostri grátiam transferéntes in luxúriam, et solum Dominatórem, et Dóminum nostrum Jesum Christum negántes.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : *Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo prudéntes.

Lectio ij.

COMMONERE autem vos volo, sciéntes semel ómnia, quóniam Jesus pópulum de terra Ægypti salvans, secúndo eos, qui non credidérunt, pérdidit. Angelos vero, qui non servavérunt suum principátum, sed dereliquérunt suum domicílium, in judícium magni diéi, vínculis ætérnis sub calígine reservávit. Sicut Sódoma, et Gomórrha, et finítimæ civitátes símili modo exfornicátæ, et abeúntes post carnem álteram, factæ sunt exémplum, ignis ætérni pœnam sustinéntes. Simíliter et hi carnem quidem máculant, dominatiónem autem spernunt, majestátem autem blasphémant.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum suáve est.

Lectio iij.

CUM Míchael Archángelus cum diábolo dísputans altercarétur de Móysi córpore, non est ausus judícium inférre blasphémiæ, sed dixit : Imperet tibi Dóminus. Hi autem quæcúmque quidem ignórant, blasphémant : quæcúmque autem naturáliter, tamquam muta animália, norunt, in his corrumpúntur. Væ illis, quia in via Cain abiérunt, et erróre Bálaam mercéde effúsi sunt, et in contradictióne Core periérunt.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória. Dábitur enim vobis.

IN II. NOCTURNO.

(Ex antiquis Martyrologiis et monument. ac Rom. Brev.)

Lectio iv.

SIMON Chananæus, qui et Zelótes, et Thaddæus, qui et Judas Jacóbi appellátur in Evangélio, uníus ex Cathólicis Epístolis scriptor, hic Mesopotámiam, ille Ægyptum evangélica prædicatióne peragrávit. Póstea in Pérsidem conveniéntes, cum innumerábiles fílios Jesu Christo peperíssent, fidémque in vastíssimis illis regiónibus, et efferátis géntibus disseminássent : doctrína et miráculis, ac dénique glorióso martyrio, simul sanctíssimum Jesu Christi nomen illustrárunt.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes splendidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti sunt viri sancti facti amíci Dei.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 30. in Evang. post med.)

Lectio v.

SCRIPTUM est : Spíritus Dómini ornávit cælos. Ornaménta enim cælórum sunt virtútes prædicántium. Quæ vidélicet ornaménta Paulus enúmerat, dicens : Alii datur per Spíritum sermo sapiéntiæ : álii sermo sciéntiæ secúndum eúmdem Spíritum : álteri fides in eódem Spíritu : álii grátia sanitátum in uno Spíritu : álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

℟. v. Isti sunt triumphatóres, et amici Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur et accípiunt palmam.

Lectio vj.

QUOT ergo sunt bona prædicántium, tot sunt ornaménta cælórum. Hinc rursus scriptum est : Verbo Dómini cæli firmáti sunt. Verbum enim Dómini, Fílius est Patris. Sed eósdem cælos, vidélicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trínitas ostendátur operáta, repénte de sancti Spíritus divinitáte adjúngitur : Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Cælórum ergo virtus de Spíritu sumpta est : quia mundi hujus potestátibus contraíre non præsúmerent, nisi eos sancti Spíritus fortitúdo solidásset. Quales namque doctóres sanctæ Ecclésiæ ante advéntum hujus Spíritus fúerint, scimus : et post advéntum illius, cujus fortitúdinis facti sint, conspícimus.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum : ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem. Si mundus vos odit : scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Et réliqua.

Homília sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni. (Lib. 10. in Joann. cap. 26. et seq.)

MIRABILI quodam atque divíno in conformándis firmandísque discipulórum ánimis Dóminus útitur artifício. Nam quóniam totíus orbis terrárum doctóres futúri erant, quos ubíque omnes quasi Evangélii legem ac régulam imitaréntur, necessário nullam curam iis faciéndam esse monet, ne a mundo, id est ab homínibus voluptáti impietatíque déditis, ódio habeántur. Cum ergo, inquit, mundi ódium vobis opponétur, non turbabímini, si hoc mihi ipsi, qui sum Dóminus, accidísse meminéritis.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam :* Quorum doctrína fulget Ecclésia ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína fulget Ecclésia ut sole luna.

Lectio viij.

QUIA de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus. Fácile, immo vero jucúndum esse osténdit, quod natúra sui molestíssimum est. Quid enim acérbius et plerúmque damnósius quam ódio habéri? Suáve tamen id effícitur propter Deum. Et quando grátia pietátis áccidit, arguménto est, non inhiáre rebus cadúcis eum, qui ódio habétur. Ut enim córporum, ita morum cognátio quædam est, quorum similitúdo longe sánguinis vincit cognatiónem.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix.

SANCTUS cum sancto, et pervérsus cum pervérso jucúnde conversátur. Quam ob rem necésse est ut studiósus mínime a vitiósis diligátur : unde non doléndum, sed gaudéndum pótius nobis Christus esse ásserit. Nam etsi detriméntum in rebus cadúcis multórum ódium afferat, máximo tamen apud Deum est emoluménto. Efficitur autem his verbis, ut líbere et absque ódii formídine discípuli prædicatióne utántur : cum nihil dilectióni Dei præponéndum esse doceántur.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem.— Perpétua defensióne custódias. Glória. Perpétua defensióne custódias.

IN LAUDIBUS.

Oratio.

DEUS, qui nos per beátos Apóstolos tuos Simónem et Judam ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo proficere. Per.

¶ Hæc Oratio dicatur etiam ad Tertiam, Sextam, Nonam et ij. Vesperas.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

B. BENVENUTÆ BOJANI

VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

GRATIAM nobis Dómine pœniténtiæ, oratiónis et humilitátis infúnde : ut beátæ Benvenútæ Vírginis imitatióne possímus et carnem mortificántes spíritu vívere, et cæléstia júgiter cogitántes, nosque despiciéntes, in te solo Deo réquiem et glóriam invenire. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BENVENUTA, patre Conrádo Bojáno, a quo in pósteros nobilíssimæ stirpis a Pértica Bojanórum agnómen est propagátum, matre Albertína a Buttínico, Forojúlii Carnórum orta, ab ipsa pene infántia præclára indícia futúræ sanctitátis dedit. Nam ornátum córporis, ludósque, quibus ea ætas delectári solet, fastídiens, e propinquórum conspéctu in remótum viridárii patérni locum, unde liber ad ædem sanctæ Maríæ in altíssimi montis vértice sitam prospéctus erat, se ábdere, ibíque preces ad multas horas producere consuéverat. Quo témpore prostratiónibus flexionibúsque génuum crebris ac laboriósis corpúsculum fatigábat. Páululum ætáte progréssa, sibi cilícium índuit, quod sex ipsis annis, corpus in servitútem redactúra, tulit. Caténa férrea primum, deínde árctius funículo lumbos cinxit : qui, ubi ea adolévit, ita adhæsit cárnibus, ut sine chirúrgi ópera recídi avellíque non posset. Itaque, ne res efferrétur, ad preces se ipsa convértit : utque sibi funículus ante pedes decideret, divínitus, ut est memóriæ próditum, impetrávit.

Lectio v.

CUM in Tértium sancti Domínici Ordinem cooptáta esset, Deóque virginitátem devovísset suam, ejus, quem sibi patris loco delégerat, imitáta vitam, a vino se atque a cárnibus abstinére, permúltas noctes, eásque potíssimum quæ præcípuis diébus festis antecéderent, meditatióni divinárum rerum precibúsque insístens, pene insómnes dúcere, quietísque aliquántulum captúra, lápide cápiti suppósito,

humi cubáre, caténa férrea ter se quaque nocte cædere diutíssime perseverávit. Cui postrémo géneri afflictatiónis, confessário obtémperans, modum aliquándo fecit. Qua vitæ severitáte sic debilitáta víribus est, ut tandem in morbum incíderit sideratiónis. Cumque difficili uterétur respiratióne, jacéreque proptérea nequíret, atque idcírco sedére perpétuo cogerétur, contráctis ulcéribus, sine máximo dolóris sensu ne léviter quidem attólli póterat. Quem dolórem sic pértulit, ut ejus patiéntiam laudárent omnes, assiduitátem orándi admiraréntur. Quinquénnio fere cum vexáta ádeo pertináci ægritúdine fuísset, recuperándæ (si modo placuísset Deo) salútis causa, voto Bonóniam sese ad sancti Domínici sepúlcrum conferéndi facto, repénte summa astántium admiratióne sanáta est.

Lectio vj.

BONONIAM profécta, solutóque voto, in pátriam revértit : quodque jámdiu cœperat, postque valetúdinis causa intermíserat, dénuo suscépit institútum vitæ. Quo quidem institúto, austeritátis et labóris pleno, cum ita spirítui subegísset carnem, ut mentem fácile avocáret a sénsibus, atque in una mysteriórum fídei contemplatióne defíxa esse vidérétur, multis magnísque aucta divínitus donis fuit. Sed in ea cópia gratiárum a nulla re magis abhórruit quam ab ináni glóriæ cupiditáte. Dénique inédia, vigíliis, defatigatióne córporis diutúrna afflícta, cum petíisset dissólvi, et esse cum Christo, sacris Ecclésiæ suscéptis, tértio Kaléndas Novémbris, anno millésimo ducentésimo nonagésimo secúndo læta decéssit. Quod ut est divulgátum, magno número cives, rati novam se in cælis apud Deum patrónam nactos, in ejus ædes primum, tum in ecclésiam Fratrum Prædicatórum Forojuliénsium, quo illíus corpus illátum est, miraculísque, ut fertur, illustrári cœpit, veneratiónis erga illam suæ cultúsque declarándi causa confluxérunt. Quem cultum nunquam intermíssum Clemens Décimus tértius Póntifex Máximus ex sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto probávit, Ordiníque Prædicatórum univérso de beáta Benvenúta Vírgine recitándi Offícii Missæque celebrándæ potestátem fecit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE XXX. OCTOBRIS.

SACRARUM RELIQUIARUM QUÆ IN ECCLESIIS NOSTRIS ASSERVANTUR.

TOTUM DUPLEX.

Quæ hic posita non sunt fiant ut in Communi plurimorum Martyrum. Oratio.

DEUS, qui hanc sacrosánctam Ecclésiam tot voluísti Sanctórum decorári Relíquiis : concéde nobis fámulis tuis ut quorum memóriam venerámur in terris, eórum consórtio perfruámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de Fide orthodóxa.

Lectio iv. (Lib. 4. cap. 16.)

CHRISTUS Dóminus Sanctórum Relíquias velut salutíferos fontes præbuit, ex quibus plúrima nobis benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat :- nam si aqua in desérto ex áspera et sólida rupe atque ex ásini maxílla ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit; erítne cur cuíquam incredíbile videátur ex Mártyrum Relíquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe : iis quidem, quibus Dei poténtia, honórque, quo Sanctos suos áfficit, perspéctus et explorátus est. Atque illud quidem véteri Lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur; verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt.

Lectio v.

EX quo enim ípsamet vita, ac vitæ Auctor inter mórtuos adscríptus est, eos, qui in spe resurrectiónis fidéque erga eum, diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per ea dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci perspíciunt, leprósi mundántur, tentatiónes ac mæróres discutiúntur; ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, eórum ópera ad eos, qui fide mínime dúbia póstulant, descéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? An non ígitur hi honorándi sunt, qui totius humáni géneris patrónos se profiténtur, ac Deo nostra causa súpplicant?

Lectio vj.

HONORANDI certe, et quidem ita ut in eórum nómine templa Deo exstruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimírum lætítia nostra iis, a quibus invitámur, cóngruat, ne, dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem quoque Servi ipsíus oblectántur : quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ipsíus mílites offendúntur. Quocírca, in psalmis et hymnis et cántibus spirituálibus, et compunctióne, et eórum, qui in egestáte versántur, commiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur, Sanctos colámus. Státuas ipsis ac visíbiles imágines erigámus : immo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ atque imágines simus.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Descéndens Jesus de monte., ut in Communi plurimorum Martyrum, pag. 65*.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

IN VIGILIA
OMNIUM SANCTORUM.

Homilia in Evangelium Descéndens Jesus de monte., ut in Communi plurimorum Martyrum, pag. 65*.

In Laudibus Memoria S. Quintini Martyris. Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris : ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Quintíni Mártyris tui intercessióne liberémur. Per.

DIE I. NOVEMBRIS.

IN FESTIVITATE OMNIUM SANCTORUM.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti! Amícti stolis albis sequúntur Agnum, quocúmque íerit. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Apoc. 7.

ECCE ego Joánnes vidi álterum Angelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi : et clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum est nocére terræ et mari, dicens : Nolíte nocére terræ et mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum.

℟. Concéde nobis Dómine, quæsumus, véniam delictórum : et intercedéntibus Sanctis, quorum hódie solémnia celebrámus, talem nobis tríbue devotiónem, * Ut ad eórum pervenire mereámur societátem. ℣. Adjuvent nos eórum mérita, quos própria impédiunt scélera : excúset intercéssio accúsat quos áctio : et qui eis tribuísti cæléstis palmam triúmphi, nobis véniam non déneges peccáti. — Ut ad eórum. Glória. Ut ad eórum.

Hymnus.

JESU Salvátor sæculi
Redémptis ope súbveni :
Et pia Dei Génitrix
Salútem posce míseris.

CŒTUS omnes Angélici,
Patriarchárum cúnei,
Et Prophetárum mérita
Nobis precéntur véniam.

BAPTISTA Christi prævius,
Et Cláviger æthéreus,
Cum céteris Apóstolis,
Nos solvant nexu críminis.

CHORUS sacrátus Mártyrum,
Conféssio Sacerdótum,
Et Virgináles cástitas
Nos a peccátis ábluant.

MONACHORUM suffrágia,
Omnésque Cives cælici
Annuant votis súpplicum,
Et vitæ poscant præmium!

LAUS, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat Aña. Beáti estis Sancti Dei omnes, qui meruístis consórtes fíeri cæléstium Virtútum et pérfrui claritátis glória : ideóque precámur ut mémores nostri, intercédere dignémini pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Oratio.

DOMINE Deus noster multiplica super nos grátiam tuam : et quorum prævenímus gloriósa solémnia tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem regum Dóminum veníte adorémus : *Quia ipse est coróna Sanctórum ómnium.

Hymnus Jesu Salvátor sæculi., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ✝ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Adésto Deus unus omnípotens, Pater et Fílius et Spíritus sanctus.

Psalmus 18.

CÆLI enárrant glóriam Dei,* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Aña. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias.

Psalmus 102.

BENEDIC ánima mea Dómino : * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus :

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua :

Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntátes suas.

Miserátor, et misércors Dóminus : * longánimis, et multum misércors.

Non in perpétuum irascétur : * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cæli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, ℣ misértus est Dóminus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : ℣ homo, sicut fœnum dies ejus, * tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus :

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam : * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino omnes virtútes ejus : * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Aña. Laudémus Dóminum, quem laudant Angeli, cui Chérubim et Séraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus proclámant.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Benedictio. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnus. ℟. Amen.

(Ex Sermone Rabani, vel Maximi Tarentini.)

Lectio j.

LEGIMUS in ecclesiásticis históriis quod sanctus Bonifácius Papa Quartus a Phoca Cæsare impetráverit donári Ecclésiæ templum Romæ, quod ab antíquis Pántheon vocabátur. In hoc ígitur, elimináta omni spurcítia, fecit ecclésiam sanctæ Dei Genitrícis atque ómnium Mártyrum, ut exclúsa multitúdine dæmonum, plebs univérsa in cápite Kalendárum Novémbrium, ad ecclésiam in honórem ómnium Sanctórum consecrátam conveníret. Crescénte ígitur religióne christiána, decrétum est ut per orbem terrárum memória ómnium Sanctórum ea die haberétur : ut quod humána fragílitas in solemnitátibus eórum minus plene peregísset, in hac sancta observatióne solverétur. Nunc ergo in ómnium primórdiis Sanctórum, laudáre cóndecet eum, qui cunctos cóndidit Sanctos.

℟. j. Summæ Trinitáti, símplici Deo, una divínitas, æquális glória, coætérna majéstas, Patri Prolíque sanctóque Flámini : * Qui totum subdit suis orbem légibus. ℣. Præstet nobis grátiam Déitas beáta Patris ac Nati paritérque Spíritus almi. — Qui totum subdit.

Benedictio. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Lectio ij.

BEATA Dei Génitrix et semper Virgo María, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum, præséntis solemnitátis diéi expers nullo modo credénda est. Hæc est enim, quæ Dei pópulum faciéndo monébat spérnere perítúri luxus sæculi, ac lenocínia mortális vitæ declináre : carnis quoque pudicítiam cum virginitátis honóre intra cordis hospítium observáre. Decébat eam, ómnium virtútum Regínam, fructum cunctis esse salútis perpétuæ : et sóciam Angelórum, omnes suis informáre exémplis. Unde et innumerábilis utriúsque sexus multitúdo ejus secúta est vestígia, relíctis nuptiárum cópulis.

℟. ij. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima :* Quia ex te ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solemnitátem. — Quia ex te ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster.

Benedictio. Spíritus sancti grátia illumináre dignétur sensus et corda nostra. ℟. Amen.

Lectio iij.

PRINCIPIUM ac finis omnis creatúræ, supérna cælórum regna Spirítibus angélicis ad laudem et glóriam atque honórem sui nóminis ac majestátis, in perpétuum miro órdine collocávit. Novem autem esse Angelórum órdines ad Dei judícia ac ministéria complénda, testánte sacro elóquio, cognóvimus : quorum Principátus atque Potestátes subtíliter ac mirabíliter Dei omnipoténtis nutu distinguúntur. Talibúsque, a primórdio incipiéntis vitæ, beatórum Spirituum distinctiónibus supérna cælórum regna a Deo Conditóre in perpétuum mirabíliter collocáta subsístunt. His ómnibus, fratres caríssimi, tam decóris ac Deo dilèctis Angelórum agmínibus, hujus diéi solemnitátem crédimus esse consecrátam.

℟. iij. Te sanctum Dóminum in excélsis laudant omnes Angeli dicéntes : Te decet laus Et honor, Dómine. ℣. Chérubim quoque et Séraphim Sanctus proclámant, et omnis cælicus ordo, dicéntes. — Te decet laus. Glória. Et honor Dómine.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 91.

BONUM est confitéri Dómino : * et psállere nómini tuo Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo, psaltério : * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me Dómine in factúra tua : * et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet: * et stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut fœnum : * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in sæculum sæculi : * tu autem Altíssimus in ætérnum Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui Dómine, ℣ quóniam ecce inimíci tui períbunt : * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus, ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : * et bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus Deus noster : * et non est iníquitas in eo.

Aña. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Aña. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúia.

Psalmus 45.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodigia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confríget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Aña. Isti sunt Sancti, qui pro Dei amóre minas hóminum contempsérunt : sancti Mártyres in regno cælórum exsúltant cum Angelis. O quam pretiósa est mors Sanctórum, qui assídue assístunt ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti!

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Benedictio. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

Lectio iv.

SOLEMNITAS hæc non solum Angelórum spirítibus, verum Sanctis ómnibus, qui ab exórdio mundi creáti sunt, dedicáta consístit. Quorum primi fuérunt Patriárchæ, patres Prophetárum et Apostolórum. Hi Deo digni invénti sunt, fide præclári, sapiéntes in ópere, reparatóres orbis, justítia insígnes, longánimes in spe, obediéntes in præcéptis, créduli in promissiónibus, susceptóres Angelórum effécti. Hos séquitur eléctio Prophetárum, cum quibus locútus est Deus, et osténdit illis secréta sua. Quorum álii in útero, álii in puerítia, álii in juventúte, álii in senectúte sanctificáti invénti sunt, fide pleni, devotióne summi, indústria solértes, excellénti ingénio prædíti: in exercitatióne disciplínæ instrúcti, in sancta meditatióne assídui, metúque mortis intrépidi : verberántes tyránnos, peccáta pópuli plangéntes, multísque signis effulsére. Hos séquitur Joánnes Baptísta, qui eódem Angelo, quo Christus, denuntiánte concéptus, exórdio baptismatis primátum ténuit.

℟. iv. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta :* Qui viam Dómino præparávit in erémo. ℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. — Qui viam Dómino præparávit in erémo.

Benedictio. Ad gáudia Paradísi perdúcat nos misericórdia Christi. ℟. Amen.

Lectio v.

SEQUITUR duodénus Apostolórum número : quos ad componéndum novæ fídei fundaméntum, erigendúmque adhuc téneræ statum Ecclésiæ providéntia divína ex ómnibus, quos capiébat mundus, elégit : ut in omnem terram exíret sonus eórum. Hi veræ viti, id est Christo, tamquam pálmites adhæsére : et eórum fructus in sempitérnum pérmanens non marcéscit. Hi sunt, quibus locútus est Dóminus dicens : Vos estis lux mundi. Et : Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita: neque accéndunt lucérnam,

et ponunt eam sub módio. Et íterum : Jam non dicam vos servos, sed amícos : quia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis.

℟. v. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, *Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Benedictio. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. ℟. Amen.

Lectio vj.

APOSTOLIS subjéctum est triumphále Mártyrum nomen : qui per divérsa tormentórum génera Christi Passiónem imitabántur. Alii namque ferro perémpti, álii flammis exústi, álii flagris verberáti, álii véctibus perforáti, álii cruciáti patíbulo, álii demérsi pélagi períclo, álii vivi decoriáti, álii vínculis mancipáti, álii linguis priváti, álii lapídibus óbruti, álii frígore afflícti, álii fame cruciáti : álii vero truncátis mánibus, sive céteris membris cæsis, spectáculum Angelis et homínibus facti, contumélias in pópulis nudi propter nomen Dómini portavérunt.

℟. vj. Lavérunt stolas suas, et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. — In sánguine Agni. Glória. In sánguine Agni.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 32.

EXSULTATE justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cithara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini : * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus dissípat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Aña. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætitiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Aña. Símile est regnum cælórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ.

Psalmus 83.

QUAM dilécta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ℣ ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Aña. Laudem dícite Deo nostro omnes Sancti ejus : et qui timétis Deum pusílli et magni : quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens : gaudeámus, et exsultémus, et demus glóriam ei.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Benedictio. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen.

Lectio vij.

IPSIS quoque Sacerdótibus atque Doctóribus sive Confessóribus hujus festivitátem diéi non ignótam esse crédimus : qui corda fidélium imbribus irrigárunt cæléstibus, ut proférre immarcescíbilem bonórum óperum fructum possent. Hi talénta sibi crédita, cum usúra sine fraude amplificáre procuravérunt : quia bonum, quod didicére, subjectórum méntibus, arguéndo, obsecrándo, increpándo, insérere nitebántur. Horum mens lucidíssima, manus vero plenæ mundítia sunt : eo quod sacrosáncta mystéria celebrántes, hóstiam vivam Deo semetípsos offérre sine mácula pravi óperis non desístunt. Et licet persecutórum non sénserint gládium, tamen per vitæ méritum martyrio non privántur.

℟. vij. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos.

Benedictio. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Lectio viij.

VIRGINES quoque sacræ ab hujus diéi solemnitáte non sunt separátæ. Hæ sunt enim, quæ spreta liberórum propágine, Sponso, qui in cælis est, perénni mente, actu, hábitu et gestu, sese applicáre maluérunt. Hæ sunt, quæ oratiónibus instántes, jejúniis adhæréntes, vigílias sacras amántes, eleemósynas sectántes, páuperes recreántes, nudos vestiéntes, infírmos visitántes, in tribulatióne gaudéntes, in verbis calúmniæ vel contuméliæ patiéntes, in augménto suæ perfectiónis húmiles, in damno rerum temporálium Deo grátias agébant.

℟. viij. Audívi vocem de cælo veniéntem : Veníte omnes vírgines sapientíssimæ, * Oleum recóndite in vasis vestris, dum sponsus advénerit. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit. — Oleum recóndite.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix.

NOS ergo, fratres, tantórum patrocínia intercessórum tota mentis intentióne quærámus : ut per temporália festa, quæ gérimus, eórum méritis interveniéntibus, ad ætérna pervenire valeámus. Tránseunt cuncta, quæ temporáliter festíve celebrántur. Curáte, qui his solemnitátibus interéstis, ne ab ætérna solemnitáte separémini. Quid enim prodest interésse festis hóminum, si deésse contíngat festis Angelórum?

℟. ix. Concéde nobis, Dómine quæsumus, véniam delictórum : et intercedéntibus Sanctis, quorum hódie solémnia celebrámus, talem nobis tríbue devotiónem, * Ut ad eórum pervenire mereámur societátem. ℣. Adjuvent nos eórum mérita, quos própria impédiunt scélera : excúset intercéssio, accúsat quos áctio : et qui eis tribuísti cæléstis palmam triúmphi, nobis véniam non déneges peccáti. — Ut ad eórum. Glória. Ut ad eórum.

Ante Laudes ℣. Oráte pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES.

1. Vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus, stantes ante thronum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Et omnes Angeli stabant in circúitu throni : et cecidérunt in conspéctu ejus in fácies suas, et adoravérunt Deum.

3. Redemísti nos Dómine Deus in sánguine tuo, ex omni tríbu et lingua, et pópulo et natióne : et fecísti nos Deo nostro regnum.

4. Benedícite Dóminum omnes elécti ejus : ágite diem lætítiæ, et confitémini ei.

5. Hymnus ómnibus Sanctis ejus : fíliis Israel, pópulo appropinquánti sibi : glória hæc est ómnibus Sanctis ejus.

Capitulum. Apoc. 7.

ECCE ego Joánnes vidi álterum Angelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi : et clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum est nocére terræ et mari, dicens : Nolíte nocére terræ et mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in frontibus eórum.

Hymnus.

CHRISTE Redémptor ómnium
Consérva tuos fámulos,
Beátæ semper Vírginis
Placátus sanctis précibus.
BEATA quoque ágmina
Cæléstium Spirítuum,
Prætérita, præséntia,
Futúra mala péllite.
VATES ætérni Júdicis,
Apostolíque Dómini,
Supplíciter expóscimus
Salvári vestris précibus.
MARTYRES Dei ínclyti,
Confessorésque lúcidi,
Vestris oratiónibus
Nos ferte in cæléstibus.
CHORI sanctárum Vírginum,
Monachorúmque ómnium,
Simul cum Sanctis ómnibus,
Consórtes Christi fácite.
GENTEM auférte pérfidam
Credéntium de finibus :
Ut Christo laudes débitas
Persolvámus alácriter.
LAUS, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Ad Benedictus Aña. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis número, te Mártyrum candidátus laudat exércitus : te omnes Elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per.

AD PRETIOSA.

Evangelium.

Secúndum Matthæum. Cap. 5.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum docébat eos dicens : Beáti páuperes spíritu. Tu autem Dómine.

AD TERTIAM.

Capitulum Ecce ego Joánnes. ut in Laudibus.

℟. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, * Allelúia, allelúia. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Allelúia. Glória. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Oratio Omnípotens. ut in Laudibus.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 7.

AUDIVI númerum signatórum, centum quadragínta quátuor míllia signáti ex omni tribu filiórum Israel.

℟. Exsúltent justi in conspéctu Dei, * Allelúia, allelúia. Exsúltent justi. ℣. Et delecténtur in lætítia. Allelúia. Glória. Exsúltent justi.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Oratio Omnípotens. ut in Laudibus.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 7.

VIDI turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat ex ómnibus géntibus, et tríbubus, et pópulis, et linguis: stantes ante thronum.

℟. Justi autem in perpétuum vivent, * Allelúia, allelúia. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. Allelúia. Glória. Justi autem.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Oratio Omnípotens. ut in Laudibus.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus stantes ante thronum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi plurimorum Martyrum, pag. 62*.

Capitulum Ecce ego. ut in Laudibus.

Hymnus.

JESU Salvátor sæculi
Redémptis ope súbveni:
Et pia Dei Génitrix
Salútem posce míseris.

CŒTUS omnes angélici,
Patriarchárum cúnei,
Et Prophetárum mérita
Nobis precéntur véniam.

BAPTISTA Christi prævius,
Et Cláviger æthéreus,
Cum céteris Apóstolis,
Nos solvant nexu críminis.

CHORUS sacrátus Mártyrum,
Conféssio Sacerdótum,
Et Virgínális cástitas
Nos a peccátis ábluant.

MONACHORUM suffrágia,
Omnésque cives cælici
Annuant votis súpplicum,
Et vitæ poscant præmium!

LAUS, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat Aña. Salvátor mundi salva nos omnes: sancta Dei Génitrix Virgo semper María ora pro nobis: précibus quoque sanctórum Apostolórum, Mártyrum et Confessórum atque sanctárum Vírginum suppliciter pétimus ut a malis ómnibus eruámur, bonísque ómnibus nunc et semper pérfrui mereámur. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per.

Finita præcedenti Oratione (et facta Memoria Dominicæ, si ea die occurrerit), dicatur: Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Et statim (nisi Sabbatum fuerit) inchoentur Vesperæ Defunctorum, quæ dicantur ut in Officio Defunctorum, p. 175*.

notatum est, cum sola Oratione Fidélium Deus ómnium., pag. 178*. Non fiant Prostrationes.

SI Festivitas Omnium Sanctorum Sabbato evenerit, dicta in ij. Vesperis Oratione Omnípotens sempitérne Deus, ut supra, fiat Memoria Dominicæ:

Aña. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum : et plena erat omnis terra majestáte ejus : et ea quæ sub ipso erant, replébant templum.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Oratio Dominicæ occurrentis post Octavam Trinitatis, vel post Octavam Epiphaniæ respective.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

In crastino totum Officium tam diei quam noctis de Dominica infra Octavam erit, ut pag. 944. notatum est. Et tunc in eadem die Dominica post Vesperas de Octava, dicantur Vesperæ Defunctorum.

DIE II. NOVEMBRIS.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCT.

NOVEM LECTIONES.

Ad Matutinum et ad Horas non fiant prostrationes.

AD MATUTINUM.

Non dicatur Dómine lábia mea apéries., neque Deus in adjutórium., neque Veníte exsultémus., neque Hymnus; sed dicto Pater noster. et Credo., postquam signaverint se fratres signo Crucis, versis vultibus ad altare (quod et ad alias Horas erit observandum), statim incipiatur primum Nocturnum.

¶ In tribus Nocturnis Psalmi, Antiphonæ et Versiculi ut in Officio Defunctorum, pag. 179*. et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

¶ Novem Lectiones sequentes legantur sine Benedictione, et sine titulo. Sed dicto Pater noster.... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo., incipiatur

(S. August. in Enchir. cap. 109. et seq. et lib. De cura pro mort. cap. 2.)

Lectio j.

TEMPUS, quod inter hóminis mortem et últimam resurrectiónem interpósitum est, ánimas ábditis receptáculis

cóntinet, sicut unaquæque digna est vel réquie vel ærúmna, pro eo quod sortíta est in carne, cum víveret. Neque negándum est defunctórum ánimas pietáte suórum vivéntium relevári, cum pro illis sacrifícium Mediatóris offértur, vel eleemósynæ in Ecclésia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum víverent, hæc sibi, ut póstea possent prodésse, meruérunt. Est enim quidam vivéndi modus, nec tam bonus ut non requírat ista post mortem : nec tam malus ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut ista non requírat : et est rursus talis in malo, ut nec his váleat, cum de hac vita transíerit, adjuvári.

℣ Terminentur Lectiones sine Tu autem. et sine alia conclusione.

℟. j. Credo quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : et in carne mea vidébo Deum * Salvatórem meum. ℣. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius, et óculi mei conspectúri sunt. — Salvatórem meum.

Lectio ij.

Quo circa, hic omne méritum comparátur, quo post hanc vitam possit relevári quíspiam, vel gravári. Nemo autem se speret, quod hic neglégxit, cum obíerit, apud Deum promeréri. Non ígitur ista, quæ pro defúnctis commendándis frequéntat Ecclésia, illi Apostólicæ sunt advérsa senténtiæ, qua dictum est : Omnes enim astábimus ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque secúndum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum. Quia étiam hoc méritum sibi quisque, dum in córpore víveret, comparávit, ut ei possint ista prodésse. Non enim ómnibus prosunt. Et quare non ómnibus prosunt, nisi propter differéntiam vitæ, quam quisque gessit in córpore?

℟. ij. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto fœtidum : * Tu eis Dómine dona réquiem, et locum indulgéntiæ. ℣. Qui ventúrus es judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. — Tu eis Dómine.

Lectio iij.

Cum ergo sacrifícia sive altáris, sive quarumcúmque eleemosynárum pro baptizátis defúnctis ómnibus offerúntur, pro valde bonis gratiárum actiónes sunt; pro non valde malis propitiatiónes sunt; pro valde malis, etiámsi nulla sint adjuménta mortuórum, qualescúmque vivórum consolatiónes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remíssio : aut certe ut tolerabílior fiat ipsa damnátio. Sed utrum áliquid prosit ánimæ mórtui locus córporis sui, operósius inquiréndum est. Sane non sunt contemnénda et abjiciénda córpora defunctórum, maximéque justórum ac fidélium : quibus tamquam órganis et vasis ad ómnia bona ópera sanctus usus est Spíritus.

℟. iij. Dómine, quando véneris judicáre terram, ubi me abscóndam a vultu iræ tuæ : * Quia peccávi nimis in vita mea? ℣. Commíssa mea pavésco, et ante te erubésco : dum véneris judicáre, noli me condemnáre. — Quia peccávi nimis in vita mea.

IN II. NOCTURNO.

(S. Aug. de cura pro mort. gerenda ad Paulin. cap. 3. et seq.)

Lectio iv.

SI enim patérna vestis et ánulus, ac si quid hujúsmodi tanto cárius est pósteris, quanto erga paréntes major éxstitit affféctus : nullo modo ipsa spernénda sunt córpora, quæ útique multo familiárius atque conjúnctius quam quælibet induménta gestámus. Hæc enim non ad ornaméntum vel adjutórium, quod adhibétur extrínsecus, sed ad ipsam natúram hóminis pértinent. Unde et antiquórum justórum fúnera officiósa pietáte curáta sunt, et exséquiæ celebrátæ, et sepultúra provísa : ipsíque, cum víverent, de sepeliéndis vel étiam de transferéndis suis corpóribus fíliis mandavérunt. Et Tobías sepeliéndo mórtuos Deum promeruísse, teste Angelo, commendátur.

℟. iv. Heu mihi, Dómine, quia peccávi nimis in vita mea. Quid fáciam miser? ubi fúgiam, nisi ad te Deus meus? Miserére mei, dum véneris * In novíssimo die. ℣. Anima mea turbáta est valde, sed tu Dómine succúrre ei. — In novíssimo die.

Lectio v.

IPSE quoque Dóminus die tértio resurrectúrus, religiósæ muliéris bonum opus prædicat prædicandúmque commendat, quod unguéntum pretiósum super membra ejus effúderit, atque hoc ad eum sepeliéndum fécerit. Et laudabíliter commemorántur in Evangélio, qui corpus ejus de cruce accéptum diligénter atque honorífice tegéndum sepeliendúmque curárunt. Verum istæ auctoritátes non hoc ádmonent quod insit ullus cadavéribus sensus; sed ad Dei providéntiam (cui placent étiam tália pietátis officia) córpora quoque mortuórum pertinére significant, propter fidem resurrectiónis astruéndam.

℟. v. Ne recordéris peccáta mea Dómine : * Dum véneris judicáre sæculum per ignem. ℣. Dírige Dómine Deus meus in conspéctu tuo viam meam. — Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

Lectio vj. Cap. 4.

QUOD si verum est, profécto étiam provísus sepeliéndis corpóribus apud Memórias Sanctórum locus, bonæ affectiónis humánæ est erga fúnera suórum. Quóniam si nonnúlla relígio est ut sepeliántur; non potest nulla esse quando ubi sepeliántur atténditur. Sed cum tália vivórum solátia requirúntur, quibus eórum pius in suos ánimus appáreat, non vídeo quæ sint adjuménta mortuórum, nisi ad hoc, ut dum récolunt ubi sint pósita eórum, quos díligunt, córpora, eísdem Sanctis illos tamquam patrónis susceptos apud Dóminum adjuvándos orándo comméndent.

℟. vj. Dómine secúndum actum meum noli me judicáre: nihil dignum in conspéctu tuo egi : * Ideo déprecor majestátem tuam, ut tu Deus déleas iniquitátem meam. ℣. Amplius lava me, Dómine, ab injustítia

mea, et a delícto meo munda me : quia tibi soli peccávi. — Ideo déprecor majestátem tuam.

IN III. NOCTURNO.

Lectio vij.

ET hæc quidem fácere possent, etiámsi tálibus locis eos humáre non possent. Sed non ob áliud vel Memóriæ vel Monuménta dicúntur ea, quæ insignita fiunt, sepúlcra mortuórum, nisi quia eos, qui vivéntium óculis morte subtrácti sunt, ne oblivióne étiam córdibus subtrahántur, in memóriam révocant, et admonéndo fáciunt cogitári. Nam et Memóriæ nomen id apertíssime osténdit, et Monuméntum, eo quod móneat mentem, id est admóneat, nuncupátur.

℟. vij. Peccántem me quotídie, et non me pœniténtem, timor mortis contúrbat me : * Quia in inférno nulla est redémptio, miserére mei Deus, et salva me. ℣. Deus in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua líbera me. — Quia in inférno.

Lectio viij. Cap. 4. et cap. 5.

CUM ítaque récolit ánimus ubi sepúltum sit caríssimi corpus, et occúrrit locus nómine Mártyris venerábilis : eídem Mártyri ánimam diléctam comméndat recordántis et precántis afféctus. Qui cum defúnctis a fidélibus caríssimis exhibétur, eum prodésse non dúbium est iis, qui cum in córpore viverent, tália sibi post hanc vitam prodésse meruérunt. Cum ergo fidélis mater fidélis filii defúncti corpus desiderávit in basilica Mártyris poni (síquidem crédidit ejus ánimam méritis Mártyris adjuvári) hoc quod ita crédidit, supplicátio quædam fuit : et hæc prófuit, si quid prófuit.

℟. viij. Meménto mei Deus : quia ventus est vita mea,* Nec aspíciet me visus hóminis. ℣. Et non revertétur óculus meus, ut vídeat bona. — Nec aspíciet me visus hóminis.

Lectio ix. Cap. 18.

QUÆ cum ita sint, non existimémus ad mórtuos, pro quibus curam gérimus, pervenire, nisi quod pro eis, sive altáris, sive oratiónum, sive eleemosynárum sacrifíciis soléminter supplicámus : quamvis non pro quibus fiunt ómnibus prosint, sed iis tantum, quibus dum vivunt, comparátur ut prosint. Sed quia non discérnimus qui sint : opórtet ea pro regenerátis ómnibus fácere, ut nullus eórum prætermittátur, ad quos hæc benefícia possint et débeant pervenire. Mélius enim supérerunt ista eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis déerunt, quibus prosunt.

℟. ix. Líbera me Dómine de morte ætérna, in die illa treménda : * Quando cæli movéndi sunt, et terra : * Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. j. Dies illa, dies iræ, calamitátis et miséria, dies magna et amára valde. — Quando cæli. usque ad Dum véneris. exclusive.

℣. ij. Tremens factus sum ego, et tímeo, dum discússio vénerit, atque ventúra ira. — Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. iij. Quid ego miserrimus, quid dicam, vel quid fáciam, dum nil boni pérferam ante tantum Júdicem? — Quando cæli. usque ad Dum véneris. exclusive.

℣. iv. Nunc Christe te pétimus, miserére, quæsumus: qui venísti redímere pérditos, noli damnáre redémptos. — Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. v. Creátor ómnium rerum Deus, qui me de limo terræ formásti, et mirabíliter próprio sánguine redemísti, corpúsque meum, licet modo putréscat, de sepúlcro fácies in die judícii resuscitári: exáudi, exáudi me, ut ánimam meam in sinu Abrahæ Patriárchæ tui júbeas collocári. ℟. Líbera me Dómine de morte ætérna in die illa treménda: quando cæli movéndi sunt et terra: dum véneris judicáre sæculum per ignem.

Quo dicto, statim inchoentur Laudes.

AD LAUDES.

Omnia desumantur ex Officio Defunctorum, pag. 187*. Oratio tamen Fidélium. sola dicatur.

AD PRETIOSA.

Pretiósa. more solito dicatur cum sequenti Evangelio:

Secúndum Joánnem. Cap. v. In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Amen, amen, dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mórtui áudient vocem Fílii Dei: et qui audíerint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetípso: sic dedit et Fílio habére vitam in semetípso. Tu autem Dómine.

AD PRIMAM.

Dicto Pater noster. et Credo in Deum., omissis ℣. Deus in adjutórium. et Hymno, signent se Fratres versis ad altare vultibus, et dicant Psalmos consuetos. Post singulos autem Psalmos neque Versus Glória Patri. neque Versus Réquiem. dicatur, sed in fine tantum tertii Psalmi dicatur Aña. Réquiem ætérnam dona eis Dómine: et lux perpétua lúceat eis.

Deinde Confíteor. et Misereátur., postea:

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

Fidélium Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Non dicatur post Orationem Dóminus vobíscum., neque Benedicámus Dómino., neque Fidélium ánimæ., sed tantummodo Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Dicto Pater noster., omissis ℣. Deus in adjutórium. et Hymno signent se Fratres versis ad altare vultibus, et dicant Psalmos consuetos. Post singulos autem Psalmos neque

Versus Glória Patri., neque Versus Réquiem. dicatur, sed in fine tantum tertii Psalmi dicatur Aña. Réquiem ætérnam dona eis Dómine : et lux perpétua lúceat eis.

Deinde ℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

FIDELIUM Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Non dicatur post Orationem Dóminus vobíscum., neque Benedicámus Dómino., neque Fidélium ánimæ., sed tantummodo Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Finita Nona, dicatur Pater noster., deinde Aña. Salve Regína. et Aña. Pie Pater Domínice., cum ℣℣. et Orationibus quæ in fine Horarum dici consueverunt, et sic terminetur hoc Officium.

In Vesperis vero sequentibus, super Psalmos Aña. Vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus stantes ante thronum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi plurimorum Martyrum, pag. 62*.

Capitulum vero, ℟., Hymnus, ℣., Antiphona ad Magnificat et Oratio erunt de beato Simone (vel, si Commemoratio Omnium Defunctorum die iij. Novembris celebrata fuerit, de S. Carolo) cum Memoria Octavæ per Aña Salvátor., ℣. Lætámini. et Orationem Omnípotens sempitérne Deus. ut infra.

PER OCTAVAM OMNIUM SANCTORUM.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Te glorióus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis número, te Mártyrum candidátus laudat exércitus : te omnes Elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Salvátor mundi salva nos omnes : sancta Dei Génitrix Virgo semper María ora pro nobis : précibus quoque sanctórum Apostolórum, Mártyrum et Confessórum atque sanctárum Vírginum supplíciter pétimus ut a malis ómnibus eruámur, bonísque ómnibus nunc et semper pérfrui mereámur.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio Omnípotens sempitérne Deus. ut ad Memoriam in Laudibus.

DOMINICA
INFRA OCTAVAM OMNIUM SANCTORUM.

¶ Si dies secunda Novembris in Dominica inciderit, hoc modo fiat Officium.

AD MATUTINUM.

In vitatorium. Regem regum Dóminum veníte adorémus : *Quia ipse est coróna Sanctórum ómnium.

Hymnus Jesu Salvátor sæculi., ut in j. Vesperis Festi, pag. 925.

IN I. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. ut in j. Nocturno Festi, pag. 926. et sequentibus.

Lectiones de Apostolo ex ij. Nocturno Dominicæ occurrentis post Octavam Trinitatis aut post Octavam Epiphaniæ respective.

℟℟. ut in j. Nocturno Festi, pag. 928.

IN II. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. ut in ij. Nocturno Festi, pag. 929. et sequentibus.

Lectiones vero et ℟℟. ut infra.

Sermo sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.
(Lib. de mortalitate, sub fine.)

Lectio iv.

CONSIDERANDUM est, fratres dilectíssimi, et idéntidem cogitándum renuntiásse nos mundo : et tamquam hóspites et peregrínos istic ínterim dégere. Amplectámur diem, qui assignat síngulos domicílio suo : qui nos, istinc eréptos et láqueis sæculáribus exsolútos, Paradíso restituit et regno cæléstí. Quis non péregre constitútus, properáret in pátriam régredi? Quis non ad suos navigáre festínans ventum prósperum cupídius optáret, ut velóciter caros licéret amplécti?

℟. iv. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta : * Qui viam Dómino præparávit in erémo. ℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. — Qui viam Dómino.

Lectio v.

PATRIAM nostram Paradísum computámus, paréntes Patriárchas habére jam cœpimus; quid non properámus et cúrrimus, ut Pátriam nostram vidére, ut paréntes salutáre possímus? Magnus illic nos carórum número exspéctat : paréntum ac fratrum frequens nos et copiósa turba desíderat, jam de sua immortalitáte secúra, et adhuc de nostra salúte sollícita. Ad horum conspéctum et compléxum veníre, quanta et illis et nobis in commúni lætítia est! Qualis illic cæléstium regnórum volúptas, sine timóre moriéndi, et cum æternitáte vivéndi! Quam summa et perpétua felícitas!

℟. v. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ.

Lectio vj.

ILLIC Apostolórum gloriósus chorus : illic Prophetárum exsultántium número : illic Mártyrum innumerábilis pópulus, ob certáminis et pas-

siónis victóriam coronátus. Triumphántes illic Vírgines, quæ concupiscéntiam carnis et córporis, continéntiæ róbore subegérunt. Remuneráti misericórdes, qui aliméntis et largitiónibus páuperum, justítiæ ópera fecérunt : qui Dominica præcépta servántes, ad cæléstes thesáuros terréna patrimónia transtulérunt. Ad hos, fratres dilectíssimi, ávida cupiditáte properémus : et cum his cito esse, ut cito ad Christum veníre contíngat, optémus.

℟. vj. Lavérunt stolas suas, et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. — In sánguine Agni. Glória. In sánguine Agni.

IN III. NOCTURNO.

Psalmi, Antiphonæ et ℣. ut in iij. Nocturno Festi, pag. 932. et sequentibus.

Homilia Dominicæ occurrentis. ℟℟. ut in iij. Nocturno Festi, pag. 934.

Ante Laudes ℣. Oráte pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES.

Omnia ut in Festo, pag. 935., servato modo Dominicæ infra Octavam Solemnem.

Fiat Memoria Dominicæ occurrentis.

AD PRETIOSA.

Evangelium Dominicæ occurentis.

AD PRIMAM.

Aña. Vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus stantes ante thronum.

Dicatur Symbolum Quicúmque vult salvus esse.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Omnia ut in Festo, pag. 936.

AD VESPERAS.

Omnia dicantur ut ad secundas Vesperas Festi, pag. 937. servato modo Dominicæ infra Octavam Solemnem. Fiat Memoria Dominicæ occurrentis post Octavam Trinitatis aut Epiphaniæ respective, et dicto Dóminus vobíscum. et Benedicámus Dómino., statim inchoentur Vesperæ Defunctorum, quæ dicantur ut p. 175*. notatum est, cum sola tamen Oratione Fidélium Deus. pag. 178*.

In crastino autem, de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum fiat Officium, et festum B. Simonis in aliam diem suo ordine transferatur illo anno.

DIE III. NOVEMBRIS.

B. SIMONIS BALLACCHII

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Simónem Confessórem tuum, inter céteras ejus virtútes, jugi orándi stúdio et singulári humilitátis prærogatíva decorásti, ipsum nobis imitári concéde : ut spretis ómnibus quæ sunt mundi, te hic solum quærere, ac tandem promíssa in cælis humílibus præmia cónsequi valeámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SIMON, patre Rodúlpho, opuléntis ac nóbilis óppidi sancti Archángeli prope Arimínum in Flamínia Cómite, sæculo décimo tértio mediánte ortum hábuit. Quo témpore diræ factiónes, quibus a divinárum litterárum ac veræ pietátis stúdio cives ope ac poténtia præclarióres avellebántur, contentiónibus, dissídiis et armis illos implicábant. Inter hæc fuit enutrítus Simon, donec sancti Spíritus afflátu cernens mundi glóriam, præter suam inanitátem, in perníciem addúcere, illam spérnere, Deóque sibi esse serviéndum duxit in Ordine Prædicatórum, annos natus septem et vigínti. Vividióra tunc erant exémpla sanctitátis et virtútum ómnium, quibus sanctus Petrus Martyr et Angélicus Doctor sanctus Thomas Aquínas cœnóbium sancti Catáldi civitátis Ariminénsis honestáverant : quibus permótus, ibi Religiónis hábitum suscípere státuit. Recógitans vero quod Dóminus Jesus, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem confusióne contémpta; ut magis illi conformarétur, quamquam summo loco natus, et Episcopi Ariminénsis ejúsdem Ordinis, nec non Archipresbyteri, qui eídem in Epicopátu succéssit, nepos esset, objurgatiónibus et humanárum ratiónum posthábitis moméntis, inter láicos, quos Convérsos appéllant, ibídem adscríbi humíllime postulávit et obtínuit.

Lectio v.

IN sacro illo recéssu ábditus, se totum christiánis virtútibus excoléndis dedit. Elúxit præsértim in eo summa vitæ austéritas atque in Deum et hómines cáritas flagrantissima. Labóri semper inténtus, nunquam visus est ótio vel sibi indulgére; sed aut oráre, meditári, aut mánuum vacáre opéribus. Excólere hortum, vérrere sordes, vilióra éxsequi múnera, nedum in deliciis habébat, sed tali sedulitáte, diligéntia animíque demissióne ac lenitáte complébat, ut ómnium esset admiratióni et exémplo. Abstinéntia tanta fuit, ut sæpe bíduum absque cibo transégerit, perque quinque annos Cinerália jejúnia pane tantum et aqua definíverit, donec id pro império Superiórum illi vétitum fúerit, ídeo quod ob cibi parcitátem prorsus inválidus et ímpotens ad offícia obeúnda eváderet. Corpus suum férrea caténa flagrísque cruentábat, et nuda tábula sibi, étiam seni morbóque afflícto, pro léctulo fuit. Animárum zelo succénsus, crucem devotíssime amplexátus, sæpius per civitátem excurrébat, christiána rudiménta púeros édocens, peccatóres árguens, protérvos increpans, eo succéssu, ut plures ad meliórem frugem fúerint revocáti. Ab his opéribus invídia furens humáni géneris hostis illum retráhere modis ómnibus frustra adnísus est : nam viva fide munítus, dæmonum insídias fórtiter vicit.

Lectio vj.

IN oratióne autem assíduus, Deum étiam frequens pro infidélium et hæreticórum conversióne exorábat, idque tanto lacrimárum imbre perfúsus, ut quinquagésimo séptimo ætátis anno cæcus eváserit; quam calamitátem usque ad óbitum hiláriter tulit. Nitórem domus Dei in ædítui offício, sacras vestes, altárium ornaménta, sacerdótibus humíllime famulári máxime curans, pari sénsuum custódia et observántia erga diviníssimum Eucharistiæ sacraméntum sacrásque imágines, hac illac in ecclésia pro opportunitáte incedébat, ut vidéntes omnes ad devotiónem excitáret. Quamvis vero miraculórum et prophetíæ donis clarus, ea tamen erat humilitáte, ut vilem se peccatórem et indígnum ex íntimo cordis réputans, hóminum láudibus veheménter excruciarétur : atque ita supérnis visiónibus mirísque fulgóribus et fragrántiis in angústiis et infirmitátibus, quibus frequénter premebátur, recreári promeruísse memóriæ pródidit : donec méritis et diérum longitúdine plenus, devotíssime suscéptis Ecclésiæ Sacraméntis, in Dómino quiévit die tértia Novémbris anni millésimi tercentésimi décimi noni : facto súbito ad ejus venerándum corpus tanto pópuli concúrsu, ut per bíduum tumulári nequíverit. Quanta autem veneratióne felíces illæ exúviæ per quingéntos annos fúerint decorátæ, constat ex illárum multiplícibus translatiónibus. Cives tandem Sancti Archángeli solemnióri pompa in sacéllo ecclésiæ collegiátæ illas reposuérunt, anno millésimo octingentésimo décimo séptimo, ibíque honorífice condúntur. Quibus permótus Pius Séptimus Póntifex Máximus, ut de beáto Simóne Offícium et Missa in univérso Prædicatórum Ordine ac in tota diœcési Ariminénsi celebrári possit, ex sacræ Rítuum Congregatiónis consúlto, benígne concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Ecce nos relíquimus ómnia., ut in Communi unius Abbatis, pag. 85*.

DIE IV. NOVEMBRIS.

S. CAROLI BORROMÆI

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

ECCLESIAM tuam Dómine sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum effécit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CAROLUS Medioláni nóbili Borromæórum família natus, quanta futúrus esset sanctitáte conspícuus, divína lux super pariéntis matris cubículum noctu corúscans præsignávit. A Pio Quarto avúnculo suo Cardinális primum, et mox Mediolanénsis Archiepíscopus creátus, plúrimam óperam adhíbuit, ut juxta sacrosánctum

Tridentínum concílium, Eccléſiam ſibi commíſſam compóneret : atque ut depravátos plebis ſuæ mores reformáret, ſeipſum eximiæ ſanctitátis præbuit exémplar. In profligándis hæréticis e pártibus Rhætórum et Helvetiórum, quorum plúrimos ad christiánam fidem convértit, máxime laborávit. Verbi Dei prædicatiónem, graviſſimis licet curis occupátus, nunquam intermiſit.

Lectio v.

URITANO principátu véndito, prétium univérſum ad quadragínta aureórum míllia una die in páuperes erogávit : et íterum vigínti míllia ſibi legáta distríbuit. Cum peſtis Medioláni grassarétur, doméſticam ſupelléctilem, nec relícto ſibi léctulo, in eósdem aléndos cóntulit : eóque morbo laboránte ſédulo invíſens, Sacraménta própriis mánibus administrábat. Multas eccléſias, monastéria, collégia ædificávit. Eccleſiásticæ libertátis fuit acérrimus propugnátor. Disciplínæ vero reſtituéndæ ſollícitus, a ſeditiósis, dum oratióni inſísteret, torménti béllici glóbulo percússus, divína virtúte ſervátur illæſus.

Lectio vj.

HUMILITATIS, mansuetúdinis et caſtitátis ſtudioſíſsimus, immíſſas ad ſe mulíeres impudícas invícta conſtántia fugávit. Sæpíſsime pane tantum et aqua, et ſolis quandóque lupínis conténtus, jejunábat. Noctúrnis vigíliis, aspérrimo cilício, aſsíduis flagéllis corpus domábat. Demum in ſolitúdinem Varálli montis ſeceſſit : ibíque diébus áliquot ásperam vitam ducens, in febrim íncidit. Mediolánum revérſus, ingravescénte morbo, cínere ac cilício coopértus, et óculis in Crucifíxi imáginem defíxis, migrávit in cælum, ætátis anno quadragésimo séptimo, Dómini vero millésimo quingentésimo octogésimo quarto, prídie Nonas Novémbris. Quem miráculis clarum Paulus Quintus Póntifex Máximus in Sanctórum número rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confeſſoris Pontificis, pag. 78*.

DIE V. NOVEMBRIS.

B. MARTINI DE PORRES

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS humílium celsitúdo, qui beátum Martínum Confeſſórem tuum ad cæléstia regna transíre fecísti : ejus méritis et intercessióne concéde nos ejus humilitátem ita imitári in terris, ut cum ipso exaltári mereámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confeſſoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MARTINUS, Limæ in América meridionáli ex nobílibus paréntibus Joánne de Porres et Anna Velásquez,

septuagesimo

anno reparátæ Salútis millésimo quingentésimo sexagésimo nono, ortum hábuit. Ab ineúnte ætáte, miro morum candóre futúræ exímiæ sanctitátis indícia præbuit. Virtútes enim modéstiæ, humilitátis ac in páuperes liberalitátis puerítiam ejus ómnibus admirábilem reddidérunt. Adoléscens vero, júgiter cum eo erga próximos præsértim ægrótos adolévit commiserátio : ideóque arti chirúrgicæ omne impéndit stúdium, ut absque ullo emoluménto sanitátem impertíret, quod ei sæpíssime pro voto cessit. Cáritas Dei ut magis magísque in corde suo diffunderétur, mundi honóres et oblectaménta abhórrens, patérnæ domus oblítus, Tértium sancti Patriárchæ Domínici Ordinem amplécti, ac inter láicos operários recenséri enixe postulávit : quod ei ex sententia páriter succéssit. Absolúto tirocínio summa ómnium admiratióne, ac solémnibus votis nuncupátis, quis enarráre póterit quo stúdio, qua solértia omnígenas, quæ Religiósum perféctum constítuunt, virtútes cólere et prósequi conténderit? Humilitátem ádeo diligébat, ut vilióra et abjectióra quæque cœnóbii offícia semper in delíciis habúerit obíre, peccatórem máximum se appellári, flexísque génibus pedes eórum deosculári, qui maledíctis eum oneráre audébant.

Lectio v.

QUAMVIS ab spontánea vel levi ánimæ mácula remótus, nunquam désiit assíduis jejúniis carnem suam excruciáre, cilíciis et caténis férreis diro modo cruentáre : ut rectíssime ásseri possit quod mortificatiónem Jesu in suo córpore circumférret. Tanto in divínum humánæ Salútis Reparatórem æstuábat amóre, ut aliquándo visus sit ante imáginem Jesu Christi e cruce pendéntis précibus inténtus, sublátus a terra ad eum evoláre, tamquam plaga láteris ejus adhuc sánguinem scaturísset, admótis lábiis eam súgere, et máxima aviditáte satiári vóluísset. Nil ígitur mirum si ex hoc perénni divíni amóris fonte inebriátus, non nisi de cæléstibus loquerétur, quibus et suum et aliórum corda inflammáre ardentíssime exoptábat. Martyrii palmæ cupidíssimus, Japóni et Sinárum impéria pétere in optátis habébat, ut inter hostíles ethnicórum manus, profúso sánguine, Christi hóstia éffici mererétur. Hac vero inexplébili in Deum caritáte síngulos cujúsque conditiónis hómines complectebátur, et máxime ægrótos, et præsértim moriéntes, quibus ómnia consolatiónis offícia ex corde præstáre studébat. Cum vero pátriæ suæ tam miránda caritátis arguménta præbéret, uno eodémque témpore compassívi amóris igne incénsus erga míseros captívos in Africa degéntes, miro prorsus prodígio sæpius illic adésse visus est, ut eos confortáret, provideret, eorúmque captivitátis caténas dissólveret. Accidit ut cum unus ex illis génere Hispánus, postquam, Martíno auxiliánte, libertátem recuperávit Júliæ Cæsáreæ, non post multum

témporis spátium Limæ eum vidísset, grati ánimi sensu commótus, ceu insígnem suum liberatórem salutáverit, et accéptum benefícium, Martíno reluctánte, ómnibus prædicáre non destíterit.

Lectio vj.

VEHEMENTER angebátur nothos vidére puérulos aliósque líberos paréntibus orbátos máximis óbrui malis; quibus reparándis, Limæ, ut ad pietátem et honestátem institueréntur, percélebre collégium excitándum curávit. Eo quoque procéssit ejus humanitátis sensus, ut vel bruta ipsa animália suam óperam salutárem curámque continénter fúerint expérta. Deus vero tam excelléntem Servi sui caritátem supérnis donis mirum in modum exornáre sibi complácuit. Divíno hinc lúmine collustrátus et futúra prædíxit, et córdium abscóndita cognóvit, et dæmonum artes furentésque ímpetus detéxit ac profligávit. Et licet rudis et ignárus, gravíssimas theológicas questiónes sic dirimébat, ut vel ipsi doctíssimi viri admiraréntur, ejúsque sapiéntiam divínitus haustam celebrárent. Dignus prætérea a Deo rédditus, ut cum cælítibus collóquia habéret, multis coruscáret miráculis, et tandem extrémum ætérnæ suæ retributiónis diem appropinquáre cognósceret, quem plúries et clare maniféstum fecit. Morbo ítaque diútino corréptus, ut omnes cœnóbii Religiósi moriénti adéssent enixe postulávit, a quibus de cunctis ab eo accéptis offénsis véniam pétiit. Defíxis dein in Crucifíxi imágine óculis, quam præ mánibus tenébat, ad ea verba Evangélii, quod astántes recitábant, Verbum caro factum est, imágine Crucifíxi in péctore depósita, seréna fronte hilaríque vultu, innocéntem ánimam réddidit Creatóri, anno millésimo sexcentésimo trigésimo nono, tértio Nonas Novémbris, anno ætátis suæ sexagésimo. Multis vivens et post óbitum miráculis cláruit. Quibus rite ágnitis ac probátis, Gregórius Décimus sextus Póntifex Máximus illum Beatórum albo accénsuit, ejúsque festum cum Offício et Missa in univérso Prædicatórum Ordine et Limána diœcési celebrári concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Confíteor tibi Pater. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 82*.

DIE VI. NOVEMBRIS.

BB. HIERONYMI, VALENTINI, FRANCISCI, HYACINTHI ET SOCIOR. MM. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

In utrisque Vesperis et ante Laudes, ℣. Ora pro nobis beáte Hierónyme cum Sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beatórum Mártyrum Hierónymi, Valentíni, Francísci, Hyacínthi et Sociórum sánguine fecundáre dignátus es : concéde propítius ut quorum læti recólimus triúmphos, eó-

rum précibus ac méritis adjuvémur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Existimo. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 55*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EX Frátribus Ordinis Prædicatórum, qui Evangélium Tunquinénsi pópulo nuntiáverant, Christi fidem próprio sánguine obsignáre primi meruérunt Franciscus Gil de Féderich et Matthæus Alónso Leziniána. Hi, relícta Hispánia, ubi nati erant, ad Philippínas Insulas una migrántes, inde ad Tunquínum missi sunt. Quo cum appulíssent, spreto vitæ discrímine, verbum vitæ disseminare et regnum Dei amplificáre non desiérunt, donec ab ímpiis satellítibus in cárcerem conjécti, nonníhil apostólicum offícium intermíttere coácti fuérunt. Quantum tamen per custódum tolerántiam lícuit, sacraménta ministráre, Christiános ad virtútem hortári, afflíctos solári nitebántur. Franciscus tandem cápitis damnátus est. Matthæus vero, etsi non eádem senténtia mulctátus, obtestátus est, útpote ejúsdem fídei ássecla, velle se Francísco adjúngi cumque eo obtruncári : cujus voti compos factus est. Ambo ígitur crucem manu gestántes, ad supplícii locum ducti, ibi, Christi fidem iteráto profféssi, ceterósque adhortáti ut eídem sincére adhærérent, gládio interfécti sunt, undécimo Kaléndas Februárii, anno millésimo septingentésimo quadragésimo quinto.

Lectio v.

LUSTRIS sex a tam gloriósa confessióne nondum exáctis, áliam de christiáni nóminis hóstibus victóriam retulérunt Hyacínthus Castañéda, et Vincéntius Liem a Pace, indígena, Prædicatórum famíliæ páriter alúmni. Horum alter Hyacínthus, cum annis quinque apostólico múnere in Tunquíno functus esset, tandem comprehénsus, ac bíduo cibi potúsque expers, præsidi sístitur, atque in cáveam arundíneam ádeo exíguam trúditur ut neque standi locus esset, neque cubándi. Vincéntium, brevi póstea deprehénsum, in cáveam non absímilem conjíciunt nefárii satéllites. Hyacínthus dénique extrémo supplício damnátur. Póterat Vincéntius mortem effúgere, cum, persecutiónis edícto, a capitáli pœna immúnes essent indígenæ, sed enixe flagitávit ut illíus consors fíeret in martyrio, cujus consors fúerat in apostolátu. Sicque generósi fídei confessóres, quómodo in vita dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti. Passi sunt séptimo Idus Novémbris, anno millésimo septingentésimo septuagésimo tértio.

Lectio vj.

PRÆCLARAS illas Mártyrum Tunquinénsium primítias, quas sæculum duodevicésimum Christo obtúlerat, véluti semen pretiósum excépit sæculo sequénti ingens Mártyrum messis. Quos inter, vitæ sanctitáte non minus quam episcopális dignitátis decóre splendent Hierónymus Hermosílla et Valentínus Bérrio-Ochóa,

Hispáni, atque Vicárii Apostólici per Tunquínum constitúti. Et Hierónymus quidem, postquam Prædicatórum Ordinem ingréssus fúerat et in Tunquínum trajécerat, trigínta ámplius annos víneam illam Domínicam indefésso labóre excóluit, plúries ad necem quæsítus, donec tandem una cum fidéli fámulo suo atque Catechísta Josépho Khang indígena, in satéllitum manus íncidit, mox in cárcerem relegándus. Valentínus porro, vir plane apostólici péctoris quamvis ætáte júnior, paucis post diébus in eódem loco captus est simul cum Petro Almató, Sacerdóte, pari animárum stúdio vehementíssime accénso. Qui omnes, post fidem strénue ante júdices confirmátam, anno millésimo octingentésimo sexagésimo primo, cápitis obtruncatióne martyrii palmam sunt consecúti, anno vero millésimo nongentésimo sexto a Pio Papa Décimo beatórum Cælitum albo eódem Decréto, quo prióres illi Mártyres Tunquinénses, sunt adscripti.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Videns Jesus turbas. de Communi plurimorum Martyrum, pag. 65*.

DIE VII. NOVEMBRIS.

B. PETRI A RODULPHIA (VULGO RUFFIA)

MART. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beáto Petro fámulo tuo misericórditer tribuísti pro veræ fídei defensióne martyrio coronári : ejus méritis et intercessióne concéde ut fide, quæ per caritátem operátur, tibi júgiter placére valeámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Exístimo. de Communi unius Martyris non Pontificis, pag. 49*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

PETRUS, cœpto jam sæculo décimo quarto, ex nobilíssima Savilianénsi Cambianórum família ortus perhibétur in eo tunc Taurinénsis, nunc vero Salutiénsis diœcésis óppido, quod Rodulphía, et vulgo Ruffía appellátur. Divíno Númine afflátum cepit eum a púero magna terrenárum rerum contémptio : indéque mundo ejúsque oblectatiónibus valedícens, Prædicatórum Ordini nomen dedit. Institútum illud profússus, tot jam insígnium virórum sanctitáte, doctrína, gestísque fórtibus illustrátum, eórum imitatióni ádeo fervénter incúbuit, ut brevi præstantióribus quibúsque Ordinis alúmnis compararétur. Ac inter virtútes, quibus egrégie auctus ornatúsque est, præcípua laude celebrántur religiósa illa, quam semper retínuit, patérnæ domus et consanguineórum oblívio; tum patientíssima paupértas, ac profúnda humílitas, quæ vel ipsa oris modéstia et affabilitáte mirífice apparéret.

Lectio v.

ORATIONI autem et rerum divinárum contemplatióni tam sédula pietáte diu noctú-

que indulgébat, ut ipsius conversátio in cælis tantúmmodo esse viderétur. Itaque cum per ea témpora magnópere interésset, spectátæ tantum integritátis doctrinæque Evangélii minístros acérbis illis hæréticis oppóni, qui superióris Itáliæ regiónes váriis erróribus infícere conabántur, fídei Quæsítor Taurini declarátus est, ut ex eo loco avítam Subalpinórum Ligurúmque religiónem asséreret. In hoc offício Vir sanctus indefessam per annos plures divíni verbi prædicatióni óperam navávit, nihílque eórum prætermísit, quæ ad cathólicæ veritátis tutámen et propagatiónem pertinérent. Quare nil mirum, si plures ab hæréticis decéptos ad Ecclésiæ sinum reduxísse, multósque álios a corruptiónis perículo exemísse ferátur.

Lectio vj.

His sanctis opéribus beátus Petrus capitále hæreticórum ódium subívit, ac triumphálem dénique martyrii corónam proméruit. Etenim cum laboránti fídei opem latúrus Segúsiam aliquándo perrexísset, et apud Fratres Minóres sancti Francísci hospitarétur, contérmini hærétici præséntis doctrínam et sanctitátem formidántes, invíctum cathólicæ veritátis Propugnatórem in ipso cœnóbio adórti sunt, vulneribúsque confóssum interemérunt in solemnitáte Purificatiónis beátæ Maríæ Vírginis, anno millésimo trecentésimo sexagésimo quinto. Mártyris corpus Taurinórum Augústam ad ecclésiam sancti Dominici subínde translátum, eláto ornatóque sepúlcro religióse cónditum est : ibíque síngulis annis die séptimo Novémbris, qui translatiónis illíus dies habétur, festívo cultu celebrári non déstitit. Quos ei públice tribútos Beatórum honóres Pius Nonus Póntifex Máximus rite confirmávit, indulsítque ut ánnua præclári fídei Víndicis memória in univérso Prædicatórum Ordine, ac in dicœcésibus Taurinénsi, Salutiénsi et Segusína próprio Offício et Missa recolerétur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Nisi granum fruménti.de Communi unius Martyris non Pontificis, pag. 50*.

DIE VIII. NOVEMBRIS.

IN OCTAVA OMNIUM SANCTORUM.

SOLEMNE.

AD I. VESPERAS.

Capitulum Ecce ego Joánnes., Hymnus Jesu Salvátor sæculi., ℣. Lætámini., ad Magnificat Aña Beáti estis., ut in j. Vesperis Festi, pag. 925.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem regum Dóminum veníte adorémus :* Quia ipse est coróna Sanctórum ómnium.

Hymnus Jesu Salvátor sæculi., ut in j. Vesperis Festi, pag. 925.

¶ In tribus Nocturnis, Psalmi, Antiphonæ et ℣℣. ut in Festo, pag. 926. et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Benedictio. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnus. ℟. Amen.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

(In Meditat. cap. 33.)

Lectio j.

TU es Deus omnípotens, quem trinum in persónis, et unum in substántia Deitátis cólimus et adorámus : Patrem ingénitum, Fílium de Patre unigénitum, Spíritum sanctum de utróque procedéntem et in utróque permanéntem : sanctam et indivíduam Trinitátem. Te deprecámur, supplicámus et orámus : auge fidem, auge spem, auge caritátem. Fac nos per ipsam grátiam tuam, semper et in fide stábiles et in ópere efficáces : ut per fidem rectam et condígna fídei ópera, ad vitam, te miseránte, perveniámus ætérnam : ut ibi vidéntes glóriam tuam sícuti est, adorémus majestátem tuam, quos dignos féceris vidére imménsam pulchritúdinem tuam.

℟. j. Summæ Trinitáti, símplici Deo, una divínitas, æquális glória, coætérna majéstas, Patri, Prolíque, sanctóque Flámini : * Qui totum subdit suis orbem légibus. ℣. Præstet nobis grátiam Déitas beáta Patris, ac Nati, paritérque Spíritus almi. — Qui totum subdit.

Benedictio. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

(In Orat. ad beatam Virg.)

Lectio ij.

SANCTA María Vírginum piíssima, súscipe vota servulórum assídua : lapsos érige, errántes córrige, treméntes corróbora, pusillánimes confórta : ut tibi semper referámus laudes, quam Dei summi cólimus Genitrícem. Suscípiat, benignissima, Génitus tuus captivórum gémitus, clamóres peregrinórum, suspíria júvenum, vota vírginum, laménta viduárum, preces ómnium tua sancta suffrágia deposcéntium : quæ cunctis sæculis lumen verum effudísti Dóminum Jesum Christum. Virgo sancta, Virgo gloriósa, Mater Christi simul et Sponsa, non dedignéris opem ferre animábus, quas vides amóre Dei cæléstis Sponsi flagráre, atque ejus núptias sitibúndo corde desideráre.

℟. ij. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solemnitátem. — Quia ex te ortus est.

Benedictio. Spíritus sancti grátia illumináre dignétur sensus et corda nostra.

℟. Amen.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(In Soliloquiis animæ, cap. 27.)
Lectio iij.

DOMINE, quóties bene ágimus, gaudent Angeli, et tristántur dæmones : quóties a bono deviámus, diábolum lætificámus, et Angelos tuos suo gáudio defraudámus. Gáudium est enim eis super uno peccatóre pœniténtiam agénte; sed diábolo super uno justo pœniténtiam deserénte. Da ígitur, da Pater eis semper gaudére de nobis; ut et tu semper per eos laudéris in nobis : et nos cum eis in unum ovile tuum adducámur; ut confiteámur nómini sancto tuo, Creátor hóminum et angelórum.

℟. iij. Te sanctum Dóminum in excélsis laudant omnes Angeli dicéntes : * Te decet laus Et honor, Dómine. ℣. Chérubim quoque et Séraphim Sanctus proclámant, et omnis cælicus ordo, dicéntes. — Te decet laus. Glória. Et honor Dómine.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
(Sermo de Mart. quod aut imitandi, aut non laudandi sunt.)

Lectio iv.

DIFFICILE nobis non est quod a Sanctis géritur imitári; cum sine præcedénti exémplo ab antíquis tália gesta conspícimus, ut non ipsi alióram æmuli redderéntur, sed æmulándæ virtútis seípsos nobis præbérent exémplum. Ut dum nos ex ipsis, et ex nobis álii profíciunt, sic Christus in suis semper Servis in Ecclésia sancta laudétur. Unde ab origine mundi innocens Abel occíditur, Henoch Deo placens transfértur, justus Noe invenítur, Abraham fidélis probátur, Móyses mansuétus dignóscitur, Jesus castus, David lenis, Elías accéptus, Dániel sanctus, tres Púeri victóres reddúntur.

℟. iv. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta : * Qui viam Dómino præparávit in erémo. ℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. — Qui viam Dómino.

Benedictio. Ad gáudia Paradísi perdúcat nos misericórdia Christi. ℟. Amen.

(Ex ejusdem sancti Joannis Chrysostomi sermone de Pentecoste.)

Lectio v.

PERAGRARUNT piscatóres orbem terrárum, et infírmum eum inveniéntes, ad sanitátem reduxérunt : et in ruína pósitum, ad stabilitátem revocavérunt : non scuta movéntes, non arcus tendéntes, non sagíttas mitténtes, non pecúniam largiéntes, non in eloquéntia confidéntes. Pecúnia indigéntes, sed regnum cælórum possidéntes : non habéntes humána solátia, habéntes autem Dóminum secum. Ego enim, inquit, vobíscum sum usque ad consummatiónem sæculi. Peragrárunt univérsum orbem oves simul cum lupis :

et vulnerátæ a béstiis non sunt oves, sed magis lupi ad óvium mansuetúdinem sunt convérsi.

℟. v. Qui sunt isti, qui ut nubes volant,* Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Benedictio. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. ℟. Amen.

Sermo sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris.

(Epist. ad Martyres.)

Lectio vj.

QUIBUS ergo vos láudibus prædicem fortíssimi Mártyres? Tolerástis, usque ad consummatiónem glóriæ, duríssimam quæstiónem, nec cessístis supplíciis, sed vobis pótius supplícia cessérunt. O quale fuit illud spectáculum Dómino, quam sublíme, quam magnum, quam accéptum! Quam lætus illic Christus fuit! quam libens in tálibus Servis suis pugnávit, et vicit! Prœliatóres atque assertóres sui nóminis eréxit, corroborávit, animávit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. Hic est agon fídei nostræ, qua congrédimur, qua víncimus, qua coronámur.

℟. vj. Lavérunt stolas suas, et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. — In sánguine Agni. Glória. In sánguine Agni.

IN III. NOCTURNO.

Benedictio. Ille nos benedícat qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 18. in Ezechiel.)

Lectio vij.

QUI sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? Recte sancti Confessóres, quorum in præsénti memóriam ágimus, Nubes appellláti sunt : quia et verbis pluunt, et miráculis ac exémplis corúscant. Qui voláre quoque ut nubes dicúntur: quia in terra vivéntes, extra terram fuit omne quod egérunt. Unde et per quamdam Nubem dícitur : In carne ambulántes, non secúndum carnem militámus. Prióres enim patres conjúgiis utebántur, fílios procreábant, substántias possidébant, curis rei familiáris intendébant. Istos autem prophetíæ jam spíritu prævidens substántias desérere, conjúgia non appétere, fílios non procreáre, nihil in terra quærere, nihil possidére : non eos per terram velut hómines ambulántes, sed ut Nubes volántes nóminat.

℟. vij. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles.

Benedictio. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
(In Hom. de Milit. spir.)
Lectio viij.

APUD Deum femíneus étiam mílitat sexus. Multæ namque féminæ ánimo viríli spirítalem milítiam gessérunt. Quædam enim interióris hóminis virtúte viros æquavérunt in agónibus Mártyrum : quædam étiam fortióres viris exstitérunt. Nam quibúsdam virórum ex ignávia muliébri degenerántibus, illæ sexum infírmum virili mente vicérunt, ac sic in testimónio virtútis, victríces pœnárum, viris labéntibus, constitérunt. Ex ipsis ergo sunt, quæ angélicum sacræ virginitátis replent chorum. Ex ipsis et illæ sunt, quæ gloriósis prœliis Confessórum et Mártyrum triúmphis corúscant.

℟. viij. Audívi vocem de cælo veniéntem : Veníte omnes Vírgines sapientíssimæ : * Oleum recóndite in vasis vestris, dum sponsus advénerit. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit. — Oleum recóndite.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex angelórum. ℟. Amen.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(In Medit. c. 25.)
Lectio ix.

MATER Jerúsalem, cívitas sancta, sol tuus et cláritas tua, et omne bonum tuum est pulchérrimi Regis indefíciens contemplátio. Ipse Rex regum in médio tui, et púeri ejus in circúitu ejus. Ibi hymnídici Angelórum chori. Ibi sociétas supernórum cívium, ibi dulcis solémnitas ómnium ab hac tristi peregrinatióne ad tua gáudia redeúntium. Ibi Prophetárum próvidus chorus, ibi duodénus Apostolórum número, ibi innumerabílium Mártyrum victor exércitus, ibi sanctórum Confessórum sacer convéntus, ibi veri et perfécti mónachi, ibi sanctæ mulíeres, quæ voluptátes sæculi et sexus infirmitátem vicérunt; ibi púeri et puéllæ, qui annos suos sanctis móribus transcendérunt. Exsúltant omnes in própriis mansiónibus.

℟. ix. Concéde nobis, Dómine quæsumus, véniam delictórum, et intercedéntibus Sanctis, quorum hódie solémnia celebrámus, talem nobis tribue devotiónem, * Ut ad eórum perveníre mereámur societátem. ℣. Adjuvent nos eórum mérita, quos própria impédiunt scélera : excúset intercéssio, accúsat quos áctio : et qui eis tribuísti cæléstis palmam triúmphi, nobis véniam non déneges peccáti. — Ut ad eórum. Glória. Ut ad eórum.

Ante Laudes ℣. Oráte pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES ET HORAS.

Omnia ut in Festo, pag. 935, servato modo Octavæ diei Solemnis.

AD PRETIOSA.
Evangelium.
Secúndum Matthæum. Cap. 5.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus,

et apériens os suum docébat eos dicens : Beáti páuperes spíritu. Tu autem Dómine.

IN II. VESPERIS.

Ad Memoriam de Octava die Omnium Sanctorum Aña. Salvátor mundi salva nos omnes : sancta Dei Génitrix Virgo semper María ora pro nobis : précibus quoque sanctórum Apostolórum, Mártyrum et Confessórum atque sanctárum Vírginum suppliciter pétimus ut a malis ómnibus eruámur, bonísque ómnibus nunc et semper pérfrui mereámur.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per.

DOMINICA II. NOVEMBRIS.
PATROCINII B. MARIÆ V.
TOTUM DUPLEX.

Omnia (etiam novem Lectiones) ut in Festis B. Mariæ Vírginis, pag. 1*. et sequentibus, præter hanc Orationem.

Oratio.

DEUS, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári Patrocínio Ordinem Prædicatórum ad animárum salútem instítui, ejúsque perpétuis beneficiis cumulári voluísti : præsta supplícibus tuis ut cujus hódie commemoratiónem cólimus, illíus protécti auxíliis ad cæléstem glóriam perducámur. Per.

DIE IX. NOVEMBRIS.

IN FESTIVITATE
OMNIUM SANCTORUM
ORDINIS PRÆDICATORUM.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Suscitávit Dóminus a terra inopes, et collocávit cum princípibus, fáciens Domínicum in cæléstí domo Patrem filiórum lætántem. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Rom. 8.

QUOS præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit : quos autem justificávit, illos et glorificávit.

℟. Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venérunt? Hi sunt, qui lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas * In sánguine Agni. ℣. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus.— In sánguine Agni. Glória. In sánguine Agni.

Hymnus.

JESU coróna Cælitum,
María cæli gáudium,
Deo fruéntes Angeli,
Audíte vota súpplicum.

VOS Patriarchárum chori
Vatúmque turmæ nóbiles,
Vos príncipes Apóstoli,
Vos purpuráti Mártyres.

VOS juncta Confessóribus
Amœna castra Vírginum,
Anachoretárum greges,
Nostris favéte pláusibus.

VESTRIS enim concívibus
Nostram profféssis Régulam
Hæc jubilántis Ordinis
Dicáta sunt solémnia.

HIS ínclytis Paréntibus
Congratulámur fílii,
Illústre quos consórtium
Vestri beat collégii.

SIT laus Patri cum Fílio
Et utriúsque Flámini,
Quos vestra felix cívitas
Hymno celébrat pérpeti.

Amen.

℣. Oráte pro nobis Sancti et Sanctæ Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Fecit Ordini magna qui potens est : suscépit Domínicum púerum suum, benedíxit illi et sémini ejus usque in sæculum.

Oratio.

DEUS, qui Prædicatórum Ordinem copiósa Sanctórum sóbole fecundáre dignátus es, atque in ipsis heróica ómnium virtútum mérita sublímiter coronásti, da nobis illórum sequi vestígia : ut quos hódie sub una celebritáte venerámur in terris, iis perpétua tandem festivitáte associémur in cælis. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Theodori Martyris.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Theodóri Mártyris tui confessióne gloriósa circumdas et prótegis : præsta nobis ex ejus imitatióne profícere, et oratióne fulcíri. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem regum Dóminum veníte adorémus : * Quia ipse est coróna Sanctórum ómnium.

Hymnus Jesu coróna Cælitum., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem próji-cit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. Novit Dóminus viam justórum, qui in lege ejus meditántur die ac nocte.

Psalmus 4.

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, ℣ et speráte in Dómino: * multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam :

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Aña. Mirificávit Dóminus Sanctos suos, et exaudívit eos clamántes ad se.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Admirábile est nomen tuum Dómine : quia glória et honóre coronásti Sanctos tuos, et constituísti eos super ópera mánuum tuárum.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 44.

LAUDEMUS viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prædíti, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssi-

ma verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. j. Beátus Domínicus, pastor et dux inclytus in pópulo Dei factus, Prædicatórum Ordinem instítuit méritis, ordinávit exémplis, * Nec miráculis confirmáre désiit. ℣. Loquélam mutis, visum cæcis, surdis auditum, gressum paralyticis, et sanitátem multis restítuit. — Nec miráculis confirmáre désiit.

Lectio ij.

HOMINES dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes : pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum: et sunt quorum non est memória : periérunt quasi qui non fúerint : et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. ij. Hæc est vera fratérnitas, quæ nunquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : *Contemnéntes aulam régiam pervenérunt ad regna cæléstia. ℣. Ecce merces sanctórum copiósa est apud Deum, et vivent in ætérnum. — Contemnéntes aulam régiam.

Lectio iij.

SED illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum : et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivet in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet ecclésia.

℟. iij. Sacerdótes Dei benedícite Dóminum : *Sancti et húmiles corde laudáte Deum. ℣. Spíritus et ánimæ justórum hymnum dícite Deo nostro. — Sancti et húmiles corde. Glória. Sancti et húmiles corde.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 14.

DOMINE quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula,* et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorífícat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, ℟ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Dómine, qui operáti sunt justítiam habitábunt in tabernáculo tuo, et requiéscent in monte sancto tuo.

Psalmus 15.

CONSERVA me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum : * insuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, ℣ adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Aña. Dóminus Sanctis suis notam fecit viam vitæ, et adimplévit eos lætítia cum vultu suo.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Hæc est generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Serm. de Martyr. quod aut imitandi sunt, aut non laudandi.)

Lectio iv.

QUI Sanctórum mérita religiósa caritáte mirátur, quique justórum glórias fre-

quénti laude collóquitur, eórum mores sanctos atque justítiam imitétur : quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa cultum Dei obséquium. Quare aut imitári debet, si laudat, aut laudáre non debet, si imitári detréctat : ut qui álium laudat, laudábilem se reddat, et qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipse vitæ sanctitáte reddátur. Nam si proptérea justos fidelésque diligimus, quod in ipsis justítiam fidémque suspícimus, póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt.

℟. iv. Isti sunt viri sancti,quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Eccléśia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

De Sermóne venerábilis Bedæ Presbyteri.

(Serm. 18. de Sanctis.)

Lectio v.

Ad hanc ígitur óperum salutárium deléctet nos pervenire palmam. Libénter ac prompte certémus omnes in agóne justítiæ. Deo et Christo spectánte currámus : et qui sæculo et mundo majóres esse jam cœpimus, cursum nostrum nulla sæculi cupiditáte tardémus. Si expedítos, si céleres in óperis agóne curréntes, dies nos últimus invénerit, nusquam Dóminus méritis nostris déerit remunerátor.

℟. v. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit spíritus in eis et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Quia unus fuit spíritus in eis et una fides.

Lectio vj.

Quapropter, carissimi, mente íntegra, fide firma, virtúte robústa, caritáte perfécta, paráti ad omnem voluntátem Dei simus, conservántes fórtiter Domínica mandáta : in simplicitáte innocéntiam, in caritáte concórdiam, modéstiam in humilitáte, diligéntiam in administratióne, vigilántiam in adjuvándis laborántibus, misericórdiam in fovéndis paupéribus, in defendénda veritáte constántiam, in disciplínæ severitáte censúram : ne áliquid ad exémplum bonórum factórum desit in nobis. Hæc sunt enim vestígia, quæ nobis Sancti quique reverténtes in Pátriam reliquérunt : ut illórum sémitis inhæréntes, sequerémur et in gáudia.

℟. vj. Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venérunt? Hi sunt, qui lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas* In sánguine Agni. ℣. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. — In sánguine Agni. Glória. In sánguine Agni.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 31.

Beati quorum remíssæ sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exsultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, ℣ et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo et freno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, * et gloriámini omnes recti corde.

Aña. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, et gloriámini omnes recti corde.

Psalmus 32.

EXSULTATE justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus dissípat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Aña. Sancti dilexérunt misericórdiam et judícium : et Deus elégit eos in hereditátem sibi.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * diligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Aña. Timéte Dóminum omnes Sancti ejus : quóniam nihil deest timéntibus eum : ecce óculi Dómini super justos, et aures ejus ad preces eórum.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

(In Psal. 118. Serm. 8. post initium.)

ECCE nos ómnia relíquimus, et secúti sumus te. Hoc est, Non quæsívimus partem de possessiónibus, sed te elégimus portiónem. Reliquísti ergo ómnia Petre, quæ habébas. Unde habes, quod habére te dicis? Surgit claudus, et sono tui sermónis erígitur. Sanitátem áliis donas, qui indigébas ipse tuæ salútis auxílio. Reliquísti ergo quæ habébas, et cepísti quæ non habébas. Christus tibi pórtio, Christus tibi possédio est : illíus nomen tibi munificum, illíus nomen tibi est fructuósum, illíus nomen tibi tribúta dependit, et bona tribúta, non pecúniæ, sed grátiæ.

℟. vij. Sancti mei, qui in carne pósiti certámen habuístis, * Mercédem labórum ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem labórum ego reddam vobis.

Lectio viij.

QUICUMQUE relíquerit patrem, aut matrem, domum, aut fratres, aut soróres, céntuplum accípiet in hoc sæculo, et vitam ætérnam possidébit. Multos quidem in hoc sæculo, qui sua paupéribus donavérunt, uberióre thesáuro locupletátos fuísse cognóvimus : sed non debent a Dómino sæculárem hujúsmodi exígere mercédem, nec speráre quæ mundi sunt : sed magis quia iis, qui ómnia relíquerint, Deus pórtio est. Ipse est útique merces perfécta virtútum, qui non céntupli enumeratióne, sed perféctæ plenitúdinis æstimatióne censétur. Ego, inquit, Deus tuus sum. Non dixit, Ero : sed, Jam sum, jam inhábito, jam possídeo.

℟. viij. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, * Et laudem eórum núntiet ecclésia. ℣. Nomen eórum requirétur a generatióne in generatiónem. — Et laudem eórum núntiet ecclésia.

Lectio ix.

HABES homo, inter multa propósita, étiam hujúsmodi portiónem. Propósuit tibi Dóminus in portióne possessiónes, in portióne aurum, in portióne argéntum, in portióne honóres, in portióne nobilitátem : propósuit étiam in portióne se ipsum. Habes ígitur plúrimas portiónes : élige quam putas : non te número pertúrbet, sed éxcitet grátia : non te labor avértat, sed fructus invítet.

℟. ix. Concéde nobis Dómine quæsumus, véniam delictórum : et intercedéntibus Sanctis, quorum hódie solémnia celebrámus, talem nobis tríbue devotiónem, * Ut ad eórum pervenire mereámur societátem. ℣. Adjuvent nos eórum

mérita, quos própria impédiunt scélera : excúset intercéssio, accúsat quos áctio : et qui eis tribuísti cæléstis palmam triúmphi, nobis véniam non déneges peccáti. — Ut ad eórum. Glória. Ut ad eórum.

Ante Laudes ℣. Oráte pro nobis Sancti et Sanctæ Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo, qua in terris mícuit Fratrum multitúdo. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Stant in conspéctu Dómini in exsultatióne quos Ordo hic exércuit multíplici agóne.

3. Laborávit in terra desérta, ínvia et inaquósa : quiéscit nunc in Pátria, cælórum tenens átria, phalanx religiósa.

4. Benedícunt spíritus et ánimæ justórum Dómino : sancti et húmiles corde laudant et superexáltant eum in sæcula.

5. Aquæ omnes, quæ super cælos sunt, et cæli cælórum laudent Dóminum in Sanctis ejus, quos progénuit Ordo Prædicatórum.

Capitulum. Rom. 8.

QUOS præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit : quos autem justificávit, illos et glorificávit.

Hymnus.

SALVETE Cedri Líbani
Plantæ viréntes Ordinis,
Quæ prata nunc cæléstia
Implétis almo gérmine.

Vos Trinitátis glória
Ætérna circumpléctitur,
Vos aura Matris Vírginis
Mulcet piis favóniis :

Vos Angelórum cúriæ
Cingunt choréa pérpetim :
Et irrigant purissimi
Æternitátis rivuli.

O INCLYTÆ propágines
Vestros juváte fílios :
In valle mæsta débiles
Nos roboráte súrculos.

SIT laus Patri cum Fílio,
Simúlque dulci Flámini,
Læti quibúscum vívitis
In sempitérno lúmine. Amen.

℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi.

Ad Benedictus Aña. Dóminus Deus Israel eréxit cornu salútis nobis in domo Domínici púeri sui : ut serviámus illi in sanctitáte et justítia coram ipso, ómnibus diébus nostris.

Oratio.

DEUS, qui Prædicatórum Ordinem copiósa Sanctórum sóbole fecundáre dignátus es, atque in ipsis heróica ómnium virtútum mérita sublímiter coronásti, da nobis illórum sequi vestígia : ut quos hódie sub una celebritáte venerámur in terris, iis perpétua tandem festivitáte associémur in cælis. Per.

Ad Memoriam S. Theodori Martyris. Oratio.

DEUS, qui nos beáti Theodóri Mártyris tui confessióne gloriósa circumdas et prótegis : præsta nobis ex ejus imitatióne profícere, et oratióne fulcíri. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum Quos præscívit., ut in Laudibus.

℟. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, * Allelúia, allelúia. Lætámini in Dómino. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Allelúia. Glória. Lætámini in Dómino.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 44.

LAUDEMUS viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo.

℟. Exsúltent justi in conspéctu Dei, * Allelúia, allelúia. Exsúltent justi. ℣. Et delecténtur in lætítia. Allelúia. Glória. Exsúltent justi.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 44.

IN testaménto stetit semen eórum : et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum et glória eórum non derelinquétur.

℟. Justi autem in perpétuum vivent, * Allelúia, allelúia. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. Allelúia. Glória. Justi autem.

℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo, qua in terris mícuit Fratrum multitúdo. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi plurimorum Martyrum, pag. 62*.

Capitulum Quos præscívit. et Hymnus Jesu coróna cælitum., ut in j. Vesperis, pag. 958.

℣. Oráte pro nobis Sancti et Sanctæ Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Sanctos suos magnificávit Dóminus in salutári suo : ecce enim ex hoc beátos illos dicent omnes generatiónes.

℣ Crastina die, nisi sit impedita, celebretur Anniversarium Fratrum et Sororum defunctorum Ordinis nostri (quod primum diei proxime sequenti post festum S. Dionysii, et postmodum diei xvij. Octobris adscriptum fuerat) eo modo quo alia Anniversaria Ordinis per annum celebrantur.

DIE X. NOVEMBRIS.

SS. QUATUOR CORONATORUM MARTYRUM.

TRES LECTIONES. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per.

IN NOCTURNO.

(Ex Actis et Romano Breviar.)

Lectio iij.

SEVERUS, Severiánus, Carpóphorus et Victorínus fratres, in persecutióne Diocletiáni deórum cultum líbere detestántes, plumbátis cæsi, in verbéribus vitam pro Christi nómine profudérunt. Quorum córpora cánibus objécta, cum ab illis intácta diu fuíssent, subláta a Christiánis, via La-

vicána, tértio ab Urbe lápide, in arenária sepeliúntur prope sepúlcrum sanctórum Mártyrum Cláudii, Nicóstrati, Symphoriáni, Castórii et Simplícii: qui eódem imperatóre passi erant, quod cum essent summi sculptóres, nullo modo addúci potúerant ut idolórum státuas fácerent; et ad solis simulácrum ducti ut illud venerarénter, nunquam commissúros se dixérunt ut adorárent ópera mánuum hóminum. Quam ob rem in cárcerem conjécti, cum ibi multos dies in eódem propósito perstitíssent, primum scorpiónibus cæsi, deínde vivi plúmbeis lóculis inclúsi, in flumen dejécti sunt.

DIE XI. NOVEMBRIS.

S. MARTINI
EPISCOPI ET CONFESSORIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. O beátum Pontíficem, qui totis viscéribus diligébat Christum Regem, et non formidábat impérii principátum! O Martíne, dulcédo, medicaméntum et médice! O sanctíssima ánima, quam etsi gládius persecutóris non ábstulit, tamen palmam martyrii non amísit! Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória sanctórum.

℟. Beátus Martínus óbitum suum longe ante præscívit, dixítque frátribus* Dissolutiónem sui córporis imminére, Quia indicávit se jam resólvi. ℣. Víribus córporis cœpit repénte destítui, convocatísque discípulis in unum, dixit. — Dissolutiónem. Glória. Quia indicávit se jam resólvi.

Hymnus Iste Conféssor., pag. 67*. et ℣. Amávit eum Dóminus., pag. 68*.

Ad Magnificat Aña. O Martíne, o pie, quam pium est gaudére de te, o Martíne, Prophétis compar, Apóstolis consérte, Præsulum gemma, fide et méritis egrégie, pietáte mirábilis, caritáte ineffábilis! Succúrre nobis nunc, et ante Deum.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte subsístimus, concéde propítius ut intercessióne beáti Martíni, Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Adorémus Christum Regem, * Qui ætérna sanctum Martínum coronávit glória.

Hymnus Iste Conféssor Dómini sacrátus., pag. 67*.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Sanctus Martínus óbitum suum longe ante præscívit : qui et discípulos in unum congregávit, atque sui dissolutiónem imminére prædíxit. Psalmi de Communi unius Confessoris, pag. 68* et sequentibus.

Aña. Cum repénte víribus córporis cœpit destítui, tunc mæror et luctus ómnium, vox plangéntium, unáque precántium : Ne pastor oves déseras.

Aña. Scimus quidem te Pater desideráre Christum; sed salva sunt tibi præmia tua : nostri pótius miserére, quos déseris, Pater.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 31.

AB infántia mea crevit mecum miserátio : et de útero matris meæ egréssa est mecum. Si despéxi pereúntem, eo quod non habúerit induméntum, et absque operiménto páuperem : si non benedixérunt mihi látera ejus, et de velléribus óvium meárum calefáctus est : si levávi super pupíllum manum meam, étiam cum vidérem me in porta superiórem : húmerus meus a junctúra sua cadat, et bráchium meum cum suis óssibus confringátur.

℟. j. Hic est Martínus eléctus Dei Póntifex, cui Dóminus, post Apóstolos, tantam grátiam conférre dignátus est, * Ut in virtúte Trinitátis Deíficæ mererétur fíeri trium mortuórum suscitátor magníficus. ℣. Sanctæ Trinitátis fidem Martínus conféssus est. — Ut in virtúte Trinitátis Deíficæ.

Lectio ij.

SEMPER enim quasi tuméntes super me fluctus tímui Deum, et pondus ejus ferre non pótui. Si putávi aurum robur meum, et obrízo dixi, Fidúcia mea. Si lætátus sum super multis divítiis meis, et quia plúrima réperit manus mea. Si vidi solem cum fulgéret, et lunam incedéntem clare : et lætátum est in abscóndito cor meum, et osculátus sum manum meam ore meo : quæ est iníquitas máxima, et negátio contra Deum altíssimum.

℟. ij. Dum sacraménta offérret beátus Martínus, *Globus ígneus appáruit super caput ejus. ℣. Dum enim ad Deum preces emítteret, et pro univérso grege sibi commísso deprecarétur. — Globus ígneus appáruit super caput ejus.

Lectio iij.

SI gavísus sum ad ruínam ejus, qui me óderat, et exsultávi quod invenísset eum malum. Non enim dedi ad peccándum guttur meum, ut expéterem maledícens ánimam ejus. Si non dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus ut saturémur? Foris non mansit peregrínus, óstium meum viatóri pátuit.

℟. iij. Beátus Martínus óbitum suum longe ante præscívit, dixítque frátribus * Dissolutiónem sui córporis imminére, Quia indicávit se jam resólvi. ℣. Víribus córporis cœpit repénte destítui, convocatísque discípulis in unum, dixit. — Dissolutiónem sui córporis imminére. Glória. Quia indicávit se jam resólvi.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Dómine, jam satis est quod hucúsque certávi, sed quoad ipse jússeris, militábo : at si parcis ætáti, bonum est mihi : hos, quibus tímeo, ipse custódias.

Aña. Artus febre fatiscéntes spíritui servíre cogébat : stratóque suo illo nóbili cilício récubans, nec terram vidére jam dignátus, cælo totus inhiábat.

Aña. Sínite me, inquit, cælum vidére, ut spíritus dirigátur ad Dóminum : nihil in me repériet inimícus, sed sinus Abrahæ me suscípiet.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

(Ex Severo Sulpicio in ejus Vita.)

Lectio iv.

MARTINUS, Sabáriæ in Pannónia natus, cum décimum attigísset annum, invítis paréntibus ad Ecclésiam confúgiens, catechúmenum se fíeri postulávit. Miles póstea sub Constántio primum, deínde sub Juliáno factus, quodam témpore, cum nihil præter arma et vestem habéret, Ambiáni páuperi nudo, Christi nómine eleemósynam peténti, partem chlámydis dedit. Sequénti nocte Christus illa vestis parte indútus ei appáruit, hanc emíttens vocem : Martínus catechúmenus hac me veste contéxit. Quo viso, bonitátem Dei in suo ópere cognóvit. Post hæc baptizátus est.

℟. iv. Dixérunt discípuli ad beátum Martínum : Cur nos Pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis? * Invádent enim gregem tuum lupi rapáces. ℣. Scimus quidem desideráre te Christum, sed salva sunt tibi tua præmia : nostri pótius miserére, quos déseris. — Invádent enim.

Lectio v.

EXINDE derelícta milítia, sanctum Hilárium Pictáviæ civitátis Epíscopum ádiit : cujus tunc in Dei rebus spectáta et cógnita fides habebátur : et aliquándiu apud eum commorátus est. Tentávit autem idem Hilárius, impósito Diacónii offício, sibi eum árctius implicáre : sed cum sæpíssime restitísset, indígnum se esse vocíferans, intelléxit Vir Dei hoc eum modo posse constríngi, si id ei offícium impóneret, in quo quidam locus injúriæ viderétur. Itaque Exorcístam eum esse præcépit : quam ille Ordinatiónem non repudiávit.

℟. v. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso subíre propter eos labórem : * Fiat volúntas tua. ℣. Satis est, Dómine, quod hucúsque certávi : nec deficiéntem causábor ætátem, múnia tua devótus implébo. — Fiat volúntas tua.

Lectio vj.

NEC multo post admónitus per sopórem, ut pátriam parentésque, quos adhuc gentilitas detinébat, religiósa sollicitúdine visitáret, ex voluntáte sancti Hilárii proféctus est. Ubi ergo ad pátriam pervénit, matrem gentilitátis absólvit erróre, patre in malis perseveránte : plures tamen suo salvávit exémplo. Póstea ad Hilárium revérsus et ab eo gratíssime suscéptus, haud longe sibi ab óppido monastérium collocávit. Quo témpore étiam duos mórtuos suscitávit : etália multa miránda fecit.

℟. vj. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. ℣. Nóbili illo strato suo in cínere et cilício récubans. — Invíctum. Glória. Invíctum.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Média nocte Domínica Sanctus discéssit, cui cæli cives mox óbviant : multi audiérunt voces in sublíme : qui et vitro púrior, lacte candídior, carne quoque monstrátus est gemma Sacerdótum.

Aña. Glorificáti Hóminis vidérunt glóriam qui adfuérunt : nam caro, quam cinis semper obtéxerat, ita resplénduit, ut quoddam resurrectiónis decus et exstíncta proférret.

Aña. Adest multitúdo monachórum ac vírginum : hi speciáli glória præcípue flebant, cum sentírent magis esse gaudéndum, si ratiónem vis dolóris admitteret.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio : sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 7. in Lucam.)

QUIA in superióribus Ecclésiam Synagógæ prætulit, hortátur nos ut Fidem pótius nostram ad Ecclésiam transferámus. Lucérna enim Fides est, juxta quod scriptum est : Lucérna pédibus meis verbum tuum Dómine. Verbum enim Dei, Fides nostra est. Verbum Dei lux est : lucérna est Fides. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna autem lucére non potest, nisi aliúnde lumen accéperit.

℟. vij. O beátum Virum, in cujus tránsitu Sanctórum canit númerus, Angelórum exsúltant chori, * Omniúmque cæléstium Virtútum occúrrit psalléntium exércitus! ℣. Ecclésia illíus virtúte roborátur, Sacerdótes Dei revelatióne glorificántur : quem Míchael assúmpsit cum Angelis. — Omniúmque cæléstium Virtútum.

Lectio viij.

HÆC est lucérna, quæ accénditur, virtus scílicet nostræ mentis et sensus, ut drachma illa possit, quæ períerat, reperíri. Nemo ergo Fidem sub Lege constítuat. Lex enim intra mensúram est : ultra mensúram Grátia. Lex obúmbrat, Grátia clarificat. Et ídeo nemo Fidem suam intra mensúram Legis inclúdat, sed ad Ecclésiam cónferat, in qua septifórmis Spíritus relúcet Grátia, quam princeps ille sacerdótum fulgóre supérnæ divinitátis illúminat, ne eam Legis umbra restínguat.

℟. viij. O quantus erat luctus ómnium, quanta præcípue mæréntium laménta monachórum! * Quia pium est gaudére Martíno, et pium est flere Martínum. ℣. Beáti Viri cor-

pus usque ad locum sepúlcri hymnis canóra cæléstibus turba proséquitur. — Quia pium est.

Lectio ix.

DENIQUE lucérna illa, quam matutínis vespertinísque tempóribus, ritu véteri Judæórum, princeps sacerdótum solébat accéndere, velut sub módio sita Legis, evánuit : et cívitas illa Jerúsalem, quæ in terris est, quæ occídit Prophétas, quasi in conválle fletus pósita, delitéscit. Illa autem Jerúsalem, quæ in cælo est, in qua milítat Fides nostra, in illo altíssimo ómnium locáta Monte, hoc est in Christo, non potest ténebris hujus mundi abscóndi : sed fulgens candóre Solis ætérni, luce nos spiritális Grátiæ illúminat.

℟. ix. Martínus Abrahæ sinu lætus excípitur : Martínus hic pauper et módicus * Cælum dives ingréditur, Hymnis cæléstibus honorátur. ℣. Martínus Epíscopus migrávit a sæculo : vivit in Christo gemma Sacerdótum. — Cælum dives ingréditur. Glória. Hymnis cæléstibus honorátur.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Martíne. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Dixérunt discípuli ad beátum Martínum : Cur nos Pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis? Invádent enim gregem tuum lupi rapáces. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem : fiat volúntas tua.

3. O Virum ineffábilem, nec labóre victum, nec morte vincéndum, qui nec mori tímuit, nec vívere recusávit!

4. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat, allelúia, allelúia.

5. Martínus Abrahæ sinu lætus excípitur : Martínus hic pauper et módicus cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur.

Capitulum Diléctus Deo., Hymnus Jesu Redémptor ómnium. et ℣. Justus germinábit., pag. 75*.

Ad Benedictus Aña. O quantus luctus ómnium, quanta præcípue laménta monachórum et vírginum chori! Quia pium est gaudére Martíno, et pium est flere Martínum.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte subsístimus, concéde propítius ut intercessióne beáti Martíni, Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per.

In Laudibus Memoria S. Mennæ Martyris. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Mennæ Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per.

AD TERTIAM,
SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

AD II. VESPERAS.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Confessoris, pag. 76*.

Super Psalmos Aña. Dixérunt discípuli ad beátum Martínum : Cur nos Pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis? Invádent enim gregem tuum lupi rapáces.

Capitulum Diléctus Deo. et Hymnus Iste Confessor, pag. 67*.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat Aña. O beátum Virum, cujus ánima Paradísum póssidet! Unde exsúltant Angeli, lætántur Archángeli, chorus Sanctórum proclámat, turba Vírginum invítat : Mane nobíscum in ætérnum.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte subsístimus, concéde propítius ut intercessióne beáti Mártini, Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per.

PER OCTAVAM S. MARTINI.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. O quantus luctus ómnium, quanta præcípue laménta monachórum et vírginum chori! Quia pium est gaudére Martíno, et pium est flere Martínum.

℣. de Communi unius Confessoris, secundum ordinem Memoriarum. Oratio Deus, qui cónspicis., ut supra.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. O beátum Virum., ut supra.

℣. de Communi unius Confessoris secundum ordinem Memoriarum; Oratio Deus, qui cónspicis., ut supra.

¶ Si infra Octavam S. Martini Officium de ipsa propter ejus translationem fieri contigerit, in Matutino dicatur Invitatorium : Regem Confessórum Dóminum * Veníte adorémus. In Nocturno autem Lectio iij. erit sequens :

(Ex Severo Sulpicio, Dialog. 2. cap. 6. et Fortunato lib. 3. in Vita S. Martini.)

Lectio iij.

CUM ob necessária quædam negótia Valentiniánum imperatórem sanctus Martínus adiísset, et fóribus palátii arcéri jussus esset, séptimo post die, Angeli mónitu revérsus, ad eum, némine prohibénte, pervénit. Infréndens supérbus princeps, nequáquam assúrgere astánti dignátus est : cum súbito exórtus ignis sellam, in qua sedébat, válide corrípuit, e selláque excússum accúrrere ad Virum Dei compéllit, complécti, véniam pétere, et cuncta pro ejus voto confícere.

SI vero contingat, propter illius translationem, fieri Officium de Octava die S. Martini, omnia fiant sicut in Festo (servato modo Octavæ diei Simplicis), præter hic posita.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv. Cum ob necessária., ut supra.

Lectio v.

CUM jam per áliquot dies beátus Martínus vi fébrium tenerétur, non tamen a Dei ópere cessábat : pernox in oratiónibus et vigíliis, fa-

tiscéntes artus spirítui servíre cogébat, nóbili illo strato suo in cínere et cilício récubans. Et cum a discípulis rogarétur, ut saltem sibi vília síneret straménta suppóni : Non decet, inquit, fílii, Christiánum nisi in cínere et cilício mori : ego, si áliud exémplum vobis relínquam, ipse peccávi.

Lectio vj.

TESTATI sunt qui beáti Martíni morti adfuérunt, jam in exánimi córpore glorificáti hóminis glóriam se vidísse. Vultus luce clárior renitébat, cum cétera membra ne ténuis quidem mácula fuscáret. Quis istum unquam cilício tectum, quis cinéribus créderet involútum? Ita vitro púrior, lacte candídior, jam in quadam futúræ resurrectiónis glória, et natúra demutátæ carnis osténsus est. Arcádio ígitur et Honório imperántibus, migrávit ad Christum média nocte, quæ Domínica fuit. Multi autem in ejus tránsitu psalléntium voces audiérunt in cælo.

IN III. NOCTURNO.

Homilia ut in die, nisi Homilia aliqua de Tempore legenda occurrerit.

DIE XII. NOVEMBRIS.

IN DEDICATIONE BASILICÆ SS. SALVATORIS.

DUPLEX.

Omnia (præter hic posita) ut in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, pag. 12*. et sequentibus, servato modo festi Duplicis.

IN I. NOCTURNO.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 21.

ET sústulit me in spíritu in montem magnum, et altum, et osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendéntem de cælo a Deo, habéntem claritátem Dei : et lumen ejus símile lápidi pretióso tamquam lápidi jáspidis, sicut crystállum. Et habébat murum magnum, et altum, habéntem portas duódecim : et in portis Angelos duódecim, et nómina inscrípta, quæ sunt nómina duódecim tríbuum filiórum Israel.

℟. j. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Obtulérunt sacrifícium super altáre Dómini : et cecidérunt in fácies suas, et adoravérunt eum. — Et in ore eórum.

Lectio ij.

ET erat structúra muri ejus ex lápide jáspide : ipsa vero cívitas aurum mundum símile vitro mundo. Et fundaménta muri civitátis omni lápide pretióso ornáta. Fundaméntum primum, jaspis : secúndum, sapphírus : tértium, chalcedónius : quartum, smarágdus : quintum, sárdonyx : sextum, sárdius : séptimum, chrysólithus : octávum, beryllus : nonum, topázius : décimum, chrysóprasus : undécimum, hyacínthus; duodécimum, amethystus.

℟. ij. Fundáta est domus Dómini super vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : et vénient ad eam omnes gentes, * Et dicent: Glória tibi Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. — Et dicent : Glória tibi Dómine.

Lectio iij.

Et duódecim portæ, duódecim margarítæ sunt, per síngulas : et síngulæ portæ erant ex síngulis margarítis : et platéa civitátis aurum mundum, tamquam vitrum perlúcidum. Et templum non vidi in ea. Dóminus enim Deus omnípotens templum illíus est, et Agnus. Et cívitas non eget sole, neque luna ut lúceant in ea : nam cláritas Dei illumináit eam, et lucérna ejus est Agnus.

℟. iij. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper : votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, Et ego nesciébam. ℣. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cælos tangébat, et descendéntes Angelos, et ait. — Vere locus iste sanctus est et ego nesciébam. Glória. Et ego nesciébam.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

Ritus, quos in consecrándis ecclésiis et altáribus Romána servat Ecclésia, beátus Silvéster Papa primus instítuit. Nam etsi jam ab Apostolórum témpore loca fuérunt Deo dicáta, quæ a quibúsdam Oratória, ab áliis Ecclésiæ dicebántur, ubi colléctæ fiébant per unam sábbati, et christiánus pópulus oráre, Dei verbum audíre, et Eucharístiam súmere sólitus erat : non tamen illa ádeo solémni ritu consecrabántur, nec in eis adhuc in títulum eréctum erat altáre, quod chrísmate delibútum, Dómini nostri Jesu Christi, qui altáre, hóstia et sacérdos noster est, figúram exprimeret.

℟. iv. Bénedic Dómine domum istam, quam ædificávi nómini tuo : veniéntium in locum istum Exáudi preces in excélso sólio glóriæ tuæ. ℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum. — Exáudi preces.

Lectio v.

Sed ubi Constantínus imperátor per Baptísmi sacraméntum sanitátem salutémque consecútus est, tum primum lege ab eo lata concéssum est, toto orbe terrárum, Christiáni ut ecclésias ædificárent : quos ille non solum edícto, sed étiam exémplo ad sacram ædificatiónem est cohortátus. Nam et in suo Lateranénsi palátio ecclésiam Salvatóri dedicávit, et ei continéntem Basílicam nómine sancti Joánnis Baptístæ cóndidit, eo loco, quo ipse baptizátus a sancto Silvéstro, a lepra mundátus est : quam idem Póntifex consecrávit quinto Idus Novémbris : cujus consecratiónis memória celebrátur hodiérno die, quo primum Romæ públice Ecclésia consecráta est, et imágo Salvatóris in paríete depicta pópulo Románo appáruit.

℟. v. O quam metuéndus est locus iste! Vere * Non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Mane surgens Jacob votum vovit Dómino, et dixit. — Non est hic áliud.

Lectio vj.

QUOD si beátus Silvéster póstea, in consecratióne altáris Príncipis Apostolórum, decrévit ut deínceps nisi ex lápide altária non ædificaréntur, tamen Basílicæ Lateranénsis altáre fuit e ligno eréctum. Quod mirum non est: nam cum a sancto Petro usque ad Silvéstrum, propter persecutiónes, Pontífices certo loco consístere non possent; quocúmque eos necéssitas compulísset, sive in cryptas, sive in cœmetéria, sive in ædes piórum: super illo altári lígneo, ad arcæ similitúdinem cóncavo, sacra faciébant. Quo altári sanctus Silvéster, réddita Ecclésiæ pace, honóris causa Príncipis Apostolórum, qui in illo sacrificásse dícitur, et reliquórum Pontificum, qui usque ad id tempus ad mystéria conficiénda eo usi fúerant, in Lateranénsi prima Ecclésia collocáto, sancívit ne quisquam in eo, præter Románum Pontíficem, Missam deínceps celebráret. Eámdem Ecclésiam incéndiis, vastatiónibus, terræ ínsuper mótibus disjéctam eversámque, ac sédula Summórum Pontíficum cura reparátam, nova póstmodum molitióne restitútam, Benedíctus Décimus tértius Póntifex Máximus, Ordinis Prædicatórum, die vigésima octáva Aprílis anni millésimi septingentésimi vigésimi sexti, ritu solémni consecrávit, ejúsque celebritátis memóriam hac die recoléndam statúit.

℟. vj. Orántibus in loco isto, dimítte Dómine peccáta pópuli tui: et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent: * Et da glóriam nómini tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam: et clamor meus ad te véniat. — Et da glóriam nómini tuo. Glória. Et da glóriam nómini tuo.

AD TERTIAM.

Aña. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta: bene fundáta est supra firmam petram.

Capitulum. Apoc. 21.

VIDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cælo a Deo, parátam, sicut sponsam ornátam viro suo.

℟. Domum tuam Dómine * Decet sanctitúdo. Domum tuam Dómine. ℣. In longitúdinem diérum. Decet sanctitúdo. Glória. Domum tuam Dómine.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui: et præsta ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur cuncta se impetrásse lætétur. Per.

AD SEXTAM.

Aña. Domus mea Domus oratiónis vocábitur.

Capitulum. Isa. 21.

ECCE tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. Hæc est domus Dómini * Fírmiter ædificáta. Hæc est domus Dómini. ℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Fírmiter ædificáta. Glória. Hæc est domus Dómini.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua Dómine. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te.

Oratio Deus, qui nobis. ut ad Tertiam.

AD NONAM.

Aña. Lápides pretiósi omnes muri tui : et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

Capitulum. 1. Cor. 3.

FUNDAMENTUM áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

℟. Beáti qui hábitant * In domo tua Dómine. Beáti qui hábitant. ℣. In sæcula sæculórum laudábunt te. In domo tua Dómine. Glória. Beáti qui hábitant.

℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur.

Oratio Deus, qui nobis. ut ad Tertiam.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

S. DIDACI

CONFESSORIS.

SIMPLEX. Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti Dídaci Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DIDACUS Hispánus ex óppido sancti Nicolái de Portu diœcésis Hispalénsis, ab ineúnte ætáte, pii sub Sacerdótis disciplína, sanctióris vitæ solitária in ecclésia tirocínium exércuit. Deínde ut fírmius Deo se conjúngeret, in conventu de Arizzáfa Fratrum Minórum (quos Observántes vocant) sancti Francísci Régulam in statu laicáli profétsus est. Magna ibi alacritáte húmilis obediéntiæ et reguláris observántiæ jugum súbiens : contemplatióni in primis déditus, mira Dei luce perfundebátur, ádeo ut de rebus cæléstibus, litterárum expers, mirándum in modum et plane divínitus loquerétur.

Lectio v.

CANARIIS in insulis, ubi frátribus sui Ordinis præfuit, multa perpéssus, martyrii æstuans desidério, plures infidéles verbo et exémplo ad Christi fidem convértit. Romam véniens anno Jubilæi, Nicoláo Quinto Pontífice, ægrotórum curæ in convéntu Aræcæli destinátus, eo caritátis afféctu munus hoc exércuit, ut Urbe annónæ inópia laboránte, ægrótis tamen, quorum aliquándo úlcera étiam lambéndo abstergébat, nihil pénitus necessárii defécerit. Exímia quoque fides, et grátia curatiónum in eo elúxit : cum

lámpadis, quæ collucébat ante imáginem beatíssimæ Dei Genitrícis, quam summa devotióne colébat, óleo ægros inúngens, signo Crucis impresso, multórum morbos mirabiliter sanáverit.

Lectio vj.

DEMUM Complúti finem sibi vitæ adésse intélligens, lácera et obsoléta indútus túnica, conjéctis in Crucem óculis, singulári devotióne illis verbis ex sacro hymno pronuntiátis, Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera, quæ fuísti digna portáre Regem cælórum et Dóminum : ánimam Deo réddidit prídie Idus Novémbris, anno Dómini supra millésimum quadringentésimo sexagésimo tértio. Ejus corpus, cum menses non paucos (ut pio confluéntium desidério fieret satis) insepúltum mansisset, quasi jam incorruptiónem indúerit, odórem suavíssimum efflávit. Illum, multis et illustribus miráculis clarum, Sixtus Quintus Póntifex Máximus Sanctórum número adscripsit.

IN III NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Nolíte timére pusíllus grex. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

In Laudibus Memoria S. Britii Episcopi et Confessoris.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Britii, Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

B. JOANNIS LICCII

CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Joánnem, Confessórem tuum, plena sui abnegatióne atque exímiæ caritátis zelo claréscere voluísti : ejus nobis imitatióne concéde ut abdicátis terrénis afféctibus, in tua dilectióne vivámus. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lect. Beátus vir. de Comm. Conf. non Pont., pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES Líccius Cáccabi, quod est Sicíliæ óppidum in Panormitána diœcési, húmili génere natus est. Seméstrem infántulum matre orbátum, ac nutríce ob patris inópiam destitútum, cum solo mali púnici succo alerétur, inédia fere confectum, pia múlier lactándum suscépit : dum autem viro suo, diutúrna membrórum contractióne in lecto jacénti, admovísset, is repénte conváluit. A púero, jugi oratióne, crebris jejúniis et carnis macerátione sese impénse exercébat. Pubertátem vero egréssus, Panórmum dedúctus est, ubi, suadénte Petro Jeremía sanctitáte claro, Prædicatórum Ordinem, quem ille profitebátur, ampléxus est, positóque virtútum ómnium tirocínio, solémnibus votis árctius sese Deo conjúnxit. Sacris mox lítteris diligentíssime excúltus, apostólico múneri designátus est; quod tanta súbiit eloquéntiæ divínæ vi, ut vel e sáxeis córdibus lácrimas piæ compunctiónis elíceret.

Lectio v.

EFFUSUS in ómnia erga próximos caritátis offícia, ómnium ánimos ad se rapiébat. Rem divínam non sine ingénti lacrimárum vi fervidæque devotiónis æstu faciébat. Præcípua in Deíparam Vírginem pietáte ac religióne fuit : ejúsque Rosárii cultum insígniter auxit ac propagávit. Cáccabi cœnóbium sui Ordinis loco sibi cælitus indicáto molítus, matériam óperi perficiéndo parátam divínitus hábuit. Calcáriam fornácem bíduo accénsam, et jamjam ruitúram, quo ejus casum repararet, ingréssus, inde exívit illæsus. Aquam vero, eo loci scaténtem atque exundántem, oratióne exsiccávit, absolutóque ædifício, rursum edúxit, præsentíssimum deínceps áccolis advérsus quoscúmque morbos remédium.

Lectio vj.

CŒNOBIO a se constructo diu præfuit Superiórum nutu ac voluntáte, Siculámque Prædicatórum provínciam severióris disciplínæ zelo, cum summa prudéntia et caritáte conjúncto, sanctíssime administrávit. Dénique, provécta ad annos fere úndecim supra centum ætáte, millésimo quingentésimo undécimo, mense Novémbri, inter Crucifixi amplexus ferventísque caritátis actus, placidíssime excéssit. Ad ejus corpus tríduo insepúltum incredíbilis fuit hóminum concúrsus, ob sancti Viri famam celebritatémque, novis multísque miráculis auctam. Religiósum jam tum eídem adhíbitum cultum, ad hæc usque témpora constánter propagátum, sacra Rítuum Congregátio probávit : ejúsque Offícium et Missam ab univérso Prædicatórum Ordine et Panormitánæ Ecclésiæ Clero Benedíctus Décimus quartus Póntifex Máximus celebrári concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XV. NOVEMBRIS.

B. ALBERTI MAGNI

EPISC. ET CONF. ORD. PRÆD.

TOTUM DUPLEX.

Oratio.

EXAUDI, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Albérti Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : ut qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólvas peccátis. Per.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 39.

SAPIENTIAM ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu præsidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet : bona enim et mala in homínibus tentábit.

Lectio ij.

COR suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum : et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse diriget consílium ejus, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

Lectio iij.

IPSE palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit ecclésia. Si permánserit, nomen derelínquet plus quam mille : et si requiéverit, próderit illi.

IN II. NOCTURNO.
(Ex Petro a Prussia.)
Lectio iv.

ALBERTUS, ob singulárem eruditiónem cognoménto Magnus, natióne Suévus, ab infántia Deíparæ Vírgini devotíssimus fuit, ex cujus étiam consílio Ordinem Fratrum Prædicatórum intráre constítuit. Verum ob várias dæmonis artes mutáto deínceps propósito, illud idem venerábilis Patris Jordáni mónitis adhortationibúsque resúmpsit. Missus deínde Colóniam Agrippínam, ut philosophíæ óperam daret, cum ob ingénii hebetúdinem condiscípulis suis esset inférior, id moléste ferens, Ordinem, quem nondum proféssus erat, desérere constítuit. At cælésti visióne confirmátus, impetratáque Deíparæ Vírginis ope, philosophíæ sciéntia ádeo brevi témpore profécit, ut vulgo Philósophus appellarétur.

Lectio v.

INTEREA assíduis précibus Dei Matrem obsecrábat, ut in fide confirmarétur : ne forte captiósis philosophórum ratiónibus illaqueátus, de divínis mystériis dubitáret. Votis ánnuit benignissima Patróna. Ei quippe conspícuam se præbens : Sapiéntiæ, inquit, stúdio incúmbe : at ne te in fide vacilláre contingat, ars omnis syllogística ante mortem a te auferétur. Signo autem erit id brevi esse futúrum, quod in lectióne pública memóriæ lapsum aliquándo patiére. Parísios póstea missus, tanto auditórum concúrsu libros Sententiárum expósuit, ut discípulos schola non cáperet. Quare in platéa pública docére compúlsus est, quæ ob id Magístri Albérti platéa etiámnum hódie nuncupátur.

Lectio vj.

COLONIAM inde revérsus, sanctum Thomam Aquinátem discípulum hábuit, cujus futúram doctrínam exímiam prophético spíritu prædíxit. Humilitáte ac paupertáte potíssimum excélluit. Ab Urbáno Quarto Romam vocátus, Ratisbonénsi Ecclésiæ Episcopus

datus est. Guillélmum Religiósi status impugnatórem fudit : errores vários in concílio Lugdunénsi confutávit. Post dimíssum Episcopátum, dum annum ágeret octogésimum tértium, Colóniæ in pública lectióne memóriæ lapsum passus est : unde imminéntem óbitus sui diem prænóvit. Ac tandem compléto octogésimo séptimo, migrávit ad Dóminum, anno Salútis millésimo ducentésimo octogésimo.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 78*.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

B. LUCIÆ NARNIENSIS

VIRG. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátam Lucíam, Passiónis Fílii tui signáculis mirabíliter decorátam, virginitátis et patiéntiæ donis blandiéntem mundum elúdere, et persequéntem superáre fecísti : da ut ejus intercessióne et exémplo nec terrénis vincámur illécebris, nec ullis frangámur advérsis. Per eúmdem.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones De virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 98*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

LUCIA Narniénsis, nóbili génere orta, prophetíæ donum pietatémque cum lacte suxísse visa est. Nam adhuc infántula futúra multa prædixit. Negléctis puerílibus nugis, aliísque spretis ætátis oblectaméntis, sacris imagínibus coléndis, fundendísque piis precatiónibus únice delectabátur. Crescénte ætáte, gravíssimis conflictáta morbis, jugi Sanctórum apparitióne mirabíliter sanáta est. Vírginum Sponso, a quo præ céteris donis et charismátibus, visíbili ánulo subarrháta fúerat, virginitátem perpétuo consecrávit. Oblátas sibi a paréntibus núptias constantíssime recusávit: sed divíno mónitu in eas demum consénsit, ínito cum sponso pacto virginitátem ejus ne læderet, quam prorsus íntegram ad mortem usque servásse constans est scriptórum assértio, Apostólicæ Sedis consensióne firmáta.

Lectio v.

SEVERAM prióris vitæ ratiónem matrimónio juncta neque emólliit neque intermísit. Oratiónibus, jejúniis, vigíliis aliísque afflictatiónibus carnem mirífice súbigens, jugi Communiónis eucharísticæ usu spíritum reficiébat. Sæculi luxum vanitatésque perósa, pretiósis véstibus in páuperes, quos eximia caritáte complectebátur, distribútis, vilióribus utebátur, ad ínfima abjectiónis offícia ultro libénsque sese demíttens. Diutúrnas ac graves dæmonum moléstias patientíssime tulit ac fregit. Ab ipso sponso dúrius hábita arctóque cárcere aliquándo reclúsa, vitæ innocéntia atque constántia id demum obtínuit, ut ab eo sejungerétur. Quare hábitu Tértii Ordinis Prædicatórum

devóte suscépto, Romam profécta, inde Vitérbium a Superióribus missa, sacris ibídem Stigmátibus, iisdémque conspícuis ac cruéntis, a Christo Dómino mirabíliter insignita est.

Lectio vj.

RESTAURATA Vitérbii apud sui Ordinis sanctimoniáles regulári disciplína, adniténte Hércule Primo Ferrárias duce, ad eam civitátem Summi Pontíficis jussu migrávit : ubi constrúcto sub invocatióne sanctæ Catharínæ Senénsis amplíssimo monastério, instituéndis nobílibus puéllis dirigendísque sacris virgínibus, summa caritáte, prudéntia ac vigilántia diu præfécta est. Hóminum calúmniis, injúriis, contuméliis ac derisiónibus per annos triginta et octo, variísque morbórum cruciátibus probáta, sæpius tamen cæléstibus recreáta visiónibus, migrávit ad Sponsum, anno millésimo quingentésimo quadragésimo quarto, ætátis vero suæ sexagésimo. Ejus corpus Ferrárias, adhuc incorrúptum sacrorúmque Stígmatum cicatrícibus in eo conspícuis, anno millésimo septingentésimo décimo repértum est, cum ex eo decísum crus ad civitátem Narniénsem translátum est, ubi magnífico sacéllo excéptum, religiosíssime cólitur. Beátæ Luciæ cultum Clemens Undécimus approbávit : ejus vero festum cum Offício et Missa unius Vírginis in univérso Prædicatórum Ordine atque a Clero Narniénsi, Viterbiénsi et Ferrariénsi Benedíctus Décimus tértius celebrári concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus. de Communi unius Virginis non Martyris, pag. 100*.

DIE XVII. NOVEMBRIS.

S. GREGORII THAUMATURGI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Gregórii, Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GREGORIUS, Neocæsáreæ Ponti Epíscopus, sanctitáte doctrináque illústris, signis vero ac miráculis multo illústrior, quorum multitúdine atque præstántia Thaumatúrgus appellátus est, et sancti Basilii testimónio, cum Móyse, Prophétis et Apóstolis comparátus : montem, qui ecclésiæ ædificatiónem impediébat, oratióne álio tránstulit. Item palúdem, inter fratres causam discordiárum, exsiccávit. Lycum flúvium pernicióse agros inundántem, defíxo ad ripam, quo sustentabátur, báculo, qui statim virénten crevit in árborem, coércuit, ut póstea ultra eum términum non efflúxerit.

Lectio v.

SÆPISSIME dæmones ex idolórum simulácris atque ex hóminum corpóribus ejécit,

múltaque ália mirabiliter effécit, quibus innumerábiles hómines traxit ad Jesu Christi fidem, cum étiam prophético spíritu futúra prædíceret. Qui migratúrus e vita, cum quæsísset quot in civitáte Neocæsariénsi réliqui essent infidéles, responsúmque esset tantum esse septémdecim: Deo grátias agens, Tótidem, inquit, erant fidéles, cum cœpi Episcopátum. Plura scripsit, quibus étiam, non solum miráculis, Dei Ecclésiam illustrávit.

Sermo sancti Máximi Episcopi.
(Ex Homilia 78. quæ est 2. de sancto Eusebio.)

Lectio vj.

BEATI Patris (Gregórii) mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cæléstibus divítiis et ætérnis mércibus navem optáto in lítore collocávit. Qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi unius cum vígili hoste conflíctus?

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore: Respóndens Jesus discípulis suis, ait illis: Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicúmque díxerit huic monti, Tóllere, et míttere in mare: et non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit, quia quodcúmque díxerit fiat, fiet ei. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.
(Lib. 3. Comm. in Marc. cap. 11.)

SOLENT Gentíles, qui contra Ecclésiam maledícta scripsére, improperáre nostris quod non habúerint plenam fidem Dei, quia nunquam montes transférre potúerint. Quibus respondéndum est non ómnia scripta esse, quæ in Ecclésia sunt gesta: sicut étiam de factis ipsíus Christi et Dómini nostri Scriptúra testátur. Unde et hoc quoque fieri potuísset, ut mons ablátus de terra mitterétur in mare, si necéssitas id fieri poposcísset: quómodo légimus factum précibus beáti Patris Gregórii Neocæsáreæ Ponti Antístitis, viri méritis et virtútibus exímii, ut mons in terra tantum loco céderet quantum íncolæ civitátis opus habébant.

Lectio viij.

CUM enim volens ædificáre ecclésiam in loco apto, vidéret eum angustiórem esse quam res exigébat, eo quod ex una parte rupe maris, ex ália monte próximo coarctarétur; venit nocte ad locum, et génibus flexis admónuit Dóminum promissiónis suæ, ut montem lóngius juxta fidem peténtis ágeret. Et mane facto revérsus, invénit montem tantum spátii reliquísse structóribus ecclésiæ quantum opus habúerant. Póterat ergo hic, póterat álius quis ejúsdem mériti vir, si opportúnitas exegísset, impetráre a Dómino, mérito fídei, ut étiam mons tollerétur et mitterétur in mare.

Lectio ix.

VERUM quia montis nómine nonnúnquam diábolus significátur, vidélicet propter superbiam, qua se contra Deum érigit, et esse vult símilis Altíssimo : mons ad præcéptum eórum, qui fortes fide sunt, tóllitur de terra et in mare projícitur, cum prædicántibus verbum doctóribus sanctis, immúndus spíritus ab eórum corde repéllitur, qui ad vitam sunt præordináti, et in turbuléntis amarísque infidélium méntibus vesániam suæ tyránnidis exercére permíttitur.

DIE XVIII. NOVEMBRIS.

IN DEDICAT. BASILICARUM SS. PETRI ET PAULI.

DUPLEX.

Omnia (præter hic posita) ut in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, pag. 12*. et sequentibus, servato modo festi Duplicis.

In utrisque Vesperis et Laudibus fiat Memoria de Octava die S. Martini (nisi transferenda fuerit) ut sub titulo Eadem die xviij. Novembris. notatum est, pag. 988.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. 21.

ET sústulit me in spíritu in montem magnum et altum, et osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendéntem de cælo a Deo, habéntem claritátem Dei : et lumen ejus símile lápidi pretióso tamquam lápidi jáspidis, sicut crystállum. Et habébat murum magnum, et altum, habéntem portas duódecim : et in portis Angelos duódecim, et nómina inscrípta, quæ sunt nómina duódecim tríbuum filiórum Israel.

℟. j. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Obtulérunt sacrifícium super altáre Dómini : et cecidérunt in fácies suas, et adoravérunt eum. — Et in ore eórum.

Lectio ij.

ET erat structúra muri ejus ex lápide jáspide : ipsa vero cívitas aurum mundum símile vitro mundo. Et fundaménta muri civitátis omni lápide pretióso ornáta. Fundaméntum primum, jaspis : secúndum, sapphírus : tértium, chalcedónius : quartum, smarágdus : quintum, sárdonyx : sextum, sárdius : séptimum, chrysólithus : octávum, beryllus : nonum, topázius : décimum, chrysóprasus : undécimum, hyacínthus : duodécimum, amethystus.

℟. ij. Fundáta est domus Dómini super vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : et vénient ad eam omnes gentes, * Et dicent : Glória tibi Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. — Et dicent : Glória tibi Dómine.

Lectio iij.

ET duódecim portæ, duódecim margarítæ sunt, per síngulas : et síngulæ portæ erant ex síngulis margarítis :

et platéa civitátis aurum mundum, tamquam vitrum perlúcidum. Et templum non vidi in ea. Dóminus enim Deus omnípotens templum illius est, et Agnus. Et cívitas non eget sole, neque luna, ut lúceant in ea : nam cláritas Dei illumináit eam, et lucérna ejus est Agnus.

℟. iij. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper : votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, Et ego nesciébam. ℣. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cælos tangébat, et descendéntes Angelos, et ait. — Vere locus iste sanctus est. Glória. Et ego nesciébam.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex locis sacris, quæ olim apud Christiános veneratiónem habuérunt, illa celebérrima et frequentíssima fuérunt, in quibus cóndita Sanctórum córpora, vel áliquod Mártyrum vestígium aut monuméntum esset. In quorum número sanctórum locórum, in primis semper fuit insígnis ea Vaticáni pars, quam sancti Petri Confessiónem appellábant. Nam eo Christiáni ex ómnibus orbis terræ pártibus, tamquam ad fidei petram et Ecclésiæ fundaméntum conveniéntes, locum Príncipis Apostolórum sepúlcro consecrátum summa religióne ac pietáte venerabántur.

℟. iv. Bénedic Dómine domum istam, quam ædificávi nómini tuo : veniéntium in locum istum * Exáudi preces in excélso sólio glóriæ tuæ. ℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad Sanctuárium tuum. — Exáudi preces.

Lectio v.

Illuc Constantínus Magnus imperátor octávo die post suscéptum baptísmum venit : depositóque diadémate, et humi jacens, magnam vim lacrimárum profúdit. Mox sumpto ligóne ac bidénte, terram éruit, indéque duódecim terræ cóphinis, honóris causa duódecim Apostolórum, ablátis, ac loco Basílicæ Príncipis Apostolórum designáto, ecclésiam ædificávit. Quam sanctus Silvéster Papa décimo quarto Kaléndas Decémbris, eo modo quo Lateranénsem ecclésiam quinto Idus Novémbris consecráverat, dedicávit, et in ea altáre lapídeum chrísmate delibútum eréxit : atque ex eo témpore sancívit ne deínceps altária nisi ex lápide fíerent. Idem beátus Silvéster Basílicam sancti Pauli Apóstoli in via Ostiénsi, ab eódem Constantíno imperatóre magnificentíssime ædificátam, dedicávit. Quas Basílicas idem imperátor multis prædiis attribútis locupletávit, ac munéribus amplíssimis exornávit.

℟. v. O quam metuéndus est locus iste ! Vere * Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli. ℣. Mane surgens Jacob votum vovit Dómino, et dixit. — Non est hic áliud.

Lectio vj.

Porro Vaticánam Basílicam, vetustáte jamprídem collabéntem, ac propterea multórum Pontíficum pietáte

látius ac magnificéntius a fundaméntis eréctam, Urbánus Octávus, hac eádem recurrénte die anni millésimi sexcentésimi vigésimi sexti, solémni ritu consecrávit. Basílicam vero Ostiénsem cum dira incéndii vis anno millésimo octingentésimo vigésimo tértio pénitus consumpsísset, indefessa quátuor Pontíficum cura splendídius quam ántea eréctam, et ab intéritu véluti vindicátam, Pius Nonus, auspicatíssimam nactus occasiónem, qua dogma de Immaculáta beátæ Maríæ Vírginis Conceptióne, nuper ab ipso proclamátum, ingéntem Cardinálium et Episcopórum número ex díssitis étiam cathólici orbis regiónibus Romam attráxerat, die décima Decémbris anni millésimi octingentésimi quinquagésimi quarti, tanta circúmdatus purpuratórum Patrum et Antístitum coróna, solémniter dedicávit, ejúsque celebritátis memóriam hac die recoléndam decrévit.

℟. vj. Orántibus in loco isto, dimítte Dómine peccáta pópuli tui : et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent : * Et da glóriam nómini tuo. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam : et clamor meus ad te véniat. — Et da glóriam. Glória. Et da glóriam.

AD TERTIAM.

Aña. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta : bene fundáta est supra firmam petram.

Capitulum. Apoc. 21.

VIDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cælo a Deo, parátam, sicut sponsam ornátam viro suo.

℟. Domum tuam Dómine * Decet sanctitúdo. Domum tuam Dómine. ℣. In longitúdinem diérum. Decet sanctitúdo. Glória. Domum tuam Dómine.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram. Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui : et præsta ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur cuncta se impetrásse lætétur. Per.

AD SEXTAM.

Aña. Domus mea Domus oratiónis vocábitur.

Capitulum. Apoc. 21.

ECCE tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. Hæc est domus Dómini * Fírmiter ædificáta. Hæc est domus Dómini. ℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Fírmiter ædificáta. Glória. Hæc est domus Dómini.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua Dómine. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te.

Oratio Deus, qui nobis. ut supra.

AD NONAM.

Aña. Lápides pretiósi omnes muri tui : et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

Capitulum. 1. Cor. 3.

FUNDAMENTUM áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

℟. Beáti qui hábitant In domo tua Dómine. Beáti qui hábitant. ℣. In sæcula sæculórum laudábunt te. In domo tua Dómine. Glória. Beáti qui hábitant.

℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur.

Oratio Deus, qui nobis. ut ad Tertiam.

EADEM DIE
XVIII. NOVEMBRIS.
IN OCTAVA S. MARTINI.
SIMPLEX.

Ad Memoriam in j. Vesperis Aña. O Martíne, o pie, quam pium est gaudére de te, o Martíne, Prophétis compar, Apóstolis consérte, Præsulum gemma, fide et méritis egrégie, pietáte mirábilis, caritáte ineffábilis! Succúrre nobis nunc, et ante Deum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei. Oratio.

DEUS, qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte subsístimus, concéde propítius ut intercessióne beáti Martíni, Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. O quantus luctus ómnium, quanta præcípue laménta monachórum et vírginum chori! Quia pium est gaudére Martíno, et pium est flere Martínum.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio Deus, qui cónspicis.

Ad Memoriam in ij. Vesperis Aña. O beátum Virum, cujus ánima Paradísum póssidet! Unde exsúltant Angeli, lætántur Archángeli, chorus Sanctórum proclámat, turba Vírginum invítat: Mane nobíscum in ætérnum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio Deus, qui cónspicis.

¶ Si vero Octava dies S. Martini in aliam diem translata fuerit, Antiphonæ ad Memoriam in utrisque Vesperis ac Laudibus et Oratio dicantur ut supra. Versiculi autem sint de Communi unius Confessoris secundum ordinem Memoriarum.

DIE XIX. NOVEMBRIS.
S. ELISABETH
VIDUÆ.
DUPLEX. Oratio.

TUORUM corda fidélium Deus miserátor illústra: et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere, et cælésti semper consolatióne gaudére. Per.

IN II. NOCTURNO.
(Ex Bulla Canonizationis, et ex probat. histor.)
Lectio iv.

ELISABETH Andréæ regis Hungáriæ fília, ab infántia Deum timére cœpit, et crescens ætáte, crevit étiam pietáte. Ludovíco lantgrávio Hássiæ et Thuríngiæ in cón-

jugem copuláta, non minóri cura, quæ Dei quam quæ viri sui erant, exsequebátur. Surgens enim noctúrno témpore, oratióni diu incumbébat, ac váriis misericórdiæ offíciis dédita, víduis, pupíllis, ægrótis, egéntibus sédulo inserviébat : gravíque fame urgénte, domus suæ fruménta liberáliter erogábat. Leprósos hospítio suscípiens, manus eórum et pedes osculabátur. Curándis autem et aléndis paupéribus insígne xenodochíum constrúxit.

Lectio v.

VIRI destitúta præsídio, obediéntiæ jugo, quod sub lege pósita maritáli, absque ipsíus præjudício ampléxa fúerat, se arctávit : Religiónis hábitum índuit, sub quo Domínicæ Passiónis in se celebráre mystérium usque in diem últimum non omísit. Nam bonis ómnibus exúta, a própriis ædibus ejécta, ab ómnibus derelícta, contumélias, irrisiónes, obtrectatiónes invícto ánimo tolerávit, ádeo ut summópere gaudéret se tália pro Deo pati. Ad ínfima quæque ministéria erga páuperes et ægrótos se abjíciens, eis necessária procurábat, solis oléribus et legumínibus pro suo victu conténta.

Lectio vj.

CUM vero in his aliísque plúrimis sanctis opéribus vitam religiosíssime transegísset, finis tandem suæ peregrinatiónis advénit, quem doméstici suis ante prædíxit. Cumque defíxis in cælum óculis, divínæ contemplatióni vacáret, a Deo mirabíliter recreáta et Sacraméntis refécta, obdormívit in Dómino : statímque plúrima ad ejus túmulum mirácula patráta sunt. Quibus audítis et rite probátis, Gregórius Nonus Sanctórum número eam adscripsit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore : Respíciens Jesus vidit eos, qui mittébant múnera sua in gazophylácium, dívites. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Ex Lib. de Viduis, cap. 5.)

VIDUA hæc ómnibus antefértur, de qua dictum est, Vídua hæc plus ómnibus misit. In quo moráliter Dóminus ínstruit univérsos ne quis a collatióne ministérii paupertátis pudóre revocétur : nec sibi dívites blandiántur quod plus videántur conférre quam páuperes. Ubérior est enim nummus e parvo quam thesáurus e máximo. Quia non quantum detur, sed quantum resídeat expénditur. Nemo plus tríbuit quam qui sibi nihil relíquit. Quid tu dives egéni comparatióne te jactas? Et cum tota oneréris auro, pretiósam per humum trahens vestem, quasi inférior tuis et parva divítiis, honorári desíderas, quia ínopem collatióne vicísti?

Lectio viij.

NEC mystice tamen despéxeris hanc mulíerem in gazophylácium duo æra mitténtem. Magna plane fémina,

quæ divíno judício méruit ómnibus anteférri. Ne forte illa sit, quæ de fide sua ad subsídium hóminum duo testaménta contúlerit : et ídeo nulla plus fecit. Nec quisquam hóminum quantitátem pótuit collatiónis ejus æquáre, quæ fidem cum misericórdia copulávit. Et tu ígitur, quæcúmque vitam stúdio viduitátis exérces, ne dúbites ad gazophylácium duo æra deférre, vel fídei plena, vel grátiæ. Felix illa, quæ de thesáuro suo íntegram Regis imáginem profert.

Lectio ix.

THESAURUS tuus sapiéntia, thesáurus tuus cástitas atque justítia est, thesáurus tuus intelléctus bonus. Habes et tu thesáurum hunc, si in te requíras : habémus enim thesáurum in vasis fictílibus. Habes aurum, quod cónferas. Non enim niténtis metálli prétium de te Deus éxigit : sed illud aurum, quod judícii die néqueat ignis exúrere. Nec dona pretiósa depóscit, sed odórem fídei, quem altária tui cordis exhálent et religiósæ mentis spiret affléctus. Ex hoc ígitur thesáuro, non solum Magórum tria múnera, sed étiam duo Víduæ æra promúntur, in quibus íntegra cæléstis imágo Regis effúlgeat.

DIE XX. NOVEMBRIS.
S. FELICIS DE VALOIS
CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Felícem, Confessórem tuum, ex erémo ad munus rediméndi captívos cælitus vocáre dignátus es : præsta, quæsumus, ut per grátiam tuam ex peccatórum nostrórum captivitáte ejus intercessióne liberáti, ad cæléstem Pátriam perducámur. Per.

IN II. NOCTURNO.
(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

FELIX, Hugo ántea dictus, ex regáli Valesiórum familia ortus in Gállia, ab ineúnte ætáte non lévia dedit futúræ sanctitátis indícia, præsértim misericórdiæ erga páuperes. Nam adhuc infántulus, manu própria, ac si grándior esset et judícii maturitáte polléret, nummos egénis distríbuit. Jam grandiúsculus, solébat ex appósitis in mensa dápibus ad ipsos míttere, et ferme eo, quod sapídius erat, obsónio paupérculos púeros recreábat. Adoléscens non semel véstibus se spoliávit, ut ínopes cooperíret. Ab avúnculo Theobáldo, Campániæ et Blésii cómite, vitam reo mortis impetrávit, prædícens hunc infámem háctenus sicárium, mox sanctíssimis præditum móribus evasúrum. Verídicum testimónium monstrávit evéntus.

Lectio v.

POST exáctam laudabíliter adolescéntiam, cœpit ex cæléstis contemplatiónis stúdio solitúdinem cogitáre : prius tamen vóluit sacris initiári, ut omnem regni, a cujus successióne, jure legis Sálicæ, non longe distábat, spem sibi præcíderet. Sacérdos factus, et prima Missa devotíssime celebráta, non multo post in erémum secéssit, ubi summa abs-

tinéntia víctitans, cæléstium charísmatum abundántia pascebátur. Ibi cum sancto Joánne de Matha Parisiénsi doctóre, a quo ex divína inspiratióne quæsítus et invéntus, per áliquot annos sanctíssime vixit : donec ambo, per Angelum a Deo admóniti, Romam petiérunt, speciálem a Summo Pontífice vivéndi régulam impetratúri. Facta ígitur Innocéntio Papæ Tértio inter Missárum solémnia revelatióne Religiónis et Institúti de redimméndis captívis, ab ipso Pontífice, simul cum Sócio cándidis véstibus, bicolóri cruce signátis, indúitur, ad eam formam, qua Angelus indútus appáruit : et insuper vóluit Póntifex ut nova Relígio, juxta tríplicem colórem, quo hábitus constat, sanctíssimæ Trinitátis título decorarétur.

Lectio vj.

REGULA própria ex Summi Pontíficis Innocéntii confirmatióne accépta, in diœcési Meldénsi apud locum, qui Cervus frígidus dícitur, primum Ordinis paulo ante a se et Sócio exstrúctum cœnóbium ampliávit, ubi religiósam observántiam et Redemptiónis Institútum mirífice cóluit, ac inde per alúmnos in álias províncias diligentíssime propagávit. Illústrem hic a beáta Vírgine Matre favórem accépit. Dormiéntibus síquidem cunctis frátribus, et ad matutínas preces in pervigílio Nativitátis Deíparæ média nocte recitándas, Deo sic disponénte, non surgéntibus, Felix de more vígilans et horas prævéniens, chorum ingréssus, réperit beátam Vírginem in médio chori, hábitu cruce Ordinis insignito indútam, ac cælítibus simíliter indútis sociátam. Quibus permístus Felix, præcinénte Deípara, laudes divínas concínuit ritéque persólvit. Et quasi jam a terréstri ad cæléstem chorum evocarétur, instántis mortis ab Angelo cértior factus, fílios ad caritátem erga páuperes et captívos adhórtans, ánimam Deo réddidit, ætáte ac méritis consummátus, anno post Christum natum ducentésimo duodécimo supra millésimum, sub eódem Pontífice Innocéntio Tértio.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Nolíte timére pusíllus grex. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 84*.

DIE XXI. NOVEMBRIS.

IN PRÆSENTATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hæc est Regína vírginum, quæ génuit Regem, velut rosa decóra Virgo. Dei Génitrix, per quam repérimus Deum et hóminem, alma Virgo, intercéde pro nobis ómnibus. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis.

℟. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est : flos Fílius ejus. — Et super. Glória. Requiéscit Spíritus almus.

Hymnus.

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

AVE maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis :
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

MONSTRA te esse matrem :
Sumat per te preces,
Qui pro nobis Natus
Tulit esse tuus.

VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

VITAM præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Præsentatiónem devotíssime celebrémus : ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Oratio.

DEUS, qui beátam Maríam semper Vírginem, Spíritus sancti habitáculum, hodiérna die in templo præsentári voluísti; præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus...

AD UTRUMQUE COMPLETORIUM.

Super Psalmos Aña. Virgo Maria, non est tibi similis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

In fine Hymni dicantur hæ duæ Strophæ :

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

¶ Prædictæ Strophæ dicantur in fine omnium Hymnorum, excepto Hymno Vesperarum.

Ad Nunc dimittis Aña. Corde et ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Præsentatiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus Quem terra, pontus, æthera., ut in Festis B. Mariæ V., pag. 2*.

¶ In tribus Nocturnis, Antiphonæ, Psalmi et Versiculi ut in Festis B. Mariæ V., pag. 2*. et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

De Cánticis canticórum.

Lectio j. Cap. 5. et cap. 6.

ADJURO vos fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei quia amóre lángueo. Qualis est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum? qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus. Caput ejus aurum óptimum : comæ ejus sicut élatæ palmárum, nigræ quasi corvus. Oculi ejus sicut colúmbæ super rívulos aquárum, quæ lacte sunt lotæ, et résident juxta fluénta pleníssima. Genæ illíus sicut aréolæ arómatum cónsitæ a pigmentáriis. Lábia ejus lília distillántia myrrham primam.

℟. j. Hódie præsentáta est beáta Virgo María ex progénie David, per quam salus mundi credéntibus appáruit : * Cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Beatíssimæ Vírginis Maríæ Præsentatiónem devotíssime celebrémus. — Cujus vita gloriósa.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ij.

MANUS illíus tornátiles áureæ, plenæ hyacínthis. Venter ejus ebúrneus, distínctus sapphíris. Crura illíus colúmnæ marmóreæ, quæ fundátæ sunt super bases áureas. Spécies ejus ut Líbani, eléctus ut cedri. Guttur illíus suavíssimum, et totus desiderábilis : talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus o pulchérrima mulíerum? quo declinávit diléctus tuus, et quærémus eum tecum? Diléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat.

℟. ij. Gloriósæ Vírginis Maríæ Præsentatiónem digníssimam recolámus : * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Redemptórem mundi. ℣. Hódie præsentáta est beáta Virgo María ex progénie David. — Cujus Dóminus.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iij.

EGO dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es amíca mea, suávis, et decóra sicut Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Avérte óculos tuos a me, quia ipsi me avoláre fecérunt. Capílli tui sicut grex caprárum, quæ apparuérunt de Gálaad. Dentes tui sicut grex óvium, quæ ascendérunt de lavácro, omnes geméllis fétibus, et stérilis non est in eis. Sicut cortex mali púnici, sic genæ tuæ absque occúltis tuis.

℟. iij. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est, flos Fílius ejus. — Et super hunc florem. Glória. Requiéscit Spíritus almus.

IN II. NOCTURNO.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Ex libro sancti Joánnis Damascéni de Fide orthodóxa.
(Lib. 4. cap. 15.)
Lectio iv.

JOACHIM lectíssimam illam ac summis láudibus dignam mulíerem Annam matrimónio sibi copulávit. Verum quemádmodum prisca illa Anna, cum sterilitátis morbo laboráret, per oratiónem ac promissiónem Samuélem procreávit: eódem modo hæc étiam, per obsecratiónem et promissiónem, Dei Genitrícem a Deo accépit, ut ne hic quoque cuíquam ex illústribus matrónis céderet. Itaque Grátia, nam hoc sonat Annæ vocábulum, Dóminam parit : id enim Maríæ nómine significátur. Vere étenim rerum ómnium conditárum Dómina facta est, cum Creatóris Mater éxstitit.

℟. iv. Præsentátio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David : * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Regáli ex progénie María exórta refúlget. — Cujus vita ínclyta.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

IN lucem autem éditur in domo probáticæ Jóachim, atque ad templum addúcitur : ac deínde in domo Dei plantáta, atque per Spíritum sagináta, instar olívæ frugíferæ, virtútum ómnium domicílium effícitur : ut quæ vidélicet ab omni hujúsce vitæ et carnis concupiscéntia mentem abstraxísset, atque ita vírginem una cum córpore ánimam conservásset : ut decébat eam, quæ Deum sinu suo exceptúra erat.

℟. v. Præsentátio tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : * Ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Felix namque es, quæ sola Genitrícis dignitátem obtinuísti, et virgináłem pudicítiam non amisísti. — Ex te enim ortus est.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus.
(Lib. 2. post init.)
Lectio vj.

TALIS fuit María, ut ejus uníus vita, ómnium sit disciplína. Si ígitur Auctor non displicet, opus probémus: ut quæcúmque sibi ejus exóptat præmium, imitétur exémplum. Quantæ in una Vírgine spécies virtútum émicant! Secrétum verecúndiæ, vexíllum fídei, devotiónis obséquium :

Virgo intra domum, comes ad ministérium, Mater ad templum. O quantis illa virgínibus occúrret! Quantas compléxa ad Dóminum trahet, dicens, Hæc torum fílii mei, hæc thálamos nuptiáles immaculáto servávit pudóre!

℟. vj. Ad nutum Dómini nostrum ditántis honórem, * Sicut spina rosam génuit Judæa Maríam. ℣. Ut vítium virtus operíret, grátia culpam. — Sicut spina rosam. Glória. Sicut spina rosam.

IN III. NOCTURNO.

Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi : Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

(Lib. 4. cap. 49. in Luc. 11.)

MAGNÆ devotiónis et fídei hæc múlier osténditur, quæ, Scribis et Pharisæis Dóminum tentántibus simul et blasphemántibus, tanta ejus Incarnatiónem præ ómnibus sinceritáte cognóscit, tanta fidúcia confitétur, ut et præséntium prócerum calúmniam, et futurórum confúndat hæreticórum perfídiam. Nam sicut tunc Judæi, sancti Spíritus ópera blasphemándo, verum consubstantialémque Patri Dei Fílium negábant : sic hærétici póstea, negándo Maríam semper Vírginem, sancti Spíritus operánte virtúte, nascitúro cum humánis membris Unigénito Dei carnis suæ matériam ministrásse, verum, consubstantialémque Matri Fílium hóminis fatéri non debére dixérunt.

℟. vij. Regáli ex progénie María exórta refúlget : * Cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus. ℣. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. — Cujus précibus.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María.

℟. Amen.

Lectio viij.

SED si caro Verbi Dei secúndum carnem nascéntis a carne Vírginis Matris pronuntiátur extránea, sine causa venter, qui eam portásset, et úbera, quæ lactássent, beatificántur. Dicit enim Apóstolus : Quia misit Deus Fílium suum factum ex muliére, factum sub lege. Neque audiéndi sunt qui legéndum putant : Natum ex muliére, factum sub lege, sed Factum ex muliére : quia concéptus ex útero virgináli, carnem non de níhilo, non aliúnde, sed matérna traxit ex carne. Alióquin nec vere Fílius hóminis dicerétur, qui oríginem non habéret ex hómine.

℟. viij. Corde et ánimo Christo canámus glóriam,* In hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. ℣. Cum jucunditáte Præsentatiónem sanctæ Maríæ celebrémus. — In hac sacra solemnitáte.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum.
℟. Amen.

Lectio ix.

ET nos ígitur, his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia cathólica, cujus hæc múlier typum gessit : extollámus et mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. Vere enim beáta Parens, quæ, sicut quidam ait, enixa est puérpera Regem, qui cælum terrámque regit per sæcula.

℟. ix. Felix namque es sacra Virgo María et omni laude digníssima, * Quia ex te ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam Præsentatiónem. — Quia ex te ortus est. Glória. Christus Deus noster.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Præsentátio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Præsentátio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

3. Regáli ex progénie María exórta refúlget : cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.

4. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

5. Cum jucunditáte Præsentatiónem sanctæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

O GLORIOSA Dómina,
Excélsa supra sídera :
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

QUOD Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

TU Regis alti jánua
Et porta lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus Ańa. Præsentatiónem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni processit, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui beátam Maríam semper Vírginem, Spíritus sancti habitáculum, hodiérna die in templo præsentári voluísti; præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus...

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM.

Capitulum. Ego quasi vitis., ut in Laudibus.

℟. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María, * Allelúia, allelúia. Sancta Dei Génitrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Allelúia. Glória. Sancta Dei Génitrix.

℣. Post partum Virgo inviolàta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24.

TRANSITE ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum.

℟. Post partum Virgo inviolàta permansísti, * Allelúia, allelúia. Post partum Virgo. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Allelúia. Glória. Post partum Virgo.

℣. Speciósa facta es, et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

QUI audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Speciósa facta es, et suávis, * Allelúia, allelúia. Speciósa. ℣. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix. Allelúia. Glória. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Præsentátio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris. ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Ego quasi vitis., Hymnus Ave maris stella. et ℣. Ora pro nobis., pag. 992.

Ad Magnificat Aña. Præsentátio tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

DIE XXII. NOVEMBRIS.

S. CÆCILIÆ

VIRG. ET MART.

DUPLEX.

IN I. VESPERIS.

Ad Memoriam Aña. Virgo gloriósa semper Evangélium Christi gerébat in péctore suo: et non diébus neque nóctibus a collóquiis divínis et oratióne cessábat.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beátæ Cæcíliæ, Vírginis et Mártyris tuæ, solemnitáte lætíficas: da ut quam venerámur officio étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per.

¶ Ubi vero festum S. Cæciliæ primas Vesperas habere contigerit, dicatur super Psalmos Aña Veniénte. cum Capitulo Confitébor., pag. 86*; deinde

℟. O beáta Cæcília, quæ duos fratres convertísti, Almáchium júdicem superásti, * Urbánum episcopum in vultu angélico demonstrásti! ℣. Beáta es Virgo et gloriósa : et benedíctus sermo oris tui. — Urbánum. Glória. Urbánum.

Hymnus Vírginis proles., pag. 86*; ℣. Diffúsa est., ad Magnificat Aña Virgo gloriósa. et Oratio Deus, qui nos ánnua beátæ Cæcíliæ., ut supra.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Agnum sponsum vírginum, * Veníte adorémus Dóminum Jesum Christum.

Hymnus Vírginis Proles., pag. 86*.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Cæcília Virgo Almáchium exsuperábat: Tibúrtium et Valeriánum ad corónas vocábat. Psalmi de Communi unius Virginis, pag. 88* et sequentibus.

Aña. Expánsis mánibus orábat ad Dóminum, ut eam eríperet de inimícis.

Aña. Cilício Cæcília membra domábat : Deum gemítibus exorábat.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De libro Ecclesiástici.
Lectio j. Cap. 51.

CONFITEBOR tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a regè iníquo, et a lingua injústa.

℟. j. Cantántibus órganis, Cæcília Virgo in corde suo soli Dómino decantábat dicens : * Fiat Dómine cor meum et corpus meum immaculátum, ut non confúndar. ℣. Biduánis ac triduánis jejúniis orans, suam Dómino pudicítiam commendábat dicens. — Fiat Dómine cor meum.

Lectio ij.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et

non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. ij. O beáta Cæcília, quæ duos fratres convertísti, Almáchium júdicem superásti, * Urbánum epíscopum in vultu angélico demonstrásti! ℣. Beáta es Virgo et gloriósa : et benedíctus sermo oris tui. — Urbánum epíscopum.

Lectio iij.

EXALTASTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. iij. Virgo gloriósa semper Evangélium Christi gerébat in péctore, * Et non diébus neque nóctibus vacábat A collóquiis divínis et oratióne. ℣. Cilício Cæcília membra domábat : Deum gemítibus exorábat. — Et non diébus. Glória. A collóquiis divínis.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Dómine Jesu Christe, seminátor casti consílii, súscipe séminum fructus, quos in Cæcília seminásti.

Aña. Beáta Cæcília dixit ad Tibúrtium : Hódie te fáteor meum esse cognátum, quia amor Dei te fecit esse contemptórem idolórum.

Aña. Fiat Dómine cor meum et corpus meum immaculátum, ut non confúndar.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

CÆCILIA, Virgo Romána, nóbili génere nata, a prima ætáte christiánæ fídei præcéptis institúta, virginitátem suam Deo vovit. Sed cum póstea contra suam voluntátem data esset in matrimónium Valeriáno, prima nuptiárum nocte hunc cum eo sermónem hábuit : Ego, Valeriáne, in Angeli tutéla sum, qui virginitátem meam custódit. Quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitétur. Quibus verbis commótus Valeriánus, illam attíngere non est ausus : quin étiam áddidit se in Christum creditúrum, si eum Angelum vidéret. Cui Cæcília cum sine baptísmo negáret id fíeri posse, incénsus cupiditáte vidéndi Angelum, se baptizári velle respóndit. Quare hortátu Virginis ad Urbánum Papam, qui propter persecutiónem in Mártyrum sepúlcris via Appia latébat, véniens, ab eo baptizátur.

℟. iv. Cilício Cæcília membra domábat, Deum gemítibus exorábat : * Almáchium exsuperábat, Tibúrtium et Valeriánum ad corónas vocábat. ℣. Non diébus neque nóctibus vacábat a collóquiis divínis et oratióne. — Almáchium exsuperábat.

Lectio v.

INDE ad Cæcíliam revérsus, oránte m, et cum ea Angelum divíno splendóre fulgéntem, invénit. Quo aspéctu obstupefáctus, ut primum ex timóre confirmátus est, Tibúrtium fratrem suum accérsit : qui a Cæcília Christi fide imbútus, et ab eódem Urbáno baptizátus, ipse étiam ejúsdem Angeli, quem frater ejus víderat, aspéctu dignátus est. Utérque autem paulo post, Almáchio præfécto, constánter martyrium súbiit. Qui mox Cæcíliam comprehéndi ímperat, ab eáque primum ubi Tibúrtii et Valeriáni facultátes sint, exquírit.

℟. v. Cæcília me misit ad vos, ut ostendátis mihi sanctum Urbánum : * Quia ad ipsum hábeo secréta quæ pérferam. ℣. Cumque pro signo accepéritis benedictiónem ejus, dúcite me ad sanctum Antístitem. — Quia ad ipsum hábeo secréta quæ pérferam.

Lectio vj.

CUI cum Virgo ómnia illórum paupéribus distribúta esse respondísset, eo furóre concitátus est, ut eam, in ipsíus ædes redúctam, in bálneo combúri jússerit. Quo in loco cum diem noctémque ita fuísset, ut ne flamma quidem illam attíngeret, eo immissus est cárnifex, qui ter secúri ictam, cum caput abscíndere non potuísset, semivívam relíquit. Illa tríduo post, décimo Kaléndas Decémbris, Alexándro imperatóre, dúplici virginitátis et martyrii palma decoráta, evolávit in cælum. Cujus corpus ab ipso Urbáno Papa in Callísti cœmetério sepúltum est, in ejus ædibus ecclésia ipsíus Cæcíliæ nómine consecráta. Ejus et Urbáni ac Lúcii Pontíficum, Tibúrtii, Valeriáni et Máximi córpora a Paschále Primo Pontífice inde transláta in Urbem, in eádem sanctæ Cæcíliæ ecclésia cóndita sunt.

℟. vj. Cæcíliam intra cubículum oránte m invénit, et juxta eam, stantem Angelum Dómini : * Quem vídens Valeriánus, Nímio terróre corréptus est. ℣. Angelus Dómini descéndit de cælo, et lumen refúlsit in habitáculo. — Quem vídens Valeriánus. Glória. Nímio terróre corréptus est.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Crédimus Christum Fílium Dei verum Deum esse, qui sibi talem elégit fámulam.

Aña. Nos sciéntes sanctum nomen ejus, omníno negáre non póssumus.

Aña. Tunc Valeriánus perréxit ad Antístitem, et signo, quod accéperat, invénit sanctum Urbánum.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cælórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 12. in Evangel.)

SÆPE vos fratres carissimi admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre : sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere ut et bona, quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis; ne per hoc, quod a vobis rectum géritur, favor, aut grátia humána requirátur : ne appetítus laudis subrépat, et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur.

℟. vij. Dómine Jesu Christe pastor bone, seminátor casti consílii, súscipe séminum fructus, quos in Cæcília seminásti :* Cæcília fámula tua quasi apis tibi argumentósa desérvit. ℣. Nam sponsum, quem quasi leónem ferócem accépit, ad te quasi agnum mansuetíssimum destinávit. — Cæcília fámula tua.

Lectio viij.

ECCE enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicuntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes recéptæ sunt : quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt. Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elóquio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur : quæ quia ex utróque sexu fidélium collígitur, decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis, et réprobi cum eléctis commísti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse perhibétur.

℟. viij. Beáta Cæcília dixit Tibúrtio : Hódie te fáteor meum esse cognátum, * Quia amor Dei te fecit esse contemptórem idolórum. ℣. Sicut enim amor Dei mihi fratrem tuum cónjugem fecit, ita te mihi cognátum fáciet. — Quia amor Dei.

Lectio ix.

SUNT namque pleríque continéntes, qui ab exterióri se appetítu custódiunt, et spe ad interióra rapiúntur; carnem mácerant, et toto desidério ad supérnam pátriam anhélant : ætérna præmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere humánas laudes nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra conscientíam cóntegunt. Et sunt pleríque, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

℟. ix. Dum auróra finem daret, Cæcília dixit : * Eia mílites Christi, abjícite ópera tenebrárum, Et induímini arma lucis. ℣. Cæcília valedícens frátribus, et exhórtans eos ait. — Eia mílites Christi. Glória. Et induímini arma lucis.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta Cæcília. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Cantántibus órganis, Cæcília Dómino decantábat dicens : Fiat cor meum immaculátum, ut non confúndar. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Est secrétum Valeriáne, quod tibi volo dícere : Angelum Dei hábeo amatórem, qui nimio zelo custódit corpus meum.

3. Valeriánus in cubículo Cæcíliam cum Angelo orántem invénit.

4. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Fílium tuum ignis exstínctus est a látere meo.

5. Cæcília fámula tua Dómine quasi apis tibi argumentósa desérvit.

Capitulum Confitébor., Hymnus Jesu coróna vírginum. et ℣. Adducéntur., pag. 95*.

Ad Benedictus Aña. Dum auróra finem daret, Cæcília exclamávit dicens : Eia mílites Christi, abjícite ópera tenebrárum, et induímini arma lucis. Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beátæ Cæcíliæ, Vírginis et Mártyris tuæ, solemnitáte lætíficas : da ut quam venerámur offício étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Virginis, pag. 96*.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Cantántibus órganis, Cæcilia Dómino decantábat dicens : Fiat cor meum immaculátum, ut non confúndar. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Confitébor., Hymnus Vírginis Proles. et ℣. Diffúsa est grátia., pag. 86*.

Ad Magnificat Aña. Triduánas a Dómino popósci indúcias, ut domum meam Dómino ecclésiam consecrárem.

DIE XXIII. NOVEMBRIS.

S. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS.

DUPLEX.

IN I. VESPERIS.

Ad Memoriam Aña. Dedísti Dómine habitáculum Mártyri tuo Cleménti in mari in modum templi marmórei angélicis mánibus præparátum: præbens iter pópulo terræ, ut enárrent mirabília tua.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Cleméntis, Mártyris tui atque Pontíficis, solemnitáte lætíficas : concéde propítius ut cujus natalítia cólimus virtútem quoque passiónis imitémur. Per.

¶ Ubi vero festum S. Clementis primas Vesperas habere contigerit, dicatur super Psalmos Aña Lætábitur. cum Capitulo Beátus vir qui suffert tentatiónem., pag. 38*; deinde ℟. Oránte sancto Cleménte, appáruit ei Agnus Dei : * De sub cujus pede fons vivus emánat. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei. ℣. Cumque oratiónem complésset, et hinc inde circumspíceret, vidit supra montem Agnum stantem. — De sub cujus pede. Glória. Flúminis ímpetus.

Hymnus Deus tuórum mílitum. cum ℣. Glória et honóre., pag. 38*.

Ad Magnificat Aña. Dedísti., Oratio Deus, qui nos ánnua beáti Cleméntis., pag. 1002.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem sempitérnum veníte adorémus,* Qui Mártyrem suum digne pro méritis coronávit in cælis.

Hymnus Deus tuórum míli-tum., pag. 38*.

¶ In tribus Nocturnis Antiphonæ, Psalmi et ℣℣. de Communi unius Martyris, pag. 39*. et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente.

℟. j. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit :* Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus. — Fundátus enim erat.

℟. ij. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso : vitam pétiit a te, et tribuísti ei * In sæculum sæculi. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum. — In sæculum sæculi.

℟. iij. Orémus omnes ad Dóminum Jesum Christum, dixit beátus Clemens, ut confessóribus suis fontis venas apériat : * Ut de benefíciis ejus gratulémur. ℣. Qui percússit in desérto Sina petram, et fluxérunt aquæ in abundántia, ipse nobis láticem affluéntem impertiátur. — Ut de benefíciis ejus gratulémur. Glória. Ut de benefíciis ejus gratulémur.

IN II. NOCTURNO.
(Ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

CLEMENS Románus, Faustíni fílius, de regióne Cœlii montis, discípulus beáti Petri, cujus méminit Paulus scribens ad Philippénses : Etiam rogo et te germáne compar, ádjuva illas, quæ mecum laboravérunt in Evangélio cum Cleménte et céteris adjutóribus meis, quorum nómina sunt in Libro vitæ. Hic septem Urbis regiónes divísit septem Notáriis, síngulas síngulis attríbuens, qui passiónes Mártyrum et res ab eis gestas diligentíssime conquisítas lítteris mandárent. Multa scripsit et ipse accuráte et salutáriter, quibus christiánam religiónem illustrávit.

℟. iv. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ,* Quam repromísit Deus diligéntibus se. ℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino et misericórdiam. — Quam repromísit Deus diligéntibus se.

Lectio v.

CUM autem doctrína ac vitæ sanctitáte multos ad Christi fidem convérteret, a Trajáno imperatóre relegátus est trans mare Pónticum in solitúdinem urbis Chersónæ, in qua duo míllia Christianórum réperit, qui ab eódem Trajáno condemnáti fúerant. Qui cum in eruéndis et secándis marmóribus aquæ penúria laborárent, Clemens, facta oratióne, in vicínum collem ascéndit, in cujus jugo vidit agnum déxtero pede fontem aquæ dulcis, qui inde scatébat, attingéntem,

ubi omnes sitim explevérunt : eóque miráculo multi infidéles ad Christi fidem convérsi, Cleméntis étiam sanctitátem venerári cœpérunt.

℟. v. Dómine prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus * Corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei Dómine. — Corónam de lápide pretióso.

Lectio vj.

QUIBUS concitátus Trajánus, misit illuc qui Cleméntem, alligáta ad ejus collum ánchora, in profúndum dejícerent. Quod cum factum esset, Christiánis ad litus oréntibus, mare ad tria milliária recéssit : eóque illi accedéntes, ædículam marmóream in templi formam et intus arcam lapídeam, ubi Mártyris corpus cónditum erat, et juxta illud ánchoram, qua mersus fúerat, invenérunt. Quo miráculo íncolæ permóti, Christi fidem suscepérunt. Ejus corpus póstea Romam, Nicoláo Primo Pontífice, translátum, in eccléśia ipsíus sancti Cleméntis cónditum est. Ecclésia étiam in eo ínsulæ loco, unde divínitus fons manárat, ejúsdem nómine dedicáta est. Vixit in Pontificátu annos novem, menses sex, dies sex. Fecit Ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros decem, Diáconos duos, Epíscopos per divérsa loca quíndecim.

℟. vj. Oránte sancto Cleménte, appáruit ei Agnus Dei: * De sub cujus pede fons vivus emánat. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei. ℣. Cumque oratiónem complésset, et hinc inde circumspíceret, vidit supra montem agnum stantem. — De sub cujus pede. Glória. Flúminis ímpetus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

(Cap. 26. et 27. in Matth.)

UT ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus; vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse osténdit Zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, et córporum nostrórum dómibus insidiántem : ut ea incuriósis nobis et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat.

℟. vij. Stolam jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. — Et corónam.

Lectio viij.

PARATOS ígitur esse nos cónvenit : quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinem suspénsæ exspectatiónis exágitat. Quisnam est fidélis servus et

prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indefessam vigilántiæ curam adhortétur; speciálem tamen pópuli princípibus, id est Epíscopis, in exspectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat.

℟. viij. Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris, * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et opus fortitúdinis.

Lectio ix.

HUNC enim servum fidélem atque prudéntem, præpósitum famíliæ significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, et præcéptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte et veritáte, infírma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, et verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens hisque ímmorans deprehendátur; glóriam a Dómino tanquam dispensátor fidélis et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur, id est, in Dei glória collocábitur : qua nihil sit ultra, quod mélius sit.

℟. ix. Dedísti Dómine habitáculum Mártyri tuo Cleménti in mari, in modum templi marmórei, angélicis mánibus præparátum : iter præbens pópulo terræ, * Ut enárrent mirabília tua. ℣. Hoc Dómine ad laudem et glóriam nóminis tui fíeri voluísti. — Ut enárrent. Glória. Ut enárrent.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Clemens. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Oránte sancto Cleménte, appáruit ei Agnus Dei. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Non meis méritis ad vos me misit Dóminus vestris corónis partícipem me fíeri.

3. Vidi supra montem Agnum stantem, de sub cujus pede fons vivus emánat.

4. De sub cujus pede fons vivus emánat, flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei.

5. Omnes gentes per gyrum credidérunt Christo Dómino.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

MARTYR Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus.

TUI precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.

SOLUTA sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi,
Amóre Fílii Dei.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Benedictus Aña. Orémus omnes ad Dóminum Jesum Christum, ut confessóribus suis fontis venas apériat. Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Cleméntis, Mártyris tui atque Pontíficis, solemnitáte lætíficas : concéde propítius ut cujus natalítia cólimus virtútem quoque passiónis imitémur. Per.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Martyris, pag. 46*.

IN II. VESPERIS.

Super Psalmos Aña. Oránte sancto Cleménte appáruit ei Agnus Dei. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Martyris, pag. 47*.

Ad Memoriam S. Clementis Aña. Invenérunt in modum templi marmórei habitáculum a Deo parátum.

¶ Ubi vero festum S. Clementis secundas Vesperas integras habere contigerit, Capitulum, Hymnus et ℣. dicantur de Communi unius Martyris, pag. 38*.

Ad Magnificat Aña. Invenérunt., ut supra.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

S. JOANNIS A CRUCE CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui sanctum Joánnem, Confessórem tuum, perféctæ sui abnegatiónis et Crucis amatórem exímium effecísti : concéde ut ejus imitatióni júgiter inhæréntes, glóriam assequámur ætérnam. Per.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria S. Chrysogoni Martyris. Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris : ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Chrysógoni Mártyris tui intercessióne liberémur. Per.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JOANNES a Cruce, Fontíberi in Hispánia piis paréntibus natus, a primis annis certo innótuit quam Deíparæ Vírgini futúrus esset accéptus. Nam quinquénnis in púteum lapsus, ejúsdem Deíparæ manu sublátus incólumis evásit. Tanto autem patiéndi desidério flagrávit, ut novénnis, spreto mollióri lecto, super sarméntis cubáre consuéverit. Adoléscens hospítio páuperum ægrotántium Metymnæ Campi fámulum sese addíxit, quibus magno caritátis ardóre, vilíssima quæque compléctens offícia, præsto áderat. Cujus exémplo excitáti céteri, éadem caritátis múnera ardéntius obíbant. Verum ad altióra vocátus, beátæ Maríæ Vírginis de Monte Carmélo Institútum ampléxus est; ubi Sacérdos ex obediéntia factus, severióris disciplínæ et arctióris vitæ cupidíssimus, primitívam Ordinis régulam ex Superióris licéntia ita profíssus est, ut ob jugem Domínicæ Passiónis memóriam, bello in se tamquam in infensíssimum hostem indícto, vigíliis, jejúniis, férreis flagéllis omníque pœnárum génere, brevi carnem cum vítiis et concupiscéntiis suis cru-

cifixerit : dignus plane, qui a sancta Terésia inter puriores sanctioresque ánimas, Ecclésiam Dei id témporis illustrántes, recenserétur.

Lectio v.

SINGULARI vitæ austeritáte et ómnium virtútum præsídio munítus, præ assídua rerum divinárum contemplatióne diutúrnas et mirábiles éxtases frequénter patiebátur, tantóque in Deum æstuábat amóre, ut cum divínus ignis sese intro diútius continére non posset, foras erúmpere ejúsque vultum irradiáre visus sit. Proximórum salúti summópere inténtus, tum in verbi Dei prædicatióne, tum in Sacramentórum administratióne fuit assíduus. Hinc tot méritis auctus, strictiorísque disciplínæ promovéndæ ardóre veheménter accénsus, sanctæ Terésiæ comes divínitus datus est, ut quam ipsa inter Soróres primævam Carméli Ordinis observántiam instauráverat, eámdem et inter Fratres, Joánne adjutóre, restitúeret. Innúmeros ítaque una cum Dei Fámula in divíno ópere promovéndo perpéssus labóres, cœnóbia, quæ ejúsdem sanctæ Vírginis cura per totam Hispániam erécta fúerant, nullis vitæ incómmodis et periculis téritus, síngula perlustrávit, in quibus, aliisque quamplúrimis ejus ópera eréctis, restaurátam observántiam propagándo, verbo et exémplo firmávit : ut mérito primus post sanctam Terésiam Carmelitárum Excalceatórum Ordinis profféssor et parens habeátur.

Lectio vj.

VIRGINITATEM perpétuo cóluit, impudentésque mulíeres, ejus pudicítiæ insidiári conántes, non modo répulit, sed étiam Christo lucrifécit. In divínis explicándis arcánis æque ac sancta Terésia, Apostólicæ Sedis judício, divínitus instructus, libros de mystica theología cælésti sapiéntia refértos conscrípsit. Semel interrogátus a Christo quid præmii pro tot labóribus pósceret, respóndit : Dómine, pati et contémni pro te. Império in dæmones, quos e corpóribus sæpe fugábat, discretióne spirituum, prophetíæ dono, miraculórum glória celebratíssimus, ea semper fuit humilitáte, ut sæpius a Dómino flagitáverit eo loco mori, ubi ómnibus esset ignótus. Voti compos factus, Ubédæ diro morbo et in crure quinque plagis sánie manántibus, ad impléndum patiéndi desidérium, constantíssime tolerátis, Ecclésiæ Sacraméntis pie sanctéque susceptis, in Christi crucifíxi ampléxu, quem semper in corde atque ore habúerat, post illa verba, In manus tuas comméndo spíritum meum, obdormívit in Dómino, die et hora a se prædíctis, anno Salútis millésimo quingentésimo nonagésimo primo, ætátis quadragésimo nono. Migrántem ejus ánimam splendidíssimus ignis globus excépit. Corpus vero suavíssimum odórem spirávit, quod etiámnum incorrúptum Segóbiæ honorífice cólitur. Eum, plúrimis ante et post óbitum fulgéntem signis,

Benedictus Décimus tértius Póntifex Máximus in Sanctórum número rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XXV. NOVEMBRIS.

S. CATHARINÆ VIRG. ET MART.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Vírginis exímiæ Catharínæ Mártyris almæ festa celebráre da nobis Rex pie Christe. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 51.

CONFITEBOR tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

℟. Virgo flagellátur, cruciánda fame religátur : cárcere clausa manet, lux cælica fusa refúlget : * Fragrat odor, dulces Cantant cæli ágmina laudes. ℣. Sponsus amat Sponsam : Salvátor vísitat illam. — Fragrat. Glória. Cantant.

Hymnus.

CATHARINÆ collaudémus
Virtútum insígnia,
Cordis ei præsentémus
Et oris obséquia :
Ut ab ipsa reportémus
Æqua laudis prǽmia.

FULTA fide Catharina
Júdicem Maximinum
Non formídat : lex divína
Sic firmat elóquium,
Quod confútat ex doctrína
Erróres gentílium.

VICTI Christum confiténtur,
Relíctis erróribus :
Judex jubet ut creméntur,
Nec pilis aut véstibus
Ignis nocet, sed torréntur
Inústis corpóribus.

GLORIA et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri Filióque,
Inclyto Paráclito :
Cui laus est et potéstas,
Per ætérna sæcula. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magníficat Aña. Inclyta sanctæ Vírginis Catharínæ solémnia suscípiat alácriter pia mater Ecclésia. Ave Virgo Deo digna, ave dulcis et benígna! Obtine nobis gáudia quæ póssides cum glória. Oratio.

DEUS, qui dedísti Legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti : præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad Montem, qui Christus est, pervenire valeámus : Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Adorétur vírginum Rex in sæculórum sæcula. * Vírgini qui Catharínæ cóntulit cæléstia.

Hymnus.

PANGE lingua gloriósæ
Vírginis martyrium :
Gemmæ jubar pretiósæ
Descéndat in médium,
Ut illústret tenebrósæ
Mentis domicílium.

BLANDIMENTIS rex molítur
Vírginem sedúcere :
Nec promíssis emollítur,
Nec terrétur vérbere :
Compedítur, custodítur
Tetro clausa cárcere.

CLAUSÆ lumen, ne claudátur,
Illúcet Porphyrio,
Qui regínæ fœderátur
Fídei collégio :
Quorum fidem imitátur
Ducenténa cóncio.

GLORIA et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclyto Paráclito :
Cui laus est et potéstas,
Per ætérna sæcula. Amen.

¶ In tribus Nocturnis, Antiphonæ, Psalmi et Versiculi de Communi unius Virginis, pag. 88* et sequentibus; cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.
De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 7.

OMNIUM ártifex dócuit me Sapiéntia : est enim in illa spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, subtílis, disértus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benígnus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, et qui cápiat omnes spíritus : intelligíbilis, mundus, subtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior est Sapiéntia : attíngit autem ubíque propter suam mundítiam. Vapor est enim virtútis Dei, et emanátio quædam est claritátis omnipoténtis Dei sincéra : et ídeo nihil inquinátum in eam incúrrit.

℟. j. Veni Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit : *Pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti, et cum ángelis in Paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit rex spéciem tuam. — Pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti.

Lectio ij.

CANDOR est enim lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. Et cum sit una, ómnia potest : et in se pérmanens ómnia ínnovat, et per natiónes in ánimas sanctas se transfert, amícos Dei et prophétas constítuit. Néminem enim díligit Deus, nisi eum, qui cum Sapiéntia inhábitat. Est enim hæc speciósior sole, et super omnem dispositiónem stellárum, luci comparáta invenítur prior. Illi enim succédit nox, Sapiéntiam autem non vincit malítia.

℟. ij. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam. — Et dedúcet te mirabíliter.

Lectio iij. Cap. 8.

ATTINGIT ergo a fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi et exquisívi a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus glorificat, con tubérnium habens Dei : sed et ómnium Dóminus diléxit illam : doctrix enim est disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus.

Et si divítiæ appetúntur in vita, quid Sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia?

℟. iij. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, Próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: propterea benedíxit te Deus in ætérnum. — Inténde. Glória. Próspere procéde, et regna.

IN II. NOCTURNO.
(Ex Romano Breviario.)
Lectio iv.

CATHARINA nóbilis Virgo Alexandrína, a prima ætáte stúdia liberálium ártium cum fídei ardóre conjúngens, brevi ad eam sanctitátis et doctrínæ perfectiónem pervénit, ut decem et octo annos nata, eruditíssimum quemque superáret. Quæ cum Maximíni jussu multos propter christiánæ religiónis professiónem várie torméntis cruciátos ad supplícium rapi vidéret, non dubitánter ipsum ádiit Maximínum, eíque nefáriam immanitátem objíciens, sapientíssimis ratiónibus Christi fidem ad salútem necessáriam esse affirmávit.

℟. iv. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Deum et apud hómines glorificáta est: in conspéctu príncipum loquebátur sapiéntiam, * Et Dóminus ómnium diléxit eam. ℣. Erécta namque in virtútis cúlmine, torménta derísit, præmia calcávit. — Et Dóminus ómnium.

Lectio v.

CUJUS prudéntiam Maximínus admirátus, retinéri eam jubet, accersítis úndique doctíssimis homínibus, magnísque propósitis præmiis, qui convíctam Catharínam a Christi fide ad idolórum cultum perduxíssent. Quod contra áccidit: nam plures philósophi, qui ad eam coarguéndam convénerant, vi ac subtilitáte ejus disputatiónis, tanto Jesu Christi amóre sunt incénsi, ut pro illo mori non dubitáverint. Quam ob rem, Maximínus blanditiis ac promíssis Catharínam de sententia dedúcere aggréditur. Verum id frustra fieri intélligens, verbéribus afféctam plumbatísque contúsam, dies úndecim sine cibo ac potu inclúsam tenet in cárcere.

℟. v. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit: quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum: * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Ista est una de número prudéntum, quæ aptávit lámpades suas. — Et veniénte Dómino.

Lectio vj.

QUO témpore Maximíni uxor et Porphyrius belli dux, viséndæ Vírginis causa cárcerem ingréssi, et ejúsdem prædicatióne in Jesum Christum credéntes, póstea martyrio coronáti sunt. Interim Catharína edúcitur e custódia, et rota expedítur crebris et acútis præfíxa gládiis, ut Vírginis corpus crudelíssime dilacerarétur. Quæ máchina brevi Catharínæ oratióne confrácta est: eóque miráculo multi Christi fidem suscepérunt. Ipse Maximínus in impietáte et crudelitáte obstinátior, Catharínam secúri pércuti ímperat. Quæ fórtiter dato cápite, ad duplicátum virginitátis et mar-

tyrii præmium evolávit, séptimo Kaléndas Decémbris. Cujus corpus ab angelis in Sina Arábiæ monte mirabíliter collocátum est.

℟. vj. Virgo flagellátur, cruciánda fame religátur : cárcere clausa manet, lux cælica fusa refúlget : * Fragrat odor, dulces Cantant cæli ágmina laudes. ℣. Sponsus amat Sponsam : Salvátor vísitat illam. -- Fragrat odor. Glória. Cantant cæli ágmina laudes.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cælórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ. (Homilia 12. in Evang.)

SÆPE vos fratres caríssimi admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre : sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere ut et bona, quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis; ne per hoc, quod a vobis rectum géritur, favor aut grátia humána requirátur; ne appetítus laudis subrépat, et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur.

℟. vij. Audívi vocem de cælo veniéntem : Veníte omnes vírgines sapientíssimæ, * Oleum recóndite in vasis vestris, dum Sponsus advénerit. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce Sponsus venit. — Oleum recóndite.

Lectio viij.

ECCE enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes recéptæ sunt : quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt. Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elóquio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur : quæ quia ex utróque sexu fidélium collígitur, decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis, et réprobi cum eléctis commísti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse perhibétur.

℟. viij. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Quia concupivit rex.

Lectio ix.

SUNT namque plerique continéntes, qui ab exterióri se appetítu custódiunt, et spe ad interióra rapiúntur; carnem mácerant, et toto desidério ad supérnam Pátriam anhélant : ætérna præmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere humánas laudes nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt plerique, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

℟. ix. Percússa gládio, dat lac pro sánguine collo: *Quam manus angélica Sepelívit vértice Sina. ℣. Membris virgíneis ólei fluit unda salúbris. — Quam manus angélica. Glória. Sepelívit vértice Sina.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta Catharína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Passiónem gloriósæ Vírginis Catharínæ devóte plebs célebret fidélis: quæ sui mémores Deo comménd et méritis, et juvet benefíciis. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Post plúrima supplícia Martyr alma ad decollándum est ducta: ad cælum tendens óculos, collum submíttit gládio, orans dat glóriam Deo.

3. Exspécto pro te gládium, Jesu Rex bone: tu meum cólloca in Paradíso spíritum, et fac misericórdiam, meam agéntibus memóriam.

4. Vox de cælis insónuit: Veni elécta mea, veni intra thálamum Sponsi tui. Quæ póstulas impetrásti: qui te laudant salvi fient.

5. Quia devótis láudibus tui memóriam Virgo recólimus, o beáta Catharína ora pro nobis, quæsumus.

Capitulum. Eccli. 51.

CONFITEBOR tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus.

PRÆSENS dies expendátur
In ejus præcónium,
Cujus virtus dilatátur
In ore laudántium,
Si gestórum teneátur
Finis et initium.

IMMINENTE passióne
Virgo hæc intérserit:
Assequátur, Jesu bone,
Quod a te petíerit
Suo quisquis in agóne
Memor mei fúerit.

IN hoc caput amputátur,
Fluit lac pro sánguine:
Angelórum sublevátur
Corpus multitúdine,
Et Sínai collocátur
In suprémo cúlmine.

GLORIA et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri Filióque,
Inclyto Paráclito:
Cui laus est et potéstas,
Per ætérna sæcula. Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Benedictus Aña. Prudens et vígilans Virgo, qualis es cum Sponso illo, qui te elégit de mundo, quam pulchra, quam mirábilis, quanta luce spectábilis inter Sion juvéncu las et Jerúsalem fílias! Thálamo gaudes régio, conjúncta Dei Fílio. Oratio.

DEUS, qui dedísti Legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad Montem, qui Christus est, pervenire valeámus: Qui tecum vivit.

AD TERTIAM,

Capitulum. Confitébor tibi., ut in Laudibus.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Allelúia, allelúia. Diffúsa est. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Allelúia. Glória. Diffúsa est.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 11.

ÆMULOR enim vos Dei æmulatióne : despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua, * Allelúia, allelúia. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Allelúia. Glória. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 4.

O QUAM pulchra est casta generátio cum claritáte : immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est et apud hómines.

℟. Adjuvábit eam Deus vultu suo, * Allelúia, allelúia. Adjuvábit eam Deus. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Allelúia. Glória. Adjuvábit eam Deus.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Passiónem gloriósæ Vírginis Catharínæ devóte plebs célebret fidélis : quæ sui mémores Deo comméndet méritis, et juvet benefíciis. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Confitébor. et Hymnus Catharínæ collaudémus. ut in j. Vesperis, pag. 1008.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat Aña. Ave Vírginum gemma Catharína : ave sponsa Regis regum gloriósa : ave viva Christi hóstia! Tua venerántibus patrocínia, impetráta non déneges suffrágia.

PER OCTAVAM S. CATHARINÆ.

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña Prudens et vígilans Virgo., ℣. Adducéntur. et Oratio Deus, qui dedísti Legem Móysi. ut in Laudibus Festi.

Ad Memoriam in Vesperis Aña Ave Vírginum gemma. et ℣. Diffúsa est. ut in ij. Vesperis Festi; Oratio Deus, qui dedísti Legem Móysi. ut in Laudibus.

UNICA DIE
INFRA OCT. S. CATHARINÆ.

AD MATUTINUM.

Invitatorium et Hymnus ut in Festo, pag. 1008.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos sola Aña. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis. Psalmi novem de Communi unius Virginis, pag. 88*. et sequentibus.

℣. de eodem Communi secundum ordinem Nocturnorum.

Lectio prima et Lectio secunda de Scriptura currente (vel de Homilia Dominicali, si nondum lecta fuerit); Lectio tertia Sermo sancti Petri Damiáni. Hódie fratres carissimi. ut infra. ℟℟. tria ut in Festo, secundum ordinem Nocturnorum.

Sermo sancti Petri Damiáni.

(Serm. 11. in Nat. Virg.)

Lectio iij.

HODIE, fratres caríssimi, virginále nobis decus illúxit, quod nostræ memóriæ divínæ virtútis victóriam renovávit. Porro quanto fragílior sexus, quanto infírmius vásculum, quod repórtat ex hoste triúmphum; tanto majóri diábolus oppróbrio confusiónis indúitur, tanto mirabílior Deus in Sanctis agnóscitur, tanto étiam rex Mártyrum Christus in propugnatrícibus suis jucúndius delectátur. Hinc est quod Salvátor noster, in hujus mundi campum potestátes aéreas debellatúrus advéniens, non elégit rhétores et philósophos, sed símplices ac ignáros: talibúsque versúta mundánæ sapiéntiæ arguménta convíncit.

Dicatur Canticum Te Deum laudámus.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta Catharína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES ET HORAS.

Omnia ut in Festo, servato modo diei infra Octavam Simplicem.

AD PRETIOSA.

Legendum est de Constitutionibus.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

S. ANDREÆ AVELLINI CONFESSORIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui in corde beáti Andréæ Confessóris tui, per árduum quotídie in virtútibus proficiéndi votum, admirábiles ad te ascensiónes disposuísti: concéde nobis, ipsíus méritis et intercessióne, ita ejúsdem grátiæ partícipes fieri, ut perfectióra semper exsequéntes, ad glóriæ tuæ fastígium felíciter perducámur. Per.

IN II. NOCTURNO.

(Ex Breviario Romano.)

Lectio iv.

ANDREAS Avellínus, dictus ántea Lancellóttus, apud Castrum Novum Lucániæ pagum natus, inter ipsa infántiæ primórdia futúræ sanctitátis non obscúra præbuit indícia. Adoléscens, ad lítteras addiscéndas patérna e domo egréssus, lúbricam illíus ætátis sémitam inter bonárum ártium stúdia ita perégit, ut sapiéntiæ inítium, quod est timor Dómini, ob óculos potíssimum habére nunquam prætermíserit. Cum egrégia perínde forma exímium castitátis stúdium conjúnxit, quo impudícas sæpe mulíerum insídias elúsit, intérdum étiam apértam vim propulsávit. Clericáli milítiæ jamprídem adscríptus, Neápolim se cóntulit, ut legálibus disciplínis vacáret: ibíque jurisprudéntiæ láuream adéptus, atque intérea ad sacerdotálem dignitátem evéctus, causárum patrocínia in foro dumtáxat

ecclesiástico, proque privatis quibúsdam persónis, juxta sacrórum cánonum sanctiónes, ágere cœpit. Verum cum aliquándo, inter causam agéndam, leve ei mendácium excidisset, mox vero fortúita sacrárum Scripturárum lectióne in illa verba incidísset, Os, quod mentítur, occídit ánimam: tanto ejus culpæ dolóre ac pœniténtia corréptus est, ut statim ab ejúsmodi vitæ institúto sibi recedéndum esse dúxerit. Itaque abdicátis forénsibus curis, se totum divíno cúltui sacrísque ministériis mancipávit. Cumque ecclesiásticæ virtútis exémplis emineret, sanctimoniálium regímini a tunc exsisténte Arhiepíscopo Neapolitáno præféctus fuit. Quo in múnere, cum pravórum hóminum ódia subiísset, primo quidem intentátæ sibi necis perículum declinávit, mox vero per sicárium tribus in fácie accéptis vulnéribus, injúriæ atrocitátem æquo ánimo pértulit. Tunc perfectióris vitæ desidério flagrans, ut inter Cléricos Regulares adscriberétur suppliciter postulávit, votíque compos factus, ob ingéntem, quo æstuábat, Crucis amórem, ut sibi Andréæ nomen imponerétur précibus impetrávit.

Lectio v.

ARCTIORIS itaque vitæ curriculum álacri stúdio ingréssus, in eas máxime virtútis exercitatiónes incúbuit, ad quas sese árduis étiam emíssis votis obstrínxit: áltero scílicet suæ ipsíus voluntáti júgiter obsisténdi, áltero vero in via christiánæ perfectiónis semper ultérius progrediéndi. Regulâris disciplínæ cultor assíduus, et in ea promovénda, cum áliis præésset, studiosíssimus fuit. Quidquid ab Institúti sui offício et régulæ præscrípto supérerat témporis, oratióni et animárum salúti tribuébat. In confessiónibus excipiéndis mira ejus piétas et prudéntia enítuit. Vicos et óppida Neápoli finítima, evangélicis ministériis magno cum animárum lucro frequens lustrábat. Quam ardéntem erga próximos sancti Viri caritátem signis étiam Dóminus illustrávit. Cum enim intempésta nocte ab audíta ægri confessióne domum redíret, ac plúviæ ventorúmque vis prælucéntem facem exstinxísset, non solum ipse cum sóciis inter effusíssimos imbres nihil madefáctus est, verum étiam inusitáto splendóre, e suo córpore mirabíliter emicánte, sóciis inter densíssimas ténebras iter monstrávit. Abstinéntia et patiéntia nec non abjectióne atque ódio sui summópere præstitit. Necem, fratris fílio illátam, imperturbáto ánimo tulit, ac suos ab omni ulciscéndi cupiditáte compéscuit, immo étiam pro interfectóribus opem et misericórdiam júdicum implorávit.

Lectio vj.

PLURIBUS in locis Clericórum Regulárium Ordinem propagávit, eorúmque domicilia Medioláni et Placéntiæ instituit. Illíus óperam sanctus Cárolus Borromæus et Paulus de Arétio Cléricus Reguláris Cardináles, quibus erat acceptíssimus, in pastorális múneris curis adhibuérunt. Deíparam

Vírginem singulári amóre et cultu prosequebátur. Angelórum collóquio pérfrui méruit, quos, cum divínas laudes persólveret, e regióne concinéntes se audísse testátus est. Dénique post heróica virtútum exémpla, prophetíæ quoque dono illústris, quo et secréta córdium et abséntia et futúra prospéxit, annis gravis et labóribus fractus, ad aram celebratúrus, in verbis illis tértio repetítis, Introíbo ad altáre Dei, repentíno apoplexíæ morbo corréptus est. Mox Sacraméntis rite munítus, placidíssime inter suos ánimam efflávit. Ejus corpus Neápoli in ecclésia sancti Pauli ad hæc usque témpora eo frequentíssimo pópuli concúrsu cólitur, quo fuit elátum. Illum dénique, insígnibus in vita et post mortem miráculis clarum, Clemens Undécimus Póntifex Máximus solémni ritu Sanctórum catálogo adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

B. MARGARITÆ DE SABAUDIA.

VIDUÆ ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátam Margarítam a sæculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde ut ejus méritis et exémplo discámus perítúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria SS. Vitalis et Agricolæ Martyrum. Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beatórum Mártyrum tuórum Vitális et Agrícolæ solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Ex libro Proverbiórum.

Lectio j. Cap. 31.

ACCINXIT fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi : byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Lectio ij. Cap. 3.

QUÆ mihi fuérunt lucra hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei : propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam

justítiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ ex Fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in Fide ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illius.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio iij. Cap. 5.

VIDUAS honóra, quæ vere víduæ sunt. Si qua autem vídua fílios, aut nepótes habet: discat primum domum suam régere, et mútuam vicem réddere paréntibus: hoc enim accéptum est coram Deo. Quæ autem vere víduа est, et desoláta, speret in Deum, et instet obsecratiónibus et oratiónibus nocte ac die. Nam quæ in delíciis est, vivens mórtua est. Et hoc præcipe ut irreprehensíbiles sint.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BEATA Margaríta, stirpe régia ducum Sabáudiæ nata, futúræ sanctitátis ab ipsa infántia spécimen dedit. Adúlta, paréntum jussu, Theodóro Montisferráti marchióni nupsit. A sancto Vincéntio Ferrério ad altióris perfectiónis stúdium accénsa, quantum per conjúgii statum licuit, Deo se totam devóvit: ac demum a lege viri solúta, palam sancti Domínici hábitum, quem Soróres de Pœniténtia gestáre solent, assúmpsit, votúmque perpétuæ deínceps viduális continéntiæ emísit. Secúndas núptias cum Philippo Mediolanénsium Duce oblatámque Summi Pontíficis relaxatiónem voti modéste recusávit. Mira in páuperes et infírmos ardébat caritáte. Nam sub Tertiáriæ hábitu foris degens, omni facultátum subsídio solabátur egénos, ministrábat ægris, languéntium sordes, úlcera, sániem própriis tergébat mánibus. A sæculi commércio lóngius abésse cúpiens, in Alba Pompéia sibi ac religiósis virgínibus monastérium sub cura Fratrum Prædicatórum constrúxit, in quo solémnibus votis réliquum vitæ Altíssimo consecrávit.

Lectio v.

NOVUM vitæ genus proféssa, novo ardóre stúdium pietátis ac religiónis exércuit. Régulæ et sacrárum Constitutiónum observántiam ita cóluit, ut eárum nec iota nec mínimum ápicem præteríret. Obediéntiam et humilitátem ita servávit, ac si ex ínfima plebe ad religiósum statum convolásset. Superiórum ac præsértim Confessárii jussa, summa ánimi demissióne excipiébat. Abjectíssima quæque cœnóbii ministéria ultro et alácriter obíbat. Nihil in ejus induméntis et supelléctili supérfluum reperíre erat. Data sibi aliquándo a Christo Dómino optióne, ex tribus acutíssimis lánceis, nempe calúmnia, ægritúdine ac persecutióne, quam vellet eligéndi, omnes simul sustinéndas elégit. Nec feféllit evéntus. Sed et ómnia æquanímiter sustínuit, ut Christo crucifíxo plenissime configurarétur.

Lectio vj.

INTER orándum sæpíssime rapiebátur in éxtasim, ac divínæ unióni dulcédine tota spíritu colliquescébat. Precum

ac lacrimárum ejus tanta vis fuit, ut quidquid a Deo péteret, impetráret. Neptem Amadéam, plane a médicis desperátam, integérrimæ valetúdini orándo restítuit. Fruges, in agro páuperis densa grándine omníno prostrátas, in messem copiósam eréxit. Dæmones, Albam Pompéiam fúnditus subvértere moliéntes, a cœpto detérruit ac fugávit. Pro pace universális Ecclésiæ redintegránda máximos labóres ultro felicitérque suscépit. Demum cælo matúra, exáctis sub sancti Domínici hábitu annis quadragínta quátuor, ad súperos evolávit, anno millésimo quadringentésimo sexagésimo quarto. Multis vivens ac post óbitum miráculis cláruit : quibus rite ágnitis ac probátis, Clemens Décimus Póntifex Máximus ejus festum in univérso Prædicatórum Ordine celebrári concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito. de Communi unius nec Virginis nec Martyris, pag. 111*.

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

B. ZEDISLAVÆ BERKIANÆ

ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Quæ hic notata non sunt dicantur de Communi unius nec Virginis nec Martyris.

Oratio.

DEUS, qui beátæ Zedíslavæ concédere dignátus es ut te júgiter erécta mente contemplarétur, unáque próximo sollícite prospíceret : ea intercedénte, fac nos diligénti stúdio cæléstibus insístere, et caritátem piis opéribus exercére. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Mulíerem fortem. de Communi unius nec Virginis nec Martyris, pag. 106*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ZEDISLAVA Berkiána, in Morávia nobilíssimis orta paréntibus, jam a téneris annis Deo se totam dicávit. Quo vero cordis innocéntiam secúrius tuerétur, summóque Bono únice adhæréret, vitam ab hóminum consuetúdine remótam dúcere secum ipsa delíberans, vix septénnis in nemus aufúgit. A suis ávide quæsíta ac felíciter repérta, in arcem patérnam redux, paréntibus súbditam in omni re se præbuit. Adolescéntiam ingréssa, genitóri morem gerens, viro nupsit Gallo nómine, castri Lembérgæ prope Jablónam in Bohémia príncipi, génere quidem et cópiis claríssimo, sed ob ánimi incleméntiam Zedíslavæ gravíssimo, quæ tamen moléstias ab eo sibi illátas patientíssime sustínuit. Suscéptos ex illo fílios ad Dei amórem omnémque virtútem verbo et exémplo studióse educávit. Quantum porro per viri plácitum et doméstica lícuit offícia, egénos, famélicos, infírmos et cáptivos utriúsque misericórdiæ juvit opéribus, quibus strictióra jejúnia, protráctas in multam noctem vigílias, verberatiónes aliósque sui córporis cruciátus adjúnxit.

Lectio v.

CHRISTI patiéntis dolóres júgiter recolébat. Quin étiam sæpius in éxtasim rapta ac cælésti circumfúsa splendóre visa est. Cum porro Prædicatórum Ordinem tunc recens cónditum per Polóniam et Borússiam propagári rescivísset, ejúsdem Ordinis convéntum Jablónæ habéri veheménter optávit. Quapropter, austéram sui cónjugis indolem précibus demúlcens, obtínuit ut beáti Patris Domínici fíliis aptum cœnóbium templúmque spatiósum, sancti Lauréntii nuncupándum, ædificaréntur. Ipsa próprio ære opus pérfici curávit, et Fratres opportúnis provéntibus liberalíssime dotávit. Immo, manum óperi admovére non dedignáta, calcem, arénam, lápides, ligna, nocte intempésta deferébat, quæ structóres in promptu, mane facto, reperírent. Quod támdiu præstitit, donec cœnóbii et templi absolverétur ædifícium. Claustra nova novúmque sanctuárium sancto Hyacíntho trádere propónens, Virum Dei ut Jablónam veníret rogávit, qui áliis álibi curis distráctus cum Zedíslavam adíre non posset, germánum Cesláum cum áliis ejúsdem Ordinis ad ipsam míttere festinávit. Summo gáudio excéptis Prædicatóribus, ad eórum instar Fémina piíssima mores compósuit, a beáto Cesláo religiónis hábitum ímpetrans, spretísque lautis dápibus esuriáli cibo conténta. Sacras Prædicatórum ædes étiam híeme excalceátis pédibus visitáre solébat.

Lectio vj.

DUM tamen indeficiéntem Altíssimo cultum adhibéberet, nil unquam de prístina in domésticos, in ténues, in egénos sollicitúdine remísit, divína humánis íntime sócians. Tam plácitum Deo et próximis vitæ institútum ad extrémam usque ægritúdinem Zedíslava servávit. Séntiens tandem dissolutiónem sui córporis imminére, ánimæ suæ ratiónibus studiósa consúluit. Virum ad bonam frugem redíre veheménter hortáta, eúmque erratórum pœniténtem, matrem et fílios lacrimántes consoláta est. Póstea sepúlcrum in Laurentiáno templo sibi parátum aperíri jussit et aqua benedícta lustrári. Demum Ecclésiæ Sacraméntis expiáta diem suprémum óbiit, kaléndis Januárii, anno Salútis millésimo ducentésimo quinquagésimo secúndo. Sanctitátis opinióni et prodigiórum famæ, quibus, dum víveret, Zedíslava claruérat, accéssit, ipsa demórtua, populórum relígio. Ubíque in pátria aliísque in locis cælitum cultus ei tribútus est, signísque sequéntibus in dies amplificátus. Quem cultum per sæcula solémnem Pius Décimus Póntifex Máximus Apostólica auctoritáte confirmávit, universóque Prædicatórum Ordini et Litomericénsi Diœcési in honórem beátæ Zedíslavæ Offícium recitáre et Missam celebráre concéssit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro. de Communi unius nec Virginis nec Martyris, pag. 111*.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

B. JACOBI DE BENEFACTIS EPISC. ET CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beáto Jacóbo, Confessóri tuo atque Pontífici, ómnia boni pastóris múnia fidéliter explére tribuísti : ejus intercessióne nobis concéde ut per viam mandatórum tuórum gradiéntes, inter oves páscuæ tuæ perpétuo collocári mereámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Fidélis sermo. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 70*.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

JACOBUS, ex illústri família de Benefáctis Mántuæ natus, in christiána religióne pie educátus fuit. Adoléscens, ut fervéntius Deo inserviret, domus suæ splendóri páriter ac sæculo valedícens, Institútum Ordinis Prædicatórum in pátria amplexus est : in quo humilitáte ac patiéntia refúlgens, summóque in Deum amóre flagrans, perfectiónis culmen áttigit. Sacris stúdiis ímpigre vacans, doctrína excélluit, ac magistérii láurea decorátus est. Tot sacri Viri dótibus permótus Nicoláus Boccasínus, totíus Ordinis Prædicatórum Magíster, deínde Summus Póntifex nómine Benedícti Undécimi, et sérius étiam Beatórum órdini adscríptus, eum in claustro sibi sócium adscívit, ac, uti fertur, in ipsa Petri Cáthedra familiárem hábuit.

Lectio v.

NE autem diútius lucérna sub módio latéret, Joánnes Vicésimus secúndus Jacóbum in Mantuána Sede collocávit Antístitem. Hoc in múnere, cívium suórum non solum spem non feéllit, sed votis ómnium sciéntia, doctrína ac sanctitáte vitæ ita respóndit, ut cujúsque conditiónis hómines illum tamquam divínitus datum suspícerent, venerarén-tur. In gregem sibi commíssum caritáte flagrans, et ómnibus ómnia factus, ódia et dissídia diríssimis illis tempóribus Mántuæ exórta compéscere satégit. Cathólicæ veritátis integritátem strénue propugnávit. Páuperes peste et fame semel atque íterum misérrime afflíctos sublevávit, unde patris páuperum nomen proméruit : et grege tandem ad pietátem et bonam frugem perdúcto, ipsum spirituálibus bonis ditáre stúduit.

Lectio vj.

POSTQUAM ímpiger per decem et octo annos Eccléiam suam justítia, zelo et caritáte rexísset, ómnibus boni pastóris pártibus explétis, sénio confectus et méritis clarus, piíssime óbiit die décima nona Novémbris, anno millésimo tercentésimo trigésimo octávo. Christifidéles, qui beáti Jacóbi virtútes admiráti fúerant, ad ejus funus venerabúndi accurrérunt, ejúsque ope étiam prodígia contigísse fertur. Quare ab ejus óbitu públici et ecclesiástici cultus potítus est. Sacræ ejus exúviæ, multóties translátæ, tandem in cathedráli ecclésia Mantuána repósitæ fuérunt, ubi quotánnis Christifidélium veneratióni solémniter exponúntur. Quibus rite

probátis, Pius Nonus Póntifex Máximus, ex sacrórum Rituum Congregatiónis consúlto, cultum beáto Jacóbo ab immemorábili præstitum ratum hábuit, et diœcési Mantuánæ ac univérso Prædicatórum Ordini potestátem fecit de eo quotánnis Offícium et Missam peragéndi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Homo péregre proficíscens. de Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 78*.

In Laudibus Memoria S. Saturnini Martyris. Oratio.

DEUS, qui nos beáti Saturníni Mártyris tui concédis natalítio pérfrui, ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per.

DIE XXX. NOVEMBRIS.

S. ANDREÆ APOSTOLI.

TOTUM DUPLEX.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Unus ex duóbus qui secúti sunt Dóminum erat Andréas frater Simónis Petri, allelúia. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum : pópulus autem clamábat voce magna dicens : * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque carnífices dúcerent eum ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium. — Innocens. Glória. Innocens.

Hymnus.

EXSULTET cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis :
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

Vos sæcli justi júdices
Et vera mundi lúmina
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

QUI cælum verbo cláuditis,
Serásque ejus sólvitis,
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite jussu, quæsumus.

QUORUM præcépto súbditur
Salus, et languor ómnium,
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

UT cum Judex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat Aña. Ambulans Jesus juxta mare Galilææ vidit Petrum et Andréam fratrem ejus, et ait illis : Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi, relíctis rétibus et navi, secúti sunt eum. Oratio.

QUÆSUMUS omnípotens Deus : ut beátus Andréas Apóstolus, cujus prævenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium; ut a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam perículis eruámur. Per.

¶ Si festum hoc propter Dominicam transferatur, in primis

Vesperis dicatur hæc Oratio : MAJESTATEM tuam Dómine supplíciter exorámus : ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxstitit prædicátor et rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Adorémus victoriosíssimum Regem Christum : * Qui victórem per crucis trophæum coronávit beátum Andréam Apóstolum.

Hymnus Exsúltet cælum láudibus, ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Aña. Vidit Dóminus Petrum et Andréam, et vocávit eos. Psalmi de Communi Apostolorum, pag. 27* et sequentibus.

Aña. Veníte post me, dicit Dóminus, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.

Aña. Relíctis rétibus suis, secúti sunt Dóminum Redemptórem.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 10.

FINIS Legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam, quæ ex Lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex Fide est justítia, sic dicit : Ne díxeris in corde tuo: Quis ascéndet in cælum? id est, Christum dedúcere : Aut quis descéndet in abyssum? hoc est, Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum Fídei, quod prædicámus.

℟. j. Cum perambuláret Dóminus juxta mare secus litus Gælilææ, vidit Petrum et Andréam rétia mitténtes in mare, et vocávit eos dicens : * Veníte post me, fáciam vos piscatóres hóminum. ℣. Erant enim piscatóres : et ait illis. — Veníte post me.

Lectio ij.

OMNIS enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi.

℟. ij. Mox ut vocem Dómini prædicántis audívit beátus Andréas, relíctis rétibus, quorum usu actúque vivébat, ætérnæ vitæ secútus est * Præmia largiéntem. ℣. Ad unius jussiónis vocem Petrus et Andréas, relíctis rétibus, secúti sunt Redemptórem. — Præmia largiéntem.

Lectio iij.

SED dico : Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eó-

rum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico : Numquid Israel non cognóvit? Primus Móyses dicit : Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem : in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Invéntus sum a non quæréntibus me : palam appárui iis, qui me non interrogábant. Ad Israel autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem.

℟. iij. Homo Dei ducebátur, ut crucifígerent eum : pópulus autem clamábat voce magna dicens : * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque carnífices dúcerent eum, ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium. — Innocens. Glória Patri. Innocens.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis, allelúia.

Aña. Dignum sibi Dóminus computávit Mártyrem, quem vocávit Apóstolum, dum esset in mari, allelúia.

Aña. Christus me misit ad istam provínciam, ubi non parvum pópulum acquisívi.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

(Ex Actis passionis ejus scriptis a Presbyteris et Diaconis Achaiæ, et ex Romano Breviario.)

Lectio iv.

ANDREAS Apóstolus, Bethsáidæ vico Galilææ natus, frater Petri, discípulus Joánnis Baptístæ, una cum fratre ante álios Apóstolos a Christo vocátus, post ejúsdem Passiónem et Resurrectiónem, cum in Scythiam Európæ venísset, deínde Epírum ac Thráciam peragrásset, doctrína et miráculis innumerábiles hómines ad Christum convértit. Post, Patras Acháiæ proféctus, et in ea urbe plúrimis ad veritátem evangélicam perdúctis, Ægéam procónsulem, prædicatióni evangélicæ resisténtem, libérrime increpávit

℟. iv. Doctor bonus et amícus Dei Andréas dúcitur ad crucem : aspíciens a longe vidit crucem : Salve crux, * Súscipe discípulum ejus, qui pepéndit in te magíster meus Christus. ℣. Salve crux, quæ in córpore Christi dedicáta es, et ex membris ejus tamquam margarítis ornáta. — Súscipe discípulum ejus.

Lectio v.

TUM Ægéas irátus demum hortátur ut sibi cónsulens diis velit immoláre. Cui Andréas : Ego omnipoténti Deo, qui unus et verus est, ímmolo quotídie, non taurórum carnes nec hircórum sánguinem, sed immaculátum Agnum in altári : cujus carnem posteáquam omnis pópulus credéntium manducáverit, Agnus, qui sacrificátus est, ínteger persevérat ac vivus. Quam ob rem, ira accénsus Ægéas jubet eum in cárcerem detrúdi : unde pópulus Andréam fácile liberásset, nisi ipse sedásset multitúdinem, veheméntius rogans ne se ad optatíssimam martyrii corónam properántem impedírent.

℟. v. O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, et redde me Magístro meo : * Ut per te me recípiat,qui per te me redémit. ℣. Secúrus et gaudens vénio ad te : ita et tu exsúltans suscípias me. — Ut per te.

Lectio vj.

IGITUR paulo post in tribúnal prodúctum, cum Ægéas crucis extolléntem mystéria, sibíque suam impietátem exprobrántem, diútius ferre non posset, in crucem tolli et Christi mortem imitári jussit. Adúctus Andréas ad locum martyrii, cum crucem vidísset a longe, exclamáre cœpit : O bona crux, quæ decórem ex membris Dómini suscepísti, diu desideráta, sollícite amáta, sine intermissióne quæsíta, et aliquándo concupiscénti ánimo præparáta, áccipe me ab homínibus, et redde me Magístro meo : ut per te me recípiat qui per te me redémit. Itaque cruci affíxus est : in qua bíduum vivus pendens, et Christi fidem prædicáre nunquam intermíttens, ad eum migrávit, cujus mortis similitúdinem concupíerat.

℟. vj. Salve crux, quæ in córpore Christi dedicáta es, et ex membris ejus tamquam margarítis ornáta : * Súscipe discípulum ejus, qui pepéndit in te. ℣. O bona crux, diu desideráta et jam concupiscénti ánimo præparáta. — Súscipe discípulum ejus. Glória. Súscipe discípulum ejus.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Videns Andréas crucem, cum gáudio dicébat : Quia amátor tuus semper fui, et desiderávi amplécti te o bona crux.

Aña. Récipe me ab homínibus, et redde me Magístro meo : ut per te me recípiat qui per te me redémit.

Aña. Bíduo vivens pendébat in cruce pro Christi nómine beátus Andréas, et docébat pópulum.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 4.

IN illo témpore : Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare (erant enim piscatóres). Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ. (Homil. 5. in Evang.)

AUDISTIS fratres carissimi quia ad uníus jussiónis vocem Petrus et Andréas, relíctis rétibus, secúti sunt Redemptórem. Nulla vero hunc fácere adhuc mirácula víderant; nihil ab eo de præmio ætérnæ retributiónis audíerant : et tamen ad unum Dómini præcéptum, hoc, quod possidére videbántur, oblíti sunt. Quanta nos ejus mirácula vidémus, quot flagéllis afflígimur, quantis minárum asperitátibus deterrémur! Et tamen vocántem sequi contémnimus.

℟. vij. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi : * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua. ℣. Exaltáre, qui júdicas terram : redde retributió-

nem supérbis. — Qui ámbulant vias non bonas.

Lectio viij.

IN cælo jam sedet qui de conversióne nos ádmonet : jam jugo fídei colla géntium súbdidit, jam mundi glóriam stravit, jam ruinis ejus crebrescéntibus, distrícti sui judícii diem propinquántem denúntiat : et tamen supérba mens nostra adhuc non vult hoc sponte deserere, quod quotídie perdit invíta. Quid ergo, fratres caríssimi, quid in ejus judício dictúri sumus, qui ab amóre præséntis sæculi nec præcéptis fléctimur, nec verbéribus emendámur?

℟. viij. Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis : dum pendéret in cruce, dignum sibi computávit Mártyrem, quem vocávit Apóstolum, dum esset in mari : * Et ídeo amícus Dei appellátus est. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit : sanctitáte autem et grátia plenus. — Et ídeo.

Lectio ix.

SED fortásse áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat : Ad vocem Domínicam utérque iste piscátor quid aut quantum dimísit, qui pene nihil hábuit? Sed hac in re, fratres caríssimi, afféctum debémus pótius pensáre quam censum. Multum relíquit, qui sibi nihil retínuit : multum relíquit, qui, quantúmlibet parum, totum deséruit. Certe nos et hábita cum amóre possidémus, et ea, quæ mínime habémus, ex desidério quærimus. Multum ergo Petrus et Andréas dimísit, quando utérque étiam desidéria habéndi dereliquit.

℟. ix. Videns crucem Andréas exclamávit dicens : * O crux inenarrábilis, o crux inæstimábilis, o crux, quæ per totum mundum fulges, Non me dimíttas errántem, sicut ovem non habéntem pastórem. ℣. Bíduo vivens pendébat in cruce pro Christi nómine beátus Andréas, et docébat pópulum, et dicébat. — O crux inenarrábilis. Glória. Non me dimíttas errántem.

Ante Laudes ℣. Diléxit Andréam Dóminus. ℟. In odórem suavitátis.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Salve crux pretiósa, súscipe discípulum ejus, qui pepéndit in te Magíster meus Christus. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Beátus Andréas orábat dicens : Dómine, Rex ætérnæ glóriæ, súscipe me pendéntem in patíbulo.

3. Andréas Christi fámulus, dignus Dei Apóstolus, germánus Petri et in passióne sócius.

4. Maximílla, Christo amábilis, tulit corpus Apóstoli, óptimo loco cum aromátibus sepelívit.

5. Qui persequebántur justum, demersísti eos Dómine in profúndum : et in ligno crucis dux justi fuísti.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

ECCLESIARUM príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

DEVOTA sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

IN his patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

TE nunc Redémptor quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus Aña. Concéde nobis hóminem justum, redde nobis hóminem sanctum : ne interfícias hóminem Deo carum, justum, mansuétum et pium. Oratio.

MAJESTATEM tuam Dómine supplíciter exorámus : ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxstitit prædicátor et rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per.

AD TERTIAM.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. In omnem terram exívit sonus eórum, * Allelúia, allelúia. In omnem terram. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Allelúia. Glória. In omnem terram.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 5.

PER manus autem Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe.

℟. Constítues eos príncipes super omnem terram, * Allelúia, allelúia. Constítues eos príncipes. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Allelúia. Glória. Constítues eos príncipes.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 5.

IBANT Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus, * Allelúia, allelúia. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Allelúia. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Salve crux pretiósa, súscipe discípulum ejus, qui pepéndit in te Magíster meus Christus. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi Apostolorum, pag. 34*.

Capitulum Jam non estis hóspites., Hymnus Exsúltet cælum láudibus. et ℣. In omnem terram., ut in j. Vesperis, pag. 1021.

Ad Magnificat Aña. Cum pervenísset beátus Andréas ad locum ubi crux paráta erat, exclamávit et dixit : O bona crux, diu desideráta, et jam concupiscénti ánimo præparáta, secúrus et gaudens vénio ad te: ita et tu exsúltans suscípias me discípulum ejus, qui pepéndit in te.

Oratio Majestátem tuam., ut in Laudibus.

PER OCTAVAM S. ANDREÆ.

Ad Memoriam in Laudibus Aña. Bíduo vivens pendébat in cruce pro Christi nómine beátus Andréas, et docébat pópulum.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Oratio Majestátem tuam., ut in Laudibus Festi.

Ad Memoriam in Vesperis Aña. Beátus Andréas orábat dicens : Dómine Rex ætérnæ glóriæ, súscipe me pendéntem in patíbulo.

℣. Diléxit Andréam Dóminus. ℟. In odórem suavitátis.

Oratio Majestátem tuam., ut in Laudibus Festi.

DIE II. DECEMBRIS.
B. JOANNIS A VERCELLIS
CONF. ORD. PRÆD.

DUPLEX.

Oratio.

DEUS, qui beátum Joánnem mirábili prudéntia et fortitúdine claréscere voluísti; ipso interveniénte, concéde ut família tua semper et ubíque salúbri regímine gubernétur. Per.

Ad Memoriam de Octava die Simplici S. Catharinæ in j. Vesperis Aña. Inclyta sanctæ Vírginis Catharínæ solémnia suscípiat alácriter pia mater Ecclésia. Ave Virgo Deo digna, ave dulcis et benígna! Óbtine nobis gáudia, quæ póssides cum glória.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum. Oratio.

DEUS, qui dedísti Legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti : præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad Montem, qui Christus est, perveníre valeámus : Qui tecum vivit.

Ad Memoriam S. Bibianæ Virginis et Martyris in j. Vesperis, Antiphona et ℣. de Communi unius Virginis, pag. 87*

Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quæsumus Dómine, beáta Bibiána Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Beátus vir. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.
Lectio iv.

JOANNES, quem antíqui scriptóres álii de Vercéllis, álii de Moxo, aut étiam de gente Garbélla passim dixérunt, in finibus diœcésis Vercellénsis,

ineúnte sæculo tértio décimo, ortum hábuit. Exácta puerítia, cum præstantíssimi ingénii specímina matúre præbuísset, adoléscens Lutétiam Parisiórum, studiórum causa, missus, brevi ex discípulo magíster factus, in celebérrima illa Universitáte Jus Románum et Pontifícium públice dócuit. In pátriam revérsus, dum Vercéllis utríque Juri tradéndo incúmberet, ad altióra vocátus, beáto Jordáno divínitus incitánte, Ordini Prædicatórum nomen dedit. Bonóniæ, ad sepúlcrum sancti Domínici Patris, reguláris vitæ disciplínam novítius excóluit, ac pleno hausit péctore. Ejus sapiéntia et virtúte perspécta, Vercéllis in ipso cœnóbio, ad quod fundándum vénerat, Prior constitúitur, et inde, tamquam Magístri Humbérti Vicárius in Hungáriam destinátus, ejus vices magna cum laude gessit. Quo múnere perfúnctus, Bononiénsis cœnóbii Prior eléctus est, ac paulo post in Província Lombardíæ Fratrum regímini præféctus.

Lectio v.

In Magístrum totius Ordinis assúmptus, annos fere vigínti, sodálibus pietátis cultu, morum austeritáte et actiónis prudéntia in exémplum elúxit. Fratrum cœnóbia, per Európam longe latéque disseminata, suo innixus báculo pedes lustrávit. Annuis comítiis, quæ Capítula generália vocant, assíduus, ipse móderans, ubíque sanctíssimis légibus regulárem disciplínam fórtiter asséruit. Apud príncipes et sacrórum antístites magni semper hábitus, Románis Pontifícibus in perárduis Christiánæ reipúblicæ negótiis adjuménto fuit. Commissárius enim ad reconciliándas Itáliæ urbes, et hæréticæ pravitátis Inquisítor apud Vénetos ab Innocéntio Quarto deléctus est, Apostólicus Procurátor sacræ expeditiónis Cruce signatórum contra infidéles ab Urbáno Quarto constitútus, Núntius pacis apud respúblicas Venetiárum, Génuæ, Pisárum, Floréntiæ et Bonóniæ a beáto Gregório Décimo destinátus, ac tandem Legátus ad reges Fránciæ et Castéllæ a Joánne Vigésimo et Nicoláo Tértio missus, ut dissidéntium ánimos ad pacem compóneret. Cleménti Quarto a consíliis adscítus, ei moriénti ceu fidíssimus solátor ástitit.

Lectio vj.

Sancti Domínici fílius vere amantissímus, marmóream arcam, sculptis imagínibus insígnem, Bonóniæ exstruéndam curávit, in qua, ipso præsénte, beáti Patris legíferi relíquiæ solémni pompa repósitæ usque in hodiérnam diem religióse asservántur. Hierosolymitánus Patriárcha renuntiátus, dignitátem invícta humilitátis constántia recusávit. Ab ipso suprémo Magistério Prædicatórum ut absolverétur semel et íterum pétiit : sed univérso Ordine reclamánte, Románi Pontificis jussu Prædicatórum famíliæ gubernácula ad últimum vitæ diem retínuit. Ex præscrípto sui Institúti esum cárnium sibi perpétuo inter-

díxit, lóngaque jejúnia, étiam inter itínerum áspera servávit. Sibi austérus, in álios benígnus, ómnium amórem demériut. Paupertátis et reguláris observántiæ rigidíssimus custos, a verbi Dei prædicatióne, animárum salúti júgiter inténtus, nunquam déstitit. Doctrínæ sancti Thomæ Aquinátis tuéndæ imprímis stúduit. Concórdiæ suos alúmnos inter et Clerum sæculárem ceterósque Reguláres custodiéndæ sédulus navávit óperam. Tandem diérum et meritórum plenus, in cœnóbio sui Ordinis, prídie kaléndas Decémbris anno millésimo biscentésimo octogésimo tértio, apud Montem Pessulánum sanctíssima morte ad corónam evolávit. Ecclesiásticum cultum, beáto Joánni ob ejus virtútes et miraculórum famam ab éxitu præstitum, et nullo unquam témpore intermíssum, Pius Papa Décimus confirmávit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium Sint lumbi. de Communi unius Confessoris non Pontificis, pag. 83*.

IN LAUDIBUS.

Oratio.

DEUS, qui beátum Joánnem mirábili prudéntia et fortitúdine claréscere voluísti : ipso interveniénte, concéde ut família tua semper et ubíque salúbri regímine gubernétur. Per.

Ad Memoriam de Octava die S. Catharinæ in Laudibus Aña. Prudens et vígilans Virgo, qualis es cum Sponso illo, qui te elégit de mundo, quam pulchra, quam mirábilis, quanta luce spectábilis inter Sion juvéncula et Jerúsalem fílias! Thálamo gaudes régio, conjúncta Dei Fílio.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

DEUS, qui dedísti Legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti : præsta, quæsumus, ut ejus méritis et intercessióne ad Montem, qui Christus est, perveníre valeámus : Qui tecum vivit.

Ad Memoriam S. Bibianæ in Laudibus Antiphona et ℣. de Communi unius Virginis, pag. 95*.

Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quæsumus Dómine, beáta Bibiána Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per.

IN II. VESPERIS.

Ad Memoriam de Octava die S. Catharinæ Aña. Ave Vírginum gemma Catharína : ave sponsa Regis regum gloriósa : ave viva Christi hóstia ! Tua venerántibus patrocínia, impetráta non déneges suffrágia.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio Deus, qui dedísti Legem Móysi. ut ad Memoriam in Laudibus.

APPENDIX

PRO FRATRIBUS ROMÆ COMMORANTIBUS.

DIE XXV. JUNII.
IN FESTO S. GALLICANI
MARTYRIS.

DUPLEX. Oratio.

DEUS, qui beátum Gallicánum Mártyrem ad tui cognitiónem mirabíliter perduxísti, et per eum novo Ecclésiam tuam caritátis exémplo illustráre dignátus es : concéde propítius ut ejúsdem précibus et imitatióne, promíssa misericórdibus præmia consequámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente (vel de Apostolo, si Dominica fuerit.)

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

GALLICANUS, vir consularis et triumpháli honóre clarissimus, sua virtúte et militári glória Constantíni Augústi sibi grátiam conciliávit. Magis autem quæ Dei sunt quærens, a sanctis Joánne et Paulo cæléstí luce perfúsus et Evangélii doctrína erudítus, Jesu Christi fidem ore simul atque ópere profitéri cœpit. Nam cum sancto Hilaríno ad Ostia Tiberína secédens, peregrinórum atque infirmórum curæ et servitúti se totum addíxit. Cujus rei fama toto orbe divulgáta, multi úndique illuc confluéntes vidébant Virum ex patrítio et cónsule lavántem páuperum pedes, ponéntem mensam, aquam mánibus effundéntem, languéntibus sollícite ministrántem; dénique tamquam Christo ipsi, mínimis ejus, scílicet mendícis et peregrínis offícia étiam humíllima exhibéntem.

Lectio v.

HIS misericórdiæ opéribus, quæ frátribus exhíbuit, Patris cæléstis misericórdiam promérítus est, et passióne Christo Fílio Dei consociári. Cum enim impérium ímpius apóstata Juliánus adéptus esset, Gallicánus ex illa misericórdiæ sede et páuperum ac peregrinórum hospítio pulsus, Alexandríam perréxit : ubi eum Rauciánus judex sacrificáre dæmóniis, idest ethnicórum diis, imperávit. Verum Christi Miles, júdicis minas contémnens, nec curans illécebras, nullum honórem idólis géntium, tamquam mórtuis simulácris, sed Deo vivo tribuéndum docens, torméntis et morti se parátum exhíbuit. Itaque gládio percússus, vitam páuperum servítio nóbilem glorióso martyrio consummávit.

Ex Oratióne sancti Gregórii Nysséni.
(App. Gretseri, sive tomo iij. Operum S. Gregorii.)

Lectio vj.

FRANGE esuriénti panem tuum, et egénos sine tecto induc in domum tuam. Mul-

tam nobis hoc tempus affert nudórum vagorúmque cópiam. Hóspites exsulésque non desunt; ubíque licet protensas opem implorántium manus aspícere. His aer sub dio tectum præbet. Pórticus et bívia et partes fori magis desértæ sunt hospítia; nycticóracum et noctuárum more in cavérnis látitant. Pannósis, attrítis et lacerátis tegúntur induméntis. Agricultúræ fructus est illis miseránti um ánimi benignitas; cibus, si quid ab accedénte quópiam impetráverint; pótio eadem quæ brutis animántibus, nimírum fontes. Vagam et agréstem tradúcunt vitam, calamitátibus et necessitáte compúlsi. His necessária víctui suppédita tu, qui jejúnas. Erga fratres calamitósos benignus esto: quod ventri súbtrahis tríbue esuriénti.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore: Suscípiens Jesus dixit: Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et incidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum: et plagis impósitis abiérunt, semivívo relícto. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Nazianzéni.

(Ex Oratione xvj. tomo j.)

PURGEMUR itaque per misericórdiæ offícia, labésque et sordes ánimæ extergámus; ac dealbémur, álii ut lana, álii ut nix, pro misericórdiæ vidélicet proportióne: atque ut formidabílius áliquid dicam, si nulla est tibi confráctio, neque livor, nec plaga tumens, nec ulla ánimæ lepra, aut significatiónis tactus, aut candor, quæ a Lege quidem exígue curabántur, médicam autem Christi manum requírunt: at certe eum, qui salútis nostræ causa vulnéribus et languóre affféctus est, veneráre. Veneráberis autem, si te Christi membro benígnum atque humánum præbeas. Quod si te fortásse animárum nostrárum prædo et tyránnus, vel ab Jerúsalem in Jéricho descendéntem, vel álibi úspiam, inérmem et imparátum offéndens ita sauciávit, ut ne medicínam quidem exquíras, heu plagam sane gravíssimam, calamitatémque altíssime grassántem!

Lectio viij.

AT mihi quidem hoc quoque nómine necessária esse benignitas et misericórdia erga páuperes vidétur, ut iis qui de illis ita séntiunt os obstruámus, nec inánibus verbis cedámus, crudelitátis legem advérsus nosmetípsos sanciéntes. Céterum ómnium máxime divíno mandáto et exémplo moneámur. Quodnam porro hoc mandátum est? At vidéte, quæso, quam constans sit atque sincérum. Neque enim homínibus Spíritu sancto afflátis sat fuit semel atque íterum de paupéribus sermónem habuísse; nec quidam dumtáxat de his rebus verba fecérunt, réliqui mínime; aut álii copiósius, álii párcius, velut de re non ita magna nec ádmodum necessária: verum et omnes in univérsum et sédulo quisque, vel primo vel in primis,

ad eam rem nos hortántur, nunc admonéntes, nunc comminántes, nunc exprobrántes, nonnúnquam étiam eos, qui virtútis hujus múnere fungúntur, láudibus efferéntes : nimírum, ut per admonitiónis assiduitátem eo nos addúcant, ut hoc mandátum exsequámur.

Lectio ix.

VERUM díxerit fortásse áliquis : Hæc pro paupéribus illis et inópibus dicta sunt, qui injúria afficiúntur. Sit ita sane: nam de hoc litem nullam movébo. At hoc quoque tamen ad colénda humanitátis offícia te exstímulet. Quorum enim, si quid injúriæ eis inferátur, tanta rátio habétur, iisdem certe benefício affectis ámplior et ubérior est grátia. Nam si, qui páuperem déspicit, eum a quo factus est ad iram cóncitat, non dúbium est, quin Opíficem honóre affíciat qui ipsíus opus compléctitur. Rursus cum audis, Pauper et dives occurrérunt sibi, utrúmque autem creávit Dóminus : ne illum quidem páuperem, hunc autem dívitem ab eo creátum intélligas, ex eóque in páuperem insurgéndi ansam accípias. Nam Dei figméntum utérque est : tametsi, quod ad res extérnas áttinet, díspari conditióne sint. Hoc te ad commiseratiónem et caritátem inflectat.

Ad Memoriam de Octava S. Joannis Baptistæ in Laudibus Aña. Tu puer Prophéta Altíssimi vocáberis : præíbis ante Dóminum paráre vias ejus.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. Oratio.

DEUS, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis Nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per.

Ad Memoriam de Octava S. Joannis Baptistæ in ij. Vesperis Aña. Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Oratio Deus, qui præséntem diem. ut supra.

DIE X. JULII.

PRODIGIORUM B. MARIÆ V.

TOTUM DUPLEX. Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

Cetera omnia, etiam Lectiones trium Nocturnorum, dicantur ut in Festis B. Mariæ Virginis, pag. 1* et sequentibus.

In j. Vesperis et Laudibus Memoria SS. Septem Fratrum Martyrum. Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per.

IN FESTIS B. MARIÆ VIRGINIS.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hæc est Regina vírginum, quæ génuit Regem, velut rosa decóra Virgo. Dei Génitrix, per quam repérimus Deum et hóminem, alma Virgo intercéde pro nobis ómnibus. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis.

℟. Stirps Jesse virgam prodúxit, vírgaque florem :* Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est : flos Fílius ejus. — Et super. Glória. Requiéscit.

Hymnus.

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

AVE maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis :
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

MONSTRA te esse matrem :
Sumat per te preces,
Qui pro nobis Natus
Tulit esse tuus.

VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

VITAM præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Beatissimæ Vírginis Maríæ solemnitátem devotissime celebrémus : ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. Oratio.

SUPPLICATIONEM servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in solemnitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus periculis eruámur. Per eúmdem.

AD UTRUMQUE COMPLETOR.

Super Psalmos Aña. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

In fine Hymni dicantur duæ Strophæ Maria Mater. et Glória tibi., ut in fine Hymni ad Matutinum. ¶ Dicantur etiam ad Laudes et ad omnes Horas, Vesperis tantum exceptis.

Ad Nunc dimittis Aña. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Solemnitátem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus.

QUEM terra, pontus, æthera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam
Claustrum Maríæ bájulat.

CUI luna, sol et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátia,
Gestant puéllæ víscera.

BEATA mater múnere
Cujus supérnus Artifex,
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

BEATA cæli núntio,
Fecúnda sancto Spíritu :
Desideratus géntibus
Cujus per alvum fusus est.

MARIA, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi :

Vólucres cæli et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Ecce tu pulchra es amíca mea, ecce tu pulchra, óculi tui columbárum.

Psalmus 18.

CÆLI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum

Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Aña. Sicut lílium inter spinas, sic amica mea inter fílias.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Favus distíllans lábia tua sponsa, et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

℣. Sancta Dei Génitrix Virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

Incípiunt Cántica Canticórum.

Lectio j. Cap. 1.

OSCULETUR me ósculo oris sui : quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum : ideo adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me : post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me rex in cellária sua : exsultábimus, et lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum : recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. j. Hódie solémnitas est beátæ Vírginis Maríæ ex progénie David, per quam salus mundi credéntibus appáruit : * Cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo.

℣. Beatíssimæ Vírginis Maríæ solemnitátem devotíssime celebrémus. — Cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix.

℟. Amen.

Lectio ij.

NOLITE me considerárequod fusca sim, quia decolorávit me sol : fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis: víneam meam non custodívi. Indica mihi,quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, o pulchérrima inter muliéres, egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis : collum tuum sicut monília.

℟. ij. Gloriósæ Vírginis Maríæ solemnitátem digníssimam recolámus : * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Redemptórem mundi. ℣. Hódie solémnitas est beátæ Vírginis Maríæ ex progénie David. — Cujus Dóminus.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María.

℟. Amen.

Lectio iij.

MURENULAS áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ dilectus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus cypri diléctus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es amíca mea,ecce tu pulchra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus : tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. iij. Stirps Jesse virgam produxit, vírgaque florem : * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génitrix virga est, flos Fílius ejus. — Et super. Glória. Requiéscit.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ,* velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ✠ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ✠ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a

vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Aña. Emissiónes tuæ, paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus.

Psalmus 45.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confríget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Aña. Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, ℣ et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Aña. Véniat diléctus meus in hortum suum, ut cómedat fructum pomórum suórum.

℣. Post partum Virgo inviolàta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Benedictio. Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génitrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi. (Apud Metaphrast.)

Lectio iv.

Dei Fílius non dívitem aut locuplétem áliquam féminam sibi Matrem elégit; sed beátam Vírginem illam, cujus ánima virtútibus ornáta erat. Cum enim beáta María supra omnem hóminum natúram castitátem serváret, proptérea Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc ígitur sanctíssimam Vírginem, et Dei Matrem accurréntes, ejus patrocínii utilitátem assequámur. Itaque quæcúmque estis vírgines, ad Matrem Dómini confúgite. Illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam, et incorruptíbilem possessiónem patrocínio suo vobis conservábit.

℟. iv. Solémnitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David : *Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Regáli ex progénie María exórta refúlget. — Cujus vita ínclyta.

Benedictio. Jesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v.

Magnum revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus, aut illústrius ullo unquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Hæc sola cælum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim : non dénique áliud quídpiam inter creátas res visíbiles aut invisíbiles majus, aut excelléntius inveníri potest. Eadem Ancílla Dei est et Mater : éadem Virgo et Génitrix.

℟. v. Solémnitas tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : *Ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Felix namque es, quæ sola Genitrícis dignitátem obtinuísti, et virginálem pudicítiam non amisísti. — Ex te enim.

Benedictio. Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vj.

Hæc ejus Mater est, qui a Patre ante omne princípium génitus fuit, quem ángeli et hómines agnóscunt Dóminum rerum ómnium. Visne cognóscere, quanto Virgo hæc præstántior sit cæléstibus Poténtiis? Illæ cum timóre et tremóre assístunt, fáciem ve-

lántes suam; hæc humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc et peccatórum véniam conséquimur. Ave ígitur Mater, cælum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiæ nostræ decus, glória, et firmaméntum; assídue pro nobis precáre Jesum, Fílium tuum, et Dóminum nostrum, ut per te misericórdiam inveníre in die judícii, et quæ repósita sunt iis, qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus, grátia et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi : cum quo Patri símul et sancto Spirítui sit glória, honor et impérium, nunc et semper in sæcula sæculórum. Amen.

℟. vj. Ad nutum Dómini nostrum ditántis honórem, * Sicut spina rosam génuit Judæa Maríam. ℣. Ut vítium virtus operíret, grátia culpam. — Sicut spina rosam. Glória. Sicut spina rosam.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam, et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte : * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Veni in hortum meum soror mea sponsa : méssui myrrham meam cum aromátibus meis.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus, * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ,* propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.

Psalmus 97.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte,et exsultáte,et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : ℣ moveátur mare et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Aña. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Benedictio. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio.

℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi : Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

(Lib. 4. Cap. 49. in Luc. 11.)

MAGNÆ devotiónis et fídei hæc múlier osténditur, quæ, Scribis et Pharisæis Dóminum tentántibus simul et blasphemántibus, tanta ejus Incarnatiónem præ ómnibus sinceritáte cognóscit, tanta fidúcia confitétur, ut et præséntium prócerum calúmniam, et futurórum confúndat hæreticórum perfídiam. Nam sicut tunc Judæi, sancti Spíritus ópera blasphemándo, verum consubstantialémque Patri Dei Fílium negábant : sic hærétici póstea, negándo Maríam semper Vírginem, sancti Spíritus

operánte virtúte, nascitúro cum humánis membris Unigénito Dei carnis suæ matériam ministrásse, verum, consubstantialémque Matri Fílium hóminis fatéri non debére dixérunt.

℟. vij. Regáli ex progénie María exórta refúlget : * Cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus. ℣. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. — Cujus précibus.

Benedictio. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viij.

Sed si caro Verbi Dei secúndum carnem nascéntis a carne Vírginis Matris pronuntiátur extránea, sine causa venter, qui eam portásset, et úbera, quæ lactássent, beatificántur. Dicit enim Apóstolus : Quia misit Deus Fílium suum factum ex muliere, factum sub lege. Neque audiéndi sunt qui legéndum putant : Natum ex muliere, factum sub lege, sed Factum ex muliere : quia conséptus ex útero virgináli, carnem non de níhilo, non aliúnde, sed matérna traxit ex carne. Alióquin nec vere Fílius hóminis dicerétur, qui oríginem non habéret ex hómine.

℟. viij. Corde et ánimo Christo canámus glóriam, * In hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. ℣. Cum jucunditáte solemnitátem sanctæ Maríæ celebrémus. — In hac sacra solemnitáte.

Benedictio. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix.

Et nos ígitur, his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia cathólica, cujus hæc múlier typum gessit : extollámus et mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. Vere enim beáta parens, quæ, sicut quidam ait, enixa est puérpera Regem, qui cælum terrámque regit per sæcula.

℟. ix. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima, * Quia ex te ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solemnitátem. — Quia ex te ortus est. Glória Patri. Christus Deus noster.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Solémnitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Solémnitas est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

3. Regáli ex progénie María exórta refúlget : cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.

4.Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.

5.Cum jucunditáte solemnitátem sanctæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. Eccli 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

O GLORIOSA Dómina,
Excélsa supra sídera :
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

QUOD Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

TU Regis alti jánua
Et porta lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus Aña. Solemnitátem hodiérnam perpétuæ Vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

Oratio.

SUPPLICATIONEM servórum tuórum Deus miserátor exáudi : ut qui in solemnitáte Dei Genitrícis et Vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúmdem.

AD PRIMAM.

℟. Jesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

¶ Infra Septuagesimam non dicitur Allelúia. in Responsoriis Horarum.

AD TERTIAM.

Capitulum. Ego quasi vitis., ut in Laudibus.

℟. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María, * Allelúia, allelúia. Sancta Dei Génitrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Allelúia. Glória. Sancta Dei Génitrix.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 24.

TRANSITE ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum.

℟. Post partum Virgo invioláta permansísti, * Allelúia, allelúia. Post partum Virgo. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Allelúia. Glória. Post partum Virgo.

℣. Speciósa facta es, et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 24.

QUI audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Speciósa facta es, et suávis, * Allelúia, allelúia. Speciósa. ℣. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix. Allelúia. Glória. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Solémnitas glorióssæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Ego quasi vitis., Hymnus Ave maris stella., et ℣. Ora pro nobis., ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat Aña. Solémnitas tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est Sol justítiæ Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

TOTUM DUPLEX.

NOTANDUM quod primo anno Dedicationis Ecclesiæ Officium inchoatur in Missa. In Hora vero quæ sequitur Missam, et deinceps in omnibus Horis usque ad Completorium sequentis diei inclusive, fiat Officium Totum Duplex; et dicatur Oratio Deus qui invisibíliter., ut infra, ad omnes Horas, præterquam ad Completorium et Primam.

In Vesperis diei quo Ecclesia dedicata est cantetur Responsorium, et die sequenti in Matutinis fiant novem Lectiones, vel tres Tempore Paschali. Octava vero, si celebranda fuerit, celebrabitur revoluta Hebdomada, eo die quo Dedicatio facta fuerit, ad instar Octavarum Simplicium, et dicetur Oratio Deus, qui invisibíliter. quotidie per Octavam, quando de ipsa agendum fuerit.

Oratio.

DEUS, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis; templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra : et concéde ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per.

Cetera, sive in die sive per Octavam fiant ut in Anniversario Dedicationis, et per ejusdem Octavam, pag. 12* et sequentibus notatum est.

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

TOTUM DUPLEX.

SECUNDO anno, et deinceps singulis annis in Anniversario Dedicationis, fiat Officium sicut in Toto Duplici, et Octava celebretur ad instar Octavarum Simplicium, præterquam in Adventu et deinceps usque ad Octavam Epiphaniæ; et in Septuagesima et deinceps usque ad Octavam Paschæ; et in diebus Rogationum et deinceps usque ad Octavam Corporis Christi. Quando autem Octava non fit, infra Octavam Memoria non fiat de Dedicatione. Fratres de conventu, in quo hujusmodi festum celebratur, tam intus quam extra faciant Officium de Dedicatione.

¶ De Dedicatione vero Matricis Ecclesiæ fiat ut habetur in Rubricis generalibus §xxviij. numero 3.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum : hæc est domus Dómini, in qua invocétur nomen ejus, de quo scriptum est : Erit nomen meum ibi, dicit Dóminus. T. P. Allelúia. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Apoc. 21.

VIDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cælo a Deo, parátam, sicut sponsam ornátam viro suo.

℟. Terríbilis est locus iste. Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli : * Vere étenim Dóminus est in loco isto, Et ego nesciébam. T. P. Allelúia. ℣. Cumque evigilásset Jacob quasi de gravi somno, ait. — Vere étenim. Glória. Et ego nesciébam. T. P. Allelúia.

Hymnus.

URBS Jerúsalem beáta,
Dicta pacis vísio,
Quæ constrúitur in cælis
Vivis ex lapídibus,
Et ángelis coronáta
Ut sponsáta cómite :
NOVA véniens e cælo,
Nuptiáli thálamo
Præparáta, ut sponsáta
Copulétur Dómino :
Platéæ et muri ejus
Ex auro puríssimo :
PORTÆ nitent margarítis,
Adytis paténtibus :
Et virtúte meritórum
Illuc introdúcitur
Omnis, qui ob Christi nomen
Hic in mundo prémitur.
TUNSIONIBUS, pressúris
Expolíti lápides
Suis coaptántur locis
Per manus Artíficis :
Disponúntur permansúri
Sacris ædifíciis.
GLORIA et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclyto Paráclito,
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula. Amen.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. T. P. Allelúia. ℟. In longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

Ad Magnificat Aña. O quam metuéndus est locus iste! Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli. T. P. Allelúia.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui : et præsta ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur cuncta se impetrásse lætétur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Exsultémus Dómino Regi summo, * Qui suum sanctificávit tabernáculum. T. P. Allelúia.

Hymnus Urbs Jerúsalem., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Tóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles. T. P. Allelúia.

Psalmus 45.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dominus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Aña. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cælos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est. T. P. Allelúia.

Psalmus 47.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congrẽgáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vidimus in civitáte Dómini virtútum, ℣ in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Aña. Cum evigilásset Jacob de somno, ait : Vere locus iste sanctus est. T. P. Allelúia.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. T. P. Allelúia. ℟. In longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 7.

CUM complésset Sálomon fundens preces, ignis descéndit de cælo, et devorávit holocáusta et víctimas : et majéstas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdótes íngredi templum Dómini, eo quod implésset majéstas Dómini templum Dómini. Sed et omnes fílii Israel vidébant descendéntem ignem, et glóriam Dómini super domum : et corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt, et laudavérunt Dóminum : Quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. Rex autem, et omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino.

℟. j. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. T. P. Allelúia. ℣. Obtulérunt sacrifícium super altáre Dómini : et cecidérunt in fácies suas, et adoravérunt eum. — Et in ore eórum.

Lectio ij.

MACTAVIT ígitur rex Sálomon hóstias, boum vigínti duo míllia, aríetum cen-

tum vigínti míllia : et dedicávit domum Dei rex, et univérsus pópulus. Sacerdótes autem stabant in offíciis suis : et Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum : Quóniam in ætérnum misericórdia ejus, hymnos David canéntes per manus suas. Porro sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúsque Israel stabat.

℟. ij. Fundáta est domus Dómini super vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles: et vénient ad eam omnes gentes, * Et dicent : Glória tibi Dómine. T. P. Allelúia. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. — Et dicent.

Lectio iij.

SANCTIFICAVIT quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini : obtúlerat enim ibi holocáusta et ádipes pacificórum : quia altáre æneum, quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta et sacrifícia et ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus, et omnis Israel cum eo, ecclésia magna valde, ab introítu Emath usque ad Torréntem Ægypti. Fecítque die octávo colléctam, eo quod dedicásset altáre septem diébus, et solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. iij. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper : votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, Et ego nesciébam. T. P. Allelúia, allelúia. ℣. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cælos tangébat, et descendéntes Angelos, et ait. — Vere locus. Glória. Et ego nesciébam. T. P. Allelúia, allelúia.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 83.

QUAM dilécta tabernácula tua Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ℣ ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : *

Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Aña. Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli. T. P. Allelúia.

Psalmus 84.

BENEDIXISTI Dómine terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ :* operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam :* avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Aña. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper. T. P. Allelúia.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, ℣ et homo natus est in ea :* et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum :* horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Aña. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur Domus Dei. T. P. Allelúia.

℣. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta. T. P. Allelúia. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram. T. P. Allelúia.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(Serm. 252. de Temp.)
Lectio iv.

QUOTIESCUMQUE, fratres caríssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligénter atténdimus, et sancte ac juste vívimus, quidquid in templis manufáctis ágitur, totum in nobis spirituáli ædificatióne complétur. Non enim mentítus est ille, qui dixit : Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et

íterum : Nescítis, quia córpora vestra templum sunt Spíritus sancti, qui in vobis est? Et ídeo, fratres caríssimi, quia nullis præcedéntibus méritis, sed per grátiam Dei merúimus fieri templum Dei, quantum póssumus, cum ipsíus adjutório laborémus, ne Dóminus noster in templo suo, hoc est in nobis ipsis, invéniat quod óculos suæ majestátis offéndat.

℟. iv. Bénedic Dómine domum istam, quam ædificávi nómini tuo : veniéntium in locum istum * Exáudi preces in excélso sólio glóriæ tuæ. T. P. Allelúia. ℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum. — Exáudi preces.

Lectio v.

Et ídeo, fratres caríssimi, unusquísque consíderet consciéntiam suam : et quando se áliquo peccáto vulnerátum esse cognóverit, prius oratiónibus, jejúniis, et eleemósynis stúdeat mundáre consciéntiam suam, et sic Eucharistíam præsúmat accípere. Qui enim, agnóscens reátum suum, ipse se humiliter ab altári Ecclésiæ pro emendatióne vitæ removére volúerit, ab ætérno illo et cæléstí convívio excommunicári pénitus non timébit.

℟. v. O quam metuéndus est locus iste! Vere * Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli. T. P. Allelúia. ℣. Mane surgens Jacob votum vovit Dómino, et dixit. — Non est.

Lectio vj.

Si ad mensam cujuscúmque poténtis nemo præsúmit cum véstibus inquinátis accédere, quanto magis a convívio ætérni Regis, id est ab altári Dómini, debet se unusquísque invídiæ vel ódii veléno percússus, iracúndiæ furóre replétus, cum reveréntia et humilitáte subtráhere? Propter illud, quod scriptum est : Vade prius reconciliári fratri tuo, et tunc véniens ófferes munus tuum. Et íterum : Amíce, quómodo huc intrásti non habens vestem nuptiálem?

℟. vj. Oránti bus in loco isto, dimítte Dómine peccáta pópuli tui : et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent : * Et da glóriam nómini tuo. T. P. Allelúia. ℣. Dómine exáudi oratiónem meam : et clamor meus ad te véniat. — Et da glóriam. Glória. Et da glóriam. T. P. Allelúia.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 90.

Qui hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino : Suscéptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre noctúrno,

A sagítta volánte in die, ℣ a negótio perambulánte in ténebris, * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, ℣ et decem millia a dextris tuis : *

ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es Dómine spes mea : * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te : * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : ℣ cum ipso sum in tribulatióne : * eripiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Aña. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur. T. P. Allelúia.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introite in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Domum istam prótege Dómine : et Angeli tui custódiant muros ejus. T. P. Allelúia.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur insulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi

terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Fundáta est domus Dómini super vérticem móntium : et exaltáta est super omnes colles. T. P. Allelúia.

℣. Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine. T. P. Allelúia. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te. T. P. Allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

In illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 8. in Lucam.)

Zachæus, statúra pusíllus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitæ dignitáte sublímis, exíguus méritis, sicut pópulus Natiónum, audíto Dómini Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácile Jesum videt : nemo potest Jesum vidére constitútus in terra. Et quia non Prophétas, non Legem habébat, tamquam formæ grátiam naturális, ascéndit in sycómorum, vanitátem scilicet Judæórum vestígio suo próterens, erráta quoque córrigens superióris ætátis : et ídeo Jesum in interióris domus recépit hospítio.

℟. vij. Lápides pretiósi omnes muri tui : * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. T. P. Allelúia. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta : bene fundáta est supra firmam petram. — Et turres Jerúsalem.

Lectio viij.

Et bene ascéndit in árborem, ut arbor bona fructus bonos fáceret : ac naturáli excísus oleástro, et contra natúram insértus in bonam olívam, fructum posset Legis afférre. Radix enim sancta, etsi rami inútiles : quorum infructuósam glóriam plebs Géntium fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne transcéndit.

℟. viij. Domus mea Domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : * In ea omnis, qui petit, áccipit : et qui quærit, invenit : et pulsánti aperiétur. T. P. Alle-

lúia. ℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. — In ea omnis qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit.

Lectio ix.

ET ecce vir nómine Zachæus. Zachæus in sycómoro, cæcus in via : quorum álterum Dóminus miseratúrus exspéctat, álterum mansiónis suæ claritáte nobílitat; álterum sanatúrus intérrogat, apud álterum se non invitátus invítat. Sciébat enim úberem hospítii sui esse mercédem. Sed tamen, etsi nondum vocem invitántis audíerat, jam víderat affléctum.

℟. ix. Terríbilis est locus iste. Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta cæli : * Vere étenim Dóminus est in loco isto, Et ego nesciébam. T. P. Allelúia. ℣. Cumque evigilásset Jacob quasi de gravi somno, ait. — Vere. Glória. Et ego nesciébam. T. P. Allelúia.

Ante Laudes ℣. Dómine dilexi decórem domus tuæ. T. P. Allelúia. ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. T. P. Allelúia.

AD LAUDES

ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. T. P. Allelúia. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta : bene fundáta est supra firmam petram. T. P. Allelúia.

3. Domus mea Domus oratiónis vocábitur. T. P. Allelúia.

4. Bene fundáta est domus Dómini supra firmam petram. T. P. Allelúia.

5. Lápides pretiósi omnes muri tui : et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. T. P. Allelúia.

Capitulum. Apoc. 21.

VIDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de cælo a Deo, parátam, sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus.

ANGULARIS fundaméntum
Lapis Christus missus est,
Qui paríetum compáge
In utróque néctitur :
Quem Sion sancta suscépit,
In quo credens pérmanet.

OMNIS illa Deo sacra
Et dilécta cívitas,
Plena módulis in laude
Et canóro júbilo,
Trinum Deum unicúmque
Cum fervóre prædicat.

HOC in templo summe Deus
Exorátus ádveni,
Et cleménti bonitáte
Precum vota súscipe :
Largam benedictiónem
Hic infúnde júgiter.

HIC promereántur omnes
Petíta acquírere
Et adépta possidére
Cum sanctis perénniter,
Paradísum introíre
Translláti in réquiem.

GLORIA et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri Filióque,
Inclyto Paráclito,
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula. Amen.

℣. Domus mea. T. P. Allelúia. ℟. Domus oratiónis vocábitur. T. P. Allelúia.

Ad Benedictus Aña. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum

désuper : votum vovit Dómino : Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. T. P. Allelúia.

AD TERTIAM.

Capitulum Vidi civitátem., ut in Laudibus.

℟. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo, * Allelúia, allelúia. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Allelúia. Glória. Domum.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. T. P. Allelúia. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram. T. P. Allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 21.

ECCE tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, * Allelúia, allelúia. Hæc est. ℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Allelúia. Glória. Hæc est.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua Dómine. T. P. Allelúia. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te. T. P. Allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Cor. 3.

FUNDAMENTUM áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

℟. Beáti qui hábitant in domo tua Dómine, * Allelúia, allelúia. Beáti. ℣. In sæcula sæculórum laudábunt te. Allelúia. Glória. Beáti.

℣. Domus mea. T. P. Allelúia. ℟. Domus oratiónis vocábitur. T. P. Allelúia.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Psalmus 121.

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Psalmus 126.

NISI Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce heréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 146.

LAUDATE Dóminum quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum : * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus : * et sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus : * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum : * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Psalmus 147.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem fríguris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Aña. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat Aña. Zachæe festínans descénde : quia hódie

in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est. T. P. Allelúia, allelúia.

PER OCTAVAM.

Invitatorium ut in Festo.

Ad Benedictus, vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum fundens óleum désuper : votum vovit Dómino : Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. T. P. Allelúia.

℣. Domus mea. T. P. Allelúia. ℟. Domus oratiónis vocábitur. T. P. Allelúia.

Ad Magnificat, vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Zachæe festínans descénde., ut supra.

℣. Domum tuam Dómine decet sanctitúdo. T. P. Allelúia. ℟. In longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

Cetera fiant secundum modum Octavæ Simplicis. Lectiones vero hic subjunctæ dicantur singulis diebus per Octavam post Lectiones de Scriptura, quæ de Feria currente assumentur.

PRIMA DIE
INFRA OCTAVAM.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(Serm. 256. de Tempore.)
Lectio iij.

CELEBRITAS hujus congregatiónis, dedicátio est domus oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista, domus autem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc sæculo ædificámur, ut in fine sæculi dedicémur. Ædificátio habet labórem, dedicátio exsultatiónem. Quod hic fiébat, quando ista surgébant, hoc fit modo, cum congregántur credéntes in Christum. Credéndo enim, quasi de silvis et móntibus ligna et lápides præcidúntur : cum vero catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum et opíficum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dei non fáciunt, nisi quando caritáte compaginántur.

SECUNDA DIE.

Ex Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.
(Serm. 252. de Tempore.)
Lectio iij.

CONSECRATIONEM altáris hódie celebrámus, in quo nobis divína sacrifícia consecrántur. Sed quando festivitátes istas cólimus, fratres caríssimi, diligénter debémus atténdere, et totis víribus laboráre : ut quod in templis vel altáribus visibíliter cólitur, in nobis invisibíliter compleátur. Quia quamvis sancta sint templa, quæ vidémus de lignis et lapídibus fabricári; tamen plus apud Deum pretiósa sunt templa cordis et córporis nostri : quia illa fiunt ab hómine carnáli, ista ab Artífice mundi.

TERTIA DIE.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(Serm. 253. de Tempore.)
Lectio iij.

RECTE festa Ecclésiæ colunt, qui se Ecclésiæ fílios esse cognóscunt. Hæc enim ómnium credéntium mater est, quæ natos ad mortem regénerat

ad salútem. Hæc est post Synagógam quidem vocáta, sed ante Synagógam promíssa. Hæc enim jam in primo hómine præfiguráta est. Nam sicut ex Adæ látere fabricáta est Heva, ita ex córpore Christi et vúlnere redémpta crevit Ecclésia.

QUARTA DIE.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

(Serm. 76. in Ps. Qui hábitat.)

Lectio iij.

TESTANTUR sacræ lítteræ, olim pósitum in Paradíso primum Adam, ut operarétur et custodíret illum. Sic secúndus Adam in ecclésia sanctórum, in congregatióne suórum, in horto deliciárum, (síquidem delíciæ suæ esse cum fíliis hóminum) ita, inquam, et ipse Dóminus est in loco isto, ut operétur atque custódiat. Porro Angelos ascendéntes et descendéntes esse in loco isto, patriarchális ipsa vísio manifestat. Ascendéntes, ut vídeant fáciem Patris; descendéntes, ut provídeant nobis.

QUINTA DIE.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

(Serm. 4. in Dedic. Ecclesiæ.)

Lectio iij.

QUIS Ecclésiæ paríetes sanctos dícere vereátur, quos manus sacrátæ Pontíficum tantis sanctificavére mystériis? Ex tunc quoque, et deínceps, sanctárum ínibi lectiónum resultáre frequéntia, sanctárum oratiónum devóta murmuráre susúrria, sanctárum reliquiárum honorári beáta præséntia, sanctórum spirítuum indefessa nóscitur custódia vigiláre.

SEXTA DIE.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

(Serm. 1. de ead. festiv.)

Lectio iij.

FESTIVITAS hodiérna, fratres, tanto nobis debet esse devótior, quanto familiárior est. Nam céteras quidem Sanctórum solemnitátes cum áliis Ecclésiis habémus commúnes: hæc vero nobis sic própria est, ut necésse sit vel a nobis eam, vel a némine celebrári. Nostra est, quia de Ecclésia nostra: magis autem nostra, quia de nobis ipsis.

IN OCTAVA DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

SIMPLEX.

Quæ hic notata non sunt fiant ut in Festo, servato modo Octavæ diei Simplicis.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Feria currente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

(Serm. 2. de festiv. Dedic.)

Lectio iv.

OLIM rex glorióSus, et prophéta Dómini David sanctus, religiósa quadam cœpit cogitatióne movéri: indígnum júdicans, quod nullam adhuc Dóminus Sábaoth domum habéret in terris: ipse vero domum inhabitáret régiæ dignitátis. Hoc ipsum, fratres, nos quoque decet cogitáre fidéliter, et viríliter effectui mancipáre. Nam quod, licet Deo placúerit cogitátio illa Prophétæ, opus tamen reservátum est Salomóni, ália rátio est.

Lectio v.

JAM vero, o ánima, tu quidem sublími in domo hábitas, quæ a Deo tibi fabricáta est : corpus hoc, dico, quod sic compégit, quod sic aptávit, quod sic ornávit et ordinávit, ut glorióse in eo, et delectabíliter inhabitáres. Sed et córpori domum fecit excélsam, aptíssimam, et decóram. Dico autem sensíbilem hunc, et inhabitábilem mundum. Nonne ergo indígnum réputas, ut tibi ipse fécerit domum, tu vero ei templum ædificáre dissímules?

Lectio vj.

SED ubi invenítur hujus ædifícii locus? Tribulárer valde, et anxiarétur super me spíritus meus, nisi quod áudio eum de quodam dicéntem : Quia ego, et Pater ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus. Itaque jam scio ubi præparánda sit domus ei; quóniam non capit eum, nisi imágo sua.

IN III. NOCTURNO.

Homilia ut in die, vel Homilia Dominicæ, si nondum lecta fuerit.

℣ Si festum Dedicationis Ecclesiæ, vel Anniversarium ejusdem contingat celebrari infra Tempus Paschale, sic fiet Officium. In primis Vesperis omnia fiant, prout in die. Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus ut supra, et tres Psalmi cum totidem Antiphonis, Versiculo et tribus Responsoriis secundum Feriam et ordinem Nocturnorum; dimissaque Homilia legentur tres Lectiones de suprapositis : videlicet pro prima legatur illa quæ est prima de Scriptura; pro secunda et tertia assumantur quarta et quinta, quæ sunt de Sermone. Post Glória Patri. tertii Responsorii immediate repetatur Allelúia.

Laudes, Horæ et secundæ Vesperæ dicantur sicut notatur supra. Omnes vero Antiphonæ, Versiculi et Responsoria terminentur cum Allelúia.

℣ Idem servetur Tempore Paschali per totam Octavam, nisi quod in diebus infra Octavam in Nocturno una sola dicatur Antiphona super Psalmos, quæ erit ex iis quæ in Nocturnis Festi notantur incipiendo a prima. Lectiones vero in iis diebus erunt duæ de Feria currente, et tertia de Sermone pro illis supra posita.

℣ In Octava autem die, Lectiones erunt duæ de Scriptura, quæ sunt secunda et tertia positæ pro Festo; et pro tertia assumatur de Sermone, quæ est sexta in ordine, cum titulo : Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

COMMUNE SANCTORUM

EXTRA TEMPUS PASCHALE.

COMMUNE UNIUS VEL PLURIUM APOSTOLORUM.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúia. (Infra Septuagesimam non dicitur allelúia., sed dicit Dóminus.) Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

Hymnus.

EXSULTET cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis :
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

Vos sæcli justi júdices
Et vera mundi lúmina
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

Qui cælum verbo cláuditis,
Serásque ejus sólvitis,
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite jussu, quæsumus.

QUORUM præcépto súbditur
Salus, et languor ómnium,
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

UT cum Judex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat Aña. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis : gaudéte, et exsultáte : ecce enim merces vestra multa est in cælo. Canticum Magníficat ánima mea., pag. 146.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Gaudéte et exsultáte, * Quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

Psalmus 94.

VENITE, exsultémus Dómino : jubilémus Deo salutári nostro : præoccupémus fá-

ciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Gaudéte et exsultáte, quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

℣. Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam : quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

℣. Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus : veníte adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino qui fecit nos : quia ipse est Dóminus Deus noster : nos autem pópulus ejus et oves páscuæ ejus.

Gaudéte et exsultáte, quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

℣. Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, et vidérunt ópera mea.

Quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

℣. Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognovérunt vias meas : quibus jurávi in ira mea : Si introíbunt in réquiem meam.

Gaudéte et exsultáte, quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

Postea repetatur totum Invitatorium :

Gaudéte et exsultáte, quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

Hymnus Exsúltet cælum láudibus., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 18.

CÆLI enárrant glóriam Dei,* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Aña. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Aña. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Aña. Constítues eos príncipes super omnem terram : mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

¶ Lectiones pro omnibus tribus Nocturnis petantur ex proprio festo uniuscujusque Apostoli.

℟. j. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus :* Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. — Estóte ergo.

℟. ij. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

℟. iij. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur. Glória. Dábitur.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 46.

OMNES gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ, vehemènter eleváti sunt.

Aña. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

Psalmus 60.

EXAUDI Deus deprecatiónem meam : * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiónem meam : * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Aña. Dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum, Dómine.

Psalmus 63.

EXAUDI Deus oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : ℣ intendérunt arcum rem amáram, * ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera

Dei : * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Aña. Annuntiavérunt ópera Dei : et facta ejus intellexérunt.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

℟. iv. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. — Isti sunt viri sancti.

℟. v. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo.

℟. vj. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis, et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 74.

CONFITEBIMUR tibi Deus : * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníque ágere : * et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu :

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab oriénte, neque ab occidénte, neque a desértis móntibus : * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen fæx ejus non est exinaníta : * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Aña. Peccatórum confríngam córnua : et exaltabúntur córnua justi.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ,* propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odite malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Lux orta est justo, et rectis corde lætítia.

Psalmus 98.

DOMINUS regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : ℣ quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℣ et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses, et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus,* et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster tu exaudiébas eos : * Deus tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℣ et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Aña. Custodiébant testimónia ejus, et præcépta ejus, quæ dedit illis.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est princípátus eórum.

℟. vij. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam :* Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum : et in fines orbis terræ verba eórum. — Quorum doctrína.

℟. viij. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. — Et quasi colúmbæ.

℟. ix. Gregem tuum Pastor ætérne non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege Dómine pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem.— Perpétua. Glória. Perpétua.

Canticum Te Deum., pag. 16.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut di-

léxi vos. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

3. Vos amíci mei estis, si feceritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

4. Beáti pacífici, beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

5. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

ECCLESIARUM príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

DEVOTA sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

IN his patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

TE nunc Redémptor quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus Aña. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israel, dicit Dóminus. Canticum Benedíctus Dóminus., pag. 23.

AD TERTIAM.

Capitulum Jam non estis hóspites., ut in Laudibus.

℟. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit. Glória. In omnem.

¶ ℟℟. de Communi Sanctorum ad Horas cum duplici Allelúia. dicantur in festis Totis Duplicibus et infra Octavas Solemnes extra Septuagesimam.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 5.

PER manus autem Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe.

℟. Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues eos. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super. Glória. Constítues eos.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 5.

IBANT Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. Nimis honoráti sunt *Amíci tui Deus. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos,* scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psàlmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino,* pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam :* et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus :* in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes :* Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Psalmus 138.

DOMINE probásti me, et cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam :

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Dómine tu cognovísti ómnia novíssima, et antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es : * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me : * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto : * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, ℣ et in libro tuo omnes scribéntur : * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exsurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis Deus peccatóres : * viri sánguinum declináte a me :

Quia dícitis in cogitatióne : * accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te Dómine óderam : * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos : * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est : * et deduc me in via ætérna.

Aña. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Capitulum Jam non estis hóspites. et Hymnus Exsúltet cælum láudibus., ut in j. Vesperis, pag. 26*.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat Aña. In regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos, judicántes duódecim tribus Israel, dicit Dóminus.

COMMUNE

UNIUS EVANGELISTÆ.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúia. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Eccli. 15.

QUI timet Deum, fáciet bona : et qui cóntinens est justítiæ, apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

℟. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. — Qui in patiéntia vestra. Glória. Possidébitis ánimas vestras.

Hymnus.

EXSULTET cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis :
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

VOS sæcli justi júdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

QUI cælum verbo cláuditis,
Serásque ejus sólvitis,
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite jussu, quæsumus.

QUORUM præcépto súbditur
Salus et languor ómnium,
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

UT cum Judex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnificat Aña. Ecce ego Joánnes vidi óstium apértum in cælo, et ecce sedes pósita erat in eo, et in médio sedis, et in circúitu ejus quátuor animália plena óculis ante et retro : et dabant glóriam, et honórem, et benedictiónem sedénti super thronum, vivénti in sæcula sæculórum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Evangelistárum Dóminum * Veníte adorémus.

Hymnus Exsúltet cælum láudibus., ut in j. Vesperis.

¶ In tribus Nocturnis Antiphonæ, Psalmi, Versiculi et Responsoria ut in Communi Apostolorum, pag. 27* et sequentibus; Lectiones propriæ.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

3. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

4. Beáti pacífici, beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

5. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Capitulum. Eccli. 15.

QUI timet Deum, fáciet bona : et qui cóntinens est justítiæ, apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

ECCLESIARUM príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

DEVOTA sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

IN his patérna glória,
In his volúntas Spíritus
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

TE nunc Redémptor quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus Aña. In médio et in circúitu sedis Dei quátuor animália senas alas habéntia, óculis úndique plena, non cessant nocte ac die dícere : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est.

AD TERTIAM.

Capitulum Qui timet Deum., ut in Laudibus.

℟. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem terram. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit. Glória. In omnem terram.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 15.

CIBAVIT illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

℟. Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues eos. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super. Glória. Constítues eos.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 15.

IN médio ecclésiæ apéruit os ejus, et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stolam glóriæ índuit eum.

℟. Nimis honoráti sunt * Amíci tui Deus. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi Apostolorum, pag. 34*.

Capitulum Qui timet Deum., Hymnus Exsúltet cælum láudibus. et ℣. In omnem terram. ut in j. Vesperis.

Ad Magnificat Aña. Tua sunt hæc Christe ópera, qui Sanctos tuos ita glorificas, ut étiam dignitátis grátia in eis futúræ, præíre mirácula fácias : tu insígnes Evangélii prædicatóres animálium cæléstium admirábili figúra præsignásti : his namque cæléste munus collátum gloriósis indíciis es dignátus osténdere : hinc laus, hinc glória tibi résonet in sæcula.

COMMUNE

UNIUS MARTYRIS PONTIFICIS.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. Gloriósus Dei amícus N., Jesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus : Ac demum, triumpháli morte insígnis, Cælos petivit sánguine laureátus. ℣. Felici commércio, pro terrénis cæléstia, pro peritúris ætérna commútans. — Ac demum. Glória. Cælos petívit.

Hymnus.

DEUS tuórum mílitum
Coróna, sors et præmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

HIC nempe, mundi gáudia
Et blandiménta nóxia
Cadúca rite députans,
Pervénit ad cæléstia.

PŒNAS cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter :
Pro te profúndens sánguinem
Ætérna dona póssidet.

OB hoc precátu súpplici
Te póscimus piissime :
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

LAUS et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat Aña. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna felíciter pervénit.

Oratio.

LÆTETUR Ecclésia tua Deus beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis confísa suffrágiis : atque ejus précibus gloriósis et devóta permáneat, et secúra consístat. Per.

¶ Alia Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per.

¶ Si contingat fieri plures Memorias de aliis singulis Martyribus in j. Vesperis,

Pro j. Memoria dicatur Aña Iste est., ut ad Magnificat in ij. Vesperis, pag. 48*;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Qui me conféssus fúerit., quæ est j. Laudum, pag. 45*;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Qui mihi minístrat., quæ est iv. Laudum, ibidem.

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

II. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

III. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem sempitérnum veníte adorémus,* Qui Mártyrem suum digne pro méritis coronávit in cælis.

Hymnus Deus tuórum militum., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. In lege Dómini fuit volúntas ejus die ac nocte.

Psalmus 2.

QUARE fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confríges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Aña. Prædicans præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus 3.

DOMINE quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me:*exsúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Aña. Voce mea ad Dóminum clamávi : et exaudívit me de monte sancto suo.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Actibus Apostolórum.

Lectio j. Cap. 20.

A MILETO Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu ecclésiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingréssus sum in Asiam, quáliter vobíscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrimis, et tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum : quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárem vobis, et docérem vos públice, et per domos, testíficans Judæis, atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum.

℟. j. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus. — Fundátus enim.

Lectio ij.

ET nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans : nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens : quóniam víncula, et tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor : nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et minístérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei.

℟. ij. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso : vitam pétiit a te, et tribuísti ei * In sæculum sæculi. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo : glóriam et ma-

gnum decórem impónes super eum. — In sæculum sæculi.

Lectio iij.

ET nunc ecce ego scio quia ámplius non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi prædicans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérna die, quia mundus sum a sánguine ómnium. Non enim subterfúgi, quóminus annuntiárem omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. iij. Glória et honóre coronásti eum Dómine, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum : * Omnia subjecísti sub pédibus ejus. ℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super cælos Deus. — Omnia subjecísti. Glória. Omnia subjecísti.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 4.

CÚM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, ℣. et speráte in Dómino : * multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam :

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Aña. Fílii hóminum scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

Psalmus 5.

VERBA mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ,* rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo :* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Ódisti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus :* ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣ linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Aña. Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum Dómine.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. In univérsa terra glória et honóre coronásti eum.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

(Ex Serm. 3. de S. Cypr.

Lectio iv.

FACILE est honórem Mártyris celebráre : magnum est fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus : illud sic celebrémus, ut hoc pótius diligámus. Quid laudémus in fide Mártyris? Quia usque ad mortem certávit pro veritáte, et ídeo vicit. Blandiéntem mundum contémpsit, sæviénti non cessit : ídeo victor ad Deum accéssit.

℟. iv. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, * Quam repromísit Deus diligéntibus se. ℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam. — Quam.

Lectio v.

ABUNDANT in isto sæculo erróres et terróres : beatíssimus Martyr erróres sapiéntia, terróres patiéntia superávit. Magnum est, quod fecit : secútus Agnum, leónem vicit. Quando persecútor sæviébat, leo fremébat : sed quia Agnus sursum attendebátur, qui morte mortem destrúxit, ligno pepéndit, sánguinem fudit, redémit mundum : leo deórsum calcabátur.

℟. v. Dómine prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis :

posuísti in cápite ejus * Corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei Dómine. — Corónam.

Lectio vj.

BEATUS hic Martyr, dum inexpugnábili firmitáte certáminis sui adversárium vicit, vincéndi céteris viam fecit : non brevi compéndio vúlnerum victor, sed adhæréntibus diu, et permanéntibus pœnis, longæ colluctatiónis miráculo triumphátor. Custódia cárceris septus, in nervo ac ferro fuit : sed pósito in vínculis córpore, solútus ac liber spíritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitáte contábuit : sed ánimam fide et virtúte vivéntem nutriméntis spiritálibus Deus pavit.

℟. vj. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, Sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória. Sed ad cæléstia.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 10.

IN Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ:* Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Aña. Justus Dóminus, et justítias diléxit : æquitátem vidit vultus ejus.

Psalmus 14.

DOMINE quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit :

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Aña. Habitábit in tabernáculo tuo : requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus 20.

DOMINE in virtúte tua lætábitur rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Aña. Posuísti Dómine super caput ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ. (Hom. 37. in Evang.)

SI considerémus, fratres caríssimi, quæ et quanta sunt quæ nobis promittúntur in cælis, viléscunt ánimo ómnia quæ habéntur in terris. Terréna namque substántia supérnæ felicitáti comparáta, pondus est, non subsídium. Temporális vita ætérnæ vitæ comparáta, mors est pótius dicénda quam vita. Ipse enim quotidiánus defféctus corruptiónis quid est áliud, quam quædam prolíxitas mortis? Quæ autem lingua dícere, vel quis intellléctus cápere súfficit, illa supérnæ civitátis quanta sint gáudia : Angelórum choris interésse, cum beatíssimis spirítibus glóriæ Conditóris assístere, præséntem Dei vultum cérnere, incircumscríptum lumen vidére, nullo mortis metu áffici, incorruptiónis perpétuæ múnere lætári?

℟. vij. Stolam jucunditátis índuit eum Dóminus, * Et coró-

nam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. —Et corónam.

Lectio viij.

SED ad hæc audíta inardéscit ánimus, jamque illic cupit assístere, ubi se sperat sine fine gaudére. Sed ad magna præmia perveníri non potest, nisi per magnos labóres. Unde et Paulus egrégius prædicátor dicit : Non coronábitur, nisi qui legítime certáverit. Deléctet ergo mentem magnitúdo præmiórum, sed non detérreat certámen labórum. Unde ad se veniéntibus Véritas dicit : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus.

℟. viij. Coróna áurea super caput ejus expréssa signo sanctitátis, glória honóris, * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et opus fortitúdinis.

Lectio ix.

SED percontári libet, quómodo paréntes et carnáliter propínquos præcípimur odísse, qui jubémur et inimícos dilígere? Et certe Véritas de uxóre dicit : Quod Deus conjúnxit, homo non séparet. Et Paulus ait : Viri, dilígite uxóres vestras, sicut et Christus Eccléstam. Ecce discípulus uxórem diligéndam prædicat, cum Magíster dicat : Qui uxórem non odit, non potest meus esse discípulus. Numquid áliud judex núntiat, áliud præco clamat? An simul et odísse póssumus, et dilígere? Sed si vim præcépti perpéndimus, utrúmque ágere per discretiónem valémus : ut uxórem, et eos, qui nobis carnis cognatióne conjúncti sunt, et quos próximos nóvimus, diligámus : et quos adversários in via Dei pátimur, odiéndo et fugiéndo nesciámus.

℟. ix. Gloriósus Dei amícus N. Jesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus : * Ac demum triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. ℣. Felíci commércio, pro terrénis cæléstia, pro peritúris ætérna commútans. — Ac demum. Glória. Cælos petívit.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Qui me conféssus fúerit coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Qui séquitur me non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

3. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dóminus.

4. Qui mihi minístrat me sequátur : et ubi sum ego, illic erit et minister meus.

5. Volo Pater ut ubi ego sum, illic sit et minister meus.

Capitulum. Jac 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

MARTYR Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus :

TUI precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.

SOLUTA sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi,
Amóre Fílii Dei.

DEO Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Exprémssa signo sanctitátis.

Ad Benedictus Aña. Qui vult veníre post me ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

¶ Si contingat fieri plures Memorias de aliis singulis Martyribus in Laudibus,

Pro j. Memoria dicatur Aña Qui séquitur me., quæ est ij. Laudum;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Si quis., quæ est iij. Laudum;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Volo Pater., quæ est v. Laudum.

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

II. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

III. ℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

AD TERTIAM.

Capitulum Beátus vir, qui suffert., ut in Laudibus.

℟. Glória et honóre * Coronásti eum Dómine. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 10.

CUSTODIVIT illum Dóminus ab inimícis, et a seductóribus tutávit eum, et certámen forte dedit illi ut vínceret.

℟. Posuísti Dómine * Super caput ejus. Posuísti. ℣ Corónam de lápide pretióso. Super. Glória. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 4.

PRO justítia agonizáre pro ánima tua, et usque ad mortem certa pro justítia.

℟. Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári tuo. Glória. Magna est.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Exprémssa signo sanctitátis.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 111.

BEATUS vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis; * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : ℣ justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Psalmus 125.

In converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne * portántes manípulos suos.

Aña. Qui me conféssus fúerit coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo.

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis, pag. 38*.

Ad Magnificat Aña. Iste est qui pro lege Dei sui morti se trádidit : non dubitávit mori : ab iníquis interféctus est, et in ætérnum vivit cum Christo : Agnum secútus est, et accépit palmam.

¶ Si contingat fieri plures Memorias de aliis singulis Martyribus in ij. Vesperis,

Pro j. Memoria dicatur Aña Hic est., ut ad Magnificat in j. Vesperis, pag. 38*;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Lætábitur., ut infra, in Nocturno festi Trium Lectionum;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Qui mihi ministrat., quæ est iv. Laudum, pag. 45*.

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣ Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

II. ℣. Posuísti Dómine super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

III. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟ Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

IN FESTO

TRIUM LECTIONUM.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Mártyrum Dóminum * Veníte adorémus.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos Aña. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde.

Cetera fiant ut in Rubricis generalibus § xiij. de festo Trium Lectionum notatum est.

COMMUNE
UNIUS MARTYRIS
NON PONTIFICIS.

Omnia ut in Communi unius Martyris Pontificis, præter hic posita.

Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris : ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti N. Mártyris tui intercessióne liberémur. Per. ¶ Alia Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus ejus intercessióne liberémur. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 8.

EXISTIMO quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subjécta est non volens, sed propter eum, qui subjécit eam in spe : quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei.

Lectio ij.

SCIMUS enim quod omnis creatúra ingemíscit, et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias spíritus habéntes : et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ vidétur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non vidémus, sperámus : per patiéntiam exspectámus.

Lectio iij.

SIMILITER autem et Spíritus ádjuvat infirmitátem nostram : nam quid orémus, sicut opórtet, nescímus : sed ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus : quia secúndum Deum póstulat pro sanctis. Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis, qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(Serm. 44. de Sanctis.)

Lectio iv.

TRIUMPHALIS beáti Mártyris N. dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit : cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue consideránda sunt : induráta vidélicet tortóris sævítia, et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur : patiéntia Mártyris, ut eam imitémur.

Lectio v.

GLORIOSUS Christi athléta non exhórruit cárcerem : ad imitatiónem Cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit :

et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte retinébat, Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis : et Quia momentáneum hoc, et leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cælis.

Lectio vj.

CONTEMPLABATUR enim (quantum in ænígmate infírmitas humána óculum mentis in æternitáte fígere potest) quanta sint supérnæ civitátis gáudia : et ea enarráre non suffíciens, admirándo clamábat : Quid mihi est in cælo? Quasi díceret : Excédit vires meas, excédit facultátem eloquéntiæ meæ, transcéndit capacitátem intelligéntiæ meæ illud decus, illa glória, illa celsitúdo, qua, nobis a conturbatióne hóminum remótis, in abscóndito faciéi suæ Jesus Christus Dóminus noster reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. Hujus perféctæ libertátis contemplatióne nullum vitábat periculum, nullum horrébat supplícium : et si míllies posset mori, non putábat se hanc digne posse áliqua ratióne promeréri.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homília sancti Augustini Epíscopi.

(Tract. 51. in Joannem.)

IPSE Dóminus Jesus erat granum mortificándum, et multiplicándum : mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam vero exhórtans nos ad passiónis suæ sectánda vestígia, Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis potest intélligi : Qui amat perdet : id est, si amas, perdes : si cupis vitam tenére cum Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo : Qui amat ánimam suam, perdet eam : noli amáre, ne perdas; noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

Lectio viij.

HOC autem, quod postérius dixi, magis vidétur habére evangélicus sensus. Séquitur enim : Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo quod supra dictum est, Qui amat (subintellígitur, in hoc mundo) ipse útique perdet; et qui eam odit (útique in hoc mundo) in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna et mira sententia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odísti : si bene óderis, tunc amásti.

Lectio ix.

CUM ergo causæ artículus vénerit, ut hæc condítio proponátur, aut faciéndum

esse contra Dei præcéptum, aut ex hac vita emigrándum; quorum duórum homo si cogátur álterum elígere, comminánte mortem persecutóre : ibi éligat Deo dilécto émori, quam offénso vívere. Ibi óderit in hoc mundo ánimam suam, ut in vitam ætérnam custódiat eam.

¶ Aliud Evangelium similiter pro Martyre Pontifice, et non Pontifice.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Homil. 56. in Matth.)

QUEMADMODUM qui lúdicrum instítuit agónem, si cui athletárum amicítiæ vínculo júngitur, nunquam eum, nisi descénderit in certámen, coronábit : qui próprium illíus vidélicet labórem desíderat, et quo magis eum díligit, eo magis victórem vidére cupit : sic étiam Christus, quos máxime díligit, eos non solum auxílio suo, verum étiam et a seípsis vult comprobári. Mínime autem onerósam oratiónem reddit, quia non sibi solis hæc imminére, sed commúniter univérso terrárum orbi propónit, dicens : Si quis vult, sive vir, sive múlier, sive princeps, sive súbditus, hanc viam ingrediátur.

Lectio viij.

ET sermo quidem unum quid significáre vidétur, tria vero cóntinet : abnegatiónem tui ipsíus, et ut crucem accípias, et tértio ut Christum sequáris : quorum duo conjúncta sunt, unum per seípsum separátim pónitur. Considerémus ígitur prius, quidnam sit álium abnegáre : tunc recte percípies, quid sit abnegáre teípsum.

Lectio ix.

QUID ígitur abnegáre teípsum? Quid ígitur abnegáre álium? Qui álium jam abnegávit, fratrem puta, aut servum, aut quemvis álium, si cædi eum virgis vídeat, si arcéri vínculis, quidquid áliud mali pati eum conspéxerit, non occúrrit, non auxiliátur, non fléctitur, nec prorsus ullo modo movétur, ceu ille qui pénitus ab illo alienátus est. Sic ígitur nullo nos pacto córpori nostro párcere vult, ut neque si cæditur, neque si péllitur, neque si úritur, nec si quid áliud hujúsmodi pátitur, ei parcámus.

¶ Aliud Evangelium.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 15.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera : et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(Tract. 80. in Joannem.)

ISTE locus evangélicus, fratres, ubi se dicit Dóminus vitem, et discípulos suos pálmites, secúndum hoc dicit,

quod est caput Ecclésiæ, nosque membra ejus, mediátor Dei et hóminum, homo Christus Jesus. Uníus quippe natúræ sunt vitis et pálmites. Propter quod, cum esset Deus, cujus natúræ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis, humána natúra, cujus et nos hómines pálmites esse possémus.

Lectio viij.

QUID ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid ut ádderet, Vera, hoc ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dícitur vitis per similitúdinem, non per proprietátem : quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, et cétera hujúsmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducúntur istæ similitúdines, non proprietátes. Sed cum dicit, Ego sum vitis vera : ab illa se útique discérnit, cui dícitur : Quómodo convérsa es in amaritúdinem, vitis aliéna? Nam quo pacto est vitis vera, quæ exspectáta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas?

Lectio ix.

EGO sum, inquit, vitis vera : et Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola et vitis? Secúndum hoc ergo vitis Christus, secúndum quod ait, Pater major me est. Secúndum autem id quod ait, Ego et Pater unum sumus; et ipse agrícola est : nec talis, quales sunt, qui extrínsecus operándo éxhibent ministérium; sed talis, ut det étiam intrínsecus increméntum. Nam neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat : sed qui increméntum dat, Deus.

COMMUNE
PLURIMORUM MARTYRUM.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hi sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Capitulum. Hebr. 11.

SANCTI per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Lavérunt stolas suas, et cándidas eas fecérunt. * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. — In sánguine Agni. Glória. In sánguine Agni.

Hymnus.

SANCTORUM méritis ínclyta gáudia
Pangámus sócii, géstaque fórtia :
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.

Hi sunt, quos rétinens mundus inhórruit;

Ipsum nam stérili flore peráridum
Sprevére pénitus, teque secúti sunt,
Rex Christe bone cælitus.
HI pro te fúrias atque ferócia
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera :
Cessit his lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.
CÆDUNTUR gládiis more bidéntium :
Non murmur résonat, non querimónia,
Sed corde tácito, mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.
QUÆ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martyribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine, láureis
Ditántur bene fúlgidis.
TE summa Déitas únaque póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas :
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat Aña. Gau ent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo regnábunt in ætérnum.

DE PLURIBUS MARTYRIBUS.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per.

¶ Alia Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per.

DE PLURIBUS MARTYRIBUS PONTIFICIBUS.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram, quæsumus Dómine, propítius réspice : et mala ómnia, quæ juste merémur, sanctórum Mártyrum tuórum atque Pontíficum N. et N. intercessióne avérte. Per.

¶ Si contingat fieri plures Memorias de aliis pluribus Martyribus in j. Vesperis,

Pro j. Memoria dicatur Aña Abstérget., ut ad Magnificat in ij. Vesperis, pag. 63*;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Justórum autem ánimæ., quæ est j. Laudum, pag. 61*;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Mártyres Dómini., quæ est iv. Laudum, ibidem.

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

II. ℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

III. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Veníte adorémus Regem regum, * Qui beátis Martyribus corónam dedit glóriæ.

Hymnus Sanctórum méritis., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem própicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. Secus decúrsus aquárum plantávit víneam justórum : et in lege Dómini fuit volúntas eórum.

Psalmus 2.

QUARE fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Aña. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus : et quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

Psalmus 10.

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Aña. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes electórum est immortális in ætérnum.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 8.

EXISTIMO quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subjécta est non volens, sed propter eum, qui subjécit eam in spe : quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei.

℟. j. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum: et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. — Quóniam prióra transiérunt.

Lectio ij.

SCIMUS enim quod omnis creatúra ingemiscit, et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias spíritus habéntes : et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ vidétur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non vidémus, sperámus : per patiéntiam exspectámus.

℟. ij. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua : * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus, et una fides erat in eis. — Et ídeo.

Lectio iij.

SIMILITER autem et Spíritus ádjuvat infirmitátem nostram : nam quid orémus, sicut opórtet, nescímus : sed ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus : quia secúndum Deum póstulat pro sanctis. Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis, qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti.

℟. iij. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Et meruérunt. Glória. Et meruérunt.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 14.

DOMINE quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit :

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Aña. Dabo Sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Psalmus 15.

CONSERVA me Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, ℣ adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Aña. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Sancti, qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem, assúment pennas ut áquilæ, volábunt et non defícient.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris ad Mártyres et Confessóres.

Lectio iv. (Lib. 2. Epist. 6.)

QUIBUS ego vos láudibus prædicem, fortíssimi Mártyres? Robur péctoris vestri et perseverántiam fídei quo præcónio vocis exórnem? Tolerástis usque ad consummatiónem glóriæ duríssimam quæstiónem : nec cessístis supplíciis, sed vobis pótius supplícia cessérunt. Finem dolórum, quem torménta non dabant, corónæ dedérunt. Laniéna grávior ad hoc diu perseverávit, non ut stantem fidem dejíceret, sed ut hómines Dei ad Dóminum velócius mítteret.

℟. iv. Sancti tui Dómine mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, * Ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : terra appáruit árida, et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Victrícem manum tuam laudavérunt páriter, et decantavérunt Dómine nomen sanctum tuum. — Ut inveniréntur illæsi.

Lectio v.

VIDIT admírans præséntium multitúdo cæléste certámen, certámen Dei, spiritále certámen, prœlium Christi : stetísse servos ejus voce líbera, mente incorrúpta, virtúte divína, telis quidem sæculáribus nudos, sed armis fídei credéntes armátos. Stetérunt torti torquéntibus fortióres, et pulsántes ac laniántes úngulas pulsáta ac laniáta membra vicérunt.

℟. v. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut herédes fíerent.

Lectio vj.

INEXPUGNABILEM fidem superáre non pótuit sæviens diu plaga repetíta : quamvis rupta compáge víscerum, torqueréntur in servis Dei jam non membra, sed vúlnera. Fluébat sanguis, qui incéndium persecutiónis exstingueret, qui flammas et ignes gehénnæ glorióso cruóre sopíret. O quale illud fuit spectáculum Dómino, quam sublíme, quam magnum, quam Dei óculis saciaménto ac devotióne mílitis ejus accéptum! Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in tálibus servis suis et pugnávit et vicit?

℟. vi. O veneránda Mártyrum gloriósa certámina, qui in suis corpóribus pro Christo immánia pertulérunt torménta! * Et ídeo percípere meruérunt immarcescíbilem ætérnæ glóriæ corónam. ℣. Despécta namque præséntis vitæ luce, contemptóque suórum córporum cruciátu, sæviéntem mundum Dei pro amóre vicérunt. — Et ídeo. Glória. Et ídeo.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 32.

EXSULTATE justi in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Diligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Aña. Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum.

Psalmus 33.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et persequere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Aña. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, ut herédes fíerent in domo Dómini.

Psalmus 45.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confríget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra. Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Aña. Ecce merces Sanctórum copiósa est apud Deum : ipsi vero mórtui sunt pro Christo, et vivent in ætérnum.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis prœlia, et seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 9. in Luc. cap. 21.)

VERBORUM cæléstium nulli magis quam nos testes sumus, quos mundi finis invénit. Quanta enim prœlia, et quas opiniónes accípimus prœliórum! Hunni in Alános, Aláni in Gothos, et Gothi in Taífalos et Sármatas insurrexérunt. Hos quoque in Illyrico éxsules pária Gothórum exsília fecérunt : et nondum est finis. Quæ ómnium fames, lues páriter boum atque hóminum, ceteríque pécoris! ut étiam nos, qui bellum non pertúlimus, debellátis tamen pares fécerit pestiléntia.

℟. vij. In circúitu tuo Dómine lumen est, quod nunquam defíciet, ubi constituísti lucidíssimas mansiónes : * Ibi requiéscunt Sanctórum ánimæ. ℣. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. — Ibi requiéscunt.

Lectio viij.

ERGO quia in occásu sæculi sumus, præcédunt quædam ægritúdines mundi. Ægritúdo mundi est fames, ægritúdo mundi est pestiléntia, ægritúdo mundi est persecútio. Sunt autem etália bella, quæ vir sústinet christiánus, diversárum quoque prœlia cupiditátum, studiorúmque conflíctus; multóque gravióres doméstici hostes quam extránei.

℟. viij. Sancti mei, qui in isto sæculo certámen habuístis, * Mercédem labórum ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem labórum.

Lectio ix.

NUNC avarítia stímulat, nunc accéndit libído, nunc metus terret, nunc iracúndia exágitat, nunc ambítio movet, nunc terrére tentant spiritália nequítiæ, quæ sunt in cæléstibus. Itaque quasi quibúsdam urgétur prœliis, et quibúsdam terræ mótibus quátitur móbilis ánimi nutántis afféctus. Sed fórtior dicit : Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum : si exsúrgat in me prœlium, in hoc ego sperábo.

℟. ix. Lavérunt stolas suas, et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. — In sánguine Agni. Glória. In sánguine Agni.

Ante Laudes ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Justórum autem ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Cum palma ad regna pervenérunt Sancti : corónas decóris meruérunt de manu Dómini.

3. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt : et vivent nómina eórum in ætérnum.

4. Mártyres Dómini Dóminum benedícite in ætérnum.

5. Mártyrum chorus laudáte Dóminum in excélsis.

Capitulum. Hebr. 11.

SANCTI per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Jesu Dómino nostro.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera
Et Mártyrum victórias,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

TERRORE victo sæculi,
Pœnísque spretis córporis,
Mortis sacræ compéndio
Vitam beátam póssident.

TRADUNTUR igni Mártyres
Et bestiárum déntibus :
Armáta sævit úngulis
Tortóris insáni manus.

NUDATA pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur :
Sed pérmanent immóbiles
Vitæ perénnis grátia.

TE nunc Redémptor quæsumus
Ut Mártyrum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Ad Benedictus Aña. Isti sunt Sancti, qui pro Dei amóre minas hóminum contempsérunt : sancti Mártyres in regno cælórum exsúltant cum Angelis. O quam pretiósa est mors Sanctórum, qui assídue assístunt ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti!

¶ Si contingat fieri plures Memorias de aliis pluribus Martyribus in Laudibus,

Pro j. Memoria dicatur Aña Cum palma., quæ est ij. Laudum;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Córpora Sanctórum., quæ est iij. Laudum;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Mártyrum chorus., quæ est v. Laudum;

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

II. ℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

III. ℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

AD TERTIAM.

Capitulum Sancti per fidem., ut in Laudibus.

℟. Lætámini in Dómino, *Et exsultáte justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exsultáte justi. Glória. Lætámini.

℣ Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 10.

REDDIDIT Deus mercédem labórum Sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili : et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte.

℟. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu Dei. Glória. Exsúltent. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 3.

JUSTORUM ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. Visi sunt óculis insipiéntium mori : illi autem sunt in pace.

℟. Justi autem* In perpétuum vivent. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum vivent. Glória. Justi autem.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos,* scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam :* et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Psalmus 139.

ERIPE me Dómine ab hómine malo : * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * tota die constituébant prœlia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me Dómine de manu peccatóris : * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi láqueum mihi :

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : * exáudi Dómine vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine virtus salútis meæ : * obumbrásti super caput meum in die belli :

Ne tradas me Dómine a desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum : * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, ℣ in ignem dejícies eos : * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis : * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Aña. Justórum autem ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ.

Capitulum, Hymnus et ℣ ut in j. Vesperis, pag. 52*.

Ad Magnificat Aña. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : quóniam prióra transiérunt.

¶ Si contingat fieri plures Memorias de aliis pluribus Martyribus in ij. Vesperis,

Pro j. Memoria dicatur Aña Gaudent., ut ad Magnificat in j. Vesperis, pag. 53*;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Hi sunt., ut infra, in Nocturno festi Trium Lectionum;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Mártyres Dómini., quæ est iv Laudum, pag. 61*;

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

II. ℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

III. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

IN FESTO

TRIUM LECTIONUM.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Mártyrum Dóminum * Veníte adorémus.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos Aña. Hi sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

¶ Aliæ Lectiones de pluribus Martyribus Novem Lectionum.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
(Homil. de Machab.)

Lectio iv.

QUAM speciósa et grata festívitas nobis enítuit, et totíus anni diébus splendídior dies hodiérna præfúlget, non de usitátis solis rádiis illumináta præclárius; sed de lúmine Mártyrum, supra corúscum omne fulgur micánte, illustráta sublímius. Multis enim sólibus illustrióres sunt Mártyres, et magnis luminaribus clarióres. Non tales de supérno solis círculo in terram rádii jaciúntur, quales a corpóribus eórum prosíliunt corúsca luce fulgóres, et ipsos diáboli óculos inviténtis obcæcant.

(Idem in Serm. de Mart.)

Lectio v.

QUI Sanctórum mérita religiósa caritáte mirátur, quique justórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores sanctos atque justítiam imitétur : quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa cultum Dei obséquium. Quare aut imitári debet, si laudat, aut laudáre non debet, si imitári detréctat. Nam si proptérea justos fidelésque diligimus, quod in ipsis justítiam fidémque suspícimus, póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt.

Lectio vj.

IN istis semper pares virtútes, dissímiles pugnæ, gloriósæ victóriæ. Unde tu Christiáne delicátus es miles, si putas te posse sine pugna víncere, sine certámine triumpháre. Exsere vires, fórtiter dímica, atróciter in prœlio isto concérta. Considera pactum, conditiónem atténde, militiam nosce : pactum quod spopondísti, conditiónem qua accessísti, militiam cui nomen dedísti. Hoc enim pacto, quos miráris, cuncti pugnárunt : hac conditióne univérsi vicérunt, hac militia omnes triumpháruntt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum docébat eos, dicens : Beáti páuperes spíritu. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

(Comment. in Matth. cap. 5.)

CONGREGATIS ígitur plúribus turbis, montem conscéndit, et docet : in patérnæ scílicet majestátis pósitus celsitúdine, cæléstis vitæ præcépta constítuit. Non enim æternitátis institúta, nisi in æternitáte pósitus, tradidísset. Dénique ita scriptum est : Apéruit os suum, et docébat eos. Locútum eum fuisse prómptius erat dícere; sed quia in glória patérnæ majestátis instíterat, et æternitátem docébat, idcírco ad motum spíritus eloquéntis, obedísse osténditur humáni oris offícium.

Lectio viij.

BEATI páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum cælórum. Exémplo Dóminus docúerat humánæ ambitiónis glóriam relinquéndam, dicens : Dóminum Deum tuum adorábis, et illi soli sérvies. Et cum se per Prophétas pópulum húmilem, et ad verba sua treméntem præmónuit esse lectúrum; in spíritus humilitáte perféctæ beatitúdinis pósuit exórdium.

Lectio ix.

NULLA nos nec sæculáris fastus insoléntia, nec opum cupíditas, nec inánis glóriæ ambítio corrúmpat : sed subjécti Deo simus, et de communióne vivéndi in omnes commúnis vitæ caritáte teneámur. Magnum étiam in eo, quod nati sumus, divínæ bonitátis futúrum profféctum existimántes : cujus præmium atque honos præséntis vitæ opéribus sit meréndus : atque ita per hanc spíritus humilitátem, qua a Deo nobis meminérimus et indúlta ómnia, et deínceps potióra speránda, cælórum regnum erit nostrum.

¶ Aliud Evangelium.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 6.

IN illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

(Lib. 5. in Luc. cap. 6.)

ADVERTE ómnia diligénter, quómodo et cum Apóstolis ascéndat, et descéndat ad turbas. Quómodo enim turba, nisi in húmili, Christum vidéret? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Dénique ubi descéndit, invénit infírmos : in excélsis enim infírmi esse non possunt. Sic enim Matthæus docet, in inferióribus débiles esse sanátos.

Prius enim unusquisque sanándus est, ut paulátim virtútibus procedéntibus ascéndere possit ad montem. Et ídeo unumquémque in inferióribus sanat, hoc est, a libídine révocat, injúriam cæcitátis avértit, ad vúlnera nostra descéndit : ut usu quodam et cópia suæ natúræ, compartícipes nos fáciat esse regni cæléstis.

Lectio viij. Paulo post.

BEATI páuperes : quia vestrum est regnum Dei. Quátuor tantum beatitúdines sanctus Lucas domínicas pósuit, octo vero sanctus Matthæus : sed in istis octo, illæ quátuor sunt, et in quátuor istis, illæ octo. Hic enim quátuor velut virtútes ampléxus est cardináles : ille in illis octo mysticum número rum reserávit. Pro octáva enim multi scribúntur Psalmi : et mandátum áccipis octo illis partem dare, fortásse benedictiónibus. Sicut enim spei nostræ octáva perféctio est, ita octáva summa virtútum est.

Lectio ix.

SED prius quæ sunt amplióra videámus. Beáti, inquit, páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum cælórum. Primam benedictiónem hanc utérque Evangelísta pósuit. Ordine enim prima est, et parens quædam generatióque virtútum : quia qui contémperit sæculária, ipse merébitur sempitérna : nec potest quisquam méritum regni cæléstis adipísci, qui mundi cupiditáte possédsus, emergéndi non habet facultátem.

¶ Aliud Evangelium.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a ferménto Pharisæórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homilia venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. in Luc Cap. 52.

DE hoc ferménto Apóstolus præcipit : Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ et nequítiæ, sed in ázymis sincerítátis, et veritátis. Nam sicut módicum ferméntum totam farínæ, cui injícitur, massam corrúmpit, universámque mox conspersiónem suo sapóre commáculat : sic nimírum simulátio, cujus semel ánimum imbúerit, tota virtútum sinceritáte et veritáte fraudábit.

Lectio viij.

EST ergo sensus : Atténdite ne æmulémini simulatóres : quia véniet profécto tempus, in quo et vestra virtus ómnibus, et eórum revelétur hypócrisis. Verum quod séquitur, Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur : non solum in futúro, quando cuncta córdium abscóndita proferéntur ad lucem; sed et in præsénti témpore potest congruénter áccipi : quóniam, quæ inter ténebras quondam pressurárum, carcerúmque umbras, vel locúti vel passi sunt Apóstoli, nunc clarificáta per orbem Ecclésia, lectis eórum Actibus públice prædicántur.

Lectio ix.

DICO autem vobis amícis meis : Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent quid fáciant. Si persecutóres Sanctórum, occísis corpóribus, non habent ámplius quid contra illos agant : ergo supervácua furunt insánia, qui mórtua Mártyrum membra feris avibúsque discerpénda projíciunt : cum nequáquam omnipoténtiæ Dei, quin ea resuscitándo vivíficet, obsístere possint. Et quia duo sunt génera persecutórum, unum palam sæviéntium, álterum ficte fraudulentérque blandiéntium : contra utrúmque nos munire volens Salvátor, et ab hypócrisi Pharisæórum atténdere, et a cæde carnificum præcipit non timére.

COMMUNE UNIUS
CONFESSORIS PONTIFICIS.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo, et homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória sanctórum.

℟. Sancte N. Christi Confessor audi rogántes sérvulos : * Et impetrátam cælitus Tu defer indulgéntiam. ℣. O sancte N. sidus áureum, Dómini grátia, servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. — Et impetrátam. Glória. Tu defer.

Hymnus.

ISTE Confessor Dómini sacrátus,
Festa plebs cujus célebrat per orbem,
Hódie lætus méruit secréta
Scándere cæli.

QUI pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, castus fuit et quiétus,
Vita dum præsens vegetávit ejus
Córporis artus.

OB sacrum cujus méritum frequénter
Membra languéntum modo sanitáti,
Quólibet morbo fúerint graváta,
Restituúntur.

UNDE nunc noster chorus in honórem
Ipsius hymnum canit hunc libénter :
Ut piis ejus précibus juvémur,
Omne per ævum.

SIT salus illi, decus atque virtus,
Qui supra cæli résidens cacúmen,
Tótius mundi máchinam gubérnat
Trinus et unus. Amen.

¶ Si in aliquo die celebretur Officium alicujus Confessoris, et non sit natalis ipsius, præfatus Hymnus ita inchoetur :

ISTE Conféssor Dómini sacrátus
Sóbrius, castus fuit et quiétus,
Vita dum præsens vegetávit ejus
Córporis artus.

OB sacrum cujus, etc., ut supra.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat Aña. Conféssor Dómini N. astántem plebem corróbora sancta intercessióne : ut qui vitiórum póndere prémimur, beatitúdinis tuæ glória sublevémur, et te duce ætérna præmia consequámur. Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per. ¶ Alia Oratio.

EXAUDI, quæsumus Domine, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : ut qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólvas peccátis. Per.

¶ Si contingat fieri plures Memorias de aliis Confessoribus in j. Vesperis,

Pro j. Memoria dicatur Aña Similábo., ut ad Magnificat in ij. Vesperis, pag. 78*;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Dómine quinque talénta., quæ Laudum, pag. 75*;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Ecce vere Israelíta., quæ est iv. Laudum, ibidem.

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

II. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

III. ℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

¶ Ad faciendam vero Memoriam plurium Confessorum in j. Vesperis,

Aña. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent : judicábunt natiónes, et regnábunt in ætérnum.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DEUS, qui nos sanctórum Confessórum tuórum N. et N. confessiónibus gloriósis circumdas et prótegis : da nobis eórum imitatióne proficere, et intercessióne gaudére. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Confessórum Regem adorémus : * Qui cæléstis regni méritum et glóriam cóntulit sancto suo N.

Hymnus Iste Conféssor., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem próji-cit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quæcúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Psalmus 2.

QUARE fremuérunt gentes,* et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum:* et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus,* prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Aña. Beátus iste Sanctus, qui confísus est in Dómino : prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus 3.

DOMINE quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me:*exsúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ańa. Tu es glória mea, tu es suscéptor mæus Dómine : tu exáltas caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3.

FIDELIS sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Episcopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum : non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum : fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum : ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. j. Euge serve bone. et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. — Intra.

De Epístola ad Titum.

Lectio ij. Cap. 1.

OPORTET Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum : sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere.

℟. ij. Justus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Lectio iij. Cap. 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam : senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : anus simíliter in hábitu sancto, non criminatrices, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei.

℟. iij. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum : * Quóniam in hac peregrinatióne solo córpore constitútus, cogitatióne et aviditáte In illa ætérna pátria conversátus est. ℣. Vínculis carnis absolútus, taléntum sibi créditum Dómino suo duplicátum reportávit. — Quóniam. Glória. In illa ætérna pátria.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 4.

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, ℣ et speráte in Dómino : * multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam :

Quóniam tu Dómine singulariter in spe * constituísti me.

Aña. Invocántem exaudívit Dóminus Sanctum suum : Dóminus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Psalmus 5.

VERBA mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Ódisti omnes, qui operánt r iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣ linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Aña. Læténtur omnes, qui sperant in te Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

Homil. 59. de S. Eusebio 2.

Lectio iv.

Ad sancti ac beatíssimi Patris nostri N. cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse, áliquid decerpsísse est : síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória patris est fílius sápiens : quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia et devotióne lætátur! In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. iv. Magnificávit eum in conspéctu regum, * Et dedit illi corónam glóriæ. ℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum, et beatificávit illum in glória. -- Et dedit illi.

Lectio v

Quidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et grátiæ, de hoc quasi lucidíssimo fonte, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat præditus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum : quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. v. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas Paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas Paradísi.

Lectio vj.

Bene et cóngrue in hac die, quam nobis beáti Patris nostri N. ad Paradísum tránsitus exsultábilem reddit, præséntis Psalmi versículum decantávimus : In memória ætérna erit justus. Digne enim in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum. Illíus ergo, in quantum póssumus, vestígiis insistámus, quibus per illam nimis ar.cam viam ad cæli ampla festínans, qua eum sequeré.ur, osténdit.

℟. vj. Sancte N. Christi Conféssor audi rogántes sérvulos : * Et impetrátam cælitus Tu defer indulgéntiam. ℣. O sancte N. sidus áureum, Dómini grátia, servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. — Et impetrátam. Glória. Tu defer indulgéntiam.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 14.

DOMINE quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, ✠ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit :

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Aña. Dómine, iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo : operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus 20.

DOMINE in virtúte tua lætábitur rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Aña. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(Cap. 26. et 27. in Matth.)

Ut ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus; vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse osténdit zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, et córporum nostrórum dómibus insidiántem : ut ea incuriósis nobis, et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat.

℟. vij. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória, et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi. — In átriis.

Lectio viij.

Paratos ígitur esse nos cónvenit : quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinem suspénsæ exspectatiónis exágitat. Quisnam est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indeféssam vigiántiæ curam adhortétur : speciálem tamen pópuli princípibus, id est Epíscopis, in exspectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat.

℟. viij. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : * Honestávit illum in labóribus, et

complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus : quia apud Deum nota est, et apud hómines. — Honestávit illum.

Lectio ix.

HUNC enim servum fidélem, atque prudéntem, præpósitum familiæ significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, et præcéptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte et veritáte infírma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, et verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens, hisque ímmorans deprehendátur; glóriam a Dómino tamquam dispensátor fidélis, et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur, id est, in Dei glória collocábitur : qua nihil sit ultra, quod mélius sit.

℟. ix. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória. Quando.

Ante Laudes ℣. Óra pro nobis beáte N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris. pag. 17.

2. Beátus ille servus, quem cum vénerit Dóminus, et pulsáverit jánuam, invénerit vigilántem.

3. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore tritici mensúram.

4. Ecce vere Israelíta, in quo dolus non est.

5. Serve bone et fidélis intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus.

JESU Redémptor ómnium,
Coróna confiténtium,
In hac die cleméntius
Nostris favéto précibus :

TUI sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit,
Cujus celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.

QUI rite mundi gáudia
Hujus cadúca réspuens,
Cum ángelis cæléstibus
Lætus potítur præmiis.

HUJUS benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia :
Hujus precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.

SIT Christe Rex piíssime
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣ Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña Euge serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

¶ Si contingat fieri plu
Memorias de aliis C nf
bus in Laudibus,

Pro j. Memoria dicatur Aña Beátus ille servus., quæ est ij. Laudum;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Fidélis servus., quæ est iij. Laudum;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Serve bone., quæ est v. Laudum.

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

II. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

III. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

¶ Ad faciendam vero Memoriam pluriuŋ Confessorum in Laudibus,

Aña. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

AD TERTIAM.

Capitulum Diléctus Deo., ut in Laudibus, pag. 75*.

℟. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornávit eum. Glória. Amávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 39.

JUSTUS cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Deum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. Justum dedúxit Dóminus * Per vias rectas. Justum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Per vias. Glória. Justum.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 10.

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℟. Justus ut palma florébit * In domo Dómini. Justus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. In domo. Glória. Justus.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 109.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos,* scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 111.

BEATUS vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : ℣ justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Aña. Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

Capitulum, Hymnus et ℣. ut in j. Vesperis, pag. 67*.

Ad Magnificat Aña. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

¶ Si contingat fieri plures Memorias de aliis Confessoribus in ij. Vesperis,

Pro j. Memoria dicatur Aña Conféssor Dómini., ut ad Magnificat in j. Vesperis, pag. 68*;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Iste Sanctus., ut paulo post, in Nocturno festi Trium Lectionum;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Ecce vere Israelíta., quæ est iv. Laudum, pag. 75*.

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

II. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

III. ℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN FESTO
TRIUM LECTIONUM.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Confessórum Dóminum * Veníte adorémus.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos Aña. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum.

¶ Aliud Evangelium de Confessore Pontifice Novem Lectionum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

(Comment. in Matth. 25.)

DIVISIO quidem pecúniæ inæquális est, sed non ad dividéntem referénda divérsitas est. Ait enim unumquémque secúndum virtútem suam accepísse. Patrem famílias seípsum esse significat. Peregrinatiónis tempus pœniténtiæ spátium est, quo in cælis a dextris Dei ássidens, potestátem univérso géneri humáno fídei atque operatiónis evangélicæ permísit.

Lectio viij.

IGITUR unusquísque secúndum fídei suæ mensúram, taléntum, id est, Evangélii prædicatiónem, a prædicánte suscépit. Hæc enim incorrúpta substántia est : hoc Christi patrimónium ætérnis herédibus reservátum. Sed servus ille, qui quinque talénta accépit, pópulus ex Lege credéntium est : ex qua proféctus, méritum ipsíus recte probéque per-

fúnctus evangélicæ Fídei operatióne duplicávit.

Lectio ix.

IN ratióne autem ponénda judícii exámen est : quo cæléstis verbi usus, et réditus dispensáti talénti postulátur. Igitur cui erant quinque commíssa, dómino revérso de quinque decem óbtulit : talis scílicet in Fide repértus, qualis in Lege : qui decem verbórum quinque libris Móysi, præceptórum obediéntiam per grátiam evangélicæ justificatiónis expléverit. Igitur jubétur in gáudium Dómini introíre, id est, in honórem glóriæ Christi recípitur.

COMMUNE
UNIUS DOCTORIS.

Omnia fiant ut in Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 67*. et sequentibus, præter hic notata.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti : præsta quæsumus, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 14.

BEATUS vir, qui in sapiéntia morábitur, et qui in justítia sua meditábitur, et in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. Qui excógitat vias illíus in corde suo, et in abscónditis suis intélligens, vadens post illam quasi investigátor, et in viis illíus consístens : qui réspicit per fenéstras illíus, et in jánuis illíus áudiens : qui requiéscit juxta domum illíus, et in pariétibus illíus figens palum státuet cásulam suam ad manus illíus, et requiéscent in cásula illíus bona per ævum : státuet fílios suos sub tégmine illíus, et sub ramis ejus morábitur : protegétur sub tégmine illíus a fervóre, et in glória ejus requiéscet.

Lectio ij. Cap. 24.

QUI implet quasi Phison sapiéntiam, et sicut Tigris in diébus novórum. Qui ádimplet quasi Euphrátes sensum : qui multíplicat quasi Jordánis in témpore messis. Qui mittit disciplínam sicut lucem, et assístens quasi Gehon in die vindémiæ. Qui pérficit primus scire ipsam, et infírmior non investigábit eam. A mari enim abundávit cogitátio ejus : et consílium illíus ab abysso magna. Ego sapiéntia effúdi flúmina. Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquædúctus exívi de paradíso.

Lectio iij.

DIXI : Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare : quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes sperántes in Dómino.

Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum. Vidéte quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. (Lib. 9. cap. 6.

QUI post Oríonas Hyadum nómine, nisi Doctóres sánctæ Ecclésiæ designántur? Qui subdúctis Martyribus eo jam témpore ad mundi notítiam venérunt, quo fides clárius elúcet : et représsa infidelitátis hieme, áltius per corda fidélium sol veritátis calet. Qui remóta tempestáte persecutiónis, explétis longis nóctibus infidelitátis, tunc sanctæ Ecclésiæ orti sunt, cum ei jam per credulitátis vernum lucídior annus aperítur.

Lectio v. (Cap. 8.)

NEC immérito Doctóres sancti Hyadum nuncupatióne signántur. Græco quippe elóquio hyetos plúvia vocátur, et Hyades nomen a plúviis accepérunt : quia ortæ proculdúbio imbres ferunt. Bene ergo Hyadum appellatióne expréssi sunt, qui ad statum universális Ecclésiæ, quasi in cæli fáciem dedúcti, super aréntem terram humáni péctoris sanctæ prædicatiónis imbres fudérunt. Si enim prædicatiónis sermo plúvia non esset, Móyses minime dixísset : Exspectétur sicut plúvia elóquium meum : et nequáquam per Isaíam Véritas díceret : Mandábo núbibus meis, ne pluant super eam imbrem : atque hoc, quod paulo ante protúlimus : Quamobrem prohíbitæ sunt stellæ pluviárum.

Lectio vj.

DUM ergo Hyades cum plúviis véniunt, ad cæli spátia altióra sol dúcitur : quia apparénte Doctórum sciéntia, dum mens nostra imbre prædicatiónis infúnditur, fídei calor augétur. Et perfúsa terra ad fructum próficit, cum lumen ætheris ignéscit : quia ubérius frugem boni óperis réddimus, dum per sacræ eruditiónis flammam in corde clárius ardémus. Dumque per eos diébus síngulis magis magísque sciéntia cæléstis osténditur, quasi intérni nobis lúminis vernum tempus aperítur : ut novus sol nostris méntibus rútilet, et eórum verbis nobis cógnitus, seípso quotídie clárior micet. Urgénte étenim mundi fine, supérna sciéntia próficit, et lárgius cum témpore excréscit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Hom. 15. in Matth. sub med.)

ATTENDITE quid díxerit, Vos estis sal terræ : per quod osténdit quam necessário ista præcípiat. Non enim de vestra, inquit, tantúmmodo vita, sed de univérso orbe vobis rátio

reddénda est. Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut viginti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittébam Prophétas : sed ad omnem terram prorsus, ac mare, totúmque mundum, et hunc váriis crimínibus oppréssum.

Lectio viij.

DICENDO enim, Vos estis sal terræ, osténdit univérsam hóminum infatuátam esse natúram, et peccatórum vi corrúptam : et idcírco illas ab eis virtútes requírit, quæ máxime ad multórum salútem procurándam necessáriæ sunt atque útiles. Nam qui mansuétus est, ac modéstus, et miséricors, et justus, non intra se tantúmmodo hæc recte facta conclúdit, verum in aliórum quoque utilitátem præcláros hos fáciet efflúere fontes. Igitur qui corde mundo est atque pacíficus, et persecutiónem pro veritáte pátitur, nihilóminus in commúne cómmodum vitam instítuit.

Lectio ix.

NE ígitur putétis, inquit, ad lévia vos ducéndos esse certámina, neque exiguárum rerum vobis ineúndam esse ratiónem. Vos estis sal terrae. Quid ígitur? Ipsíne putrefácta medicáti sunt? Nequáquam : neque enim fíeri potest, ut ea, quæ jam corrúpta sunt, salis perfricatióne reparéntur. Non ergo hoc fecérunt, sed ante renováta, sibíque trádita, atque ab illa jam putrédine liberáta, aspergébant sale, et in ea novitáte conservábant, quam a Dómino suscéperant. Liberáre quippe a putrédine peccatórum, Christi virtútis est : ut autem ad illa íterum non revertántur, Apostolórum curæ est ac labóris.

COMMUNE
UNIUS CONFESSORIS
NON PONTIFICIS.

Omnia fiant ut in Communi unius Confessoris Pontificis pag. 67* et sequentibus, præter hic posita. Oratio.

DEUS, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per. ¶ Alia Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 31.

BEATUS vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia, et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna : qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus : fácere mala, et non fecit : ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Lectio ij. Cap. 32.

QUI timet Dóminum, excípiet doctrínam ejus : et qui vigiláverint ad illum, invénient benedictiónem. Qui quærit legem, replébitur ab ea : et qui insidióse agit, scandalizábitur in ea. Qui timent Dóminum, invénient judícium justum, et justítias quasi lumen accéndent. Qui credit Deo, atténdit mandátis : et qui confídit in illo, non minorábitur.

Lectio iij. Cap. 33. et cap. 34.

TIMENTI Dóminum non occúrrent mala, sed in tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit a malis. Sápiens non odit mandáta et justítias, et non illidétur quasi in procélla navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis. Spíritus timéntium Deum quæritur, et in respéctu illius benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos, et óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum nihil trepidábit, et non pavébit : quóniam ipse est spes ejus. Timéntis Dóminum beáta est ánima ejus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

(In Orat. de S. Philog.)

Lectio iv.

BEATI N. dies, cujus festivitátem celebrámus, ad ipsius recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit : síquidem hódie Beátus iste ad tranquillam, omnísque perturbatiónis expértem vitam transiit : eóque navígium appulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem, aut dolórem.

Lectio v.

QUAMOBREM maximópere grátulor hujus Sancti felicitáti, quod quamquam translátus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitátem relíquit : tamen in álteram ascríptus est civitátem, nempe Dei : ac digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quæ est primogenitórum descriptórum in cælis : ac relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritátem angelórum.

Sermo sancti Ephrem Syri.

(Encomio in S. Basil.)

Lectio vj.

SAPIENS hic et fidélis N. vere gressus est virtútum, liber laudum, vita miraculórum : qui in carne grádiens, spíritu incedébat; communémque cum áliis in terra vitam degens, supérna contemplabátur : beryllium plectrum mysticæ citharæ regiónem sanctórum angelórum obléctans : certus agnus matrícis vitæ, Spíritus sancti agrum ac hortum illústrans, desidério atque amóre exsúltans, ac florem ex ima radíce pretiosíssimæ crucis decérpens : membrána pulchra divinæ sapiéntiæ, quæ de cælo divínas impressiónes accépit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Hom. 39. in Matth.)

QUOD hic, Confíteor, dixit, idem valet quod Grátias ago. Grátias, inquit, tibi ago, quóniam a prudéntibus, et sapiéntibus hæc celásti. An ígitur perditióne illórum gaudére ipsum dicémus, et quóniam illi hæc non didicére? Mínime. Non ergo quia sapiéntes non cognovérunt, gaudet : sed quia párvuli percepérunt, lætátur. Ita et Paulus dicit : Grátias ago Deo meo, quóniam fuístis servi peccáti : obedístis autem ex corde in quam tráditi estis formam doctrínæ. Non ergo Paulus proptérea gaudet, quia erant servi peccáti; sed quia, cum essent hujúsmodi, veritátis cultóres facti sunt.

Lectio viij.

PRUDENTES autem hic Scribas et Pharisæos appéllat : quibus verbis alacrióres reddit discípulos : cum intélligant illa se piscatóres esse consecútos, a quibus illi summi, ut videbántur, viri excidérunt. Cum autem Sapiéntes díxerit : non illam veram laudábilem sapiéntiam intélligit : sed hanc, quæ sæculári doctrina præstátur. Idcírco étiam non dixit, Stultis revelásti, sed Párvulis : quasi non formátis adhuc, sed simplícibus.

Lectio ix.

ITA osténdit non indígne illos, sed jure his rebus fuísse privátos : ac per ómnia nos docet flatum supérbiæ omníno esse fugiéndum, ac simplicitátem æmulándam. Quod Paulus amplióribus verbis scribit, dicens : Si quis in vobis vidétur in hoc sæculo sápiens esse, is fiat stultus, ut sápiens efficiátur : sic enim grátia Dei monstrátur. Cur vero grátias agit Patri, cum ipse illud fécerit? Sicut orat et intercédit pro nobis ad Deum, magnam erga nos declárans caritátem, sic étiam et hoc ex caritátis fervóre péragit.

¶ Aliud Evangelium.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 13. in Evang.)

SANCTI Evangélii, fratres caríssimi, apérta vobis est léctio recitáta : sed ne alíquibus ipsa ejus planities alta fortásse videátur, eam sub brevitáte transcúrrimus : quátenus ejus expósitio ita nesciéntibus fiat cógnita, ut tamen sciéntibus non sit onerósa. Lumbórum nómine luxúria designátur, cum Dóminus dicit, Sint lumbi vestri præcíncti. Lumbos enim præcíngimus, cum carnis luxúriam per continéntiam coarctámus.

Lectio viij.

SED quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur :

Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippe ardéntes in mánibus tenémus, cum per bona ópera próximis nostris lucis exémpla demonstrámus. De quibus profécto opéribus Dóminus dicit : Lúceat lux vestra coram homínibus : ut vídeant ópera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

Lectio ix.

DUO autem sunt, quæ jubéntur, et lumbos præcíngere, et lucérnas tenére : ut et munditia sit castitátis in córpore, et lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero nequáquam placére potest : si aut is, qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinaménta non déserit; aut is, qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exércet. Nec cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquid sine castitáte.

¶ Aliud Evangelium.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

(Lib. 4. in Luc.)

PUSILLUM gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris números reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat. Quia vidélicet Ecclésiam suam, quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte pervenire.

Lectio viij.

VENDITE quæ possidétis, et date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus hujus vitæ necessária desint : quin étiam possessa propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Dómino suis ómnibus spretis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde et victum transígere, et eleemósynam dare queat, operátur.

Lectio ix.

FACITE vobis sácculos, qui non veteráscunt : eleemósynas vidélicet operándo, quarum merces in ætérnum máneat. Ubi non hoc præcéptum esse putándum est, ut nihil pecúniæ reservétur a sanctis, vel suis scílicet, vel páuperum úsibus suggeréndæ : sed ne Deo propter ista serviátur, et ob inópiæ timórem justítia deserátur.

¶ Aliud Evangelium.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(Hom. 17. in Evang.)

DOMINUS et Salvátor noster, fratres caríssimi, binos in prædicatiónem discípulos

mittit : quia duo sunt præcépta caritátis, Dei vidélicet amor, et próximi : et minus quam inter duos cáritas habéri non potest. Ecce enim binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit : quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui caritátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenus debet.

Lectio viij.

BENE autem dícitur quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum quo erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur : quia prædicátio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcúrrunt, atque per hæc véritas in mente suscípitur. Hinc namque eísdem prædicatóribus Isaías dicit : Paráte viam Dómini : rectas fácite sémitas Dei nostri.

Lectio ix.

HINC illis Psalmísta ait : Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit : quia unde in passióne occúbuit, inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit : quia mortem, quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo, qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus prædicámus : ut eas et ipse post véniens per amóris sui præséntiam illústret.

COMMUNE UNIUS ABBATIS.

Omnia fiant ut in Communi unius Confessoris Pontificis, pag. 67*. et sequentibus, præter hic posita. Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus Dómine, beáti N. Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus ejus patrocínio assequámur. Per.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura currente vel in Dominica de Apostolo), nisi aliter notetur.

¶ Si autem Feria currens Lectiones de Scriptura non habuerit, ut contingit quando Lectiones Feriæ sunt de Homilia, legantur tres Lectiones de Communi unius Confessoris non Pontificis, scilicet Beátus vir, qui invéntus est sine mácula., pag. 81*.

IN II. NOCTURNO.

Lectiones quæ notatæ fuerint in Proprio Sanctorum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Lectio vij. Cap. 19.

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.
(Lib. 3. in Matth. cap. 19.)

GRANDIS fidúcia! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quærébat : et tamen lóquitur confidénter : Relíquimus ómnia.

Et quia non súfficit tantum relínquere, jungit quod perféctum est : Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti : quid ígitur nobis dabis præmii? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel.

Lectio viij.

Non dixit, Qui reliquístis ómnia : hoc enim et Crates fecit philósophus, et multi álii divítias contempsérunt : sed, Qui secúti estis me : quod próprie Apostolórum est, atque credéntium. In regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti), sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israel, quia vobis credéntibus, illi crédere noluérunt.

Lectio ix.

Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur : Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru : et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et prædicatiónem Evangélii, omnes afféctus contémpserint, atque divítias et sæculi voluptátes : isti céntuplum recípient, et vitam ætérnam possidébunt.

COMMUNE
UNIUS VIRGINIS MARTYRIS.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Veniénte Sponso, prudens Virgo præparáta introívit cum eo ad núptias.

Capitulum. Eccli. 51.

Confitebor tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

℟. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea regi. — Quem vidi. Glória. In quem crédidi.

Hymnus.

Virginis Proles opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo,

Vírginis festum cánimus trophæum,
Accipe votum.
HÆC tua Virgo dúplici beáta
Sorte, dum gestit frágilem domáre
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Córpore sæclum.
UNDE nec mortem, nec amíca mortis
Sæva pœnárum génera pavéscens,
Sánguine fuso méruit sacráta
Scándere cælum.
HUJUS obténtu Deus alme nostris
Parce jam culpis, vítia remittens :
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.
GLORIA Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat Aña. Ista est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit : quæ accépta lámpade sumpsit secum óleum, et veniénte Dómino introívit cum eo ad núptias.

Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quæsumus Dómine, beáta N. Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per.

¶ Alia Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius ut qui beátæ N. Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per.

¶ Si contingat in j. Vesperis fieri plures Memorias de aliis Virginibus, sive sint Martyres, sive non,

Pro j. Memoria dicatur Aña Accínxit., ut ad Magnificat in ij. Vesperis, pag. 97*;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Hæc est Virgo sápiens, et una., quæ est j. Laudum, pag. 95*;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Média nocte., quæ est iv. Laudum, ibidem.

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

II. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

III. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

¶ Ad faciendam vero Memoriam plurium Virginum in j. Vesperis,

Aña. Prudéntes Vírgines aptáte lámpades vestras: ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Agnum sponsum Vírginum, * Veníte adorémus Dóminum Jesum Christum.

Hymnus. Vírginis Proles., ut in j. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : insuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ana. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Psalmus 18.

CÆLI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Ana. Unguéntum effúsum nomen tuum : ídeo adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 51.

CONFITEBOR tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. j. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit : * Pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti, et cum ángelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit rex spéciem tuam. — Pro cujus.

Lectio ij.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. ij. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam. — Et dedúcet te.

Lectio iij.

EXALTASTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum.

Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. iij. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, Próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. — Inténde. Glória. Próspere procéde.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ,* velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Aña. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus 45.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra:* et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei:* sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram :* áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus :* exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Aña. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, ℣ et homo natus est in ea:* et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Aña. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

(Homil. de S. Agnete.)

Lectio iv.

CUM in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, et sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu: eo usque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitátis arrípere t, et per vestígia Matris Vírginis ad cæléstem thálamum perveníret. O quam imitábile virgínibus, Virgo, tui amóris tradidísti exémplum, contemnéndo mundi divítias, exsecrándo carnis concupiscéntias, et solam Christi pulchritúdinem adamándo!

℟. iv. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Deum et apud hómines glorificáta est : in conspéctu príncipum loquebátur sapiéntiam, * Et Dóminus ómnium diléxit eam. ℣. Erécta namque in virtútis cúlmine, torménta derísit, præmia calcávit. — Et Dóminus ómnium.

Lectio v

BEATISSIMA hæc Virgo magnum de se pudicítiæ excitávit exémplum, cum virginitátem prætulit vitæ, trophæum crucis Christi arrípuit, et tam contra libídines, quam étiam contra supplícia univérsa, fide pótius armáta quam ferro, fórtiter dimicávit et vicit. Nescit amáre áliquid, quod transit : et dum nimis virginitátem díligit, nec ludíbria, nec flammas, nec supplícia, nec carnífices métuit : postrémo nec gládium furéntis percussóris expávit.

℟. v. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigiléntem invénit : quæ accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣ Ista est una de número prudéntum, quæ aptávit lámpades suas. — Et veniénte Dómino.

Lectio vj.

VENI jam Virgo ad thálamum, quem quæsísti : ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi, et Mártyrem conféssio probáta consígnet. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia! Itaque o spléndida Christo, pulchra Dei Fílio, et ómnibus Angelis atque Archángelis grata : ut nostri meminísse dignéris, quibus póssumus, précibus exorámus : ut nobis ille tríbuat peccatórum indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam.

℟. vj. Afferéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi * In lætítia et exsultatióne. ℣. Prudéntes vírgines aptáte lámpades vestras : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — In lætítia. Glória. In lætítia.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna

silvárum a fácie Dómini, quia venit :*quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odite malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Hæc est, quæ nescívit torum in delicto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Psalmus 97.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : ℣ moveátur mare, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Aña. Hæc est Virgo sápiens atque gloriósa, quia Dóminus ómnium diléxit eam.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro : quem qui ínvenit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ. Homil. 11. in Evang.)

CÆLORUM regnum, fratres caríssimi, idcírco terrénis rebus símile dicitur, ut ex his, quæ ánimus novit, surgat ad incógnita, quæ non novit : quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat : ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur. Qua in re notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur : quia stúdium cæléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus : malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident.

℟. vij. Audívi vocem de cælo veniéntem : veníte omnes vírgines sapientíssimæ, * Oleum recóndite in vasis vestris, dum sponsus advénerit. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit. — Oleum recóndite.

Lectio viij.

DEPRÆDARI ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant : sed ut sic sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto. Rursum cæléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas margarítas quærit, sed unam pretiósam ínvenit, quam vidélicet invéntam, ómnia vendens, emit : quia qui cæléstis vitæ dulcédinem, in quantum possibílitas admíttit, perfécte cognóverit : ea, quæ in terrénis amáverat, libénter cuncta derelínquit.

℟. viij. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Quia concupívit rex.

Lectio ix.

RECTE per Salomónem dícitur : Fortis est ut mors diléctio : quia sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occídit. Nam quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim Sancta hæc, cujus hódie natalítia celebrámus, mori pro Dómino potuísset in córpore, si prius a terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente. Eréctus namque in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, præmia calcávit. Quid inter hæc nos barbáti et débiles dícimus, qui ire ad regna cæléstia puéllas per ferrum vidémus, quos ira sú-

perat, supérbia inflat, ambítio pertúrbat, luxúria ínquinat? Qui si adipísci regna cælórum per bella persecutiónum non póssumus, hoc ipsum nobis turpe sit, quod Deum nólumus saltem per pacem sequi.

℟. ix. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi : *Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. — Quem vidi. Glória. In quem crédidi.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Hæc est Virgo sápiens, et una de número prudéntum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

3. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

4. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

5. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas.

Capitulum. Eccli. 51.

CONFITEBOR tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus.

JESU, coróna vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.

QUI pascis inter lília,
Septus choréis vírginum,
Sponsas decórans glória,
Sponsísque reddens præmia.

QUOCUMQUE pergis vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

TE deprecámur, lárgius
Nostris adáuge sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

SIT Christe Rex piíssime
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Benedictus Aña. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : quia concupívit Rex spéciem tuam.

¶ Si contingat in Laudibus fieri plures Memorias de aliis Virginibus,

Pro j. Memoria dicatur Aña Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus., quæ est ij. Laudum:

Pro ij. Memoria dicatur Aña Veni sponsa Christi., quæ est iij. Laudum;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Tunc surrexérunt., quæ est v. Laudum.

¶ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

II. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

III. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

¶ Ad Memoriam vero plurium Virginum in Laudibus.

Aña. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ.

℣. Média nocte clamor factus est. ℟. Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

AD TERTIAM.

Capitulum. Confitébor tibi., ut in Laudibus.

℟. Diffúsa est grátia * In lábiis tuis. Diffúsa est. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. In lábiis tuis. Glória. Diffúsa est.

℣ Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 11.

ÆMULOR enim vos Dei æmulatióne : despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória. Spécie tua.

℣ Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 4.

QUAM pulchra est casta generátio cum claritáte : immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est et apud hómines.

℟. Adjuvábit eam Deus * Vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Vultu suo. Glória. Adjuvábit.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

AD II. VESPERAS.

Psalmus 1

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 112

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 121.

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Psalmus 126.

NISI Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce heréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 147.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Aña. Hæc est Virgo sápiens, et una de número prudéntum.

Capitulum, Hymnus et ℣ ut in j. Vesperis, pag. 86*. et pag. 87*.

Ad Magnificat Aña. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum : ideóque lucérna ejus non exstinguétur in sempitérnum.

¶ Si contingat in ij. Vesperis fieri plures Memorias de aliis Virginibus,

Pro j. Memoria dicatur Aña Ista est., ut ad Magnificat in j. Vesperis, pag. 87*;

Pro ij. Memoria dicatur Aña Veniénte Sponso., ut infra, in Nocturno festi Trium Lectionum;

Pro iij. Memoria dicatur Aña Média nocte., quæ est iv. Laudum, pag. 95*.

℣ Versiculi autem hoc ordine dicantur :

I. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

II. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

III. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

IN FESTO

TRIUM LECTIONUM.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Vírginum Dóminum * Venite adorémus.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos Aña. Veniénte Sponso, prudens Virgo præparáta introívit cum eo ad núptias.

COMMUNE

UNIUS VIRGINIS

NON MARTYRIS.

Omnia fiant ut in Communi unius Virginis et Martyris, pag. 86* et sequentibus, præter hic posita.

IN UTRISQUE VESPERIS ET AD MATUTINUM.

Hymnus.

VIRGINIS Proles, opiféxque matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo,
Vírginis festum cánimus beátæ;
Accipe votum.
HUJUS obténtu, Deus alme nostris
Parce jam culpis, vítia remíttens :
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.
GLORIA Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ N. Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 7.

DE virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem : non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi.

℟. j. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit : *Pro cujus amóre sæculum contempsísti, et cum ángelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : quia concupívit rex spéciem tuam. — Pro cujus amóre.

Lectio ij.

EGO autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent, tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur : præterit enim figúra hujus mundi.

℟. ij. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam. — Et dedúcet te.

Lectio iij.

VOLO autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore, et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. iij. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, Próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. — Inténde. Glória. Próspere procéde.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio iv. (Lib. de Virginit.)

IN festo Vírginis prædicánda est virgínitas. Hoc in isto sermóne suscépimus. Adjuvet Christus Vírginis Fílius, et Vírginum sponsus : virgináli útero corporáliter natus, virgináli connúbio spirituáliter conjugátus. Cum ígitur univérsa Eccléśia virgo sit, sicut dicit Apóstolus, quanto digna sunt honóre membra, quæ hæc custódiunt étiam in ipsa carne, quæ ipsa tota custódit in fide! Nulla ergo fecúnditas carnis sanctæ virginitáti, étiam carnis, comparári potest.

℟. iv. Hanc amávi, et exquisívi sponsam mihi assúmere, * Et amátor factus sum formæ illíus. ℣. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. — Et amátor.

Lectio v.

ILLA autem Virgo conjugátæ mérito præpónitur, quæ nec multitúdini se amándam propónit, sed Speciósum forma præ fíliis hóminum sic amávit, ut, quia eum sicut María concípere carne non posset, ei corde concépto carnem étiam íntegram custodíret. Cedat virginitáti omnis fecúnditas carnis, omnis pudicítia conjugális. Illa non est in potestáte : ista non est in æternitáte. Fecunditátem carnálem non habet líberum arbítrium : pudicítiam conjugálem non habet cælum.

℟. v. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit : quæ accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Ista est una de número prudéntum, quæ aptávit lámpades suas. — Et veniénte Dómino.

Lectio vj.

PROFECTO habébunt magnum áliquid præter céteros in illa commúni immortalitáte, qui habent áliquid jam non carnis in carne. Cum enim dixísset Dóminus de spadónibus, Dabo eis in domo mea locum nominátum multo meliórem quam filiórum atque filiárum : contínuo subjécit : Nomen ætérnum dabo eis; quod útique glóriam quamdam própriam excellentémque significat.

℟. vj. Afferéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi * In lætítia et exsultatióne. ℣. Prudéntes vírgines aptáte lámpades vestras : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — In lætítia. Glória. In lætítia.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cælórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

(Homilia 12. in Evang.)

SÆPE vos, fratres caríssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre : sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut et bona, quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis; ne per hoc, quod a vobis rectum géritur, favor, aut grátia humána requirátur : ne appetítus laudis subrépat, et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur.

℟. vij. Audívi vocem de cælo veniéntem : Veníte omnes vírgines sapientíssimæ, * Oleum recóndite in vasis vestris, dum sponsus advénerit. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit. — Oleum recóndite.

Lectio viij.

ECCE enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes recéptæ sunt : quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt. Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elóquio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur : quæ quia ex utróque sexu fidélium collígitur, decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis, et réprobi cum eléctis commísti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse perhibétur.

℟. viij. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Quia.

Lectio ix.

SUNT namque pleríque contiténtes, qui ab exteriori se appetítu custódiunt, et spe ad interióra rapiúntur; carnem mácerant, et toto desidério ad supérnam pátriam anhélant : ætérna præmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere humá-

nas laudes nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra conciéntiam cóntegunt. Et sunt pleríque, qui corpus per abstinéntiam affligunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

℟. ix. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi : *Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. — Quem vidi. Glória. In quem crédidi.

¶ Hæc eadem Homilia dici potest in festo unius Virginis et Martyris.

COMMUNE UNIUS SANCTÆ MARTYRIS TANTUM.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Capitulum. Eccli. 51.

CONFITEBOR tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

℟. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Deum et apud hómines glorificáta est : in conspéctu príncipum loquebátur sapiéntiam, * Et Dóminus ómnium diléxit eam. ℣. Erécta namque in virtútis cúlmine, torménta derísit, præmia calcávit. — Et Dóminus. Glória. Et Dóminus.

Hymnus.

HUJUS obténtu Deus alme nostris
Parce jam culpis, vítia remíttens :
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.

GLORIA Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat Aña. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : quia concupívit Rex spéciem tuam.

Oratio.

DEUS, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius, ut qui beátæ N. Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum * In confessióne beátæ N.

Hymnus Hujus obténtu.; ut in j. Vesperis.

Psalmi, Antiphonæ super Psalmos et ℣℣. in tribus Nocturnis sicut in Communi unius Sanctæ nec Virginis nec Martyris, pag. 105* et sequentibus. Cetera ut infra.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Confitébor tibi Dómine rex., ut in Communi unius Virginis et Martyris, pag. 89*. Et dicantur una cum tribus Responsoriis quæ iisdem Lectionibus annexa sunt.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Serm. 67. de div. Novi Test. loc.,

Lectio iv.

EGO máxime commemoratiónes díligo Mártyrum, díligo et ampléctor : atque omnes quidem, sed tum præcípue, cum mulíerum certámina proponúntur. Quanto enim infírmius est vas, tanto major est grátia, tanto illústrius est trophæum, tanto insígnior est victória, non ob imbecillitátem sexus athletárum, sed quod per ea, quibus vícerat inimícus, nunc étiam vincátur.

℟. iv. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Deum et apud hómines glorificáta est : in conspéctu príncipum loquebátur sapiéntiam, *Et Dóminus ómnium diléxit eam. ℣. Erécta namque in virtútis cúlmine, torménta derísit, præmia calcávit. — Et Dóminus ómnium.

Lectio v.

PER mulierem vicit, per mulíerem superátus est. Hoc illíus ántea telum erat : hoc illíus nunc cædis factum est instruméntum, hoc vas appáruit insuperábile. Peccávit illa prior, et mórtua est : ista mórtua est, ne peccáret. Illa tum fútilis promíssi spe infláta, Dei leges violávit : hæc vitam præséntem contémpsit, ne fidem in suum benefactórem ejuráret. Quam ígitur deínceps speráre póterunt excusatiónem viri, si molles sint et ignávi? Quam vero véniam, cum fórtiter ac viríliter se gerant mulíeres, cum ádeo se generóse ad certámina pietátis accíngant?

℟. v. Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ N. *De cujus passióne gaudent ángeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : sánctitas, et magnificéntia in sanctificatióne ejus. — De cujus passióne.

Lectio vj.

FUIT illi corpus imbecíllum, et obnóxius sexus injúriæ; verúmtamen ómnium horum imbecillitátem advéniens grátia occultávit. Nihil enim est, nihil plane poténtius est eo, qui magno cum stúdio Dei timórem hábeat in mente defíxum : sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis béstias, quamvis áliud quidvis miníntur hostes, ómnia nullo negótio contémnit : quod útique Beáta ista étiam fecit.

℟. vj. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : *Quia concupívit rex spéciem tuam. ℣ Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Quia concupívit rex. Glória. Quia concupívit rex.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui ínvenit homo abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet; et emit agrum illum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 11. in Evang.)

CÆLORUM regnum, fratres caríssimi, idcírco terrénis

rebus símile dícitur, ut ex his, quæ ánimus novit, surgat ad incógnita, quæ non novit : quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confrícátus incaléscat : ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur. Qua in re notándum est quod invéntus thesáurus absconditur, ut servétur : quia stúdium cæléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus : malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident.

℟. vij. Hanc amávi, et exquisívi sponsam mihi assúmere, * Et amátor factus sum formæ illíus. ℣. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. — Et amátor.

Lectio viij.

DEPRÆDARI ergo desíderat qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant : sed ut sic sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto. Rursum cæléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas margarítas quærit, sed unam pretiósam ínvenit, quam vidélicet invéntam ómnia vendens emit : quia qui cæléstis vitæ dulcédinem, in quantum possibílitas admíttit, perfécte cognóverit : ea quæ in terrénis amáverat, libénter cuncta derelínquit.

℟. viij. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum : et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier timens.

Lectio ix.

RECTE per Salomónem dícitur : Fortis est ut mors diléctio : quia sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occídit. Nam quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim Sancta hæc, cujus hódie natalítia celebrámus, mori pro Dómino potuísset in córpore, si prius a terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente. Eréctus namque in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, præmia calcávit. Quid inter hæc nos barbáti et débiles dícimus, qui ire ad regna cæléstia puéllas per ferrum vidémus, quos ira súperat, supérbia inflat, ambítio pertúrbat, luxúria ínquinat? Qui si adipísci regna cælórum per bella persecutiónum non póssumus, hoc ipsum nobis turpe sit quod Deum nólumus saltem per pacem sequi.

℟. ix. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi : * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. — Quem vidi. Glória. In quem crédidi.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Aña. Grátia super grátiam. cum ceteris ut in Communi unius Sanctæ nec Virginis nec Martyris, pag. 112*.

Capitulum. Eccli. 51.

CONFITEBOR tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi : et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus Pia Mater et húmilis., ℣. Elégit eam. et ad Benedictus Aña Manum suam., ut in Communi unius Sanctæ nec Virginis nec Martyris. pag. 112*.

AD TERTIAM.

Capitulum Confitébor tibi., ut supra in Laudibus.

℟ ℟℟. et ℣℣. Horarum ut in Communi unius Sanctæ nec Virginis nec Martyris, p. 112*.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 51.

LIBERASTI me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quæ circumdedérunt me.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 51.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum : quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta : omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris ut in Communi unius Virginis, pag. 96*; Capitulum Confitébor., Hymnus Hujus obténtu. et ℣. Diffúsa est., ut in j. Vesperis, pag. 101*.

Ad Magnificat Aña. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum : gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus.

COMMUNE UNIUS

NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hæc est, quæ nescívit torum in delícto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Capitulum. Prov 31.

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus : confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum : et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória. Múlier.

Hymnus.

HUJUS obténtu, Deus alme nostris
Parce jam culpis, vítia remíttens :
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.

GLORIA Patri genitæque Proli,
Et tibi compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat Aña. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : quia concupívit Rex spéciem tuam.

Oratio.

TUORUM corda fidéliumDeus miserátor illústra : et beátæ N. précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere, et cælésti semper consolatióne gaudére. Per.

¶ Alia Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum, * In solemnitáte sanctæ N.

Hymnus Hujus obténtu., ut supra.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus,* oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Aña. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

Psalmus 18.

CÆLI enárrant glóriam Dei,* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis mei munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Aña. Unguéntum effúsum nomen tuum : ídeo adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas príncipes vestras, ℣ et elevámini portæ æternáles : * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Aña. Ista est speciósa inter fílias Jerúsalem.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. 31.

MULIEREM fortem quis invéniet? Procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum : de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

℟. j. Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ N. * De cujus solemnitáte gaudent ángeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus; sánctitas, et magnificéntia in sanctificatióne ejus. — De cujus solemnitáte.

Lectio ij.

GUSTAVIT, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi : byssus, et púrpura indumentum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo.

℟. ij. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam. — Et dedúcet te.

Lectio iij.

FORTITUDO et decor indumentum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex clementiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt; vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum; et laudent eam in portis ópera ejus.

℟. iij. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, Próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis; proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. — Inténde. Glória. Próspere procéde.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 44.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ,* velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem,et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi filia, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Añ. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus 45.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Añ. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Psalmus 86.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus, et pópulus Æthiopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, ℣ et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ana. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

De Libro sancti Ambrósii Episcopi de Víduis.

Lectio iv. Cap. 14

AGRUM hunc Ecclésiæ fértilem cerno, nunc integritátis flore vernántem, nunc viduitátis gravitáte polléntem, nunc étiam conjúgii frúctibus redundántem. Nam etsi divérsi, unius tamen agri fructus sunt : nec tanta hortórum lília, quantæ arístæ ségetum, méssium spicæ : compluriúmque spátia campórum recipiéndis aptántur semínibus, quam rédditis nováles frúctibus feriántur. Bona ergo vidúitas, quæ tóties apostólico judício prædicátur. Hæc enim magístra fídei, magístra est castitátis.

℟. iv. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum : gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : * Non exstinguétur in nocte lucérna ejus. ℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis. — Non exstinguétur.

Lectio v.

UNDE et illi, qui deórum suórum adultéria et probra venerántur, cælibátus et viduitátis statuére pœnas, ut æmuli críminum mulctárent stúdia virtútum : spécie quidem, qua fecunditátem quæ-rerent, sed stúdio, quo propósitum castitátis abolérent. Nam confléctis et miles stipéndiis arma depónit, et relícto offício quod gerébat, ad própria veteránus rura dimíttitur; ut et ipse exércitæ labóribus vitæ réquiem consequátur, et álios spes futúræ quiétis subeúndis fáciat opéribus promptióres. Agrícola quoque matúrior torquéndam áliis stivam commíttit, et juveníli gravátus ópera, providéntiam curæ senílis explórat : vitem facílius tondére quam prémere, ut juvenescéntem luxúriam réprimat, et adolescéntem lascíviam falce succídat; parcórum quamdam pártuum castitátem docens étiam in vítibus expeténdam.

℟. v. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem : * Non timébit dómui suæ a frigóribus nívium. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in sæculum sæculi. — Non timébit.

Lectio vj.

SIMILIS huic vídua velut emériti veterána stipéndiis castitátis, et si conjúgii arma depónat, domus tamen totíus pacem gubérnat : et si vehéndis onéribus otiósa, maritándis tamen junióribus próvida, ubi cultus utílior, ubi fructus ubérior sit : quarum cópulam aptiórem seníli gravitáte dispónit. Itaque si maturióribus pótius quam junióribus commíttitur ager; cur putes utiliórem nuptam esse quam víduam? Quod si persecutóres fídei persecutóres fuérunt étiam viduitátis : útique fidem sequéntibus vidúitas non pro supplício fugiénda est, sed tenénda pro præmio.

℟. vj. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Quia concupívit. Glória. Quia concupívit.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 95.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra, ℣ commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ańa. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmus 96.

DOMINUS regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini justi in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Aña. Exsultavérunt fíliæ Judæ, propter judícia tua, Dómine.

Psalmus 97.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte,et exsultáte,et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : ℣ moveátur mare, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia,* et pópulos in æquitáte.

Aña. Hæc est, quæ nescívit torum in delícto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

(Homil. 11. in Evang.)

CÆLORUM regnum, fratres carissimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur; ut ex his, quæ ánimus novit, surgat ad incógnita, quæ non novit : quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat : ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur : quem qui ínvenit homo abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

℟. vij. Hanc amávi, et exquisívi sponsam mihi assúmere, * Et amátor factus sum formæ illíus. ℣. Fortitúdo, et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. — Et amátor.

Lectio viij.

QUA in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur : quia stúdium cæléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum, quasi quidam latrúnculi, óbsident. Deprædári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, sed ut sic sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto.

℟. viij. Date ei de fructu mánuum suárum : * Et laudent eam in portis ópera ejus. ℣. Labóres mánuum tuárum quia manducábis : beáta es, et bene tibi erit. — Et laudent eam.

Lectio ix

THESAURUS autem cæléste est desidérium : ager vero, in quo thesáurus abscónditur, disciplína stúdii cæléstis. Quem profécto agrum vénditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínæ cæléstis custódiam calcat : ut nihil jam, quod caro blandítur, líbeat; nihil, quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat.

℟. ix. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum : et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória. Múlier.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta : omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus suæ.

3. Fundaménta ætérna supra petram sólidam, sic mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

4. Colúmnæ áureæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris.

5. Ædificátio civitátis confirmábit nomen, et super hanc múlier immaculáta computábitur.

Capitulum. Prov. 31.

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus : confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

PIA mater et húmilis,
Natúræ memor frágilis,
In hujus vitæ flúctibus
Nos rege tuis précibus.

TE deprecámur, lárgius
Nostris adáuge sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

SIT Christe rex piíssime
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Benedictus Aña. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem : fortitúdo et decor indumént-um ejus, et ridébit in die novíssimo.

AD TERTIAM.

Capitulum Mulíerem fortem., ut in Laudibus.

℟. Diffúsa est grátia * In lábiis tuis. Diffúsa est. ℣. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum. In lábiis tuis. Glória. Diffúsa est.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD SEXTAM.

Capitulum. Prov. 31.

MANUM suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem : non timébit dómui suæ a frigóribus nivis.

℟. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Intende, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD NONAM.

Capitulum. Prov. 31.

MULTÆ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo, múlier timens Deum ipsa laudábitur.

℟. Adjuvábit eam Deus* Vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Vultu suo. Glória. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta : omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris, ut in Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum Mulíerem fortem., Hymnus Hujus obténtu. et ℣. Diffúsa est., ut in j. Vesperis, pag. 104*. et pag. 105*.

Ad Magnificat Aña. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum : gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus.

IN FESTO

TRIUM LECTIONUM.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum * In solemnitáte sanctæ N.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos Aña. Hæc est, quæ nescívit torum in delícto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

COMMUNE SANCTORUM

TEMPORE PASCHALI.

COMMUNE UNIUS SEU PLURIUM APOSTOLORUM.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúia. Psalmus Laudáte púeri. cum ceteris, pag. 145.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúia : splendórem Deo dedérunt, allelúia : * Et sicut lac coaguláti sunt, Allelúia, allelúia. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Et sicut lac. Glória. Allelúia, allelúia.

Hymnus.

EXSULTET cælum láudibus
Resúltet terra gáudiis :
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

VOS sæcli justi júdices
Et vera mundi lúmina
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

QUI cælum verbo cláuditis,
Serásque ejus sólvitis :
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite jussu, quæsumus.

QUORUM præcépto súbditur
Salus et languor ómnium :
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

UT cum Judex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

℣ Tempore Resurrectionis :

QUÆSUMUS, Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

GLORIA tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣ Tempore Ascensionis :

TU esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium :
Sit nostra in te glória,
Per cuncta semper sæcula.

GLORIA tibi Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum, allelúia. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum, allelúia.

Ad Magnificat Aña. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Exsúltent in Dómino Sancti * Allelúia.

Hymnus Exsúltet cælum láudibus., ut in j. Vesperis.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos sola Aña. Tristítia vestra, allelúia, vertétur in gáudium, allelúia.

Tres Psalmi et ℣. de Communi Apostolorum alterius Temporis secundum ordinem Nocturnorum, scilicet Dominica, Feria secunda et Feria quinta ex primo Nocturno; Feria tertia et Feria sexta ex secundo Nocturno; Feria quarta et Sabbato ex tertio Nocturno.

Idem ordo servetur in Benedictionibus ante Lectiones.

℟. j. Virtúte magna reddébant Apóstoli * Testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri, allelúia, allelúia. ℣. Repléti quidem Spíritu sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei. — Testimónium.

℟. ij. Isti sunt agni novélli, qui annuntiavérunt, allelúia : modo venérunt ad fontes : * Repléti sunt claritáte, allelúia, allelúia. ℣. In conspéctu Agni amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum. — Repléti sunt.

℟. iij. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúia : splendórem Deo dedérunt, allelúia : Et sicut lac coaguláti sunt, Allelúia, allelúia. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Et sicut lac. Glória. Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem, allelúia. ℟. Timéntibus nomen tuum Dómine, allelúia.

AD LAUDES
ET PER HORAS ANTIPHONÆ.

1. Sancti tui Dómine florébunt sicut lílium, allelúia : et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

2. Sancti et justi in Dómino gaudéte, allelúia : vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

3. In velaménto clamábunt Sancti tui Dómine, allelúia, allelúia, allelúia.

4. Spíritus et ánimæ justórum hymnum dícite Deo nostro, allelúia, allelúia.

5. In cæléstibus regnis Sanctórum habitátio est, allelúia : et in ætérnum réquies eórum, allelúia.

Capitulum. Ephes. 2.

JAM non estis hóspites, et ádvenæ : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

ECCLESIARUM príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

DEVOTA sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

IN his patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius
Cælum replétur gáudiis.

Duæ ultimæ Strophæ, pro Tempore ut in j. Vesperis, pag. 114*.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. allelúia. ℟. Et facta ejus intellexérunt, allelúia.

Ad Benedictus Aña. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

Capitulum Jam non estis hóspites., ut in Laudibus.

℟. In omnem terram exívit sonus eórum, * Allelúia, allelúia. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Allelúia. Glória. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram, allelúia. ℟. Mémores erunt nóminis tui Dómine, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Act. 5.

PER manus autem Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe.

℟. Constítues eos príncipes super omnem terram, * Allelúia, allelúia. Constítues eos. ℣. Mémores erunt nóminis tui Dómine. Allelúia. Glória. Constítues eos.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus, allelúia. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 5.

IBANT Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus, * Allelúia, allelúia. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Allelúia. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, allelúia. ℟. Et facta ejus intellexérunt, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Sancti tui Dómine florébunt sicut lílium, allelúia : et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi Apostolorum alterius Temporis, pag. 34*.

Capitulum Jam non estis hóspites., Hymnus Exsúltet. et ℣. In omnem terram., ut in j. Vesperis, pag. 113* et pag. 114*.

Ad Magnificat Aña. In civitáte Dómini clare sonant júgiter órgana Sanctórum : ibi Angeli et Archángeli hymnum decántant ante thronum Dei, allelúia.

COMMUNE

UNIUS EVANGELISTÆ.

Omnia fiant ut in Communi Apostolorum Temporis Paschalis, pag. 113* et sequentibus, præter hæc tria Capitula.

AD UTRASQUE VESPERAS, LAUDES ET TERTIAM.

Capitulum. Eccli. 15.

QUI timet Deum fáciet bona : et qui cóntinens est justítiæ apreheéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 15.

CIBAVIT illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 15.

IN médio ecclésiæ apéruit os ejus, et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stolam glóriæ índuit eum.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS

TEMPORE PASCHALI.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde, allelúia.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. De ore prudéntis procédit mel, allelúia : dulcédo mellis est lingua ejus, allelúia, * Favus distíllans lábia ejus, Allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia requiéscit in corde ejus, et prudéntia in sermóne oris illíus. — Favus distíllans. Glória. Allelúia, allelúia.

Hymnus.

DEUS tuórum mílitum
Coróna, sors et præmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

HIC nempe, mundi gáudia
Et blandiménta nóxia
Cadúca rite députans,
Pervénit ad cæléstia.

PŒNAS cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter :
Pro te profúndens sánguinem
Ætérna dona póssidet.

OB hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime :
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

¶ Tempore Resurrectionis :

QUÆSUMUS Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

GLORIA tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

¶ Tempore Ascensionis

TU esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium :
Sit nostra in te glória,
Per cuncta semper sæcula.

GLORIA tibi Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine, allelúia. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúia.

Ad Magnificat Aña. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Exsúltent in Dómino Sancti, * Allelúia.

Hymnus Deus tuórum mílitum., ut in j. Vesperis.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos (nisi de Martyre Ordinis Prædicatorum fiat Officium) sola Aña. Tristítia vestra, allelúia, vertétur in gáudium, allelúia.

Tres Psalmi et ℣. (nisi de Martyre Ordinis Prædicatorum fiat Officium) de Communi unius Martyris alterius Temporis secundum ordinem Nocturnorum, scilicet Dominica, Feria secunda et Feria quinta ex primo Nocturno; Feria tertia et Feria sexta ex secundo Nocturno; Feria quarta et Sabbato ex tertio Nocturno.

(In festo unius Martyris Ordinis Prædicatorum dicantur super Psalmos tres Antiphonæ, vel propriæ, si habentur, vel ex primo Nocturno de Communi unius Martyris alterius Temporis, addito singulis Antiphonis Allelúia. Psalmi vero tres ex primo etiam Nocturno ejusdem Communis accipiantur. Post tertiam Antiphonam dicatur ℣. Glória et honóre. cum Allelúia.)

Ante Lectiones Benedictiones dentur secundum ordinem Nocturnorum.

℟. j. Beátus vir, qui métuit Dóminum, allelúia : * In mandátis ejus cupit nimis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. — In mandátis ejus.

℟. ij. De ore prudéntis procédit mel, allelúia : dulcédo mellis est lingua ejus, allelúia : * Favus distíllans lábia ejus, allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia requiéscit in corde ejus, et prudéntia in sermóne oris illíus. — Favus distíllans.

℟. iij. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. — In die. Glória. Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte N., allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Aña Sancti tui. et ceteræ quatuor ut in Communi Apostolorum Temporis Paschalis, pag. 115*. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum. Jac. 1.

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

MARTYR Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus :

TUI precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.

SOLUTA sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi,
Amóre Fílii Dei.

Duæ ultimæ Strophæ, pro Tempore. ut in j. Vesperis, pag. 117*.

℣. Coróna áurea super caput ejus, allelúia. ℟. Expréssa signo sanctitátis, allelúia.

Ad Benedictus Aña. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

Capitulum Beátus vir, qui suffert., ut in Laudibus.

℟. Glória et honóre coronásti eum Dómine, * Allelúia, allelúia. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúia. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus, allelúia. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 10.

CUSTODIVIT illum Dóminus ab inimícis, et a seductóribus tutávit eum, et certámen forte dedit illi ut vínceret.

℟. Posuísti Dómine super caput ejus, * Allelúia, allelúia. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Allelúia. Glória. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúia. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 4.

PRO justítia agonizáre pro ánima tua, et usque ad mortem certa pro justítia.

℟. Magna est glória ejus in salutári tuo, * Allelúia, allelúia. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. Allelúia. Glória. Magna est.

℣. Coróna áurea super caput ejus, allelúia. ℟. Expréssa signo sanctitátis, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Sancti tui Dómine florébunt sicut lílium, allelúia : et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Martyris alterius Temporis, pag. 47*.

Capitulum Beátus vir, qui suffert., Hymnus Deus tuórum mílitum. et ℣. Glória et honóre., ut in j. Vesperis, pag. 116*. et pag. 117*.

Ad Magnificat Aña. In civitáte Dómini clare sonant júgiter órgana Sanctórum : ibi Angeli et Archángeli hymnum decántant ante thronum Dei, allelúia.

COMMUNE

PLURIMORUM MARTYRUM

TEMPORE PASCHALI.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Hi sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni, allelúia.

Capitulum. Hebr. 11.

SANCTI per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis Dómine, et ætérnitas témporum, * Allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna super cápita eórum : gáudium et lætítiam obtinébunt. Allelúia, allelúia. Glória. Allelúia, allelúia.

Hymnus.

SANCTORUM méritis inclyta gáudia
Pangámus sócii géstaque fórtia :
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.
Hi sunt, quos rétinens mundus inhórruit :
Ipsum nam stérili flore peráridum
Sprevére pénitus, teque secúti sunt
Rex Christe bone cælitus.
Hi pro te fúrias atque ferócia
Calcárunt hóminum sævaque vérbera :
Cessit his lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.
CÆDUNTUR gládiis more bidéntium :
Non murmur résonat, non querimónia,
Sed corde tácito mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.

QUÆ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martyribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine láureis
Ditántur bene fúlgidis.
TE summa Déitas únaque póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas :
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte justi, allelúia. ℟. Et gloriámini omnes recti corde, allelúia.

Ad Magnificat Aña. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Exsúltent in Dómino Sancti, * Allelúia.

Hymnus Sanctórum méritis., ut in j. Vesperis, pag. 119*.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos (nisi de pluribus Martyribus Ordinis Prædicatorum fiat Officium) sola Aña. Tristítia vestra, allelúia, vertétur in gáudium, allelúia.

Tres Psalmi et ℣. (nisi de pluribus Martyribus Ordinis Prædicatorum fiat Officium) de Communi plurimorum Martyrum alterius Temporis secundum ordinem Nocturnorum, scilicet Dominica, Feria secunda et Feria quinta ex primo Nocturno; Feria tertia et Feria sexta ex secundo Nocturno; Feria quarta et Sabbato ex tertio Nocturno.

(In festo plurium Martyrum Ordinis Prædicatorum dicantur super Psalmos tres Antiphonæ ex primo Nocturno de Communi plurimorum Martyrum alterius Temporis, addito singulis Antiphonis Allelúia. Psalmi vero tres ex primo etiam Nocturno ejusdem Communis accipiantur. Post tertiam Antiphonam dicatur ℣. Lætámini in Dómino. cum Allelúia.)

Ante Lectiones dentur Benedictiones secundum ordinem Nocturnorum.

℟. j. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia, * Mors Sanctórum ejus, allelúia. ℣. In conspéctu omnis pópuli ejus. — Mors Sanctórum ejus, allelúia.

℟. ij. Tristítia vestra, allelúia, * Convertétur in gáudium, allelúia, allelúia. ℣. Mundus autem gaudébit : vos autem contristabímini, sed tristítia vestra. — Convertétur in gáudium, allelúia, allelúia.

℟. iij. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis Dómine, et ætérnitas témporum, * Allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna super cápita eórum : gáudium et lætítiam obtinébunt. — Allelúia, allelúia. Glória. Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Exsultábunt Sancti in glória, allelúia. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis, allelúia.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Aña Sancti tui. et ceteræ quatuor ut in Communi Apostolorum Temporis Paschalis, pag. 115*. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum. Hebr. 11.

SANCTI per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Jesu Dómino nostro.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera
Et Mártyrum victórias,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

TERRORE victo sæculi,
Pœnísque spretis córporis,
Mortis sacræ compéndio
Vitam beátam póssident.

TRADUNTUR igni Mártyres
Et bestiárum déntibus :
Armáta sævit úngulis
Tortóris insáni manus.

NUDATA pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur :
Sed pérmanent immóbiles
Vitæ perénnis grátia.

℣ Tempore Resurrectionis

QUÆSUMUS Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

GLORIA tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣ Tempore Ascensionis :

TU esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium :
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.

GLORIA tibi Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Mirábilis Deus, allelúia.
℟. In Sanctis suis, allelúia.

Ad Benedictus Aña. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

Capitulum Sancti per fidem., ut in Laudibus.

℟. Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, * Allelúia, allelúia. Lætámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Allelúia. Glória. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei, allelúia. ℟. Et delecténtur in lætítia, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 10.

REDDIDIT Deus mercédem labórum sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili : et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte.

℟. Exsúltent justi in conspéctu Dei, * Allelúia, allelúia. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. Allelúia. Glória. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent, allelúia. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 3.

JUSTORUM ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. Visi sunt óculis insipiéntium mori : illi autem sunt in pace.

℟. Justi autem in perpétuum vivent, * Allelúia, allelúia. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. Allelúia. Glória. Justi autem.

℣. Mirábilis Deus, allelúia. ℟. In Sanctis suis, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Sancti tui Dómine florébunt sicut lílium, allelúia : et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi plurimorum Martyrum alterius Temporis, pag. 62*.

Capitulum Sancti per fidem., Hymnus Sanctórum méritis. et ℣. Lætámini in Dómino. ut in j. Vesperis, pag. 119*. et pag. 120*.

Ad Magnificat Aña. In civitáte Dómini clare sonant júgiter órgana Sanctórum : ibi Angeli et Archángeli hymnum decántant ante thronum Dei, allelúia.

COMMUNE

UNIUS CONFESSORIS

TEMPORE PASCHALI.

AD I. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum, allelúia.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo, et homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória sanctórum.

℟. De ore prudéntis procédit mel, allelúia : dulcédo mellis est lingua ejus, allelúia : * Favus distíllans lábia ejus, Allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia requiéscit in corde ejus, et prudéntia in sermóne oris illíus. — Favus distíllans. Glória. Allelúia, allelúia.

Hymnus.

ISTE Conféssor Dómini sacrátus,
Festa plebs cujus célebrat per orbem,
Hódie lætus méruit secréta
Scándere cæli.

QUI pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, castus fuit et quiétus,
Vita dum præsens vegetávit ejus
Córporis artus.

OB sacrum cujus méritum frequénter
Membra languéntum modo sanitáti,
Quólibet morbo fúerint graváta,
Restituúntur.

UNDE nunc noster chorus in honórem
Ipsius hymnum canit hunc libénter :
Ut piis ejus précibus juvémur,
Omne per ævum.

SIT salus illi, decus atque virtus,
Qui supra cæli résidens cacúmen
Tótius mundi máchinam gubérnat.
Trinus et unus. Amen.

¶ Si in aliquo die celebretur Officium alicujus Confessoris, et non sit natalis ipsius, præfatus Hymnus ita inchoetur :

ISTE Conféssor Dómini sacrátus
Sóbrius, castus fuit et quiétus,
Vita dum præsens vegetávit ejus
Córporis artus.

OB sacrum cujus méritum...

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

Ad Magnificat Aña. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Exsúltent in Dómino Sancti, * Allelúia.

Hymnus Iste Conféssor., ut in j. Vesperis, pag. 122*.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos (nisi de Confessore Ordinis Prædicatorum fiat Officium) sola Aña. Tristítia vestra, allelúia, vertétur in gáudium, allelúia.

Tres Psalmi et ℣. (nisi de Confessore Ordinis Prædicatorum fiat Officium) de Communi unius Confessoris alterius Temporis secundum ordinem Nocturnorum, scilicet Dominica, Feria secunda et Feria quinta ex primo Nocturno; Feria tertia et Feria sexta ex secundo Nocturno; Feria quarta et Sabbato ex tertio Nocturno. (In festo unius Confessoris Ordinis Prædicatorum dicantur super Psalmos tres Antiphonæ, vel propriæ, si habentur, vel ex primo Nocturno de Communi unius Confessoris alterius Temporis, addito singulis Antiphonis Allelúia. Psalmi vero tres ex primo etiam Nocturno ejusdem Communis accipiantur. Post tertiam Antiphonam dicatur ℣. Amávit eum Dóminus. cum Allelúia.)

Ante Lectiones Benedictiones dentur secundum ordinem Nocturnorum.

℟. j. Beátus vir, qui métuit Dóminum, allelúia :* In mandátis ejus cupit nimis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. — In mandátis ejus.

℟. ij. De ore prudéntis procédit mel, allelúia : dulcédo mellis est lingua ejus, allelúia : * Favus distíllans lábia ejus, allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia requiéscit in corde ejus, et prudéntia in sermóne oris illíus. — Favus distíllans.

℟. iij. Fíliæ Jerúsalem veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. — In die. Glória. Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte N., allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES
ET PER HORAS.

Aña Sancti tui. et ceteræ quatuor ut in Communi Apostol. Temporis Paschalis, pag. 115*. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum. Eccli. 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est : símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus.

JESU, Redémptor ómnium,
Coróna confiténtium,
In hac die cleméntius
Nostris favéto précibus,

TUI sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit,
Cujus celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.

QUI rite mundi gáudia
Hujus cadúca réspuens,
Cum ángelis cæléstibus
Lætus potítur præmiis.

HUJUS benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia :
Hujus precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.

¶ Tempore Resurrectionis :

QUÆSUMUS, Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

GLORIA tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

¶ Tempore Ascensionis :

TU esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium :
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.

GLORIA tibi Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Justus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

Ad Benedictus Aña. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

Capitulum Diléctus Deo., ut in Laudibus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, * Allelúia, allelúia. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Allelúia. Glória. Amávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 39.

JUSTUS cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Deum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, * Allelúia, allelúia. Justum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia. Glória. Justum.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini, allelúia. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur, allelúia.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 10.

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℟. Justus ut palma florébit in domo Dómini, * Allelúia, allelúia. Justus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia. Glória. Justus.

℣. Justus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

AD II. VESPERAS.

Super Psalmos Aña. Sancti tui Dómine florébunt sicut lílium, allelúia : et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia. Psalmus Dixit Dóminus. et ceteri ut in Communi unius Confessoris alterius Temporis, pag. 76*.

Capitulum Diléctus Deo., Hymnus Iste Confessor. et ℣. Amávit eum Dóminus., ut in j. Vesperis, pag. 122*.

Ad Magnificat Aña. In civitáte Dómini clare sonant júgiter órgana Sanctórum : ibi Angeli et Archángeli hymnum decántant ante thronum Dei, allelúia.

Ad Memoriam unius vel plurium Martyrum, aut unius vel plurium Confessorum Tempore Paschali dicatur in primis Vesperis Ana Fíliæ Jerúsalem., in Laudibus Ana Lux perpétua., in secundis Vesperis Ana In civitáte Dómini. Versiculus vero desumatur ex Communi alterius Temporis, addito Allelúia.

℣ Quod si contingat eodem die fieri Officium de uno vel pluribus Martyribus, aut de uno Confessore, et fieri Memoriam de alio vel aliis Martyribus, aut de alio Confessore, ad Magnificat et ad Benedictus dicantur Antiphonæ de Communi Temporis Paschalis; ad Memoriam vero dicantur Antiphonæ de Communi alterius Temporis, cum Allelúia.

℣ Ad Memoriam de Cruce, si occurrerit, Antiphona, ℣. et Oratio in Vesperis, ut pag. 129., in Laudibus ut pag. 23. notatum est.

COMMUNE UNIUS VIRGINIS

TEMPORE PASCHALI.

AD I. VESPERAS.

Omnia ut in Communi unius Virginis alterius Temporis, addito suis locis Allelúia.

In ℟. Regnum mundi., post Glória Patri. omissa resumptione In quem crédidi. statim dicatur Allelúia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Agnum sponsum Vírginum * Veníte adorémus Dóminum Jesum Christum, allelúia.

Hymnus Vírginis Proles., de Communi unius Virginis alterius Temporis.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos (nisi de una Virgine Ordinis Prædicatorum fiat Officium) sola Ana. Veniénte Sponso, prudens Virgo præparáta introívit cum eo ad núptias, allelúia.

Tres Psalmi et ℣. (nisi de una Virgine Ordinis Prædicatorum fiat Officium) de Communi unius Virginis alterius Temporis secundum ordinem Nocturnorum, scilicet Dominica, Feria secunda et Feria quinta ex primo Nocturno; Feria tertia et Feria sexta ex secundo Nocturno; Feria quarta et Sabbato ex tertio Nocturno.

(In festo unius Virginis Ordinis Prædicatorum dicantur super Psalmos tres Antiphonæ, vel propriæ, si habentur, vel ex primo Nocturno de Communi unius Virginis alterius Temporis, addito singulis Antiphonis Allelúia. Psalmi vero tres ex primo etiam Nocturno ejusdem Communis accipiantur. Post tertiam Antiphonam dicatur ℣. Diffúsa est grátia. cum Allelúia.)

Ante Lectiones Benedictiones dentur secundum ordinem Nocturnorum.

℣ Si de Virgine Martyre fiat Officium, tria Responsoria ex Communi unius Virginis Mar-

tyris alterius Temporis secundum ordinem Nocturnorum desumantur; et dicantur cum Allelúia. In tertio ℟. post Glória Patri., omissa resumptione. statim dicatur Allelúia.

¶ Si vero de Virgine non Martyre fiat Officium, semper dicantur hæc Responsoria :

℟. j. Audívi vocem de cælo veniéntem : Veníte omnes vírgines sapientíssimæ, * Oleum recóndite in vasis vestris, dum sponsus advénerit, allelúia. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit. — Oleum recóndite.

℟. ij. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit rex spéciem tuam, allelúia. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Quia concupívit rex.

℟. iij. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi : * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi, Allelúia. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. — Quem vidi. Glória. Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta N., allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES.

Omnia ut in Communi unius Virginis alterius Temporis, addito suis locis Allelúia.

In fine vero Hymni Jesu coróna vírginum., omissa Stropha Sit Christe Rex piíssime., dicantur, pro Tempore, Strophæ sequentes :

¶ Tempore Resurrectionis :

Quæsumus Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Gloria tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

¶ Tempore Ascensionis :

Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium :
Sit nostra in te glória,
Per cuncta semper sæcula.

Gloria tibi Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

AD HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia ut in Communi unius Virginis alterius Temporis, addito suis locis Allelúia.

COMMUNE UNIUS SANCTÆ MARTYRIS TANTUM TEMPORE PASCHALI.

AD I. VESPERAS.

Omnia ut in Communi unius Sanctæ Martyris tantum alterius Temporis, addito suis locis Allelúia.

In ℟. Grata facta est., post Glória Patri., omissa resumptione Et Dóminus., statim dicatur Allelúia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum* In confessióne beátæ N., allelúia.

Hymnus Hujus obténtu.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos Aña. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis, allelúia.

Tres Psalmi et ℣. ut in Communi unius nec Virginis nec Martyris alterius Temporis, secundum ordinem Nocturnorum, scilicet Dominica, Feria secunda et Feria quinta ex primo Nocturno; Feria tertia et Feria sexta ex secundo Nocturno; Feria quarta et Sabbato ex tertio Nocturno.

Idem ordo servetur in Benedictionibus ante Lectiones.

Tria Responsoria ex Communi unius Sanctæ Martyris tantum alterius Temporis, dicantur etiam secundum ordinem Nocturnorum cum Allelúia. In tertio ℟. post Glória Patri., omissa resumptione, subdatur statim Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta N., allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES,
HORAS ET II. VESPERAS.

Capitula de Communi unius Sanctæ Martyris tantum alterius Temporis.

Cetera fiant ut in Communi unius nec Virginis nec Martyris pro Tempore Paschali infra notatur.

COMMUNE UNIUS
NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS
TEMPORE PASCHALI.

AD I. VESPERAS.

Omnia ut in Communi unius nec Virginis nec Martyris alterius Temporis, addito suis locis Allelúia.

In ℟. Fallax grátia., post Glória Patri., omissa resumptione Múlier timens Deum., statim dicatur Allelúia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum * In solemnitáte sanctæ N., allelúia.

Hymnus Hujus obténtu., de Communi unius nec Virginis nec Martyris alterius Temporis.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos (nisi de una nec Virgine nec Martyre Ordinis Prædicatorum fiat Officium) sola Aña. Hæc est, quæ nescívit torum in delícto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum, allelúia.

Tres Psalmi et ℣. (nisi de una nec Virgine nec Martyre Ordinis Prædicatorum fiat Officium) de Communi unius nec Virginis nec Martyris alterius Temporis secundum ordinem Nocturnorum, scilicet Dominica, Feria secunda et Feria quinta ex primo Nocturno; Feria tertia et Feria sexta ex secundo Nocturno; Feria quarta et Sabbato ex tertio Nocturno.

(In festo unius nec Virginis nec Martyris Ordinis Prædicatorum dicantur super Psalmos tres Antiphonæ ex primo Nocturno de Communi unius nec Virginis nec Martyris alterius Temporis, addito singulis Antiphonis Allelúia. Psalmi vero tres ex primo etiam Nocturno

ejusdem Communis accipiantur. Post tertiam Antiphonam dicatur ℣. Diffúsa est grátia. cum Allelúia.)

Ante Lectiones Benedictiones dentur secundum ordinem Nocturnorum.

Tria Responsoria ex Communi unius nec Virginis nec Martyris alterius Temporis secundum ordinem Nocturnorum semper desumantur, et dicantur cum Allelúia. In tertio ℟. post Glória Patri., omissa resumptione, statim dicatur Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáta N.. allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES.

Omnia ut in Communi unius nec Virginis nec Martyris alterius Temporis, addito suis locis **Allelúia.**

In fine vero Hymni Pia mater et húmilis., omissa Strophа Sit Christe Rex piíssime., dicantur, pro Tempore, Strophæ sequentes :

℣ Tempore Resurrectionis :

QUÆSUMUS Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

GLORIA tibi Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis
Cum Patre et sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣ Tempore Ascensionis :

TU esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium :
Sit nostra in te glória,
Per cuncta semper sæcula.

GLORIA tibi Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

AD HORAS ET II. VESPERAS.

Omnia ut in Communi unius nec Virginis nec Martyris alterius Temporis, addito suis locis Allelúia.

OFFICIA VOTIVA
TRIUM LECTIONUM.

IN Officiis Votivis (præterquam in Officio quotidiano beatæ Mariæ Virginis) Tempore Paschali addatur suis locis Allelúia., ubi notatum non fuerit; ad Vesperas autem super Psalmos feriales hæc sola dicatur Antiphona : Allelúia.

PRIMA FERIA SECUNDA,
VEL PRIMA FERIA SEXTA
NON IMPEDITA MENSIS.

OFFICIUM
S. VINCENTII FERRERII.

℣ Si in Feria secunda de S. Vincentio faciendum fuerit Officium, neutras habebit Vesperas.

℣ Si vero Feria sexta faciendum fuerit, Feria quinta præcedenti dicentur Psalmi feriales cum suis Antiphonis, pag. 135.

Capitulum Diléctus Deo. et Hymnus Iste Confessor Dómini sacrátus Sóbrius, castus..., de Communi unius Confessoris.

℣. Ora pro nobis beáte Vincénti. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Adsit nobis propítius in hujus vitæ véspere ad Christum nos Vincéntius tuto ferens itínere.

Oratio.

DEUS, qui géntium multitúdinem mira beáti Vincéntii Confessóris tui prædicatióne ad agnitiónem tui nóminis venire tribuísti : præsta, quæsumus, ut quem ventúrum Júdicem nuntiávit in terris, præmiatórem habére mereámur in cælis : Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

¶ Quando hæc Oratio dicitur ad Memoriam, et eam sequitur alia Memoria, sic concludatur : præmiatórem habére mereámur in cælis Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Confessórum Dóminum * Veníte, adorémus.

Hymnus Iste Confessor Dómini sacrátus Sóbrius, castus., ut in Communi unius Confessoris.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos Aña. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum.

Psalmi novem de Communi unius Confessoris.

¶ Tempore vero Paschali dicantur tantum tres Psalmi primi Nocturni de eodem Communi.

¶ Si Feria secunda fuerit, dicatur ante Lectiones ℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

¶ Si vero Feria sexta fuerit, dicatur ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Prima et secunda Lectio de Tempore; tertia de his quæ signantur infra, cum his tribus Responsoriis.

℟. j. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi. — In átriis domus Dei nostri florébit.

℟. ij. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : * Honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus : quia apud Deum nota est et apud hómines. — Honestávit illum.

℟. iij. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória. Quando.

¶ Tempore vero Paschali dicantur tria Responsoria de Communi unius Confessoris ejusdem Temporis.

Te Deum. dicatur, nisi infra Septuagesimam.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Vincénti. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES.

Super Psalmos sola Aña Dómine quinque talénta. de Communi unius Confessoris (Tempore vero Paschali, sola Aña Sancti tui. de Communi Sanctorum ejusdem Temporis); Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum, Hymnus et ℣. de Communi unius Confessoris.

Ad Benedictus Aña. Pérvigil Christi núntius, vocans ad lucis ópera, ad fruénda Vincéntius nos ducat vitæ múnera.

AD PRETIOSA.

Legendum est de Constitutionibus.

AD PRIMAM.

Aña. Dómine quinque talénta. de Communi unius Confessoris (Tempore vero Paschali Aña Sancti tui. de Communi Sanctorum ejusdem Temporis).

Capitulum Regi sæculórum immortáli., Preces et Oratio In hac hora.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Antiphonæ de Communi unius Confessoris (Tempore vero Paschali, Antiphonæ de Communi Sanctorum ejusdem Temporis).

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Confessoris.

Dicta Nona terminatur hoc Officium.

Pro tertia Lectione dicatur singulis mensibus una ex his ordine infra posito notatis.

MENSE DECEMBRI.

Lectio iij.

Vincéntius honésta stirpe., quæ est prima in secundo Nocturno Festi, die v. Aprilis.

MENSE JANUARIO.

Lectio iij.

In apostólico múnere, sancti Vincéntii vitæ tenor hic perpétuus fuit. Quotídie Missam summo mane cum cantu celebrávit, quotídie ad pópulum concionem hábuit. Inviolábile semper jejúnium, nisi urgens adésset necéssitas, servávit. Sancta et recta consília nulli denegávit. Carnes nunquam comédit, nec vestem líneam índuit. Populórum júrgia sedávit, dissidéntia regna pace compósuit : et cum vestis inconsútilis Ecclésiæ diro schísmate scinderétur, ut unirétur et uníta servarétur plúrimum laborávit. Virtútibus ómnibus cláruit, suósque detractóres et persecutóres, in simplicitáte et humilitáte ámbulans, cum mansuetúdine recépit et amplexus est.

MENSE FEBRUARIO.

Lectio iij.

Per sanctum Vincéntium divína virtus, in confirmatiónem..., quæ est tertia secundi Nocturni in Festo S. Vincentii.

MENSE MARTIO ET MENSE APRILI.

Lectio iij.

Evangélico múneri., quæ est tertia in prima die infra Octavam S. Vincentii.

MENSE MAIO.

Lectio iij.

Sacri Palátii Apostólici Magíster creátus..., quæ est tertia in secunda die infra Octavam.

MENSE JUNIO.

(Ex Bulla Canonizationis.)

Lectio iij.

CUM in gravíssimum, ac pene desperátum morbum Avenióne incidísset beátus Vincéntius, insígni miráculo integérrimæ sanitáti a Christo restitútus est. A quo conféstim mandátum accépit, ut per divérsas mundi regiónes verbum Dei omni stúdio prædicáret; jamque imminéntem sæculi finem, et extrémum judícii diem nuntiáret. Labóres ejus apostólicos tanta Deus benedictióne cumulávit, ut supra centum perditórum hóminum míllia ad pœniténtiam, vigínti quinque míllia Judæórum ad Christum, octo míllia Saracenórum ad fidem addúxerit. Hispánis, Aragóniis, Catalánis, Británnis, Gallis, et Italis Evangélium prædicávit. Nactus scílicet illud erat, præ céteris, Spíritus sancti donum, ut vernácula gentis suæ lingua usus, a dissónis natiónibus intelligerétur.

MENSE JULIO.

(Ex Bulla Canonizationis.)

Lectio iij.

TANTA erat beáti Vincéntii fama virtútis, ut palam ab ómnibus, étiam dum víveret, véluti Sanctus haberétur. Quocúmque ad munus apostólicum obeúndum pérgeret, óbviam ire solébat pópulus, suámque públicis significatiónibus veneratiónem et observántiam profitéri. Hos tamen vir Dei sibi delátos honóres summa ánimi modéstia et humilitáte respuébat. Apud reges ac príncipes plúrima auctoritáte váluit, quam ei non favor, aut grátia, sed apostólica plane libértas conciliávit. Eórum vítia infrácta ánimi fortitúdine coárguit, temerários ausus représsit, implacábiles discórdias exstínxit. Deléctus cum áliis judex árbiter, apud Caspénse óppidum, regnum Aragóniæ Ferdinándo infánti Castéllæ adjudicávit.

MENSE AUGUSTO.

Ex Bulla Canonizationis.)

Lectio iij.

PERPETUAM toto vitæ témpore pœniténtiam egit beátus Vincéntius, ex quo Prædicatórum Ordini nomen dedit. Cilícium ad nudam carnem contínuo gestávit, corpus duro flagéllo síngulis pene diébus edómuit; ultra stata Ordinis jejúnia, semel in die quovis témpore comédit; super stramínibus, ac sæpius ad durum lápidem inclinátus brevem somnum cepit. Matutínas preces vigíliis, ac privátis oratiónibus præoccupáre sólitus erat, ac ultra sólitum Offícium divínum, Psaltérium frequénter recitábat. Tanta fuit ejus honéstas ac modéstia, ut non corpus modo, sed nec pedes nudos per plúrimos annos aspéxerit. Hoc vero præ céteris mirándum, quod annórum ferme quadragínta spátio, quibus apostólicum munus óbiit, ab institúta semel vitæ ratióne nusquam defléxerit.

MENSE SEPTEMBRI.

Lectio iij.

SPIRITU prophético illustrátus beátus Vincéntius, futúra multa, de extrémo præsértim judício, prædíxit. Cal-

lísto Tértio, a quo cælites inter adscríptus est, Pontificátum diu ántea nuntiávit. Patris ac matris óbitum, qua hora cecidérunt, divína revelatióne cognóvit, longo licet locórum tractu ab eis díssitus esset. Secrétas córdium cogitatiónes detéxit. Plúrium post tránsitum animárum statum perspéctum hábuit : eásque, fusis ad Deum précibus, e purgatórii flammis liberávit. Insequéntem numerósam duórum míllium hóminum multitúdinem, post ministrátum evangélicum panem, cælésti miráculo temporáliter pavit, multiplicáta vini ac panis annóna. Ea vero inter concionándum virtúte pollébat, ut hostes fídei vel inviti secretióribus cordis mótibus ad audiéntiam traheréntur.

MENSE OCTOBRI.

Lectio iij.

PAUPERTATEM evangélicam beátus Vincéntius ádeo cóluit, ut omni prorsus dimíssa supelléctili, nihil ad usum per dura ac longa itínera deférret, vilissimísque dumtáxat véstibus uterétur. Eum sæpius in oratióne secréto pernoctántem plúrimi observárunt, cælésti, ut créditur, lúmine circumfúsum : quo eum Deus céteris manifestábat, qui sese tanto stúdio ómnium óculis subducébat. Mirum quam frequens, quam multus ad eum undequáque confluéntium hóminum número, ad vitæ instituéndæ, et juxta evangélicam normam efformándæ consília peténda : quibus ipse conferéndis semper præsto fuit. Ejus præsértim salutáribus mónitis regebántur Castéllæ et Aragónum reges, Británniæ duces : nihílque magni moménti molíri solébant, nisi collátis cum ipso consíliis.

MENSE NOVEMBRI.

Lectio iij.

NON diu a sanctíssimi viri Vincéntii óbitu, de solémni ipsíus canonizatióne actum est. Causam in primis urgére cœpérunt Joánnes ac Petrus Británniæ duces, coram summis Pontificibus Martíno Quinto, Eugénio Quarto, et Nicoláo Quinto. Idem subínde rogárunt Joánnes Castéllæ, et Alphónsus Aragónum reges. Rem tandem Callístus Tértius anno Pontificátus primo exsecútus est : eúmque sacris fastis adscrípsit. At cum præmatúra morte eréptus diplóma pontifícium non dedísset, hoc Pius Secúndus, succéssor ejus, ultro concéssit. In quo istud observatióne digníssimum occúrrit : tot scílicet virum Dei patrásse mirácula, ut Apostólicis litteris, ne modum excéderent, recenséri non potúerint. Mórtuos quadragínta, partim dum víveret, partim postquam e vivis excéssit, suscitásse perhibétur.

¶ Quod si in nulla Feria secunda vel sexta mensis possit de S. Vincentio Officium fieri, nec de ipso Memoria aliqua facienda est in tali mense.

FERIIS TERTIIS PER ANNUM.

OFFICIUM S. P. N. DOMINICI.

Feria secunda præcedenti in Vesperis Psalmi feriales cum suis Antiphonis, pag. 130.

Capitulum. Eccli. 50.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis, et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei.

Hymnus.

GAUDE mater Ecclésia,
Lætam agens memóriam,
Quæ novæ prolis gáudia
Mittis ad cæli cúriam.

PRÆDICATORUM Ordinis
Dux et Pater Domínicus
Mundi jam fulget términis,
Civis efféctus cælicus.

CARNIS liber ergástulo,
Cæli potitur glória :
Pro paupertátis cíngulo
Stola dotátur régia.

FRAGRANS odor de túmulo,
Cum virtútum frequéntia
Clamat pro Christi fámulo
Summi Regis magnália.

℣ Tempore Resurrectionis

QUÆSUMUS, Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defénde pópulum.

TRINO Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia. Amen.

℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. Magne Pater sancte Domínice, mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per.

Deinde fiat Memoria de beato P. Francisco per Añam. Conféssor Dómini Francísce astántem plebem corróbora sancta intercessióne : ut qui vitiórum póndere prémimur, beatitúdinis tuæ glória sublevémur, et te duce ætérna præmia consequámur.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis fetu novæ prolis amplíficas : tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum * In commemoratióne sancti Domínici.

Hymnus.

NOVUS athléta Dómini
Collaudétur Domínicus,
Qui rem confórmat nómini,
Vir factus evangélicus.

CONSERVANS sine mácula
Virginitátis lílium,
Ardébat quasi fácula
Pro zelo pereúntium.

MUNDUM calcans sub pédibus
Manum misit ad fórtia,
Nudus occúrrens hóstibus,
Christi suffúltus grátia.

PUGNAT verbo, miráculis,
Missis per orbem frátribus,
Crebros adjúngens sédulis
Fletus oratiónibus.

QUÆSUMUS Auctor ómnium. (tempore Resurrectionis); et TRINO Deo et símplici., ut in j. Vesperis.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos Aña. Florem pudicítiæ servans illibátum, áttigit exímiæ vitæ cælibátum. Psalmi novem de uno Confessore.

¶ Tempore vero Paschali, dicantur tantum tres Psalmi primi Nocturni de eodem Communi.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Prima et secunda Lectio de sacra Scriptura pro tali Feria notatæ. Tertia vero erit de inferius positis, cum his tribus Responsoriis.

℟. j. Felix vitis, de cujus súrculo tantum germen redúndat sæculo, *Cæli vinum propínans pópulo vitáli póculo. ℣. Ex ubertáte pálmitum mundi jam cinxit ámbitum. — Cæli vinum.

℟. ij. Ascendénti de valle lúbrici mundi chori plaudunt angélici : * Jesu bone, prece Domínici, tibi præsta nos gratos éffici. ℣. Per quem multos a morte súscitas, pœnas nobis reláxa débitas. — Jesu bone.

℟. iij. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti, te profutúrum frátribus! * Imple Pater quod dixísti, nos tuis juvans précibus. ℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. — Imple Pater. Glória. Imple Pater.

Te Deum. dicatur, nisi infra Septuagesimam.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES.

Super Psalmos Aña. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo Júdice pro tuo cœtu páuperum. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum Quasi stella matutína., ut in Vesperis.

Hymnus.

HYMNUM novæ lætítiæ,
Dulci prodúctum cántico,
Noster deprómat hódie
Chorus sancto Domínico.

VERGENTE mundi véspere,
Novum sidus exóritur,
Et clausis culpæ cárcere
Præco salútis míttitur.

DOCTRINAM evangélicam
Spargens per orbis cárdinem,
Pestem fugat hæréticam
Novum prodúcens Ordinem.

HIC est fons ille módicus
Crescens in flumen máximum,
Qui mundo jam mirificus
Potum largítur óptimum.

QUÆSUMUS, Auctor ómnium. (tempore Resurrectionis); et Trino Deo et simplici., ut in j. Vesperis.

℣. Justus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Benedictus Aña. Benedíctus Redémptor ómnium, qui salúti próvidens hóminum, mundo dedit sanctum Domínicum.

Deinde fiat Memoria de beato P. Francisco per Añam. Euge serve bone, et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. ℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui Ecclésiam. ut supra in Vesperis, pag. 133*.

AD PRETIOSA.

Legendum est de Constitutionibus.

AD PRIMAM.

Aña. Pie Pater Domínice., ut in Laudibus; Capitulum Regi sæculórum., Preces et Oratio In hac hora.

AD TERTIAM.

Aña. Pauper in pecúlio, dives vita pura, paupertátis prétio cæli tenet jura.

Capitulum Quasi stella matutína., ut in Vesperis.

¶ ℟℟. et ℣℣. Horarum de Communi unius Confessoris.

AD SEXTAM.

Aña. Scala cælo próminens Fratri revelátur, per quam Pater tránsiens sursum ferebátur.

Capitulum. Isa. 59.

SPIRITUS meus, qui est in te, et verba mea, quæ pósui in ore tuo, non recédent de ore tuo, et de ore séminis tui, dicit Dóminus, ámodo et usque in sempitérnum.

AD NONAM.

Aña. Fulget in choro Vírginum Doctor veritátis, sertum honóris géminum gerens cum Beátis.

Capitulum. Malach. 2.

LEX veritátis fuit in ore ejus, et iniquitas non est invénta in lábiis ejus : in pace et æquitáte ambulávit mecum, et multos avértit ab iniquitáte.

Dicta Nona terminatur hoc Officium.

¶ Tempore Paschali ad Memoriam S. P. Francisci in Vesperis dicatur Aña Fíliæ Jerúsalem., pag. 123*; in Laudibus autem dicatur Aña Lux perpétua., pag. 124*.

Pro iij. Lectione dicatur per unumquemque mensem una ex his suo ordine notatis.

MENSE DECEMBRI.

(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 1. cap. 7.)

Lectio iij.

AD célebrem cum hæréticis Albigénsibus disputatiónem pergens beatíssimus Pater Domínicus, iter una cum sóciis, semóto quovis elatiónis et ostentatiónis fastu, nudátis omníno pédibus arrípuit. Cumque incérti itíneris ducem hæréticus, cathólici nomen mentítus, ultro se dedísset, is eos oblíqua, spinis ac vépribus cónsita via, quibus eórum pedes sauciabántur, et tíbiæ sánguine conspergebántur, pérfide dedúxit. Tum vir Dei diros acúleos mira patiéntia ferens, sociórum ánimos in Dei laudes erigébat : Confídite, inquiébat, in Dómino : parátur nobis in cælo coróna; quia peccáta nostra sánguine expiántur. Eo patiéntiæ, et ardentíssimæ caritátis exémplo victus pérfidus viæ comes, peccátum ultro conféssus, hæresim ejurávit; remque suis póstea réferens, apostólici viri famam apud ipsos hæréticos plúrimum auxit.

MENSE JANUARIO.

(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 1. cap. 2 et 8.)

Lectio iij.

Is erat sanctíssimi Patris Domínici salútis animárum zelus, ut Christi Salvatóris exémplo, ad eam promovéndam, ánimam ultro tráderet. Cum enim virum hæréticum verbis ac signis ad fidem revocáre conarétur; eúmque nonnísi spe lucri, quod ad vitæ sustentatiónem a céteris obtinébat, suo in erróre detinéri nósceret; seípsum venálem exhíbuit, ut ejus inópiam subleváret, virúmque redímeret venúmdatum sub peccáto. Tantæ in míseros caritáti ac beneficéntiæ, ténera adhuc ætáte prælúdere visus est. Etenim quo témpore Paléntiæ lítteris dabat óperam, grassánte per univérsam pene Hispániam fame, libros, ceteráque próprio úsui consecráta distráxit, pretiúmque in páuperes erogávit.

MENSE FEBRUARIO.

(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 1. cap. 8.)

Lectio iij.

Martyrii desidérium et humilitátis stúdium miro fœdere beátus Domínicus sociávit. Ab hæréticis non semel quæsítus ad necem, eo se prorsus indígnum honóre proféssus est, ut pro Christo Salvatóre mortem oppéteret. Loca, ubi structas sibi insídias certo nóverat, infrácta fidúcia frequentábat. Quare in admiratiónem addúcti satéllites, quid actúrus esset, interrogábant, si ipsórum in manus incidísset. Quibus ille martyrio flagrans, Rogássem, inquit, vos, ne compéndio célerem mihi mortem afferrétis, sed præcísa minutátim síngula córporis membra meis óculis objicerétis; atque ad extrémum evúlsis lumínibus, mutilátum corpus suo in sánguine volutári sinerétis. Urbem ingressúrus, Deum scélerum vindicem eníxe rogábat ne eam ad tanti peccatóris ingréssum subvérteret.

MENSE MARTIO.

(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 2. cap. 6.)

Lectio iij.

Erant aliquándo in capítulo monastérii sancti Xysti beátus Domínicus et tres sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardináles : cum súbito vir quidam ingénti ejulátu núntiat Napoleónem nepótem Stéphani Cardinális, qui ibi tunc áderat, ex equo lapsum efflásse ánimam. Cardinális acerbitáte mæróris exsánguis in bráchia sancti Patris córruit. Egréssi cernunt triste spectáculum, membra adolescéntis horríbilem in modum dissipáta. Jubet Sanctus sibi parári altáre, Missam cum ingénti devotióne, et lacrimárum imbre célebrat : áderant Cardináles et álii plúrimi : vident ipsum, cum corpus Dómini viséndum pópulo osténderet, cúbiti altitúdine in áera attólli. Sacro perácto, progréditur ad corpus jacéntis, mánibus quassáta membra compónit; mox in nómine Dómini jubet adolescéntem súrgere : qui íllico vivus, sanus et integer resilívit.

MENSE APRILI.

(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 4. cap. 2.)

Lectio iij.

EA Ordinem suum prudéntia ac pietáte moderabátur beátus Domínicus, ut in ejus regímine quid mirári plus déceat, ignorétur : an religiósæ stúdium observántiæ, an mansuetúdinis et humanitátis offícium. Sic étenim zelo justítiæ in delinquéntium vítia eréctus erat, ut se iísdem pietáte et humanitáte sócium exhibéret. Ubi fratrem delícto præoccupátum cérneret; ne ejus ánimum súbita correptióne frángeret, rem tácitus dissimulábat, donec data opportunitáte dignósceret, quiéto tranquilló-que ánimo sustinéndam a delinquénte pœniténtiam. Quotídie, ut fieri cómmode póterat, singulárem ad fratres conciónem habébat, qua eos ad religiósæ vitæ stúdium efformáret. Si quos vero mæstos et afflíctos animadvérteret, sic totis viscéribus condolébat, ut mærórem tanto pietátis affé-ctu deliníret.

MENSE MAIO.

Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 4. cap. 4.)

Lectio iij.

SACRAS ad pópulum concióones vir Dei Domínicus crébrius habébat, in quibus apostólico zelo mirífice ferebátur. Sermo ejus ignítus et éfficax, ac sæpe profluéntibus ubértim lácrimis intermístus : qui ánimos durissimos licet ac rigéntes ad pœniténtiam emolliret, et ad pietátem inflammáret. Salútem animárum, præcípuum sibi suóque Ordini scopum præfíxit : ob idque fratres assídue hortabátur, ut evangélicæ prædicatióni totis víribus incúmberent; atque in hunc finem, sepósitis profanárum scientiárum institutiónibus, sacrárum præsértim Scripturárum lectióni se darent. Is vero Matthæi Evangélium, ac divi Pauli Epístolas, quas pene ex íntegro memória ténebat, ut indivíduos viárum cómites ubíque circumferébat.

MENSE JUNIO.

(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 4. cap. 3.)

Lectio iij.

REGULARIS observántiæ tenacíssimus custos beátus Domínicus, nihil unquam per itínera, quæ ad múneris apostólici partes obeúndas frequénter agébat, ex monásticæ legis præscrípto remísit. Missæ sacrifícium data templi cópia quotídie offerébat, ac inter média sacra conciónem habébat. Divínum Offícium de nocte páriter, ac de die statis horis recitábat : siléntii legem indícto témpore obsérvans, sóciis procul a se dimíssis, mentem piis de Christo Salvatóre meditatiónibus alébat. Páleis, ac sæpius nuda cubábat humo : stata Ordinis jejúnia nec fessus itínere, nec morbo deténtus, solvébat : ad hospítia divertébat eo lætior, quo dúrius excipiebátur : suósque sæpius hóspites hæresi deténtos, nuntiáto salútis verbo, pascébat spíritu, in carne pascéndus.

MENSE JULIO.

(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 4. cap. 5.)

Lectio iij.

GENTILIUM salútis sitientíssimus beátus Domínicus, mare conscéndere, exterásque natiónes adíre constítuit : verum plúrimam ei ségetem vicinióri regióne provídit Altíssimus, qua tum ipse, tum novi ejus operárii exerceréntur. Quare eos várias in partes, munus apostólicum obitúros diréxit, eo præsértim indícto præcépto, ut duros viæ labóres, ac témporum injúriam expérti solis piórum hóminum eleemósynis victitárent, suámque omnem in Dómino spem repónerent. Nec eam porro fidúciam inánem fuísse, vel falsam, sed ubérius cumulátam divína intérdum mirácula comprobárunt. Id vero mirándum magis, quod beatíssimi Patris précibus exorátus Dóminus, verbum evangelizántibus minus intérdum idóneis, tanta virtúte déderit, ut fructum præ céteris ubérrimum reportárint.

MENSE AUGUSTO.

(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 4. cap. 5.)

Lectio iij.

INERAT beáto Domínico mira quædam, ac constans mentis æquabílitas; qua licet ob vários fortúnæ casus multa circa ipsum immutátio contíngeret, nulla prorsus in ipso videretur. Si quid secúndum Deum, ad rectæ ratiónis præscríptum ágere constituísset, id infrácta ánimi constántia prosequebátur; nec sermónem quidem ullum, semel ab ore matúra deliberatióne prolátum, írritum fíeri patiebátur. Ubicúmque versarétur, étiam apud magnátes ac príncipes, sermónem ita déxtere componébat, ut jacto véluti spirituális piscatiónis hamo, audiéntium ánimas Christo lucrifáceret, ac sæculo deprædarétur. Hóminum flagítiis ac delíctis commótus, præ ánimi dolóre tabescébat; et in ea ex sacro suggéstu declámans totus in lácrimas solvebátur.

MENSE SEPTEMBRI.

(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 4. cap. 10. et alibi.)

Lectio iij.

HUMILITATIS ac paupertátis evangélicæ stúdio, verum se Christi discípulum præbuit beátus Domínicus. In Conseranénsem Epíscopum eléctus, nullis ártibus addúci pótuit, ut electióni præstáret assénsum. Interrogátus intérdum, quorsum áliquas præ céteris diœcéses libéntius incóleret, respóndit : Hoc ídeo, quod in iis ludíbrio esset, in áliis nímio honóre haberétur. Vilíssimis véstibus, et abjécta supellécti-li utebátur. Ostiátim pro se ac frátribus eleemósynam emendícans, oblátum panem flexis génibus excipiébat. Mira ejus in cibo ac potu parsimónia : vino per decénnium abstínuit, nec eo demum, nisi ob frequéntes stómachi infirmitátes, est usus. Virgíneam carnem ter síngulis nóctibus férrea caténa cædébat : ásperum cilícium, dirísque acúleis armátum cíngulum, ad óbitum usque gestávit.

MENSE OCTOBRI.
(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 4. cap. 6. et 9.)
Lectio iij.

QUAM assídua, tam potens apud Deum beáti Domínici orátio. In ecclésiis pernóctans, modo in génua procúmbens, modo toto córpore prostrátus orábat. Si quid vero quiétis fatiscénti natúræ indulgébat invítus, ante altáre nuda humo cubábat : brevíque degustáto somno, mox novas in preces ánimum erigébat. Eo témpore sacras excúbias agens, multas dæmonum infestatiónes tulit, multósque ex eis Christi virtúte triúmphos reportávit. Nihil unquam a Deo pétiit, quod pro votis non sit adéptus. Singulári erga Deíparam Vírginem devotiónis afféctu ducebátur; cujus sibi, ac univérso Prædicatórum Ordini impénsum patrocínium frequéntibus miráculis comprobávit.

MENSE NOVEMBRI.
(Ex Theodorico de Apoldia. Lib. 4. cap. 12.)
Lectio iij.

IMMINENTEM óbitus diem beátus Pater Domínicus divína revelatióne cognóvit : ut extrémæ voluntátis testaméntum, legáta fíliis caritáte, humilitáte, ac voluntária paupertáte, cónderet. Huic étenim lárgiter flenti, et cæléstium bonórum desidério æstuánti, elegántis speciéi júvenis ástitit, in hæc verba : Veni dilécte, veni, et in vera gáudia ingrédere. O suávem, et omni caritátis dulcédine plenam vocem, qua non ad vana, sed ad vera sempitérnaque gáudia invitátur! O vere felícem hóminem, qui accítus non pétiit indúcias, quasi júdicem reformídans; nec veníre jussus ad cenam moras excusatiónibus néxuit : sed præcínctos habens lumbos, et lucérnas ardéntes in mánibus, pulsánti incunctánter apéruit, venientíque Dómino lætus óbviam properávit!

¶ Quando, propter aliquod impedimentum intermittitur hoc Officium in Feria tertia, fiat de eo Memoria in Vesperis per Añam Magne Pater., ℣. Ora pro nobis. et Orationem Deus, qui Ecclésiam tuam.; in Laudibus vero per Añam Benedíctus Redémptor ómnium., ℣. de Communi unius Confessoris et Orationem Deus, qui Ecclésiam tuam. exceptis diebus signatis in Rubricis generalibus §. xxxij. numero 7.

IN FERIIS QUARTIS PER ANNUM.

OFFICIUM S. THOMÆ AQUINATIS.

Feria tertia præcedenti in Vesperis Psalmi feriales cum suis Antiphonis, pag. 133.

Capitulum Diléctus Deo. et Hymnus Iste Confessor Dómini sacrátus Sóbrius, castus. de Communi unius Confessoris.

℣. Ora pro nobis beáte Thoma. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Aña. O Thoma, laus et glória Prædicatórum Ordinis, nos transfer ad cæléstia, profféssor sacri Núminis.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ, Confessóris tui atque Doctóris, mira eruditióne claríficas, et sancta operatióne fecúndas : da nobis, quæsumus, et quæ dócuit intelléctu conspícere, et quæ egit imitatióne complére. Per.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Confessórum Dóminum * Veníte adorémus.

Hymnus Iste Conféssor Dómini sacrátus, Sóbrius, castus., ut in Communi unius Confessoris.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos Aña. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum. Psalmi novem de Communi unius Confessoris.

¶ Tempore vero Paschali dicantur tantum tres Psalmi primi Nocturni de eodem Communi.

℣. Justus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Prima et secunda Lectio de Tempore, tertia de his quæ signantur infra, cum his tribus Responsoriis :

℟. j. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi. — In átriis domus Dei nostri florébit.

℟. ij. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : * Honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus : quia apud Deum nota est, et apud hómines. — Honestávit illum.

℟. iij. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória. Quando.

¶ Tempore vero Paschali dicantur tria Responsoria de Communi unius Confessoris ejusdem Temporis.

Te Deum. dicatur, nisi infra Septuagesimam.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis beáte Thoma. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES.

Super Psalmos sola Aña Dómine quinque talénta. de Communi unius Confessoris (Tempore vero Paschali, sola Aña Sancti tui. de Communi Sanctorum ejusdem Temporis); Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum, Hymnus et ℣. de Communi unius Confessoris.

Ad Benedictus Aña. Collaudétur Christus Rex glóriæ, qui per Thomam lumen Ecclésiæ mundum replet doctrína grátiæ.

AD PRETIOSA.

Legendum est de Constitutionibus.

AD PRIMAM.

Aña. Dómine quinque talénta. de Communi unius Confessoris (Tempore vero Paschali Aña Sancti tui. de Communi Sanctorum ejusdem Temporis).

Capitulum Regi sæculórum immortáli., Preces et Oratio In hac hora.

AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM.

Antiphonæ de Communi unius Confessoris (Tempore vero Paschali, Antiphonæ de Communi Sanctorum ejusdem Temporis).

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Confessoris.

Dicta Nona terminatur hoc Officium.

¶ Ex consuetudine antiqua et approbata aliquarum Provinciarum, vel Conventuum, in illis fit Feria quarta, vel alia Feria Officium de alio Sancto Ordinis : quæ consuetudo servanda est.

Pro tertia Lectione dicatur singulis mensibus una ex his ordine infra posito notatis.

MENSE DECEMBRI.

(Ex Bulla Canoniz. et probatis Auct. vitæ ejus, et ex Brev. Romano.)

Lectio iij.

ILLUSTRISSIMUM christiáni orbis decus, et Ecclésiæ lumen, beatíssimus vir Thomas Aquínas, Landúlpho cómite Aquináte, et Theodóra Theatini cómitis fília, e gente Carácciola, nobílibus paréntibus natus est. Cum infántulum nutrix vellet ablúere, chártulam e terra sublátam compréssa manu válide ipse retínuit : quam nutrix, ut eum laváre posset, extráhere conáta est. Sed illo ácriter flente, nutrix pietáte commóta importúnior esse nóluit : ac relícta in manu chártula, illum ábluit, remque totam matri ejus indicávit. Quæ ægre tandem manum infántis apériens, chartam, in qua Salutátio Angélica scripta erat, abstráxit : is vero eam plorátu et gestu répetens, mox rédditam deglutívit.

MENSE JANUARIO.

Lectio iij.

QUINTUM annum agens, beátus Thomas mónachis sancti Benedícti Cassinátibus pietáte et primis litterárum rudiméntis imbuéndus tráditur. Inde Neápolim studiórum causa missus, dum adhuc infra pubertátis annos exsísteret, Fratrum Prædicatórum Ordinem suscépit. Sed matre id indígne ferénte, Lutétiam Parisiórum míttitur : quo in itínere per vim a frátribus raptus, et in arcem perdúctus, ibíque várie exagitátus ut sanctum propósitum mutáret, mulíerem étiam, quæ ad labefactándam ejus constántiam introdúcta fúerat, titióne fugávit. Mox flexis génibus ante signum crucis orans, ibíque somno corréptus, per quiétem sentíre visus est sibi ab Angelis constríngi lumbos : quo ex témpore, omni póstea libídinis sensu cáruit.

MENSE FEBRUARIO.

Lectio iij.

EMISSUS e castro per fenéstram, beátus Thomas Neápolim redúcitur : inde Romam, et póstea Parísios ductus, ac tandem Colóniam a fratre Joánne Teutónico Ordinis Prædicatórum Generáli Magístro missus, Albérto Magno doctóre, philosophiæ ac theologíæ óperam dedit. Vigínti quinque annos natus, Parísiis Magíster est appellátus, publicéque philósophos ac theólogos summa cum laude est interpretátus. Nunquam se lectióni aut scriptióni dedit, nisi post oratiónem. In difficultátibus locórum sacræ Scriptúræ ad oratiónem jejúnium adhibébat. Quin étiam sodáli suo fratri Reginaldo dícere solébat, quidquid sciret, non tam stúdio aut labóre suo se peperísse, quam divínitus tráditum accepísse.

MENSE MARTIO.

Lectio iij.

Cum Neápoli., quæ est tertia in prima die infra Octavam S. Thomæ.

MENSE APRILI.

Lectio iij.

Scribéndis tot libris., quæ est tertia in secunda die infra Octavam S. Thomæ.

MENSE MAIO.

Lectio iij.

Multis miráculis., quæ est tertia in tertia die infra Octavam S. Thomæ.

MENSE JUNIO.

Lectio iij.

NULLUS enarráre sufficeret, quot sanctíssimus Thomas theologórum præcóniis celebrétur : quantúmque ejus illibátæ doctrínæ a summis Pontifícibus fúerit acclamátum. Innocéntius Sextus : Hujus Doctóris, inquit, doctrína præ céteris, excépta canónica, habet proprietátem verbórum, modum dicendórum, veritátem sententiárum : ita ut nunquam, qui eam tenúerit, inveniátur a veritátis trámite deviásse, et qui eam impugnáverit, semper fúerit de veritáte suspéctus. Urbánus Quintus ad Tolosánam académiam : Vólumus, ait, et tenóre præséntium vobis injúngimus, ut beáti Thomæ doctrínam, tamquam verídicam et cathólicam, sectémini : eámque studeátis totis víribus ampliáre.

MENSE JULIO.

Lectio iij.

PIUS Quintus : Factum est, inquit, omnipoténtis Dei providéntia, ut Angélici Doctóris vi et veritáte doctrínæ, qua apostólicam Ecclésiam infinitis confutátis erróribus illustrávit, ex eo témpore quo cælestibus cívibus adscríptus fuit, multæ, quæ deínceps exórtæ sunt hæreses, confúsæ et convíctæ dissiparéntur. Quod et ántea, et líquido nuper in sacris Tridentíni concílii decrétis appáruit. Clemens Octávus ad Neapolitános : Pie, ait, prudentérque cogitátis de novo civitáti patróno adsciscéndo, cive vestro, divínæ voluntátis Angélico intérprete, vitæ sanctitáte et miráculis claro, Thoma Aquináte. Hic síquidem honor ejus virtútibus, cum admirábili doctrína conjúnctis, jure óptimo debétur. Ac do-

ctrínæ quidem testis est ingens librórum número, quos ille brevíssimo témpore in omni fere disciplinárum génere, singulári órdine, ac mira perspicuitáte sine ullo prorsus erróre conscripsit.

MENSE AUGUSTO.

Lectio iij.

PAULUS Quintus : Splendidíssimi, inquit, cathólicæ fídei athlétæ, beáti Thomæ Aquinátis, cujus scriptórum clypeo militans Ecclésia hæreticórum tela felíciter elúdit, honórem et veneratiónem in dies magis magísque augéri, plúrimum in Dómino gaudémus. Et Leo Décimus tértius omnes suórum Prædecessórum laudes una compléctens et prætergrédiens, de ipso hæc habet : Ratiónem, ut par est, a fide ápprime distínguens, utrámque tamen amíce consócians, utriúsque tum jura conservávit, tum dignitáti consúluit, ita quidem ut rátio ad humánum fastígium Thomæ pennis evécta jam fere néqueat sublímius assúrgere; neque fides a ratióne fere possit plura aut validióra adjumenta præstolári, quam quæ jam est per Thomam consecúta. Et íterum sanctum Thomam in váriis scientiárum stúdiis, tamquam exémplar cathólicis homínibus propónens atque patrónum, ait : Præclára lúmina ánimi et ingénii, quibus ad imitatiónem sui jure vocet álios, in eo sunt ómnia : doctrína ubérrima, incorrúpta, apte dispósita : obséquium fidei, et cum veritátibus divínitus tráditis mira consénsio : intégritas vitæ cum splendóre virtútum maximárum.

MENSE SEPTEMBRI.

Lectio iij.

DOCTORE Angélico inter ampléxus et lácrimas monachórum Cisterciénsium Fossæ Novæ e vivis subláto, sacrum ejus corpus ibídem cónditum est : sed mónachis de tanto thesáuro pie sollícitis, sæpius subínde, nunquam vero sine miráculis, loco mutátum. Septem enim post ménsibus, Prióris jussu, clam sepúlcro subdúctum, dum sequénti et intempésta nocte (Superióre a divo Thoma per sómnium dúrius objurgáto) clam restitúitur, ad cæléstis odóris e sacris relíquiis late manántis fragrántiam excitátis mónachis, et ad ecclésiam confluéntibus, fraus detécta prodígio est, aucta sacri pignoris religio. Unde septem post annos decentiórem in locum arcámque marmóream solémni ritu translátum, íntegrum adhuc, integrísque véstibus, suavissimúmque spirans odórem, étiam post quatuórdecim annos repértum est; hábitus licet plenióris esset, dum víveret, locóque humidióri fuísset repósitum.

MENSE OCTOBRI.

Lectio iij.

CUM septuagínta quinque annis a sancti Thomæ óbitu, sacrum ejus corpus in arcem cómitis Fundénsis delátum esset, ipso sancto Doctóre matrem cómitis nec semel increpánte, quod nisi apud fratres suos libénter non quiésceret; fráterque cómitis ex equo

terræ letáliter allíso, et facto de restituéndis relíquiis voto, repénte sanáto, comes gravióre Dei iram pertiméscens, pretiósum pignus Cisterciénsibus mónachis, et tandem Frátribus Prædicatóribus Fundénsibus consignávit. Suis Sanctus ipse relíquiis sæpius fecit fidem. De iis enim, dum adhuc in arce servaréntur, dubitántibus Epíscopo et cómitis Fundénsis matre, palam ab iísdem visus est in hábitu Ordinis e lóculo súrgere, et cum aliquándiu tácitus coram deambulásset, eódem residére : redditóque Ordini córpore, Fratri Raymúndo Fundis ad ejus sepúlcrum oránti appárens, ibídem corpus suum esse contestátus est.

MENSE NOVEMBRI.

Lectio iij.

SACRI depósiti jactúram ægre tulére Cisterciénses, de reliquiis sibi a Frátribus Prædicatóribus ablátis apud Urbánum Quintum gráviter conquésti, sed frustra, ut injúria. Placátus enim derepénte, nec sine miráculo, summus Póntifex, ipso festo Córporis Christi, cujus Officium a sancto Thoma éditum audíerat, Ordini Prædicatórum, ejúsque Generáli Magístro, sancti Doctóris corpus, ejúsque prætérea caput, quod Cisterciénses in castro Pipérni seposúerant, gratulánte sacro Cardinálium collégio, perpétua concessióne donávit. Tolósam ejúsdem auctoritáte et grátia, ad convéntum Ordinis transmíssum, haud fácile dictu, quanta pompa a Tolosátibus excéptum est. Procéssit óbviam ad plura milliária Ludovícus dux Andegavénsis, Cároli Quinti Regis Christianíssimi frater, cum multis áliis Ecclésiæ regníque princípibus, universóque urbis clero et magistrátu : pópulus supra centum quinquagínta míllia effúsus, faces ad decem et ámplius míllia accénsæ : miraculórum dénique glória, et sanitátum grátiis cumuláta lætítia.

FERIIS QUINTIS PER ANNUM.

OFFICIUM CORPORIS CHRISTI.

Feria quarta præcedenti in Vesperis Psalmi feriales, pag. 134.

Capitulum. 1. Cor. 11.

DOMINUS Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur.

Hymnus.

PANGE lingua gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

NOBIS datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

IN suprémæ nocte cenæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

VERBUM caro panem verum
Verbo carnem éfficit,
Fitque Sanguis Christi merum,
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Hic genuflectatur usque ad Genitóri Genitóque.

TANTUM ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui :
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui :
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.

GENITORI, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de cælo præstitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Ad Magnificat Aña. Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili, Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis et regnas.

AD COMPLETORIUM.

¶ Extra Tempus Paschale super Psalmos Aña Miserére mihi Dómine, et exáudi oratiónem meam.

Hymnus Te lucis. et Hymni ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam sic concludantur :

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

Ad Nunc dimittis Aña. Salva nos Dómine vigilántes, custódi nos dormiéntes : ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

¶ Tempore Resurrectionis super Psalmos Aña. Allelúia, allelúia : allelúia, allelúia.

Hymnus Jesu nostra redémptio. et Hymni ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam sic concludantur :

QUÆSUMUS Auctor ómnium,
In hoc Pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es..., ut supra.

Ad Nunc dimittis Aña. Allelúia, Resurréxit Dóminus, allelúia : sicut dixit vobis, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum, panem Angelórum et hóminum, * Veníte adorémus.

Hymnus.

SACRIS solémniis juncta sint gáudia,
Et ex præcórdiis sonent præcónia :
Recédant vétera, nova sint ómnia,
Corda, voces, et ópera.

NOCTIS recólitur cena novíssima,
Qua Christus créditur agnum et ázyma
Dedísse frátribus, juxta legítima
Priscis indúlta pátribus.

POST agnum typicum, explétis épulis,
Corpus domínicum datum discípulis,
Sic totum ómnibus, quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
DEDIT fragílibus Córporis férculum :
Dedit et trístibus Sánguinis póculum,
Dicens : Accípite, quod trado, vásculum,
Omnes ex eo bíbite.
SIC sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis Presbyteris, quibus sic cóngruit,
Ut sumant, et dent céteris.
PANIS angélicus fit panis hóminum :
Dat panis cælicus figúris términum :
O res mirábilis : mandúcat Dóminum
Pauper, servus, et húmilis!
TE trina Déitas únaque póscimus :
Sic nos tu vísita, sicut te cólimus :
Per tuas sémitas duc nos quo téndimus,
Ad lucem, quam inhábitas. Amen.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos sola Aña. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Psalmi novem ut in Festo Corporis Christi, scilicet :

Psalmus 1. Beátus vir, qui non ábiit., pag. 4.

Psalmus 4. Cum invocárem., pag. 149.

Psalmus 15. Consérva me., pag. 10.

Psalmus 19. Exáudiat te., pag. 14.

Psalmus 22. Dóminus regit me., pag. 34.

Psalmus 41. Quemádmodum desíderat cervus., pag. 63.

Psalmus 42. Júdica me Deus., pag. 70.

Psalmus 80. Exsultáte Deo., pag. 99.

Psalmus 83. Quam dilécta., pag. 100.

℣ Tempore Resurrectionis tres tantum primi Psalmi, idest Beátus vir., Cum invocárem. et Consérva me. dicantur.

℣. Panem cæli dedit eis. ℟. Panem angelórum manducávit homo.

Duæ primæ Lectiones erunt de Scriptura currente, tertia de Sermonibus inferius positis, tria Responsoria quæ sequuntur :

℟. j. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, *In me manet, et ego in eo. ℣. Non estália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In me manet.

℟. ij. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit eum Dóminus pane vitæ, et intellléctus. — Et.

℟. iij. Unus panis, et unum corpus multi sumus, * Omnes, qui de uno pane, et de uno cálice Participámus. ℣. Parásti in dulcédine tua páuperi Deus : qui habitáre facis unánimes in domo. — Omnes. Glória. Participámus.

Te Deum. dicitur, nisi infra Septuagesimam.

Ante Laudes ℣. Comédi favum cum melle meo. ℟. Bibi vinum meum cum lacte meo.

AD LAUDES.

Super Psalmos Aña. Sapiéntia ædificávit sibi domum : miscuit vinum, et pósuit mensam, allelúia. Psalm. Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum Dóminus Jesus., pag. 144*.

Hymnus.

VERBUM supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

IN mortem a discípulo
Suis tradéndus æmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

QUIBUS sub bina spécie
Carnem dedit et Sánguinem :
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

SE nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O SALUTARIS hóstia,
Quæ cæli pandis óstium :
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

UNI trinóque Dómino
Sit sempitérna glória :
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem.
℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

Ad Benedictus Aña. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : qui mandúcat ex hoc pane, vivet in ætérnum.

Oratio Deus qui nobis. etc.

AD PRETIOSA.

Legendum est de Constitutionibus.

AD PRIMAM.

Aña Sapiéntia ædificávit., ut in Laudibus; Capitulum Regi sæculórum immortáli. ℟. Jesu Christe. cum ℣. Qui natus es de Vírgine María., Preces et Oratio In hac hora.

AD TERTIAM.

Aña. Angelórum esca nutrivísti pópulum tuum, et panem de cælo præstitísti eis, allelúia.

Capitulum Dóminus Jesus., pag. 144*.

℟. Panem cæli * Dedit eis. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit. Glória. Panem.

℣. Cibávit eos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

AD SEXTAM.

Aña. Pinguis est panis Christi, et præbébit delícias régibus, allelúia.

Capitulum. 1. Cor. 11.

QUOTIESCUMQUE enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis : mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. Cibávit eos * Ex ádipe fruménti. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex ádipe. Glória. Cibávit.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.

AD NONAM.

Aña. Vincénti dabo manna abscónditum, et nomen novum, allelúia.

Capitulum. 1. Cor. 11.

QUICUMQUE manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne : reus erit córporis, et sánguinis Dómini.

℟. Edúcas panem * De terra. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. De terra. Glória. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

Dicta Nona terminatur hoc Officium.

Pro tertia Lectione dicitur singulis mensibus una ex sequentibus suo ordine notatis.

MENSE DECEMBRI.

Sermo sancti Thomæ Aquinátis.

Opusc. 57. Lectio iij.

IMMENSA divinæ largitátis beneficia, exhíbita pópulo christiáno, inæstimábilem ei cónferunt dignitátem. Neque enim est, aut fuit aliquándo tam grandis nátio, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus síquidem Dei Fílius, suæ divinitátis volens nos esse partícipes, nostram natúram assúmpsit : ut hómines Deos fáceret, factus homo. Et hoc ínsuper, quod de nostro assúmpsit, totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatióne in ara crucis hóstiam óbtulit Deo Patri; sánguinem suum fudit in prétium simul et lavácrum : ut redémpti a miserábili servitúte, a peccátis ómnibus mundarémur.

MENSE JANUARIO.

De Sermóne sancti Thomæ Aquinátis.

Opusc. 57. Lectio iij.

UT autem tanti benefícii jugis in nobis manéret memória, corpus suum in cibum, et sánguinem suum in potum, sub spécie panis et vini suméndum fidélibus derelíquit. O pretiósum et admirándum convívium, salutíferum, et omni suavitáte replétum! Quid enim hoc convívio pretiósius esse potest? in quo non carnes vitulórum et hircórum, ut olim in Lege, sed nobis suméndus propónitur Christus, verus Deus. Quid hoc Sacraménto mirabílius? In ipso namque panis et vinum in Christi Corpus et Sánguinem substantiáliter convertúntur : ideóque Christus Deus, et homo perféctus, sub módici panis et vini spécie continétur.

MENSE FEBRUARIO.

De Sermóne sancti Thomæ Aquinátis.

Opusc. 57. Lectio iij.

MANDUCATUR ítaque a fidélibus, sed mínime lacerátur : quinímmo, divíso Sacraménto, sub quálibet divisiónis partícula ínteger persevérat. Accidéntia autem sine subjécto in eódem subsístunt : ut fides locum hábeat, dum visíbile invisibíliter súmitur, aliéna spécie occultátum : et sensus a deceptióne reddántur immúnes, qui de accidéntibus júdicant sibi notis. Nullum étiam Sacraméntum est isto salúbrius, quo purgántur peccáta, virtútes augéntur, et mens

ómnium spirituálium charísmatum abundántia impinguátur. Offértur in Ecclésia pro vivis, et mórtuis : ut ómnibus prosit, quod est pro salúte ómnium institútum.

MENSE MARTIO.

De Sermóne sancti Thomæ Aquinátis.

Opusc. 57. Lectio iij.

CONVENIT ítaque devotióni fidélium, solémniter recólere institutiónem tam salutíferi, tamque mirábilis Sacraménti : ut ineffábilem modum divínæ præséntiæ in Sacraménto visíbili venerémur, et laudétur Dei poténtia, quæ in Sacraménto eódem tot mirabília operátur : necnon et de tam salúbri, tamque suávi beneficio exsolvántur Deo débitæ gratiárum actiónes.

MENSE APRILI.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Hom. 60. ad pop. Antioch.

Lectio iij.

QUOT nunc dicunt, Vellem ipsíus Christi formam aspícere, figúram, vestiménta, calceaménta! Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum mandúcas. Et tu quidem vestiménta cupis vidére : ipse vero tibi concédit non tantum vidére, verum et manducáre, et tángere, et intra te súmere. Igitur accédat nemo cum náusea, nemo resolútus : omnes accénsi, omnes fervéntes, et excitáti. Nam si Judæi stantes, et calceaménta in pédibus habéntes, et báculos mánibus gestántes, agnum cum festinatióne comedébant; te multo magis opórtet esse solértem.

MENSE MAIO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Ex Hom. 60. ad pop. Antioch.)

Lectio iij.

QUO non opórtet ígitur esse puriórem, tali fruéntem sacrifício? Quo solári rádio non splendidiórem manum, carnem hanc dividéntem? Os, quod igne spirituáli replétur; linguam, quæ treméndo nimis sánguine rubéscit? Cógita, quali sis insignítus honóre, quali mensa fruáris. Quod Angeli vidéntes horréscunt, neque líbere audent intuéri propter emicántem inde splendórem, hoc nos páscimur, huic nos unímur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves próprio pascit cruóre?

MENSE JUNIO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

(Ex Hom 60. ad pop. Antioch.)

Lectio iij.

Unicuíque fidélium., quæ est tertia in Feria secunda infra Octavam Corporis Christi.

MENSE JULIO.

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris ad Cæcílium.

(Lib. 2. Epist. 3. sub init.

Lectio iij.

In sacerdóte Melchísedech., quæ est tertia in Feria tertia infra Octavam Corporis Christi.

MENSE AUGUSTO.

Ex Libro sancti Ambrósii Epíscopi de Sacraméntis.
(Lib. 4. cap. 4.)
Lectio iij.

Auctor Sacramentórum., quæ est tertia in Feria quarta infra Octavam Corporis Christi.

MENSE SEPTEMBRI.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
(Tract. 26. in Joannem.)
Lectio iij.

Expónens nobis Apóstolus., quæ est prima secundi Nocturni in Octava Corporis Christi.

MENSE OCTOBRI.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.
(Tract. 26. in Joannem.)
Lectio iij.

Hunc ítaque cibum., quæ est secunda secundi Nocturni in Octava Corporis Christi.

MENSE NOVEMBRI.

Homilía sancti Augustíni. Epíscopi.
(Tract. 26. in Joannem.)
Lectio iij.

Quam multi de altári., quæ est tertia tertii Nocturni in Octava Corporis Christi.

℣ Quando vero, propter impedimentum aliquod, hoc Officium votivum Corporis Christi intermittitur, nihilominus Memoria fit de eo in Vesperis per Añam. Memóriam fecit., ℣. Panem de cælo. et Orationem Deus, qui nobis.; in Laudibus vero per Añam Ego sum panis vivus., ℣. Pósuit fines. et Orationem Deus qui nobis., nisi temporibus signatis in Rubricis generalibus, § xxxij. numero 7.

IN SABBATIS PER ANNUM.

OFFICIUM B. MARIÆ VIRGINIS.

Feria sexta præcedenti in Vesperis Psalmi feriales cum suis Antiphonis, pag. 138.

Capitulum. Eccli. 24.

SICUT cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Hymnus Ave maris stella., pag. 1*.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

PER ADVENTUM :

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. O Virgo virginum, quómodo fiet istud? Quia nec primam símilem visa es, nec habére sequéntem. Fíliæ Jerúsalem, quid me admirámini? Divínum est mystérium hoc quod cérnitis.

Oratio.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti, præsta supplícibus tuis : ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD FESTUM PURIFICATIONIS :

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. O admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est : et procédens homo sine sémine largítus est nobis suam Deitátem.

Oratio.

DEUS, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti : tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscipere : Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

℣ Quando prædicta Oratio dicitur ad Memoriam, et eam sequitur alia Memoria, terminetur sic : Auctórem vitæ suscípere Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A FESTO PURIFICATIONIS AD RAMOS PALMARUM :

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Alma Redemptóris Mater, quæ pérvia cæli porta manes, et stella maris, succúrre cadénti, súrgere qui curat, pópulo. Tu, quæ genuísti, natúra miránte, tuum sanctum Genitórem, Virgo prius ac postérius, Gabriélis ab ore sumens illud Ave, peccatórum miserére. Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

TEMPORE PASCHALI :

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Regina cæli lætáre, allelúia : quia quem meruísti portáre, allelúia, resurréxit sicut dixit, allelúia. Ora pro nobis Deum, allelúia. (Tempore Ascensionis, in præcedenti Antiphona, pro verbo resurréxit., dicatur : jam ascéndit.)

Oratio Concéde nos fámulos tuos., ut supra in Officio post festum Purificationis.

AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Magnificat vel ad Memoriam in Vesperis Aña. Alma Redemptóris Mater. et Oratio Concéde nos fámulos., ut supra in Officio post festum Purificationis.

AD COMPLETORIUM.

Super Psalmos Aña. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

℣ In Hymno Completorii et in Hymnis ejusdem metri duæ ultimæ Strophæ María Mater grátiæ. et Glória tibi Dómine, Qui natus es de Vírgine. quibus immediate præmittitur Resurrectionis Tempore Stropha Quæsumus, Auctor ómnium.

Ad Nunc dimittis Aña. Sub tuum præsídium confúgimus sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a períeulis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta.

℣ Quando fit Officium B. Virginis in Sabbato, tam in choro quam extra tenentur Fratres dicere ante Matutinum quindecim Psalmos Graduales modo et ordine pagina 158*. notatis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Ave María grátia plena : * Dóminus tecum.

Hymnus Quem terra., pag. 2*.

IN NOCTURNO.

Super Psalmos sola Aña. Paradísi porta per Hevam cunctis clausa est, et per Maríam Vírginem íterum patefácta est. Psalmus Dómine Dóminus noster. cum octo ceteris, ut in Festis beatæ Mariæ V. pag. 2*. et sequentibus.

¶ Tempore Resurrectionis, dicantur tantum tres primi Psalmi.

℣. Speciósa facta es, et suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Benedictio Oret voce pia. cum ceteris duabus tertii Nocturni de B. Maria V.

Prima et secunda Lectio de Feria currente, tertia de his quæ signantur infra, cum his tribus Responsoriis :

℟. j. Dum esset rex in accúbitu suo, * Nardus mea dedit odórem suum. ℣. Pulchra sum, et decóra, fíliæ Jerúsalem. — Nardus.

℟. ij. Ave María grátia plena : * Dóminus tecum. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Dóminus tecum.

℟. iij. Virgo parens Christi, paritúra Deum genuísti : fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris : * Dum paris, et gaudes, Cantant cæli ágmina laudes. ℣. Intercéde pia pro nobis Virgo María. — Dum paris. Glória. Cantant cæli.

Te Deum. semper dicatur, præterquam infra Septuagesimam.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES.

Super Psalmos Aña. Post partum Virgo invioláta permansísti : Dei Génitrix intercéde pro nobis. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris pag. 17.

Capitulum Sicut cinnamómum., ut in Vesperis; Hymnus O gloriósa Dómina., pag. 10*.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

PER ADVENTUM :

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Spíritus sanctus in te descéndet María : ne tímeas, habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti, præsta supplícibus tuis : ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem.

¶ Hæc Oratio dicatur etiam ad Tertiam, Sextam et Nonam.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ AD FESTUM PURIFICATIONIS :

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum : et gáudia matris habens cum virginitátis honóre, nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia.

¶ Infra Septuagesimam omittitur Allelúia.

Oratio.

DEUS, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti : tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere : Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

¶ Quando prædicta Oratio dicitur ad Memoriam, et eam sequitur alia Memoria, terminetur sic · Auctórem vitæ suscípere Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

¶ Prædicta Oratio Deus qui salútis ætérnæ. dicatur ad Tertiam, Sextam et Nonam.

A FESTO PURIFICATIONIS AD RAMOS PALMARUM :

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Ave stella matutína, peccatórum medicína, mundi princeps et regína, sola Virgo digna dici : contra tela inimíci clypeum pone salútis, tuæ títulum virtútis. O sponsa Dei elécta esto nobis via recta ad ætérna gáudia. Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

¶ Hæc Oratio dicatur ad Tertiam, Sextam et Nonam.

TEMPORE PASCHALI :

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, tu sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu, allelúia, allelúia.

Oratio Concéde nos fámulos tuos., ut supra in Officio post Festum Purificationis.

¶ Prædicta Oratio dicatur ad Tertiam, Sextam et Nonam.

AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Benedictus vel ad Memoriam in Laudibus Aña. Ave stella matutína. et Oratio Concéde nos fámulos tuos. ut supra in Officio post Festum Purificationis.

¶ Prædicta Oratio dicatur ad Tertiam, Sextam et Nonam.

AD PRETIOSA.

Legendum est de Constitutionibus.

AD PRIMAM.

Aña. Dignáre me laudáre te Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Capitulum Regi sæculórum immortáli., ℟. Jesu Christe. cum ℣. Qui natus es de Vírgine María.; Preces et Oratio In hac hora.

AD TERTIAM.

Aña. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Capitulum Sicut cinnamómum., pag. 150*.

℟. Sancta María mater Christi, * Audi rogántes sérvulos. Sancta. ℣. Et impetrátam nobis cælitus tu defer indulgéntiam. Audi. Glória. Sancta.

℣ Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD SEXTAM.

Aña. In prole Mater, in partu Virgo, gaude et lætáre Virgo Mater Dómini.

Capitulum. Eccli. 24.

ET radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Ora pro nobis * Sancta Dei Génitrix. Ora. ℣. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Sancta. Glória. Ora.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD NONAM.

Aña. Beáta Mater et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

Capitulum. Eccli. 24.

QUASI cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho.

℟. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit eam. ℣. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo. Et præelégit eam. Glória. Elégit eam.

℣. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María. ℟ Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Dicta Nona terminatur hoc Officium.

Pro tertia Lectione dicitur per unumquemque mensem una ex iis, quæ hic subnectuntur.

MENSE DECEMBRI.

Ex Homília sancti Bernárdi Abbátis.

(3. In Evang. Missus est.)

Lectio iij.

CUM audísset María Angelum, turbáta est in sermóne, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Solent vírgines, quæ veræ vírgines sunt, semper pávidæ, et nunquam esse secúræ; et ut cáveant timénda, étiam tuta pertiméscere : sciéntes se in vasis fictílibus thesáurum portáre pretiósum, et nimis árduum esse vívere angélice inter hómines, et in terris more cæléstium conversári. Ac proínde quidquid novum, quidquid súbitum fúerit ortum, suspéctas habent insídias, totum contra se æstimant machinátum. Idcírco et María turbáta est in sermóne Angeli. Turbáta est, sed non perturbáta : et cogitábat qualis esset ista salutátio. Quod turbáta est, verecúndiæ fuit virginális : quod non perturbáta, fortitúdinis : quod tácuit, et cogitávit, prudéntiæ singuláris.

MENSE JANUARIO.

Ex Homília sancti Augustíni Epíscopi.

(5. In Nativitate Domini.)

Lectio iij.

HUNC péperit Virgo mater, qui Deo fílios fáceret, qui senténtiam prævaricatiónis exclúderet, pœnam mortis erípeperet, et vitam perpétuam credéntibus condonáret. Portávit in útero fílium, et hunc forma servi fudit in terris, quem in forma Dei Angeli ve-

nerántur in cælis. Péperit fílium mater, a quo ipsa nutrirétur pótius, quam nutríret. Mortáli alvo immortálem suscépit hóspitem, et in terréstri hospítio cæléstem Imperatórem Virgo suscépit. Fecit grávidam vírginem ipse, qui erat nascitúrus ex vírgine : expávit in partu suo mater : Deus per Angelum loquebátur, et Virgo áuribus imprægnabátur. Audiat omnis ætas, quod nunquam audívit : Virgo partu suo nupsit; virginitátem, dum páreret, duplicávit : fílium, quem génuit, adorávit.

MENSE FEBRUARIO.

Ex sancto Joánne Damascéno.
(In Orat. 3. de Dormit. B. Virginis.)
Lectio iij.

ULNIS virgíneis splendor glóriæ, substántiæ patérnæ charácter, qui ómnia portat verbo virtútis suæ, infántis in modum portátur. O vere divína mirácula! O mystéria natúra atque cogitatióne superióra! O Vírginis prærogatívas, humána conditióne majóres! Quodnam ingens hoc, o sacra mater et Virgo, circa te mystérium! Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Beáta tu in generatiónibus, sólaque digna, quæ beáta prædicéris. Tu enim es sólium illud régium, cui Angeli astitérunt, suum herum et Dóminum adorántes. Tu spirituális Eden, antíqua illa sánctior ac divínior. Siquidem in illa terrénus Adam commorabátur : in te autem Dóminus, qui de cælo descéndit.

MENSE MARTIO.

Ex sancto Epiphánio Epíscopo.
(De Laudibus S. Deiparæ.)
Lectio iij.

SOLO Deo excépto, cunctis supérior est Virgo María. Ipsis quippe Chérubim atque Séraphim, ac univérso Angelórum exércitu púlchrior exsístit, cui prædicándæ cæli et terræ lingua non súfficit, immo vero nec Angelórum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, et honórem obtulérunt : nec tamen eo modo pro dignitáte éloqui potuérunt. Lætabántur vero Angeli tamquam ipsi dumtáxat Deum habérent; quibus sanctíssima Virgo supérior facta, habitántem in cælis Deum, in terra concépit: ut hac ratióne Angelórum exércitus homínibus consértos in terram tráheret. Ipsa enim cæli et terræ mediátrix, utriúsque unionem perégit, et Spíritus sancti imbrem in terram ad producéndum fídei fructum demísit.

MENSE APRILI.

Ex sancto Epiphánio Epíscopo.
(De Laudibus S. Deiparæ.)
Lectio iij.

PER te, Virgo sancta, médium macériæ paríetem, inimicítias Christus dissólvit : per te pax cæléstis donáta est mundo : per te orbis fines illuminati sunt : per te hómines facti sunt Angeli : per te iídem amíci, servíque, ac Dei fílii appellati sunt : per te meruérunt éffici consérvi Angelórum et cum eis familiáriter conversári : per te cæléstis notítia, et laudátio e terra in cælos trans-

míttitur : per te crux resplénduit in univérsum mundum, in qua quidem cruce pepéndit fílius tuus Christus Dóminus noster : per te mors conculcátur, et spoliátur inférnus : per te cecidérunt idóla, et excitáta est notítia cæléstis : per te cognóvimus unigénitum Fílium Dei, quem sinu tuo peperísti.

MENSE MAIO.

Ex sancto Joánne Chrysóstomo.
(In Serm. de Nativ. Domini.)
Lectio iij.

QUONIAM homínibus genus muliébre benefícium debébat, útpote quod Adam sine muliére mulíerem prodúxerat, proptérea Virgo sine viro péperit, ut pro Heva débitum viris exsólveret. Ut enim non superbíret Adámus, quod sine muliére mulíerem genuísset, idcírco múlier sine viro péperit virum : ut miráculi communióne, natúræ æqualitátem ostenderet. Et quemádmodum costam ábstulit ex Adámo, et Adámum nihil immínuit : sic in Vírgine animátum templum effínxit,et virginitátem mínime solvit. Salvus et incólumis remánsit étiam post costæ privatiónem Adámus : incorrúpta quoque Virgo permánsit, postquam ex ea pródiit Deus infans.

MENSE JUNIO.

Ex sancto Petro Chrysólogo.
(Serm. 3. in Annuntiat.)
Lectio iij.

NE mirémur ab Angelo Vírginem salutári : quia semper est Angelis cognáta virgínitas. In carne præter carnem vívere, non terréna vita est, sed cæléstis. Et si vultis scire, Angélicam glóriam acquirere majus est quam habére : esse Angelum, felicitátis est; vírginem esse, virtútis. Virgínitas enim hoc óbtinet víribus, quod habet Angelus ex natúra. Angelus ergo, et virgo divínum agunt officium, non humánum. Grátiam ergo détulit Angelus : accépit Virgo, salútem sæculis redditúra. Ave, inquit, grátia plena : quia síngulis grátia sese per partes largíta est; Maríæ vero simul se totam dedit grátiæ plenitúdo.

MENSE JULIO.

Ex sancto Ambrósio.
(Lib. 2. de Virginibus, cap. 2.)
Lectio iij.

SIT vobis tamquam in imágine descrípta virgínitas, vítaque beátæ Maríæ, de qua velut in spéculo refúlget spécies castitátis, et forma virtútis. Hinc sumátis licet exémpla vivéndi, ubi tamquam in exemplári magistéria expréssa probitátis, quid corrígere, quid effúgere, quid tenére debeátis, osténdunt. Primus discéndi ardor, nobílitas est magístri. Quid nobílius Dei Matre? Quid splendídius ea, quam splendor elégit? Quid cástius ea, quæ corpus sine córporis contagióne generávit? Nam de céteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat non solum córpore, sed étiam mente, quæ nullo doli ámbitu sincérum adulteráret afféctum. Corde húmilis, verbis gravis, ánimo prudens, loquéndi párcior, legéndi studiósior; non in incérto divitiárum, sed in prece páuperis spem repónens.

MENSE AUGUSTO.

Ex sancto Joánne Damascéno.

(Orat. 3. in Dormit. B. Virginis.)

Lectio iij.

O QUOMODO fons vitæ ad vitam média tráhitur morte? O quómodo ea, quæ in partu natúræ leges excésserat, ipsíus demum légibus cedit, corpúsque immaculátum morti subjícitur? Opórtet enim corruptibile hoc indúere incorruptiónem : præsértim cum ne ipse quidem natúræ Dóminus mortis perículum fácere recusárit. Etenim carne móritur, ac morte mortem de médio tollit : incorruptiónem donat, ac mortem resurrectiónis fontem éfficit. O quómodo sanctam illam ánimam e tabernáculo, quod Deum suscéperat, emigrántem, suis mánibus, ille ómnium rerum parens et effector, excépit! Legítime enim eam honórans, quam natúra quidem ancíllam, sed grátiæ dispensatióne matrem effécit : vere scílicet incarnátus, ac non velut præstígiis quibúsdam humanitátem effíngens.

MENSE SEPTEMBRI.

Ex sancto Bernárdo.

(Serm. de Nativitate beatæ Mariæ Virginis.)

Lectio iij.

INTUEAMINI, fratres, quanto devotiónis afféctu a nobis Maríam volúerit honorári, qui totius boni plenitúdinem pósuit in María : ut proínde, si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quæ ascéndit delíciis áffluens. Hortus plane deliciárum, quem non modo affláverit véniens, sed et perfláverit supervéniens Auster ille divínus, ut úndique fluant, et éffluant arómata ejus, charísmata scílicet gratiárum. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus, et votis ómnibus Maríam hanc venerémur : quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam.

MENSE OCTOBRI.

Ex sancto Ambrósio.

(Lib. 2. de Virgin. cap. 2.)

Lectio iij.

TALIS fuit Virgo María, ut ejus vita ómnium sit disciplína. Si ígitur auctor non displicet, opus probémus, ut quæcúmque sibi ejus exóptat præmium, imitétur exémplum. Quantæ in una Vírgine spécies virtútum émicant! Secrétum verecúndiæ, vexíllum fidei, devotiónis obséquium; virgo intra domum, comes ad ministérium, mater ad templum. O quantis illa virgínibus occúrret, quantas compléxa ad Dóminum trahet, dicens : Hæc torum fílii mei, hæc thálamos nuptiáles immaculáto pudóre servávit! Quemádmodum eas ipse Dóminus commendábit Patri, nimírum illud répetens suum : Pater juste, mundus me non cognóvit : istæ autem me cognovérunt, et mundum cognóscere noluérunt! Quanta tunc Angelórum lætítia plaudéntium, quod habitáre Virgo mereátur in cælo, quæ cælésti vita vixit in sæculo!

MENSE NOVEMBRI.

Ex Homília sancti Bernárdi Abbátis.

(1. in Evang. Missus est.)

Lectio iij.

QUÆ est Virgo tam veneránbilis, ut salutétur ab Angelo; tam húmilis, ut desponsáta sit fabro? Pulchra permístio virginitátis et humilitátis : nec mediócriter placet Deo illa ánima, in qua et humílitas comméndat virginitátem, et virgínitas exórnat humilitátem. Audis vírginem, audis húmilem. Si non potes virginitátem húmilis, imitáre humilitátem vírginis. Laudábilis virtus virgínitas, sed magis necessária humílitas. Illa consúlitur, ista præcípitur : ad illam invitáris, ad istam cógeris : illa remunerátur, ista exigitur : potes dénique sine virginitáte salvári, sine humilitáte non potes. Potest enim placére humílitas, quæ virginitátem deplórat amíssam : sine humilitáte autem, áudeo dícere, nec Maríæ virgínitas placuísset.

℣ Quando propter aliquod impedimentum intermittitur Officium beatæ Mariæ in Sabbatis, et de ea facienda est Memoria, ut dicitur in Rúbr. Gen. § xxxij. n. 7. fiat in Vesperis et in Laudibus per Añas. et Orationes supra positas, pro diversitate Temporum.

PSALMI GRADUALES.

Hi quinque Psalmi dicantur sub uno Réquiem. : Ps. Ad Dóminum cum tribulárer., pag. 165*; Ps. Levávi óculos meos., pag. 166*; Ps. Lætátus sum., ibidem; Ps. Ad te levávi., pag. 167*; Ps. Nisi quia Dóminus., ibidem.

Deinde Pater... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta inferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

ABSOLVE, quæsumus Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectiónis glória inter Sanctos et eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum.

Hi alii quinque Psalmi dicantur singuli cum Glória Patri. : Ps. Qui confídunt., pag. 167*; Ps. In converténdo., pag. 168*; Ps. Nisi Dóminus., ibidem; Ps. Beáti omnes., pag. 169*; Ps. Sæpe expugnavérunt me., ibidem.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, cui próprium est miseréri semper et párcere, súscipe deprecatiónem nostram : ut quos delictórum caténa constringit miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Christum.

Isti alii quinque Psalmi dicantur singuli cum Glória Patri. :

Ps. De profúndis., pag. 169*; Ps. Dómine non est exaltátum., pag. 170*; Ps. Meménto Dómine David., pag. 173*; Ps. Ecce quam bonum., ibidem; Ps. Ecce nunc benedícite Dóminum., ibidem.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas. ℟. Deus meus sperántes in te.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

PRÆTENDE Dómine fámulis et famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii : ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant assequántur. Per Christum.

OFFICIUM QUOTIDIANUM B. MARIÆ V.

¶ Officium quotidianum beatæ Virginis dicendum est pro Tempore ante Horas canonicas, excepto Completorio quod post Completorium de Tempore, vel de Sancto dicendum est ante Añam Salve Regína.

AD MATUTINUM.

℣. Ave María grátia plena, Dóminus tecum. ℟. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus.

¶ Iste ℣. Ave María... cum ℟. Benedícta tu... dicatur in principio et in fine Horarum, præterquam in fine Nocturni, in principio Laudum et in fine Completorii). Si tamen aliqua Hora aliam Horam immediate sequitur, prædictus ℣. nonnisi semel inter utramque dicitur.

℣. Dómine lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

¶ A Septuagesima vero usque ad Pascha omisso Allelúia., dicitur Laus tibi Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Invitatorium. Regem Vírginis Fílium * Veníte adorémus.

Psalmus 94.

VENITE, exsultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro : præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Regem Vírginis Fílium Veníte adorémus.

℣. Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam : quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Veníte adorémus.

℣. Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus. Veníte adorémus, et procidámus ante Deum, plorémus coram Dómino, qui fecit nos : quia ipse est Dóminus Deus noster : nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Regem Vírginis Fílium Veníte adorémus.

℣. Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obdurâre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Veníte adorémus.

℣. Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea : Si introíbunt in réquiem meam.

Regem Vírginis Fílium Veníte adorémus.

℣. Glória Patri, etc. Sicut erat., etc.

Veníte adorémus.

Regem Vírginis Fílium Veníte adorémus.

Hymnus.

QUEM terra, pontus, æthera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam
Claustrum Maríæ bájulat.

CUI luna, sol, et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátia,
Gestant puéllæ víscera.

BEATA mater múnere,
Cujus supérnus Artifex,
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

BEATA cæli núntio,
Fecúnda sancto Spíritu,
Desideratus géntibus
Cujus per alvum fusus est.

MARIA mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

IN NOCTURNO.

Psalmus 8.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : insuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Glória Patri.

Psalmus 18.

CÆLI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :
Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.
Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.
Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.
Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.
Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.
Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.
Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.
Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.
Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.
Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.
Glória Patri.

Psalmus 23.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.
Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.
Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?
Innocens mánibus et mundo corde, qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.
Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.
Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.
Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ ætemáles : * et introíbit rex glóriæ.
Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.
Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portæ ætemáles : * et introíbit rex glóriæ.
Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.
Glória Patri.
Aña. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.
℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.
Pater noster. secreto.
Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.
Jube domne benedicere.
Benedictio. Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

Lectio j.

SANCTA María Virgo vírginum, mater et fília Regis regum ómnium, tuum nobis impénde solátium : ut cæléstis regni per te mereámur habére præmium, et cum eléctis Dei regnáre in perpétuum. Tu autem Dómine miserére nostri. ℟. Deo grátias.

℟. j. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio : * Quia quem cæli cápere non póterant tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Quia quem cæli.

Jube domne benedícere.

Benedictio. Sancta Dei Génitrix sit nobis auxiliátrix.

℟. Amen.

Lectio ij.

SANCTA María, piárum piíssima, intercéde pro nobis sanctárum sanctíssima : per te Virgo nostra sumat precámina qui pro nobis ex te natus regnat super æthera : ut sua caritáte nostra deleántur peccámina. Tu autem.

℟. ij. Beáta es Virgo María, quæ Dóminum portásti creatórem mundi : * Genuísti eum qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave María grátia plena, Dóminus tecum. — Genuísti.

Jube domne benedícere.

Benedictio. Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iij.

SANCTA Dei Génitrix, quæ digne meruísti concípere quem totus orbis nequit comprehéndere, tuo pio interventu culpas nostras áblue : ut redémpti perénnis sedem glóriæ per te valeámus scándere, ubi regnas cum eódem Fílio tuo sine témpore. Tu autem.

℟. iij. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam commemoratiónem. — Quia ex te. Glória. Christus Deus noster.

¶ Canticum Te Deum dicatur semper quando in aliis Matutinis dicitur : vel ultimum ℟. usque ad ℣. exclusive repetendum erit, quando in aliis Matutinis repetitur.

Canticum
SS. Ambrosii et Augustini.

TE Deum laudámus : * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cæli et univérsæ Potestátes,

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant :

Sanctus, Sanctus, Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis número rus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia :

Patrem * imménsæ majestátis,

Venerándum tuum verum * et únicum Fílium,

Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni : * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum sanctis tuis * in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, * et bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.

Dignáre Dómine die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri Dómine : * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua Dómine super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te Dómine sperávi : * non confúndar in ætérnum.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri... Allelúia. vel Laus tibi Dómine...

Super Psalmos sola Aña. Post partum Virgo inviolàta permansísti : Dei Génitrix intercéde pro nobis. Psalmus Dóminus regnávit. cum ceteris, pag. 17.

Capitulum. Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

O GLORIOSA Dómina,
Excélsa supra sídera :
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

QUOD Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

TU Regis alti jánua
Et porta lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.

MARIA Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

PER ADVENTUM :

Ad Benedictus Aña. Spíritus sanctus in te descéndet María : ne tímeas, habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A NATIVITATE DOMINI
AD FESTUM PURIFICATIONIS :

Ad Benedictus Aña. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum : et gáudia matris habens cum virginitátis honóre, nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti : tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A FESTO PURIFICATIONIS
AD CENAM DOMINI
ET AB OCTAVA TRINITATIS
AD ADVENTUM :

Ad Benedictus Aña. O gloriósa Dei Génitrix, Virgo semper María, quæ Dóminum ómnium meruísti portáre, et Regem angelórum sola Virgo lactáre : nostri, quæsumus, pia memoráre, et pro nobis Christum deprecáre : ut tuis fulti patrocíniis ad cæléstia regna mereámur pervenire.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

TEMPORE PASCHALI :

Ad Benedictus Aña. Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, tu sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu, allelúia, allelúia.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio Concéde nos fámulos tuos., ut supra.

Dicta Oratione pro Tempore, fiant sequentes Memoriæ in Laudibus.

Ad Memoriam S. P. Dominici Aña. Benedíctus Redémptor ómnium, qui salúti próvidens hóminum mundo dedit sanctum Domínicum.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus. Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per Christum.

¶ Si in conventu fiat Officium votivum aut Memoria S. P. Dominici, non tamen intermittitur Memoria ejus in Officio quotidiano B. Mariæ V.

Ad Memoriam Sanctorum Ordinis Prædicatorum Aña. O quam felix glória semper est Sanctórum, quam præclára mérita sunt Prædicatórum, quorum verbo et ópere mundus decorátur, eorúmque múnere mens consolidátur!

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. Oratio.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus, ut ad meliórem vitam Sanctórum Ordinis nostri exémpla nos próvocent: quátenus quorum memóriam ágimus étiam actus imitémur. Per Christum.

Ad Memoriam omnium Sanctorum Aña. Sancti Dei omnes intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.

℣. Oráte pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

TRIBUE, quæsumus Dómine, omnes Sanctos tuos júgiter pro nobis oráre, et eos cleménter exaudíre dignéris. Per Christum.

Ad Memoriam de Pace Aña. Da pacem Dómine in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. Oratio.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem : ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

℣. Ave María grátia plena, Dóminus tecum. ℟. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus.

AD PRIMAM.

℣. Ave María grátia plena, Dóminus tecum. ℟. Benedícta tu. etc.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri. Allelúia. vel Laus tibi Dómine...

Hymnus.

MEMENTO salútis Auctor,
Quod nostri quondam córporis
Ex illibáta Vírgine
Nascéndo formam súmpseris.
MARIA mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.
GLORIA tibi Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et sancto Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

Psalmus 119.

AD Dóminum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : * habitávi cum habitántibus Cedar : multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Glória Patri.

Psalmus 120.

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Glória Patri.

Psalmus 121.

LÆTATUS sum in his, quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut civitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Glória Patri.

Aña. Dignáre me laudáre te Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Capitulum. Eccli. 24.

AB initio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. ℟. Deo grátias.

℟. Post partum Virgo * Invioláta permansísti. Post partum. ℣. Dei Génitrix intercéde pro nobis. Invioláta. Glória. Post partum.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

GRATIAM tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infúnde : ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui Incarnatiónem cognóvimus, per Passiónem ejus et Crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum...

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD TERTIAM.

℣. Ave María grátia plena. etc.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri... Allelúia., vel Laus tibi Dómine...

Hymnus Meménto salútis Auctor., pag. 165*.

Psalmus 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ : * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri : * quia multum repléti sumus despectióne :

Quia multum repléta est ánima nostra : * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Glória Patri.

Psalmus 123.

NISI quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cum exsúrgerent hómines in nos, * forte vivos deglutíssent nos :

Cum irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra : * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium :

Láqueus contrítus est, * et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cælum et terram.

Glória Patri.

Psalmus 124.

QUI confídunt in Dómino, sicut mons Sion : * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus : * et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum : * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac Dómine bonis, * et rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israel.

Glória Patri.

Ańa. Gaude María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Capitulum. Eccli. 24.

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta símiliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. ℟. Deo grátias.

℟. Sancta María Mater Christi, * Audi rogántes sérvulos. Sancta María. ℣. Et impetrátam nobis cælitus tu defer indulgéntiam. Audi. Glória. Sancta María.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

PER ADVENTUM :

Orémus. Oratio.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta

supplicibus tuis ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

A NATIVITATE DOMINI AD FESTUM PURIFICATIONIS :

Orémus. Oratio.

DEUS, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti : tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere : Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

A FESTO PURIFICATIONIS AD ADVENTUM :

Orémus. Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Dicta Oratione pro Tempore, subditur :

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD SEXTAM.

℣. Ave Maria grátia plena. etc.

℣ Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri... Allelúia., vel Laus tibi Dómine...

Hymnus Meménto salútis Auctor., pag. 165*.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte Dómine captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Glória Patri.

Psalmus 126.

NISI Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce heréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Glória Patri.

Psalmus 127.

BEATI omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

Glória Patri.

Ańa. In prole Mater, in partu Virgo, gaude et lætáre Virgo Mater Dómini.

Capitulum. Eccli. 24.

ET radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. ℟. Deo grátias.

℟. Ora pro nobis * Sancta Dei Génitrix. Ora. ℣. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Sancta. Glória. Ora.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

PROTEGE Dómine fámulos tuos subsídiis pacis, et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes, a cunctis hóstibus redde secúros. Per Dóminum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD NONAM.

℣. Ave María grátia plena. etc.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri... Allelúia., vel Laus tibi Dómine...

Hymnus Meménto salútis Auctor., pag. 165*.

Psalmus 128.

SÆPE expugnavérunt me a juventúte mea, * dicat nunc Israel :

Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea : * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum : * confundántur et convertántur retrórsum omnes, qui odérunt Sion.

Fiant sicut fenum tectórum : * quod priúsquam evellátur exáruit :

De quo non implévit manum suam qui metit, * et sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant : Benedíctio Dómini super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Glória Patri.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est:* et propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri.

Psalmus 130.

DOMINE non est exaltátum cor meum : * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis: * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam: * sed exaltávi ánimam meam :

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israel in Dómino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Glória Patri.

Aña. Beáta Mater, et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

Capitulum. Eccli. 24.

QUASI cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. ℟. Deo grátias.

℟. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit eam. ℣ Et habitáre eam facit in tabernáculo suo. Et præelégit eam. Glória. Elégit eam.

℣. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

FAMULORUM tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD VESPERAS.

℣. Ave María grátia plena : Dóminus tecum. ℟. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri... Sicut erat... Allelúia. vel Laus tibi Dómine...

Super Psalmos Aña. Sancta Dei Génitrix, Virgo semper María, intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Psalmus Dixit Dóminus. cum ceteris de Communi unius Virginis, pag. 96*.

Capitulum. Eccli. 24.

SICUT cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

AVE maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
MONSTRA te esse matrem :
Sumat per te preces
Qui pro nobis Natus
Tulit esse tuus.
VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.
VITAM præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.
SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

PER ADVENTUM :

Ad Magnificat Aña. O Virgo vírginum quómodo fiet istud ? Quia nec primam símilem visa es nec habére sequéntem. Fíliæ Jerúsalem quid me admirámini? Divínum est mystérium hoc quod cérnitis.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A NATIVITATE DOMINI AD FESTUM PURIFICATIONIS :

Ad Magnificat Aña. O admirábile commércium ! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est : et procédens homo sine sémine largítus est nobis suam Deitátem.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri præmia præstitísti : tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A FESTO PURIFICATIONIS AD CENAM DOMINI ET AB OCTAVA TRINITATIS AD ADVENTUM :

Ad Magnificat Aña. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

TEMPORE PASCHALI :

Ad Magnificat Aña. Regína cæli lætáre, allelúia : quia quem meruísti portáre, allelúia, resurréxit sicut dixit, allelúia. Ora pro nobis Deum, allelúia.

(Tempore Ascensionis, in præcedenti Antiphona, pro verbo resurréxit., dicatur: jam ascéndit.)

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus.

Oratio Concéde nos fámulos tuos., pag. 171*.

Dicta Oratione pro Tempore, fiant sequentes Memoriæ in Vesperis.

Ad Memoriam S. P. Dominici Aña. Magne Pater sancte Domínice mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis: concéde ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

¶ Si in conventu fiat Officium votivum aut Memoria S. P. Dominici, non tamen intermittitur Memoria ejus in Officio quotidiano B. Mariæ V.

Ad Memoriam Sanctorum Ordinis Prædicatorum Aña. Christi pia grátia Sanctos sublimávit, quos Patris Domínici Ordo propagávit. Nos eórum méritis pétimus juvári, atque suis précibus Deo commendári.

℣. Sapiéntiam Sanctórum narrent pópuli. ℟. Et laudem eórum núntiet ecclésia.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus, ut ad meliórem vitam Sanctórum Ordinis nostri exémpla nos próvocent: quátenus quorum memóriam ágimus étiam actus imitémur. Per Christum.

Ad Memoriam omnium Sanctorum Aña. Sancti Dei omnes intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.

℣. Oráte pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

TRIBUE, quæsumus Dómine, omnes Sanctos tuos júgiter pro nobis oráre, et eos cleménter exaudíre dignéris. Per Christum.

Ad Memoriam de Pace Aña. Da pacem Dómine in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Oratio.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

℣. Ave María grátia plena: Dóminus tecum. ℟. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus.

AD COMPLETORIUM.

Data Benedictione in fine Completorii de Tempore vel de Sancto, dicitur Completorium de beata Virgine, si ea die dicendum fuerit.

℣. Ave María grátia plena : Dóminus tecum. ℟. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus.

℣. Convérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine ad adjuvándum me festína. Glória Patri... Sicut erat... Allelúia. vel Laus tibi Dómine...

Psalmus 131.

MEMENTO Dómine David,* et omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino,* votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem :

Et réquiem tempóribus meis : donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge Dómine in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justitiam : * et sancti tui exsúltent.

Propter David servum tuum,* non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam : * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaménum meum, * et testimónia mea hæc, quæ docébo eos :

Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi : * hic habitábo quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Illuc prodúcam cornu David,* parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Glória Patri.

Psalmus 132.

ECCE quam bonum, et quam jucúndum * habitáre fratres in unum :

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron,

Quod descéndit in oram vestiménti ejus : * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in sæculum.

Glória Patri.

Psalmus 133.

ECCE nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini :

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri,

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cælum et terram.

Glória Patri.

Aña. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres : florens ut rosa, fragrans sicut lílium : ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

Capitulum. Eccli. 24.

EGO mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

℟. Deo grátias.

℟. Intercéde pro nobis sancta Virgo vírginum, * Mater Dei María. Intercéde. ℣. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Mater Dei. Glória. Intercéde.

Hymnus.

VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

VITAM præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Ad Nunc dimittis Aña. Sub tuum præsídium confúgimus sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus; sed a períeulis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

CONCEDE misércors Deus fragilitáti nostræ præsídium : ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Omisso ℣. Ave María., immediate post Benedicámus Dómino. sequitur Aña. Salve Regína. pag. 151. Deinde ℣. Dignáre me. et cetera dicantur ut ibidem notatum est.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

QUALIBET Septimana per totum annum, duabus tantum exceptis, Paschæ videlicet et Pentecostes, omnes et singuli, tam in choro, quam extra, semel in Septimana recitare debent Vigilias pro defunctis, Vesperas scilicet et Matutinum cum novem Lectionibus. Quod si Anniversarium quodcumque Ordinis evenerit, vel pro præsenti defuncto, vel qualibet alia causa, infra Hebdomadam quocumque die fuerint prædictæ Vigiliæ recitandæ, eædem pro supradicta obligatione sufficiant : neque fratres ad alias illa Hebdomada teneantur. In Hebdomada tamen Commemorationis omnium Defunctorum, ij. Novembris, tenentur fratres, præ-

ter Officium diei Animarum, ad easdem Vigilias persolvendas. Et notandum, quod Anniversarium quodlibet eo die, quo positum est in Breviario, debet celebrari : nisi in illo die occurrerit Dominica, aut festum de præcepto, vel Totum Duplex, quod ceteris ejusdem ritus in concomitantia sit præponendum, aut Feria iv. Cinerum : quo in casu Anniversarium transfertur in sequentem diem similiter non impeditam.

¶ Si in Hora canonica immediate præcedenti factæ sunt in choro Prostrationes, fiant quoque in Officio Defunctorum, etiam si solemne fuerit. Finita post Canticum Magníficat. in Vesperis, vel post Canticum Benedíctus. in Laudibus Antiphona, Fratres prostrati dicant secreto Pater noster. et voce mediocri Psalmum Lauda ánima mea. in Vesperis, in Laudibus vero Psalmum De profúndis. Post primam Orationem se erigant, et ad Pater noster. post Requiéscant in pace. iterum se prosternant.

¶ Si autem Prostrationes non fiant, inclinet Chorus contra Chorum ad utrumque Pater noster. et ad primam Orationem. Psalmus vero Lauda ánima mea. et Psalmus De profúndis. a Fratribus erectis toti dicendi sunt.

AD VESPERAS.

Absque Pater noster. absolute inchoetur :

Psalmus 114.

DILEXI, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine líbera ánimam meam : * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrimis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Réquiem ætérnam dona eis Dómine : * et lux perpétua lúceat eis. ¶ Iste ℣. dicatur in fine singulorum Psalmorum et Canticorum, nisi aliter notatum fuerit.

Ańa. Placébo Dómino in regióne vivórum.

Psalmus 119.

AD Dóminum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : * habitávi cum habitántibus Cedar / multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Aña. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est.

Psalmus 120.

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Aña. Dóminus custódit te ab omni malo : custódiat ánimam tuam Dóminus.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Aña. Si iniquitátes observáveris Dómine : Dómine quis sustinébit?

Psalmus 137.

CONFITEBOR tibi Dómine in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine misericórdia tua in sæculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Aña. Opera mánuum tuárum Dómine ne despícias.

Immediate sequitur

Canticum B. Mariæ V. Luc. 1.

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum :
Et exsultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.
Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.
Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,
Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sæcula.
Réquiem ætérnam dona eis Dómine : * et lux perpétua lúceat eis.
Aña. Audívi vocem de cælo dicéntem mihi : Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.

Finita post Canticum Antiphona, dicatur secreto Pater noster., deinde legendo voce mediocri :

Psalmus 145.

LAUDA ánima mea Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.
Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.
Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.
Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt.
Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.
Dóminus solvit compedítos :* Dóminus illúminat cæcos.
Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.
Dóminus custódit ádvenas, pupíllum,et víduam suscípiet:* et vias peccatórum dispérdet.
Regnábit Dóminus in sæcula Deus tuus Sion, * in generatiónem et generatiónem.
Réquiem ætérnam dona eis Dómine : * et lux perpétua lúceat eis.
℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.
Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus.

Orationes vero hoc ordine dicantur :

PRO PRÆSENTI
SIVE PRO UNO DEFUNCTO :

¶ Si Episcopus fuerit, aut Sacerdos,

Oratio prima.

DEUS, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum Pontificáli (vel Sacerdotáli fecísti dignitáte vigére, præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio.

Oratio secunda.

DEUS, véniæ largítor et humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam : ut nostræ congregatiónis fratres, soróres, familiáres et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Oratio tertia.

FIDELIUM Deus ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

¶ Si alius quicumque Vir fuerit,

Oratio prima.

INCLINA Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur : ut ánimam fámuli tui, quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem.

Oratio secunda Deus, véniæ., tertia Fidélium., ut supra.

¶ Si vero Femina fuerit,

Oratio prima.

QUÆSUMUS Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ : et a contágiis mortalitátis exútam in ætérnæ salvatiónis partem restítue.

Oratio secunda Deus, véniæ., tertia Fidélium., ut supra.

IN OMNI ANNIVERSARIO :

Oratio prima.

DEUS indulgentiárum Dómine, da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem.

Oratio secunda Deus véniæ., tertia Fidélium., ut supra.

¶ Si simul eveniant Obitus et Anniversarium, dimittatur Oratio Deus véniæ., et prima dicatur pro præsenti Defuncto secunda de Anniversario, tertia non mutetur.

IN OFFICIO ORDINARIO PRO DEFUNCTIS FRATRIBUS, SORORIBUS, FAMILIARIBUS ET BENEFACTORIBUS.

Oratio prima.

DEUS, véniæ largítor et humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam : ut nostræ congregatiónis fratres, soróres, familiáres et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Oratio secunda.

DEUS, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter animábus paréntum nostrórum : eorúmque peccáta dimítte, nosque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére.

Oratio tertia.

FIDELIUM Deus ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cun-

ctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Finita ultima Oratione, non subdatur Dóminus vobíscum., neque Benedicámus Dómino., neque Fidélium., sed tantum : Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Postea dicatur Pater noster., nisi immediate dicendum fuerit Matutinum Defunctorum, aut Completorium diei.

AD MATUTINUM.

Non dicatur Pater noster., neque Credo., neque Dómine lábia mea apéries., neque Deus in adjutórium., neque Veníte exsultémus., sed absolute inchoetur.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 5.

VERBA mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ,* rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣ linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Aña. Dírige Dómine Deus meus in conspéctu tuo viam meam.

Psalmus 6.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dómine quóniam infírmus sum : * sana me Dómine quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu Dómine úsquequo?

Convértere Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam,

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, ℣ lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Aña. Convértere Dómine, et éripe ánimam meam, quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Psalmus 7.

DOMINE Deus meus in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, ℣ et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge Dómine in ira tua : * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge Dómine Deus meus in præcépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me Dómine secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et pátiens : * numquid irascitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum : * et incidit in fóveam, quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Aña. Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

¶ Sine benedictione, et sine titulo legantur omnes sequentes Lectiones.

Lectio j. Job 7.

PARCE mihi Dómine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam salívam meam? Peccávi, quid fáciam tibi o custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, et factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce, nunc in púlvere dórmiam : et si mane me quæsíeris, non subsístam.

℣ Lectiones terminentur sine Tu autem, vel alia conclusione.

℟. j. Credo quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : et in carne mea vidébo Deum * Salvatórem meum. ℣. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius, et óculi mei conspectúri sunt. — Salvatórem meum.

Lectio ij. Job 10.

TÆDET ánimam meam vitæ meæ, dimíttam advérsum me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo : Noli me condemnáre : índica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt : aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, et anni tui sicut humána sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cum sit nemo qui de manu tua possit erúere.

℟. ij. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto fœtidum : * Tu eis Dómine dona réquiem, et locum indulgéntiæ. ℣. Qui ventúrus es judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. — Tu eis.

Lectio iij. Job 10.

MANUS tuæ, Dómine, feceérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu : et sic repénte præcípitas me? Meménto quæso quod sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, et sicut cáseum me coagulásti? Pelle et cárnibus vestísti me : óssibus et nervis compegísti me. Vitam et misericórdiam tribuísti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. iij. Dómine, quando véneris judicáre terram, ubi me abscóndam a vultu iræ tuæ : * Quia peccávi nimis in vita mea? ℣. Commíssa mea pavésco, et ante te erubésco : dum véneris judicáre, noli me condemnáre. — Quia.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 22.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Aña. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Psalmus 24.

Ad te Dómine levávi ánimam meam : * Deus meus in te confído, non erubéscam :

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas Dómine demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum Dómine propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dómidum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera Deus Israel, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Aña. Delícta juventútis meæ, et ignorántias meas ne memíneris Dómine.

Psalmus 26.

Dominus illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas :

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsum me prœlium, * in hóc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, ℣ exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque despícias me Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Aña. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℣. In memória ætérna erunt justi. ℟. Ab auditióne mala non timébunt.

Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Lectio iv. Job 13.

RESPONDE mihi. Quantas hábeo iniquitátes et peccáta, scélera mea et delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, et arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, et stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, et observásti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meórum considerásti : Qui quasi putrédo consuméndus sum, et quasi vestiméntum, quod coméditur a tínea.

℟. iv. Heu mihi, Dómine, quia peccávi nimis in vita mea. Quid fáciam miser? ubi fúgiam, nisi ad te Deus meus? Miserére mei, dum véneris * In novíssimo die. ℣. Anima mea turbáta est valde, sed tu Domine succúrre ei. — In novíssimo die.

Lectio v. Job 14.

HOMO natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, número ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. v. Ne recordéris peccáta mea, Dómine: * Dum véneris judicáre sæculum per ignem. ℣. Dírige Dómine Deus meus in conspéctu tuo viam meam. — Dum véneris.

Lectio vj. Job 14.

QUIS mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei? Putásne mórtuus homo rursum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, exspécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. vj. Dómine secúndum actum meum noli me judicáre: nihil dignum in conspéctu tuo egi: * Ideo déprecor majestátem tuam, ut tu Deus déleas iniquitátem meam. ℣. Amplius lava me, Dómine, ab injustítia mea, et a delícto meo munda me: quia tibi soli peccávi. — Ideo déprecor majestátem tuam.

IN III. NOCTURNO.

Psalmus 39.

EXSPECTANS exspectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas: * et edúxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos: * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt: * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus: * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu Dómine Deus meus mirabília tua: * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum: * multiplicáti sunt super número rum.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti: * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti: * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam, et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem Dómine ne longe fácias miseratiónes tuas a me: * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número: rus : * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi Dómine ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent et læténtur super te omnes quæréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper : * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus ne tardáveris.

Aña. Compláceat tibi Dómine ut erípias me : Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Psalmus 40.

BEATUS qui intélligit super egénum, et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, ℣ et beátum fáciat eum in terra : * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei : * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem Dómine miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum : * fiat, fiat.

Aña. Sana Dómine ánimam meam, quia peccávi tibi.

Psalmus 41.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei :

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei :

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Aña. Sitívit ánima mea ad Deum vivum : quando véniam et apparébo ante fáciem Dómini?

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Lectio vij. Job. 17.

SPIRITUS meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, et solum mihi súperest sepúlcrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me Dómine, et pone me juxta te, et cujúsvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, et patiéntia mea? Tu es, Dómine Deus meus.

℟. vij. Peccántem me quotídie, et non me pœniténtem, timor mortis contúrbat me : * Quia in inférno nulla est redémptio,

miserére mei Deus, et salva me. ℣. Deus in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua líbera me. — Quia.

Lectio viij. Job 19.

PELLI meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum, et derelícta sunt tantúmmodo lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in líbro stylo férreo, et plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : et rursum circúmdabor pelle mea, et in carne mea vidébo Deum Salvatórem meum. Quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius : repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. viij. Meménto mei Deus : quia ventus est vita mea,* Nec aspíciet me visus hóminis. ℣. Et non revertétur óculus meus, ut vídeat bona. Nec aspíciet.

Lectio ix. Job 10.

QUARE de vulva eduxísti me? qui útinam consúmptus essem ne óculus me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? Dimítte ergo me, ut plangam páululum dolórem meum : ántequam vadam et non revértar, ad terram tenebrósam, et opértam mortis calígine : terram miséria et tenebrárum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

℟. ix. Líbera me Dómine de morte ætérna, in die illa treménda : * Quando cæli movéndi sunt, et terra : Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Dies illa dies iræ, calamitátis et misériæ, dies magna etamára valde.—Quando cæli. usque ad Dum véneris. exclusive.

℣. Tremens factus sum ego, et tímeo, dum discússio vénerit, atque ventúra ira. — Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

℣. Creátor ómnium rerum Deus, qui me de limo terræ formásti, et mirabíliter próprio sánguine redemísti, corpúsque meum, licet modo putréscat, de sepúlcro fácies in die judícii resuscitári : exáudi, exáudi me, ut ánimam meam in sinu Abrahæ patriárchæ tui júbeas collocári. ℟. Líbera me Dómine de morte ætérna, in die illa treménda, Quando cæli movéndi sunt et terra, Dum véneris judicáre sæculum per ignem.

AD LAUDES.

Immediate inchoetur

Psalmus 50.

MISERERE mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miserationum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta, et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ańa. Exsultábunt Dómino ossa humiliáta.

Psalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * et campi túi replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, ℣ et valles abundábunt frumento : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Aña. Exáudi Dómine oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

Psalmus 62.

DEUS Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : ℣ sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣ in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣ adhæsit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣ introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣ laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur Réquiem.

Psalmus 66.

DEUS misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes : ℣ quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus : ℣ confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, ℣ benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terræ.

Aña. Me suscépit déxtera tua, Dómine.

Canticum Ezechiæ Regis.

Isaiæ 38.

EGO dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra viventium.

Non aspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est; et convolúta est a me, * quasi tabernáculum pastórum :

Præcísa est velut a texénte, vita mea : ℣ dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me : * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum :

Dómine vim pátior, ℣ respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, ℣ corrípies me, et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima :

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret, * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, ℣ neque mors laudábit te, * non exspectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi. sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Aña. A porta ínferi érue Dómine ánimas eórum.

Psalmus 148.

LAUDATE Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna : * laudáte eum omnes stellæ, et lumen

Laudáte eum cæli cælórum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ :

Reges terræ, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum, et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dicitur Réquiem.

Psalmus 149.

CANTATE Dómino cánticum novum : * laus ejus in eclésia sanctórum.

Lætétur Israel in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória: * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Réquiem.

Psalmus 150.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : ℣ laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Aña. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Immediate sequitur
Canticum Zachariæ.
Lucæ 1.

BENEDICTUS Dóminus Deus Israel, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ:

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, prophéta Altíssimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus :

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum :

Per víscera misericórdiæ Dei nostri : * in quibus visitávit nos, óriens ex alto :

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Réquiem ætérnam dona eis Dómine : * et lux perpétua lúceat eis.

Aña. Ego sum resurréctio et vita : qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet : et omnis, qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum.

Finita post Canticum Antiphona, dicatur secreto Pater noster., deinde legendo voce mediocri :

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obsérváveris Dómine : * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam...

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus.

Orationes vero hoc ordine dicantur :

PRO PRÆSENTI SIVE PRO UNO DEFUNCTO :

¶ Si Episcopus fuerit, aut Sacerdos,

Oratio prima.

DEUS, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum Pontificáli (vel Sacerdotáli) fecísti dignitáte vigére, præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio.

Oratio secunda.

DEUS, véniæ largítor et humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam : ut nostræ congregatiónis fratres, soróres, familiáres et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Oratio tertia.

FIDELIUM Deus ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

¶ Si alius quicumque Vir fuerit,

Oratio prima.

INCLINA Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur : ut ánimam fámuli tui, quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem.

Oratio secunda Deus, véniæ., tertia Fidélium., ut supra.

¶ Si vero Femina fuerit,

Oratio prima.

QUÆSUMUS Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ : et a contágiis mortalitátis exútam in ætérnæ salvatiónis partem restítue.

Oratio secunda Deus, véniæ., tertia Fidélium., ut supra.

IN OMNI ANNIVERSARIO.

Oratio prima.

DEUS indulgentiárum Dómine, da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem.

Oratio secunda Deus, véniæ., tertia Fidélium., ut supra.

¶ Si simul eveniant Obitus et Anniversarium, dimittatur Oratio Deus, véniæ., et prima dicatur pro præsenti Defuncto, secunda de Anniversario, tertia non mutetur.

IN OFFICIO ORDINARIO PRO DEFUNCTIS FRATRIBUS, SORORIBUS, FAMILIARIBUS ET BENEFACTORIBUS

Oratio prima.

DEUS, véniæ largítor et humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam : ut nostræ congregatiónis fratres, soróres, familiáres et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Oratio secunda.

DEUS, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter animábus paréntum nostrórum : eorúmque peccáta dimítte, nosque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére.

Oratio tertia.

FIDELIUM Deus ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Finita ultima Oratione, non subdatur Dóminus vobíscum., neque Benedicámus Dómino., neque Fidélium., sed tantum :

Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Postea dicatur Pater noster., nisi immediate dicendum fuerit Completorium diei.

¶ Quando Officium ordinarium pro Fratribus, Sororibus, Familiaribus et Benefactoribus agitur in conventu, Nocturnis continuentur semper Laudes, cum vacaverit. Quod si non vacaverit, finito ultimo ℟. Líbera me. cum Versibus, dicatur Pater noster. Deinde dicat Sacerdos : Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus.

Oratio Fidélium Deus ómnium., ut supra.

Requiéscant in pace.

℟. Amen. Deinde Pater noster. secreto.

SEPTEM PSALMI PŒNITENTIALES.

Aña. Ne reminiscáris.

Psalmus 6.

DOMINE ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dómine quóniam infírmus sum : * sana me Dómine quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu Dómine úsquequo?

Convértere Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam,

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Psalmus 31.

BEATI quorum remíssæ sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exsultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo et freno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, et exsultáte justi, * et gloriámini omnes recti corde.

Psalmus 37.

DOMINE ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi : * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum : * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corrúptæ sunt cicatríces meæ, * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem : * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti

sunt illusiónibus : * et non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt : * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes : * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens : * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te Dómine sperávi : * tu exáudies me Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei : * et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me : * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me Dómine Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Psalmus 50.

MISERERE mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac Dómine in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Psalmus 101.

DOMINE exáudi oratiónem meam : * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me : * in quacúmque die tríbulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei : * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, et áruit cor meum : * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : * et qui laudábant me advérsum me jurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignatiónis tuæ : * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine in ætérnum pérmanes : * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exsúrgens miseréberis Sion : * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion : * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium : * et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de cælo in terram aspéxit :

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : * et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu Dómine terram fundásti : * et ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt : * et semen eórum in sæculum dirigétur.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te Dómine : * Dómine exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine : * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Psalmus 142.

DOMINE exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi :

Velóciter exáudi me Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis Dómine, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum Dómine vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Ańa. Ne reminiscáris Dómine delícta nostra, vel paréntum nostrórum : neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

¶ Feria quarta Cinerum et Feria quinta in Cena Domini, dicta post Psalmos Pœnitentiales Aña Ne reminiscáris., ut supra, subdatur a Choro : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.; quo finito, dicat Prior :

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Esto eis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

EXAUDI Dómine preces nostras, et confiténtium tibi parce peccátis; ut quos consciéntiæ reátus accúsat indulgéntia tuæ pietátis absólvat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Finita prædicta Oratione, faciat Prior absolutionem hoc modo :

DOMINUS Jesus Christus, qui beáto Petro Apóstolo suo potestátem dedit ligándi atque solvéndi, ipse vos absólvat ab omni vínculo delictórum; et quantum meæ fragilitáti permíttitur, sitis absolúti ante tribúnal ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi ab ómnibus peccátis et negligéntiis vestris : habeatísque vitam ætérnam, et vivátis in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

ORATIONES PRO D. PAPA ET PRO BENEFACTORIBUS IN CAPITULO DICENDÆ.

Si in Capitulo culpæ fuerint audiendæ, dicantur Orationes pro Domino Papa et pro benefactoribus hoc modo :

Dicto a Prælato Benedícite., et responso Dóminus., si recitanda fuerint beneficia, recitentur. Deinde commendatis quos commendare habuerit vel voluerit, Prælatus surgens, surgentibus et ceteris omnibus, dicat sine Orémus. sequentem Orationem, ad quam Fratres profunde inclinent :

RETRIBUERE dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen sanctum tuum vitam ætérnam. ℟. Amen.

Et dicatur ab utroque Choro alternatim Psalmus Ad te levávi óculos meos., ut pag. 167*., terminando eum per ℣ ℣. Glória Patri. et Sicut erat.; deinde Psalmus De profúndis clamávi ad te Dómine., ut pag. 197*, terminando eum per ℣. Réquiem ætérnam.

Postea ab omnibus dicatur : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. et secreto Pater noster. Quo finito dicat Hebdomadarius :

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus pro Dómino Papa. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

℣. Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas. ℟. Deus meus sperántes in te.

Requiéscant in pace.
℟. Amen.
Dóminus vobíscum. ℣. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus, præténde super fámulum tuum N. Papam nostrum, et super cunctas congregatiónes illi commíssas spíritum grátiæ salutáris : et ut in veritáte tibi compláceant, perpétuum eis rorem tuæ benedictiónis infúnde. Oratio.

PRÆTENDE Dómine fámulis et famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii : ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant assequántur.

Oratio.

FIDELIUM Deus ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Prædictæ tres Orationes dicantur sub uno Orémus. et terminentur per unum Qui vivis.

¶ Vacante Sede Apostolica omittenda sunt quæ ad Summum Pontificem referuntur.

Terminatis Orationibus, Prælatus audiat culpas, quibus auditis, surgentibus omnibus, dicat

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

¶ Si tamen quæ supra scripta sunt simul cum Pretiósa. peragenda fuerint, dicto Commemorátio Fratrum.... et Requiéscant in pace., responsoque Amen., ut pag. 26., subdatur Benedícite., recitentur beneficia, fiant commendationes, et dicantur ℣℣. cum Orationibus pro Domino Papa et benefactoribus, ut supra; deinde auditis culpis, dicatur Psalmus Laudáte Dóminum omnes gentes.... ℣. Osténde nobis., Dóminus vobíscum. Orémus. Actiónes nostras. et ℣. Adjutórium nostrum., uti pag. 26. pariter notatum est.

BENEDICTIO ANTE CONCIONEM.

¶ Quando in Capitulo dicendum fuerit Pretiósa., si sermo fuerit faciendus, et extranei interesse debuerint, omnia fiant et terminentur ut pag. 25. et pag 26. notatum est, excepto quod qui tenet Capitulum, dicto Requiéscant in pace. et responso Amen., dicet Benedícite., et responso Dóminus., incipiet Psalmum Laudáte Dóminum omnes gentes.

¶ Si autem extranei non debuerint interesse, dicto Benedícite. et propositis si qua voluerit proponere, qui tenet Capitulum dicat : Surgat qui debet fácere sermónem. Et ille surgens veniat ante eum, et flexis genibus et inclinato capite, petat benedictionem dicendo : Jube domne benedícere., et detur ei Benedictio :

DOMINUS sit in corde tuo et in lábiis tuis, ad pronuntiándum digne et fructuóse verba sua sancta. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. ℟. Amen.

Recepta Benedictione, vadat ad locum ubi facientes sermonem esse consueverunt. Finito sermone, qui tenet Capitulum, si velit aliqua subjungere, subjungat; et cum finem dicendi fecerit, incipiat Psalmum Laudáte Dóminum omnes gentes. Post Psalmum dicatur ℣. Osténde nobis., Dóminus vobíscum. Orémus. Actiónes nostras. et ℣. Adjutórium nostrum. uti pag. 26. notatum est.

BENEDICTIO MENSÆ.

I. ANTE PRANDIUM QUANDO NON JEJUNATUR.

Præmisso Benedícite., immediate dicatur :

℣. Oculi ómnium in te sperant Dómine : et tu das escam illórum in témpore opportúno : áperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne. Glória Patri... Sicut erat...

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison., Pater noster. secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus. Oratio.

BENE ✠ DIC Dómine dona tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et dicto Jube domne benedícere., detur Benedictio : Mensæ cæléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

II. ANTE PRANDIUM QUANDO JEJUNATUR.

Præmisso Benedícite., immediate dicatur :

℣. Edent páuperes et saturabúntur : et laudábunt Dóminum qui requírunt eum : vivent corda eórum in sæculum sæculi. Glória Patri... Sicut erat...

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus. Oratio.

BENE ✠ DIC Dómine dona tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et dicto Jube domne benedícere., detur Benedictio : Mensæ cæléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

¶ Feria quinta in Cena Domini et Feria sexta in Parasceve non dicitur Glória Patri.

III. ANTE CENAM.

Præmisso Benedícite., immediate dicatur :

℣. Edent páuperes et saturabúntur : et laudábunt Dóminum qui requírunt eum : vivent corda eórum in sæculum sæculi. Glória Patri... Sicut erat...

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus. Oratio.

BENE ✠ DIC Dómine dona tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et dicto Jube domne benedícere., detur Benedictio : Ad cenam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MENSAM.

I. POST PRANDIUM QUANDO NON JEJUNATUR.

℣. Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua : et Sancti tui benedícant tibi. Glória Patri... Sicut erat...

AGIMUS tibi grátias omnípotens Deus pro univérsis benefíciis tuis : Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Psalmus 50. Miserére mei Deus., pag. 195*; et in fine dicatur Glória Patri.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto.

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea. ℟. Audiant mansuéti, et læténtur.

℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Postea sine Dóminus vobíscum. et sine Orémus. dicatur Oratio :

RETRIBUERE dignáre Dómine ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen sanctum tuum vitam ætérnam. ℟. Amen.

Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si non sequitur aliqua Hora, dicatur :

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen. Et subjungatur secreto Pater noster.

II. POST PRANDIUM QUANDO JEJUNATUR.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se. Glória Patri.... Sicut erat....

AGIMUS tibi grátias omnípotens Deus pro univérsis benefíciis tuis : Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Psalmus Miserére mei Deus., pag. 195*; et in fine dicatur Glória Patri.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit. et reliqua omnia dicantur quæ post prandium quando non jejunatur dici consueverunt, uti supra notatum est.

¶ Feria tamen quinta in Cena Domini et Feria sexta in Parasceve non dicitur Glória Patri. neque Fidélium ánimæ.

III. POST CENAM.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se. Glória Patri... Sicut erat...

BENEDICTUS Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis : Qui vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Psalmus Miserére mei Deus., pag. 195* : et in fine dicatur Glória Patri.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit. et reliqua omnia dicantur quæ post prandium dici consueverunt, ut pag. 201* notatum est.

¶ Quando sedentibus ad refectionem Fratribus auditum fuerit signum, quod fieri solet cum Frater penitus morti appropinquaverit, si fuerint in principio refectionis aut in medio, velociter exeant omnes, omisso Tu autem. et accurrant ad morientem dicentes : Credo in Deum, et prosequantur totum tam alte ut possit audiri, repetendo quousque ad infirmum pervenerint. Completis autem quæ de Commendatione animæ in transitu existentis, de Suffragiis egressa anima dicendis etc., pag. 240* et sequentibus notata sunt, ad refectionem redeant, ita tamen ut nola non pulsetur, nec Benedictio repetatur; sed Lector incipiat ubi dimiserat. Quod etiam fiat in Quadragesima.

¶ Si vero, audito signo prædicto, circa finem refectionis fuerint, innuente Priore dicatur Tu autem. Et dicto breviter Versu Confiteántur. vel Memóriam., subjungente Hebdomadario Agimus tibi grátias., vel Benedíctus Deus in donis suis., absque Psalmo, statim exeant dicentes Credo in Deum., ut supra.

DE COLLATIONE.

Præmisso Benedícite., detur Benedictio : Largítor ómnium bonórum bene ✠ dícat potum servórum suórum. ℟. Amen.

Finita Collatione dicatur ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

ORATIO PRO CAPITULO GENERALI ET EUNTIBUS AD ILLUD.

Anno quo celebrandum fuerit Capitulum generale, Feria secunda post Octavam Paschæ et deinceps usque ad sextam Feriam ante Pentecosten inclusive, omni die, nisi sit festum Totum Duplex, finito Pater noster. quod dicitur post Nonam, vel post Officium Defunctorum, si fiat a Conventu immediate post Nonam, dicatur Psalmus Ad te levávi. ab utroque Choro alternatim, Cantore ex parte Hebdomadarii incipiente.

Psalmus 122.

Ad te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ : * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri Dómine, miserére nostri : * quia multum repléti sumus despectióne :

Quia multum repléta est ánima nostra : * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Glória Patri... Sicut erat...

Postea dicatur Aña. Veni sancte Spíritus : reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde : qui per diversitátem linguárum multárum gentes in unitáte fídei congregásti.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur. ℟. Et renovábis fáciem terræ.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus sémper consolatióne gaudére.

Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne : ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes, tuo semper protegántur auxílio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

¶ Fratres vero qui non sunt in Choro nihilominus dicere debent idem.

OFFICIUM FACIENDUM IN ELECTIONIBUS.

I. IN ELECTIONE MAGISTRI ORDINIS.

Completa Missa de Spiritu sancto in Conventu ubi celebratur electio, Electores inclusi, antequam procedant ad electionem, dicant flexis genibus sine cantu Hymnum Veni Creátor Spíritus. Priore Provinciali, qui primum locum tenuerit, dicente unum Versum Hymni, et aliis omnibus alium.

Hymnus.

VENI Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérna grátia
Quæ tu creásti péctora.

QUI Paráclitus díceris,
Donum Dei altíssimi,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et spiritális únctio.

TU septifórmis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu rite promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

ACCENDE lumen sénsibus,
Infúnde amórem córdibus
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.

HOSTEM repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus :
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.

PER te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Te utriúsque Spíritum
Credámus omni témpore.

SIT laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito :
Nobísque mittat Fílius
Charísma sancti Spíritus.

Amen.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

Dicat Prior Provincialis prædictus :

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Emítte Spíritum tuum et creabúntur. ℟. Et renovábis fáciem terræ.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde procedatur ad electionem, qua facta, convocato Capitulo, et recitato ibi processu coram Fratribus a prædicto Priore breviter et summatim, Cantor incipiat Te Deum laudámus., quod Fratres devote prosequentes vadant ad Chorum, non servato processionis ordine. Duo vero Priores Provinciales, qui primum locum tenuerint, unus ad dexteram Magistri, si præsens fuerit, et alius ad sinistram, ducant ipsum ante gradum Altaris, ubi flexis genibus prostratus maneat quousque infra scripta Oratio terminetur.

Finito Te Deum., immediate primus Prior de duobus prædictis dicat :

℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperántem in te. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Postea dicat sequentem Orationem eo modo quo dicuntur Orationes ad Horas :

Orémus. Oratio.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut fámulum tuum, quem ad régimen animárum nostrárum elégimus, dono tuæ grátiæ prosequáris; ut te largiénte, cum ipsa nostra electióne tibi placeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postmodum duo prædicti Priores erigant eum, et ducant ad Chorum et collocent in sede sua.

Interim pulsato iterum Capitulo, postquam Magister fuerit in sede sua, conveniant Fratres ad Capitulum sine processionis ordine, Magistro ultimo eunte. Cumque in Capitulum venerint, Magister, sedens in sede sua, Fratrum orationibus se recommendet, et alia, si qua voluerit proponere, proponat.

Completo Capitulo, surgat Magister et dicat ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

¶ Si vero Magister præsens non fuerit, nihilominus post electionem convocato Capitulo, et recitato processu, cantetur Te Deum., et eatur ad Chorum, et dicatur Versiculus Salvum fac. cum Oratione Concéde., ut supra. Secundo tamen non oportet Fratres ad Capitulum convenire.

II. IN ELECTIONE PRIORIS PROVINCIALIS.

Completa Missa de Spiritu sancto in Conventu ubi celebratur electio, antequam procedatur ad electionem fiat invocatio Spiritus sancti, sicut supra de electione Magistri Ordinis dictum est. Completa vero electione, Fratribus convocatis ad Capitulum, recitatoque processu breviter ab eo cui competit, Cantor incipiat Psalmum Laudáte Dóminum omnes gentes. in ea voce qua solet dici ad Pretiósa. et Conventus prosequatur Psalmum cum Glória Patri., dextro Choro dicente primum Versum. Quo finito, sine Kyrie eléison. et

sine Pater noster., Vicarius Prioris Provincialis, si non est electus, alias Prior Conventualis qui primum locum tenet, dicat legendo :

℣. Confirma hoc Deus, quod operátus es in nobis. ℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut fámulum tuum, quem ad régimen animárum nostrárum elégimus, dono tuæ grátiæ prosequáris; ut te largiénte, cum ipsa nostra electióne tibi placeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicat ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Et sic discedant Fratres, nisi Prior vel Electus, si est præsens, voluerit eos retinere.

III. IN ELECTIONE PRIORIS CONVENTUALIS.

Completa Missa de Spiritu sancto, antequam procedatur ad electionem, fiat invocatio Spiritus sancti, sicut de electione Magistri Ordinis dictum est. Completa vero electione, Fratribus convocatis ad Capitulum, recitatoque processu breviter, dicatur legendo Psalmus Laudáte Dóminum omnes gentes. dextro Choro dicente primum Versum; deinde Glória Patri.

Postea qui tenet Capitulum dicat ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

BENEDICTIONES FRATRUM ITINERANTIUM.

I. BENEDICTIO FRATRUM EGREDIENTIUM.

Fratres itinerare volentes accipiant Benedictionem a Prælato, aut ab aliquo Sacerdote hoc modo. Prostratis Fratribus iter acturis in modum veniæ in Choro, vel ante aliquod Altare, vel ante Crucifixum in Capitulo, Sacerdos qui daturus est Benedictionem incipiat Psalmum Levávi óculos meos in montes., et qui astant eum prosequantur hoc modo, quod Sacerdos solus dicat unum Versum, et omnes astantes dicant alium.

Psalmus 120.

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Glória Patri... Sicut erat...

Dicatur ab omnibus Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto. Et subjungat Sacerdos prædictus:

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne : ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes tuo semper protegántur auxílio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Sacerdos postmodum ipsos erectos aspergat aqua benedicta.

II. BENEDICTIO FRATRUM ADVENIENTUM.

Fratres advenientes accipiant Benedictionem a Prælato aut ab aliquo Sacerdote hoc modo: Prostratis Fratribus advenientibus in modum veniæ in Choro, vel ante aliquod Altare, vel ante Crucifixum in Capitulo, Sacerdos qui daturus est Benedictionem incipiat Psalmum Ad te levávi. pag. 202*; et qui astant eum prosequantur hoc modo, quod Sacerdos solus dicat unum Versum et omnes astantes alium.

Post Glória Patri. et Sicut erat. dicatur ab omnibus : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto. Et subjungat Sacerdos prædictus :

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

MISERERE, quæsumus Dómine, fámulis tuis : et quidquid eis in via subrípuit visus vel audítus malæ rei, aut otiósi sermónis, totum tua ineffábili cleméntia, et méritis beatíssimæ Matris tuæ Maríæ et sancti Patris nostri Domínici, déleas et abstérgas. Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Sacerdos postmodum ipsos erectos aspergat aqua benedicta.

III. BENEDICTIO MAGISTRI ORDINIS, PRIORIS PROVINCIALIS ET PRIORIS CONVENTUALIS.

Si Magister Ordinis de novo post susceptum magisterium venit ad domum, vel etiam post longum tempus ex quo non fuit in domo, præscito adventu suo, cum appropinquat ad domum, convocandi sunt Fratres cum campana Capituli ad Ecclesiam, ubi collocantes se ordinate in Choro inferiori, reverenter eum recipiant. Magistro Ordinis et Fratribus cum eo advenientibus prostratis in Choro in modum veniæ, Sacerdos, qui major est inter Fratres domus, stans prope prostratos, incipiat Psalmum Ad te levávi., pag. 202* et Conventus eum prosequatur hoc modo quod Sacerdos solus dicat unum Versum et totus Conventus alium.

Post Glória Patri. et Sicut erat. dicatur ab omnibus : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

secreto. Et subjungat Sacerdos prædictus :

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

MISERERE, quæsumus Dómine, fámulis tuis : et quidquid eis in via subrípuit visus vel audítus malæ rei, aut otiósi sermónis, totum tua ineffábili cleméntia, et méritis beatíssimæ Matris tuæ Maríæ et sancti Patris nostri Domínici, déleas et abstérgas. Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Sacerdos postmodum ipsos erectos aspergat aqua benedicta.

Quo peracto, et data pace Fratribus a Magistro, ipso præcedente Capitulum intrent Fratres, ad hoc iterum campana pulsata, ut tunc recommendet Fratrum orationibus recommendandos, et alia, si qua vult dicere Fratribus, proponat ibidem.

Quo facto, eat cum Fratribus sine processionis ordine ad cœmeterium Fratrum, et ibidem incipiat Psalmum De profúndis. pag. 197* et ipse Versum unum dicat, et alii Fratres alium. Finito Psalmo per ℣. Réquiem ætérnam. et dicto Pater noster. sine Kyrie., dicat :

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS véniæ largítor et humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam : ut nostræ congregatiónis fratres, soróres, familiáres et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Postea ducatur Magister Ordinis ab eo qui præest in domo cum aliquibus aliis ad visitandum infirmos, si sint in domo. Deinde ducatur ad locum sibi paratum.

¶ Circa Benedictionem quoque Prioris Provincialis venientis observetur quod dictum est circa Benedictionem Magistri, dimissis illis quæ de ducendo ad locum proprium præparatum, vel de intrando Capitulum, vel de visitando cœmeterium vel infirmos dicta sunt; quæ nihilominus poterit facere, cum sibi videbitur faciendum.

¶ Idem etiam observetur circa Benedictionem Prioris Conventualis, cum primo venit ad domum, si de Conventu alio sit assumptus.

QUANDO recessurus est Magister Ordinis non reversurus in brevi, si tali hora vult recedere, quod Fratres vocari possint commode, convocandi sunt cum campana Capituli ad Ecclesiam, ubi collocent se ordinate in Choro inferiori. Magistro Ordinis et Fratribus cum eo recessuris prostratis in Choro

in modum veniæ, Sacerdos, qui major est inter Fratres domus, stans prope prostratos, incipiat Psalmum Levávi óculos meos in montes., pag. 205* et Conventus eum prosequatur hoc modo quod Sacerdos solus dicat unum Versum et totus Conventus alium.

Post Glória Patri. et Sicut erat. dicatur ab omnibus : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto.

Et subjungat Sacerdos prædictus :

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne : ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes tuo semper protegántur auxílio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Sacerdos postmodum ipsos erectos aspergat aqua benedicta.

Quo peracto, detur pax Fratribus a Magistro Ordinis, omissis aliis supradictis de intrando Capitulum, et de cœmeterio et de infirmis visitandis, nisi de mandato suo aliud fiat.

℣ Circa Benedictionem quoque Prioris Provincialis recedentis observetur quod dictum est circa Benedictionem recedentis Magistri Ordinis.

ORATIONES ITINERANTIUM.

I. ITINERARIUM SEU ORATIONES IN IPSO ITINERIS INGRESSU DICENDÆ.

In viam pacis dírige nos Dómine.

Canticum Benedíctus Dóminus Deus Israel., pag. 23.

Aña. In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et miséricors Dóminus : et Angelus Ráphael comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte et gáudio revertámur ad própria.

Aña. Dómine non secúndum peccáta nostra fácias nobis : neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

Aña. Dómine ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum : cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

Aña. Adjuva nos Deus salutáris noster : et propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos : et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Aña. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo benedícta.

Aña. Angeli, Archángeli, Throni, et Dominatiónes, Principátus, et Potestátes, Virtútes cælórum, laudáte Dóminum de cælis, et oráte pro nobis.

Aña. Magne Pater sancte Domínice, mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice.

Aña. Christi pia grátia Sanctos sublimávit quos Patris

Domínici Ordo propagávit : nos eórum méritis pétimus juvári, atque suis précibus Deo commendári.

Aña. Sancti Dei omnes intercédere dignémini pro nostra, omniúmque salúte.

Aña. Lux ætérna lúceat eis Dómine, cum Sanctis tuis in ætérnum, quia pius es.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie. ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.

℣. Vias tuas Dómine demónstra nobis. ℟. Et sémitas tuas édoce nos.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ. ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas.

℣. Erunt prava in directa. ℟. Et áspera in vias planas.

℣. Convérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Post partum Virgo inviolata permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum. ℟. Sta coram summo Júdice pro tuo cœtu páuperum.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Oráte pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Dóminus vobíscum. (vel Dómine exáudi.)

Orémus.

DEUS, qui fílios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te, stella duce, pandísti : tribue nobis, quæsumus, iter prósperum, tempúsque tranquíllum: ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum, quo pérgimus, locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum perveníre felíciter valeámus.

DEUS, qui Abraham púerum tuum, de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti : quæsumus ut nos fámulos tuos custodíre dignéris. Esto nobis Dómine in procínctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus : ut te duce, quo téndimus próspere perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris : et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes, tuo semper protegántur auxílio.

DEUS, qui nos in tantis periculis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere : da nobis salútem mentis et córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte vincámus.

PROTEGE Dómine fámulos tuos subsídiis pacis : et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes a cunctis hóstibus redde secúros.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria, hominúmque dispénsas; concéde propítius : ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Dominici Confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut ad meliórem vitam Sanctórum Ordinis nostri exémpla nos próvocent, quátenus quorum memóriam ágimus étiam actus imitémur.

TRIBUE, quæsumus Dómine, omnes Sanctos tuos júgiter pro nobis oráre; et eos cleménter exaudíre dignéris.

ABSOLVE, quæsumus Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Dóminum.

Procedámus in pace. ℟. In nómine Dómini. Amen.

II. ORATIONES ITINERANTIUM QUOTIDIANÆ.

Fratres itinerantes consueverunt in via facere quotidie aliquam Orationem. Et possunt qui volunt hoc modo orare :

Incepta Aña In viam pacis., dicant Canticum Benedictus., pag. 23. cum Glória Patri.

Aña. In viam pacis dírige nos Dómine.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie. ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.

Dóminus vobíscum. (vel Dómine exáudi oratiónem meam.)

Orémus. Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne : ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes tuo semper protegántur auxílio. Per Christum.

¶ Item solent orare in via pro benefactoribus suis, tam vivis quam mortuis, de quorum eleemosynis sustentantur. dicendo Psalmos Ad te levávi. et De profúndis. cum ℣℣. et Orationibus quæ solent dici in Capitulo post recitationem beneficiorum, pag. 198*.

¶ Item pium est quod transeuntes per cœmeteria orent pro mortuis dicendo Psalmum De profúndis. pag. 197* cum ℣. Réquiem ætérnam., Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimas eórum.

Dóminus vobíscum. vel Dómine exáudi oratiónem meam.

Orémus. Oratio.

DEUS, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt: fámulis et famulábus tuis ómnibus, hic et ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum, ut a cunctis reátibus absolúti tecum sine fine læténtur. Per cúmdem Christum.

¶ Item intrantes ecclesiam quamcumque, flexis genibus debent orare secreto secundum quod Dominus cuilibet inspirabit, et varii affectus et necessitates requirunt.

Potest autem, præmisso Pater noster., Ave María. et ℣. Oráte pro nobis omnes Sancti Dei. cum ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi., animo erecto ad Sanctum vel ad Sanctos qui in illa ecclesia venerationi habentur, sic dici :

Dóminus vobíscum. (vel Dómine exáudi oratiónem meam.)

Orémus. Oratio.

INFIRMITATEM nostram, quæsumus Dómine, propítius réspice, et mala ómnia quæ juste merémur, beáti N. (vel beatórum N. et N.) et ómnium Sanctórum tuórum intercessióne avérte. Per Christum.

¶ Item intrantes domum quamcumque possunt dicere juxta doctrinam Salvatoris : Pax huic dómui. Et ómnibus habitántibus in ea.

¶ Ad hæc possunt alias Orationes pro libito dicere in via constituti secundum devotionem a Deo sibi datam. (Ex Ordinario.)

ABSOLUTIONES.

I. FORMA COMMUNIUS OBSERVANDA IN CONFESSIONE SACRAMENTALI.

SI tenéris áliquo vínculo excommunicatiónis, (suspensiónis) et interdícti, a quo possim te absólvere : ego absólvo te, et restítuo te sanctis sacraméntis Ecclésiæ, communióni et unitáti fidélium. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

¶ Si Pœnitens sit laicus, omittitur verbum suspensiónis.

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua, líberet te ab omni malo, salvet, et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat te ad vitam ætérnam. Amen.

DOMINUS noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, per suam piíssimam misericórdiam te absólvat : et auctoritáte ipsíus, qua fungor, ego absólvo te ab ómnibus peccátis tuis, ut sis absolútus hic, et ante tribúnal ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, habeásque vitam ætérnam, et vivas in sæcula sæculórum. In nómine Patris ✠, et Fílii, ✠ et Spíritus sancti. ✠ Amen.

PASSIO Dómini nostri Jesu Christi, et mérita beátæ Maríæ semper Vírginis, et beáti Domínici Patris nostri et ómnium Sanctórum, et quidquid boni féceris et inténdis fácere, aut mala quæ sústines et sustinébis, sint tibi in remissiónem peccatórum, in augméntum grátiæ, et præmium vitæ ætérnæ. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

II. FORMA BREVIOR OBSERVANDA IN RECONCILIATIONE, SEU IN CONFESSIONIBUS FREQUENTIORIBUS ET BREVIORIBUS.

Omitti poterit Misereátur., et satis erit dicere :

SI tenéris áliquo vínculo excommunicatiónis, (suspensiónis) et interdícti, a quo possim te absólvere : ego absólvo te. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

ITEM ego absólvo te ab omnibus peccátis tuis. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

III. FORMA BREVISSIMA OBSERVANDA URGENTE NECESSITATE IN MORTIS PERICULO.

EGO absólvo te ab ómnibus censúris et peccátis. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

IV. FORMA OBSERVANDA TEMPORE JUBILÆI AUT SIMILIUM GRATIARUM.

SI tenéris áliquo vínculo vel alíquibus vinculis excommunicatiónis (suspensiónis) et interdícti, a quo vel a quibus ego possim te absólvere : auctoritáte mihi commíssa et tibi concéssa a Sanctíssimo Dómino nostro Papa (vel a N.) ego absólvo te, et restítuo te sanctis sacraméntis Ecclésiæ, communióni et unitáti fidélium. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

MISEREATUR tui omnípotens Deus., etc. Dóminus noster Jesus Christus., etc., ut pag. 211*.

NOTANDUM.

AT si de excommunicatione Confessarius sit certus, et facultatem super ea obtinuerit, post præmittenda, dicat sic : Absólvo te a vínculo excommunicatiónis, quam incurrísti propter talem, vel talem causam., etc. Deinde a peccatis absolvat, ut supra.

V. ABSOLUTIO GENERALIS FRATRIBUS DANDA IN SOLEMNIBUS FESTIS ET CAPITULIS.

Dicto Confiteor... et tibi Pater., etc., et Misereátur vestri., etc., dicat Prælatus :

SI tenémini áliquo vínculo excommunicatiónis, suspensiónis, et interdícti, in quantum se exténdunt grátiæ et privilégia Ordini nostro indúlta, mihi commíssa, et vobis concéssa, ego absólvo vos, et restítuo vos sacrosánctis Sacraméntis Ecclésiæ, communióni et unitáti fidélium. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

EADEM auctoritáte ego dispénso vobíscum super irregularitáte, sive irregularitátibus, si quam, vel si quas contraxístis, et habílito vos exsecutióni Ordinum et officiórum vestrórum.

ITEM eádem auctoritáte absólvo vos ab omni transgressióne Régulæ, et Constitutiónum, et admonitiónum Majórum vestrórum, et ab omni pœniténtia oblíta et neglécta, et máxime a pœna, quæ debétur propter fractiónem siléntii inter duo Capítula (Si fuerit Magister Ordinis aut ejus Vicarius, Prior Provincialis aut ejus Vicarius, vel ab eis habuerit specialem commissionem, addat : et in mensa), et ab ómnibus áliis, de quibus consuévit fieri absolútio in consimílibus Solemnitátibus, (vel Capítulis) : ut sitis absolúti hic et ante tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, habeatísque vitam ætérnam, et vi-

vátis in sæcula sæculórum. Amen.

Postea pœnitentiam injungat ad libitum suum.

VI. ABSOLUTIO GENERALIS SORORIBUS DANDA IN SOLEMNIBUS FESTIS ET CAPITULIS.

Dicto Confíteor Deo.... et tibi Pater., etc., et Misereátur vestri., etc., dicat Prælatus :

SI tenémini áliquo vínculo excommunicatiónis et interdícti, in quantum se exténdunt grátiæ et privilégia Ordini nostro indúlta, mihi commíssa et vobis concéssa, ego absólvo vos, et restítuo vos sacrosánctis sacraméntis Eccléstæ, communióni et unitáti fidélium. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

ITEM eádem auctoritáte absólvo vos ab omni transgressióne Régulæ, et Constitutiónum, et admonitiónum Majórum vestrórum, et ab omni pœniténtia oblíta et neglécta, et máxime a pœna, quæ debétur propter fractiónem siléntii inter duo Capítula (Si fuerit Magister Ordinis aut ejus Vicarius, Prior Provincialis aut ejus Vicarius, vel ab eis habuerit specialem commissionem, addat : et in mensa), et ab ómnibus áliis, de quibus consuévit fíeri absolútio in consimílibus Solemnitátibus, (vel Capítulis,) ut sitis absolútæ hic, et ante tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, habeatísque vitam ætérnam, et vivátis in sæcula sæculórum. Amen.

Postea pœnitentiam injungat ad libitum suum.

BENEDICTIO CUM INDULGENTIA PLENARIA TERTIARIIS SÆCULARIBUS DANDA.

Aña. Intret orátio mea in conspéctu tuo Dómine; inclína aurem tuam ad preces nostras : parce Dómine, parce pópulo tuo, quem redemísti Sánguine tuo pretióso : ne in ætérnum irascáris nobis.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperántes in te.

℣. Mitte eis Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Esto eis Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEUS, cui próprium est miseréri semper et párcere, súscipe deprecatiónem nostram : ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXAUDI, quæsumus Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis : ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

INEFFABILEM nobis Dómine misericórdiam tuam cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis quas pro his merémur erípias.

DEUS, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris; preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dicto deinde Confíteor. etc. Sacerdos prosequitur : Misereátur vestri. etc., Indulgéntiam, absolutiónem, etc.

DOMINUS noster Jesus Christus, qui beáto Petro Apóstolo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, ille vos absólvat ab omni vínculo delictórum, ut habeátis vitam ætérnam, et vivátis in sæcula sæculórum. Amen.

PER sacratíssimam Passiónem et mortem Dómini nostri Jesu Christi, précibus et méritis beatíssimæ semper Vírginis Maríæ, beatórum Apostolórum Petri et Pauli, beáti Patris nostri N. et ómnium Sanctórum, auctoritáte a Summis Pontifícibus mihi commíssa, plenáriam Indulgéntiam ómnium peccatórum vestrórum vobis impértior. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

¶ Si autem hæc Indulgentia uni tantum post sacramentalem Absolutionem elargienda fuerit (et potest dari a quolibet Confessario), reliquis omissis, dicat Sacerdos :

DOMINUS noster Jesus Christus, qui beáto Petro Apóstolo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, ille te absólvat ab omni vínculo delictórum, ut hábeas vitam ætérnam, et vivas in sæcula sæculórum. Amen.

PER sacratíssimam Passiónem et mortem Dómini nostri Jesu Christi, précibus et méritis beatíssimæ semper Vírginis Maríæ, beatórum Apostolórum Petri et Pauli, beáti Patris nostri N. et ómnium Sanctórum, auctoritáte a Summis Pontifícibus mihi commíssa, plenáriam Indulgéntiam ómnium peccatórum tuórum tibi impértior. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

BENEDICTIO D. PAPÆ NOMINE IMPERTIENDA.

Admoneatur populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de præceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die quo visitanda est designata Ecclesia, de hora denique qua dabitur Pontificia Benedictio. De quibus quatenus opus sit, etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis, certior fiat.

Postquam statutis die et hora populus ad Ecclesiam convenerit, lectis alta voce litteris Apostolicis quibus Indulgentia conceditur una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, et in vulgarem sermonem conversis, pio brevique sermone ad suorum scelerum detestationem populus excitetur. Post quæ Sacerdos, nullis circum-

stantibus ministris, stola et superpelliceo indutus, ante altare genuflexus sequentibus verbis Dei opem imploret :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Salvum fac pópulum tuum Dómine. ℟. Et bénedic hereditáti tuæ.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde stans sequentem recitet Orationem :

Orémus.

OMNIPOTENS et miséricors Deus da nobis auxílium de sancto, et vota pópuli hujus in humilitáte cordis véniam peccatórum poscéntis, tuámque benedictiónem præstolántis et grátiam, cleménter exáudi : déxteram tuam super eum benignus exténde, ac plenitúdinem divínæ benedictiónis effúnde, qua bonis ómnibus cumulátus, felicitátem et vitam consequátur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea ad cornu Epistolæ accedens, non trino, sed unico signo crucis astantes benedicat, proferens alta voce hæc verba :

Benedícat vos omnípotens Deus, ✠ Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus. ℟. Amen.

¶ Præcedens Benedictio Tertiariis S. P. N. Dominici, ex concessione Sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ XIII. impertiri potest, sed nonnisi bis in anno, et sub conditione quod nunquam detur eadem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat.

BENEDICTIO APOSTOLICA IN ARTICULO MORTIS

A BENEDICTO XIV. PRÆSCRIPTA.

Sacerdos infirmi cubiculum ingressus dicat : Pax huic dómui. ℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Mox infirmum, lectum ejus, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicens Añam. Aspérges me Dómine hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam. Postea dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Aña. Ne reminiscáris Dómine delícta fámuli tui (vel ancíllæ tuæ : neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (vel Salvam fac ancíllam tuam). ℟. Deus meus sperántem in te.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

CLEMENTISSIME Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem atque sperántem : secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice propítius fámulum tuum N., quem (vel fámulam tuam N., quam) tibi vera fides et spes christiána comméndant. Vísita eum (vel eam) in salutári tuo, et per Unigéniti tui Passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem et véniam cleménter indúlge : ut ejus ánima in hora éxitus sui te júdicem propitiátum invéniat, et in sánguine ejúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tunc dicto ab uno ex astantibus Confíteor. etc., Sacerdos dicat Misereátur. etc., deinde :

DOMINUS noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, per suam piíssimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in Baptísmate recepísti : et ego facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, Indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria, remíttat tibi omnípotens Deus omnes præséntis et futúræ vitæ pœnas, paradisi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus, Pater ✠, et Fílius, et Spíritus sanctus. Amen.

¶ Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur, dicendo : Dóminus noster., ut supra.

¶ Et si mors proxime urgeat, dicat :

INDULGENTIAM plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

BENEDICTIONES RERUM VARIÆ.

BENEDICTIO ROSARIORUM.

Sacerdos stolam deferens dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui propter exímiam caritátem tuam qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum Dóminum nostrum Jesum Christum de cælis in terram descéndere, et de beatíssimæ Vírginis Maríæ Dóminæ nostræ útero sacratíssimo, Angelo nuntiánte, carnem suscípere, crucémque ac mortem subíre, et tértia die glorióse a mórtuis resúrgere voluísti, ut nos eríperes de potestáte diáboli : obsecrámus imménsam cleméntiam tuam ut hæc signa (vel hoc signum) Rosárii in honórem et laudem ejúsdem Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicáta (vel dicátum) bene ✠ dícas et sanctí ✠ fices, eísque (vel eíque) tantam infúndas virtútem Spíritus sancti, ut quicúmque horum quódlibet (vel hoc) secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, et in eis (vel eo) ad te, secúndum ejúsdem sanctæ Societátis institúta, divína contemplándo mystéria, devóte oráverit, salúbri et perseveránti devotióne abúndet, sitque consors et párticeps ómnium gratiárum, privilegiórum et Indulgentiárum, quæ eidem Societáti per sanctam Sedem Apostólicam concéssa fuérunt, ab omni hoste visíbili et invisíbili semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo ab ipsa beatíssima Vírgine María Dei Genitríce tibi plenus bonis opéribus præsentári mereátur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO ROSARUM.

Sacerdos stolam deferens dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, creátor et conservátor géneris humáni, dator grátiæ spirituális, et largítor ætérnæ salútis, benedictióne tua sancta béne✠dic has rosas, quas pro grátiis tibi exsolvéndis cum devotióne ac veneratióne beátæ semperque Vírginis Maríæ ejúsque Rosárii hódie tibi præsentámus, et pétimus benedíci : et infúnde eis per virtútem sanctæ Cru✠cis benedictiónem cæléstem, qui eas ad odóris suavitátem et repelléndas infirmitátes humáno úsui tribuísti ; talémque signáculo sanctæ Cru✠cis benedictiónem accípiant, ut quibuscúmque in infirmitátibus appósitæ fúerint, seu qui eas in dómibus suis portáverint, ab infirmitáte sanéntur ; discédant diáboli, contremíscant et fúgiant pávidi cum suis minístris de habitatiónibus illis, nec ámplius tibi serviéntes inquietáre præsúmant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO CANDELARUM SOCIETATIS SANCTISSIMI ROSARII.

Sacerdos stolam deferens dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE Jesu Christe, lux vera, qui illúminas omnem hóminem veniéntem in hunc mundum, effúnde per intercessiónem beátæ Vírginis Maríæ matris tuæ, et per quíndecim ejus Rosárii mystéria, benedictiónem tuam super hos céreos ✠ et candélas, et sanctífica eas lúmine tuæ grátiæ; et concéde propítius ut sicut hæc luminária igne visíbili accénsa noctúrnas depéllunt ténebras; ita corda nostra, invisíbili igne ac Spíritus ✠ sancti splendóre illustráta, ómnium vitiórum cæcitáte cáreant: ut puro mentis óculo cérnere semper possímus quæ tibi plácita sunt, et nostræ salúti utília: quátenus post hujus sæculi caliginósa discrímina, ad lucem indeficiéntem pervenire mereámur. Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO VESTIMENTORUM FRATRUM ET SORORUM.

Sacerdos stolam deferens dicat:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui tégimen nostræ mortalitátis indúere dignátus es: obsecrámus imménsam largitátis tuæ abundántiam ut hoc genus vestimentórum, quod sancti Patres ad innocéntiæ et humilitátis indícium ferre sanxérunt, ita bene ✠ dícere dignéris, ut qui hoc usus (vel quæ hoc usa) fúerit te indúere mereátur Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO CINGULORUM S. THOMÆ AQUINATIS.

Sacerdos stolam deferens dicat:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, puritátis amátor et custos, obsecrámus imménsam cleméntiam tuam: ut sicut ministério angelórum sanctum Thomam Aquinátem cíngulo castitátis cíngere, et a labe córporis ac ánimæ præserváre fecísti, ita ad honórem et glóriam ejus bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris Cíngula ista (vel Cíngulum istud): ut quicúmque ipsa (vel ipsum circa renes reverénter portáverit ac tenúerit ab omni immundítia mentis et córporis purificétur, atque in éxitu suo per manus sanctórum angelórum tibi digne præsentári mereátur: Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO AQUÆ CUM RELIQUIIS S. PETRI MARTYRIS.

Sacerdos stolam deferens dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui ad salútem humáni géneris, máxima quæque sacraménta in aquárum substántia condidísti, adésto propítius invocatiónibus nostris, et eleménto huic aquæ, quod beáti Petri Mártyris tui virtúte consignámus, virtútem tuæ bene ✠ dictiónis infúnde : ut per interventum ejúsdem Mártyris tui, sit fidélibus tuis in remédium salutáre, dæmones ab eis ejíciens, morbos ac infirmitátes córporis et ánimæ repéllens : et præsta, ut quicúmque eam súmpserint, vel ea aspérsi fúerint, ab omni adversitáte ánimæ et córporis liberéntur, et utriúsque hóminis recípiant sanitátem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio.

IMMENSAM cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus : ut hos fidéles tuos, ad relíquias beáti Petri Mártyris devóte accedéntes, et ejus suffrágia postulántes, tua ineffábili virtúte bene ✠ dícere dignéris : ut per interventum ejúsdem Mártyris tui ab omni ægritúdine mentis et córporis liberáti, tuáque hic et ubíque misericórdia custoditi, et grátia salváti, post hujus quoque viæ ac vitæ cursum, ad ætérna mereántur gáudia pervenire. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO OLIVARUM IN FESTO S. PETRI MARTYRIS.

Sacerdos stolam deferens dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, béne ✠ dic olívas istas supplicatiónibus nostris : et infúnde eis, Dómine, per virtútem sanctæ Cru ✠ cis, et per intercessiónem beáti Petri Mártyris, benedictiónem cæléstem, qui eas ad repelléndas ténebras humáno géneri tribuísti : talémque benedictiónem signáculo sanctæ Cru ✠ cis accípiant, ut in quibuscúmque locis pósitæ fúerint, discédant príncipes tenebrárum, et contremíscant, et fúgiant pávidi, cum ómnibus ministris suis, de locis vel habitatiónibus illis : non ibi nóceant fúlmina, et tempestátes; non fructus terræ consúmat, aut depérdat ulla intempéries eleménti; nihílque inquiétet aut moléstet serviéntes tibi omnipoténti Deo : Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO PALMARUM VEL ALIORUM RAMORUM IN EODEM FESTO.

Sacerdos stolam deferens dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, béne ✠ dic hos árborum ramos supplicatiónibus nostris : et infúnde eis, Dómine, per virtútem sanctæ Cru ✠ cis, et per intercessiónem beáti Petri Mártyris, benedictiónem cæléstem, qui triumphatúrus de hoste géneris humáni, per manus puerórum palmas, et árborum ramos in honórem tuum adhibéri voluísti : talémque benedictiónem signáculo sanctæ Cru ✠ cis accípiant, ut in quibuscúmque locis áliquid ex eis pósitum fúerit, discédant príncipes tenebrárum, et contremíscant, ac fúgiant pávidi cum ómnibus minístris suis de locis, vel habitatiónibus illis : non ibi nóceant fúlmina, et tempestátes; non fructus terræ consúmat aut depérdat ulla intempéries eleménti, nihílque inquiétet aut moléstet serviéntes tibi omnipoténti Deo : Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO ORATIONUM S. VINCENTII FERRERII.

Sacerdos stolam deferens dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre tua pietáte dignéris has Oratiónes scriptas in tui nóminis honórem, beátæ Vírginis Maríæ Genitrícis tuæ, ac beáti Vincéntii Confessóris tui : ut qui eis usi fúerint, vel in se portáverint, méritis et précibus ejúsdem beáti Vincéntii, salútem ánimæ et córporis a te recípere mereántur : Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO AQUÆ S. VINCENTII FERRERII PRO INFIRMIS.

Sacerdos stolam deferens dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

MAJESTATEM tuam Dómine súpplices exorámus, ut qui in desérto erémi petram benedixísti, ut bis a virga Móysi percússa, aquæ ex ea largíssime egrederéntur, et géminam illam percussiónem sacraméntum Passiónis et duo ligna Crucis significáre voluísti, tua quoque benignitáte et cleméntia, per ejúsdem sanctæ Crucis mystérium, aquam

istam larga benedictióne sancti ✠ fices, ut omnis infírmus, qui de ea bíberit, vel ex ea aspérsus fúerit, séntiat statim salutárem tuæ benedictiónis efféctum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICO hanc aquam in nómine Dei Pa ✠ tris omnipoténtis, qui hoc ad usum humánum gratum creávit eleméntum, ut sit sórdium lavácrum córporis et ánimæ, mira omnipoténtia elevátum; potum sitiéntibus tríbuat, refrigérium sit æstuántibus, via et sémita navigántibus; et qui in aqua et per aquam in mundi univérsi submersióne sacraméntum novæ Legis præsignávit, cum octo ánimas salvávit in arca super eam ambulánte, et apértis cataráctis cæli plúere fecit eam quadragínta diébus, et quadragínta nóctibus super terram, hanc aquam bene ✠ dícat et sancti ✠ ficet, ut ad sui sancti nóminis et sancti Vincéntii invocatiónem ægrótum sanet, consólidet infírmum, dejéctum érigat, immúndum purificet, ac peténti ab eo salútem poténter restítuat. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti. Amen.

Tangens Sacerdos vas aquæ Reliquia vel Imagine sancti Vincentii dicat :

Orémus. Oratio.

ADESTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, et eleménto huic aquæ méritis sancti Vincéntii, cujus Relíquia (vel Imágine) tángitur, virtútem tuæ iterátæ bene ✠ dictiónis infúnde, ut bibénti fiat potus ad salútem. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti. Amen.

Quatuor Cruces in hac Oratióne præsignatæ fieri debent cum Reliquia vel Imagine.

Sacerdos dicat Añam :

Adsit nobis propítius in hujus vitæ véspere, ad Christum nos Vincéntius tuto ferens itínere.

℣. Ora pro nobis beáte Vincénti. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui géntium multitúdinem, mira beáti Vincéntii Confessóris tui prædicatióne, ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : præsta quæsumus, ut quem ventúrum Júdicem nuntiávit in terris, præmiatórem habére mereámur in cælis Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO OMNIS REI DE QUA BENEDICTIONIS FORMA PROPRIA NON HABETUR.

Sacerdos stolam deferens dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

BENE ✠ DIC Dómine creatúram istam N., ut sit remédium salutáre géneri humáno : et præsta, per invocatiónem tui sancti nóminis, ut quicúmque ea usi fúerint, córporis sanitátem et ánimæ tutélam accípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

EXORCISMUS IN SATANAM ET ANGELOS APOSTATICOS

SS. D. N. LEONIS PAPÆ XIII. JUSSU EDITUS.

SS. Dominus Noster Leo Papa XIII. omnibus Sacerdotibus sæcularibus ab Ordinario loci et omnibus Sacerdotibus Ordinis Prædicatorum a Magistro ejusdem Ordinis legitime ad id auctoritatem habentibus, qui exorcismum infra scriptum semel in die recitaverint, partialem tercentum dierum Indulgentiam singulis diebus lucrandam : iisdem vero per totum mensem id peragentibus, confessis, ac sacra Eucharistia refectis, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam semel in mense, die eorum arbitrio designanda, pariter lucrandam impertitus est : quam etiam animabus Christifidelium in Purgatorio detentis applicari posse declaravit.

IN nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

Ad S. Michaelem precatio.

PRINCEPS gloriosíssime cæléstis militiæ, sancte Míchael Archángele, defénde nos in prœlio advérsus príncipes et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cæléstibus. Veni in auxílium hóminum, quos Deus ad imáginem similitúdinis suæ fecit, et a tyránnide diáboli emit prétio magno. Te custódem et patrónum sancta venerátur Ecclésia; tibi trádidit Dóminus ánimas redemptórum in supérna felicitáte locándas. Deprecáre Deum pacis, ut cónterat Sátanam sub pédibus nostris, ne ultra váleat captívos tenére hómines, et Ecclésiæ nocére. Offer nostras preces in conspéctu Altíssimi, ut cito antícipent nos misericórdiæ Dómini, et apprehéndas dracónem, serpéntem antíquum, qui est diábolus et Sátanas, ac ligátum mittas in abyssum, ut non sedúcat ámplius gentes.

Exorcismus.

IN nómine Jesu Christi Dei et Dómini nostri, intercedénte Immaculáta Vírgine Dei Genitríce María, beáto Michaéle Archángelo, beátis Apóstolis Petro et Paulo et ómnibus Sanctis, et sacra ministérii nostri auctoritáte confísi, ad infestatiónes diabólicæ fraudis repelléndas secúri aggrédimur.

Psalmus 67.

EXSURGAT Deus et dissipéntur inimíci ejus : * et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant; * sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

℣. Ecce Crucem Dómini, fúgite partes advérsæ. ℟. Vicit Leo de tribu Juda, radix David.

℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

EXORCIZAMUS te, omnis immúnde spíritus, omnis satánica potéstas, omnis incúrsio infernális adversárii, omnis légio, omnis congregátio et secta diabólica, in nómine et

virtúte Dómini nostri Jesu ✠ Christi, eradicáre et effugáre a Dei Ecclésia, ab animábus ad imáginem Dei cónditis ac pretióso divíni Agni sánguine redémptis ✠. Non ultra áudeas, serpens callidíssime, decípere humánum genus, Dei Ecclésiam pérsequi, ac Dei eléctos excútere et cribráre sicut tríticum ✠. Imperat tibi Deus altíssimus ✠, cui in magna tua supérbia te símilem habéri adhuc præsúmis; qui omnes hómines vult salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre. Imperat tibi Deus Pater ✠; ímperat tibi Deus Fílius ✠; ímperat tibi Deus Spíritus sanctus ✠. Imperat tibi Christus, ætérnum Dei Verbum caro factum ✠, qui pro salúte géneris nostri tua invídia pérditi humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, qui Ecclésiam suam ædificávit supra firmam petram, et portas ínferi advérsus eam nunquam esse prævalitúras edíxit, cum ea ipse permansúrus ómnibus diébus usque ad consummatiónem sæculi. Imperat tibi sacraméntum Crucis ✠, omniúmque christiánæ fídei Mysteriórum virtus ✠. Imperat tibi excélsa Dei Génitrix Virgo María, ✠ quæ superbíssimum caput tuum a primo instánti immaculátæ suæ Conceptiónis in sua humilitáte contrívit. Imperat tibi fides sanctórum Petri et Pauli, ceterorúmque Apostolórum ✠. Imperat tibi Mártyrum sanguis, ac pia Sanctórum et Sanctárum ómnium intercéssio ✠.

Ergo, draco maledícte et omnis légio diabólica adjurámus te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum qui sic diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret, ut omnis qui credit in eum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam : cessa decípere humánas creatúras, eísque ætérnæ perditiónis venénum propináre : désine Ecclésiæ nocére, et ejus libertáti láqueos injícere. Vade Sátana, invéntor et magíster omnis fallácíæ, hostis humánæ salútis. Da locum Christo, in quo nihil invenísti de opéribus tuis; da locum Ecclésiæ uni, sanctæ, cathólicæ et Apostólicæ, quam Christus ipse acquisívit sánguine suo. Humiliáre sub poténti manu Dei; contremísce et éffuge, invocáto a nobis sancto et terríbili nómine Jesu, quem inferi tremunt, cui Virtútes cælórum et Potestátes et Dominatiónes subjéctæ sunt; quem Chérubim et Séraphim indefessis vócibus laudant, dicéntes : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS cæli, Deus terræ, Deus Angelórum, Deus Archangelórum, Deus Patriarchárum, Deus Prophetárum, Deus Apostolórum, Deus Mártyrum, Deus Confessórum, Deus Vírginum, Deus, qui potestátem habes donáre vitam post mortem, réquiem post labórem; quia non est Deus præter te, nec esse potest nisi tu creátor

ómnium visibílium et invisibílium, cujus regni non erit finis : humiliter majestáti glóriæ tuæ supplicámus, ut ab omni infernálium spirítuum potestáte, láqueo, deceptióne et nequítia nos poténter liberáre, et incólumes custodíre dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Ab insídiis diáboli líbera nos Dómine.

Ut Ecclésiam tuam secúra tibi fácias libertáte servíre te rogámus, audi nos.

Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris te rogámus, audi nos.

Aspergatur locus aqua benedicta.

EXORCISMUS CONTRA TEMPESTATEM FULGURUM ET GRANDINIS.

PER signum ✠ Crucis de inimícis ✠ nostris líbera nos, ✠ Deus noster. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

Dicatur Symbolum fidei, scilicet, Credo in Deum. etc., deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster.

℣. Adjutórium nostrum. etc.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc. etc.

℣. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus. ℟. Et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus.

℣. Exsúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui fecísti cælum, et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt; quique flúmini Jordáni benedixísti, atque in eo baptizári voluísti; et tuas sanctíssimas manus, et bráchia sacratíssima in Cruce ✠ extendísti, quibus áerem sanctificásti : obsecrámus imménsam pietátis et bonitátis tuæ abundántiam, quátenus has nubes, quas ante me, et post me, et supra me, a dextris, et a sinístris vídeo áerem perturbáre, dissólvere et annihiláre dignéris : ut alligáta potéstas dæmonum ímpie desæviéntium defíciat et turbétur, ad laudem tui sanctíssimi nóminis, et potentíssimæ majestátis tuæ. Qui vivis. etc.

Postea conversus ad nubes signet eas signo Crucis, dicens: Circumdet te nubes Deus Pater ✠, circumdet te Deus Fílius ✠, circumdet te Deus Spíritus sanctus ✠. Déstruat te Deus Pater ✠, déstruat te Deus Fílius ✠, déstruat te Deus Spíritus sanctus ✠. Cómprimat te Deus Pater ✠, cómprimat te Deus Fílius ✠, cómprimat te Deus Spíritus sanctus ✠. Amen.

Obsecratio. Sanctus Matthæus, sanctus Marcus, sanctus Lucas, sanctus Joánnes Evangelísta, qui Christi Evangélium per quátuor mundi partes divulgárunt, ipsi suis méritis et précibus hanc tempestátem a término isto, et ab ómnibus Christianórum finibus, ab eódem Dómino nostro Jesu Christo obtíneant effugári et depélli.

Exorcismus. Et ego peccátor, et Christi sacérdos, seu minister, licet indígnus, auctoritáte et virtúte ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi summi Imperatóris, non mea poténtia innixus et confísus, vobis præcípio, immundíssimi spíritus, qui has nubes seu nébulas concitátis, in virtúte ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu ✠ Christi per sanctíssimam ejus incarnatiónem, per nativitátem, per baptísmum et jejúnium ipsius, per ejus sacratíssimam crucem ✠ et passiónem, per sanctam resurrectiónem, per admirábilem ascensiónem, per treméndum advéntum ejus, et judícium, per mérita intemerátæ semperque Vírginis Maríæ, et sanctíssimi N., per mérita ómnium Sanctórum, ut exeátis ab eis, et eas dispergátis in locis silvéstribus et incúltis, quátenus nocére non possint homínibus, animálibus, frúctibus, herbis, arbóribus, aut quibuscúmque rebus, humánis úsibus deputátis. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. Amen.

Ipse vobis ímperat, dæmones, qui has nubes commovétis, de quo de nube lúcida dictum est : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui ✠. Ipse vobis ímperat, qui sua sacratíssima cruce, et córporis sui sanctíssimi in ea extensióne áerem purgávit ✠. Ipse vobis ímperat, qui per mortem suam, vos, príncipem vestrum, mortémque devícit et ligávit, atque ætérnæ gehénnæ mancipávit ígnibus ✠. Ipse vobis ímperat, qui inférno spoliáto surréxit a mórtuis ✠. Ipse vobis ímperat, qui post quadragínta dies nube suscéptus virtúte sua ascéndit in cælum ✠. Ipse vobis ímperat, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ✠ ℟. Amen.

Et postea ostendat Crucem in aere, dicens : Ecce lignum sanctíssimæ Crucis : fúgite partes advérsæ : vicit enim vos et mundum Dóminus noster Jesus Christus Fílius Dei, Imperátor summus, Leo de tribu Juda, radix David.

Postea aqua benedicta in modum crucis ✠ aspergatur per quatuor latera.

Dicendæ sunt etiam Litaniæ, si nondum quievit tempestas.

Symbolum Quicúmque vult., pag. 29. Añæ Salve Regina. et Sub tuum præsídium.

Cant. Benedícite. pag. 18. ℣. Glória. in quolibet Versu dicti Cantici.

Deinde ℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

℣. Exsúrge Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam

agnóscere : et in poténtia majestátis adoráre unitátem; quæsumus ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis.

Oratio.

PROTEGE Dómine fámulos tuos subsídiis pacis : et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes a cunctis hóstibus et periculis redde secúros.

Oratio.

ADOMO tua, quæsumus Dómine, spiritáles nequítiæ repellántur; et aereárum discédat malignitas tempestátum.

Oratio.

AD te, Dómine, clamántes exáudi; et áeris serenitátem nobis tríbue supplicántibus : ut qui juste pro peccátis nostris afflígimur; misericórdia tua præveniénte, tuam cleméntiam sentiámus.

Oratio.

LARGIRI et conserváre fructus terræ dignáre, Dómine Deus noster : ut temporálibus gaudeámus auxíliis, et spirituálibus proficiámus incremétis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Potest dici et Oratio illius Sancti, in cujus honorem constructa est ecclesia, et aliorum Sanctorum, in quorum adjutorio plus confidimus, propter specialem devotionem nostram.

Possunt dici et aliæ etiam devotæ Orationes cum compunctione, et cordis contritione, implorando semper misericordiam Dei. Et si adhuc tempus tempestuosum perseveraverit, poterunt supradicta pluries repeti.

PRÆPARATIO AD MISSAM.

Aña Ne reminiscáris.

Psalmi Quam dilécta. etc. pag. 100. Benedixísti. etc. pag. 101. Inclína. etc. ibidem. Crédidi, propter quod. etc. pag. 130. De profúndis. etc. pag. 135.

Aña. Ne reminiscáris Dómine delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. etc. Et ne nos.

℣. Ego dixi, Dómine miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere Dómine aliquántulum. ℟. Et deprecáre super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua Dómine super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et Sancti tui exsúltent.

℣. Ab occúltis meis munda me Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

℣. Dómine exaudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orationes.

AURES tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, et grátia sancti Spíritus illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis digne ministráre, teque ætérna caritáte dilígere mereámur.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum, purífica per infusió-

nem sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri; ut te perfécte dilígere, et digne laudáre mereámur.

URE igne sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum Dómine, ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

MENTES nostras, quæsumus Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet : et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADSIT nobis, quæsumus Dómine, virtus Spíritus sancti, quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis.

DEUS, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus Dómine, visitándo purifica : ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus parátam sibi in nobis invéniat mansiónem : Qui tecum vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio S. Thomæ de Aquino cum Indulgentia centum dierum a Leone PP. XIII. concessa.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, ecce accédo ad Sacraméntum unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi. Accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontem misericórdiæ, cæcus ad lumen claritátis ætérnæ, pauper et egénus ad Dóminum cæli et terræ. Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam, quátenus meam curáre dignéris infirmitátem, laváre fœditátem, illumináre cæcitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem : ut panem Angelórum, Regem regum, et Dóminum dominántium tanta suscípiam reveréntia et humilitáte, tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte et fide, tali propósito et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimæ meæ. Da mihi, quæso, domínici Córporis et Sánguinis non solum suscípere Sacraméntum, sed étiam rem et virtútem Sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi Corpus unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, quod traxit de Vírgine María, sic suscípere, ut córpori suo mystico mérear incorporári, et inter ejus membra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi diléctum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, reveláta tandem fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio B. Dominici Patris nostri.

DOMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, fácere propóno et inténdo quod fácere jussísti in die Cenæ, et sancta mater Ecclésia unita fácere inténdit. Ne despéxeris ergo me, sed propter infinítam misericórdiam tuam dele iniquitátes meas, et fac me tuum idóneum et fidélem minístrum, et súscipe hoc sacrifícium de mánibus meis indígnis, ad laudem et glóriam totíus Trinitátis et Ecclésiæ tuæ sanctæ, et ad

proféctum mei et aliórum fidélium, tam vivórum quam defunctórum, pro quibus intèndo oráre, vel qualitercúmque sim obligátus generáliter et speciáliter, in nómine sancto tuo. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam, cum Indulgentia centum dierum a Leone PP. XIII. concessa.

O MATER pietátis et misericórdiæ, beatíssima Virgo María, ego miser et indígnus peccátor ad te confúgio toto corde et afféctu : et precor pietátem tuam, ut sicut dulcíssimo Fílio tuo in cruce pendénti astitísti, ita et mihi mísero peccatóri et sacerdótibus ómnibus, hic et in tota sancta Ecclésia ipsum hódie offeréntibus cleménter assístere dignéris : ut tua grátia adjúti, dignam et acceptábilem hóstiam in conspéctu summæ et indivíduæ Trinitátis offérre valeámus. Amen.

Oratio ad Sanctum eo die cultum, cum Indulgentia centum dierum a Leone PP. XIII. concessa.

O SANCTE N., ecce ego miser peccátor, de tuis méritis confísus, óffero nunc sacratíssimum Sacraméntum Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi pro tuo honóre et glória : precor te humíliter et devóte ut pro me hódie intercédere dignéris, ut tantum sacrifícium digne et acceptabíliter offérre váleam, ut eum tecum et cum ómnibus eléctis ejus æternáliter laudáre, et cum eo semper regnáre váleam : Qui vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Forma intentionis ante Missam cum Indulgentia quinquaginta dierum a Gregorio PP. XIII. concessa.

EGO volo celebráre Missam et confícere Corpus et Sánguinem Dómini nostri Jesu Christi juxta ritum sanctæ Románæ Ecclésiæ : ad laudem omnipoténtis Dei, totiúsque cúriæ triumphántis; ad utilitátem meam, totiúsque cúriæ militántis, et patiéntis, pro ómnibus qui se commendavérunt oratiónibus meis in género et in spécie, et pro felíci statu sanctæ Románæ Ecclésiæ. Amen.

GAUDIUM cum pace, emendatiónem vitæ, spátium veræ pœniténtiæ, grátiam et consolatiónem sancti Spíritus, perseverántiam in bonis opéribus tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

Oratio ad S. Joseph, cum Indulgentia centum dierum a Pio PP. IX. concessa.

VIRGINUM Custos et Pater sancte Joseph, cujus fidéli custódiæ ipsa innocéntia Christus Jesus, et Virgo vírginum María commíssa fuit : te per hoc utrúmque caríssimum pignus Jesum et Maríam óbsecro et obtéstor ut me ab omni immundítia præservátum, mente incontamináta, puro corde et casto córpore Jesu et Maríæ semper fácias castíssime famulári. Amen.

Antiphona, ℣. et Oratio ad eumdem cum Indulgentia centum dierum a Pio PP. IX. concessa.

Aña. O felícem virum beátum Joseph, cui datum est Deum,

quem multi reges voluérunt vidére et non vidérunt, audíre et non audiérunt, non solum vidére et audíre; sed portáre, nutríre, deosculári, vestíre et custodíre!

℣. Ora pro nobis beáte Joseph. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio.

DEUS qui dedísti nobis regále sacerdótium, præsta, quæsumus, ut sicut beatíssimus Joseph unigénitum Fílium tuum, natum ex María Vírgine, suis mánibus reveréntter tractáre méruit et portáre: ita nos fácias cum cordis mundítia et óperis innocéntia tuis sanctis altáribus deservíre, ut sacrosánctum Fílii tui Corpus et Sánguinem hódie digne sumámus, et in futúro sæculo præmium habére mereámur ætérnum. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

ORATIONES

DICENDÆ CUM SACERDOS INDUITUR SACRIS VESTIBUS.

Sacerdos, cum lavat manus, dicat:

DA Dómine virtútem mánibus meis ad abstergéndam omnem máculam, ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre. Amen.

Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat:

IMPONE Dómine cápiti meo gáleam salútis ad expugnándos omnes diabólicos incúrsus. Amen.

Ad Albam, cum ea induitur:

DEALBA me Dómine, et munda cor meum, ut in sánguine Agni dealbátus, gáudiis pérfruar sempitérnis. Amen.

Ad Cingulum, dum se cingit:

PRÆCINGE me, Dómine, cíngulo puritátis, et exstíngue in lumbis meis humórem libídinis; ut máneat in me virtus continéntiæ, et castitátis. Amen.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro:

MEREAR, Dómine, portáre manípulum fletus et dolóris, ut cum exsultatióne recípiam mercédem labóris. Amen.

Ad Stolam, dum imponitur collo:

REDDE mihi, Dómine óbsecro, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis: et quamvis indígnus accédo ad tuum sacrum mystérium, mérear tamen gáudium sempitérnum. Amen.

Ad Casulam, cum assumitur:

DOMINE, qui dixísti, Jugum meum suáve est, et onus meum leve; fac ut istud portáre sic váleam, quod cónsequar tuam grátiam. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Aña Trium Puerórum.

Canticum Benedícite. etc. pag. 18.

Ps. 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. pag. 20.

Aña. Trium Puerórum cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camíno ignis benedicéntes Dóminum.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Confiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua. ℟. Et sancti tui benedícant tibi.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Non nobis Dómine, non nobis. ℟. Sed nómini tuo da glóriam.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEUS, qui tribus Púeris mitigásti flammas ígnium : concéde propítius ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACTIONES nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni et adjuvándo prosequere, ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæsumus omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas exstínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

GRATIAS tibi ago Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui me peccatórem indígnum fámulum tuum, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ satiáre dignátus es pretióso Córpore et Sánguine Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi : et precor ut hæc sancta commúnio non sit mihi reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam. Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonæ voluntátis. Sit vitiórum meórum evacuátio, concupiscéntiæ ac libídinis exterminátio : caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obediéntiæ omniúmque virtútum augmentátio, contra insídias inimicórum ómnium, tam visibílium, quam invisibílium, firma defénsio : mótuum meórum, tam carnálium, quam spiritálium, perfécta quietátio : in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummátio. Et precor te ut ad illud ineffábile convívium me peccatórem perdúcere dignéris, ubi tu cum Fílio tuo et Spíritu sancto Sanctis tuis es lux vera, satíetas plena, gáudium sempitérnum, jucúnditas consummáta, et felícitas perfécta. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Rhythmus sancti Thomæ Aquinatis, cum Indulgentia centum dierum a Leone PP. XIII. concessa.

ADORO te devóte latens Déitas,
Quæ sub his figúris vere látitas :
Tibi se cor meum totum súbjicit,
Quia te contémplans totum déficit.

VISUS, gustus, tactus in te fállitur,
Sed audítu solo tuto créditur:
Credo quidquid dixit Dei Fílius :
Nil hoc Veritátis verbo vérius.
IN cruce latébat sola Déitas,
At hic latet simul et humánitas:
Ambo tamen credens, atque cónfitens,
Peto quod petívit latro pœnitens.
PLAGAS, sicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confíteor :
Fac me tibi semper magis crédere,
In te spem habére, te dilígere.
O MEMORIALE mortis Dómini,
Panis vivus vitam præstans hómini,
Præsta meæ menti de te vívere,
Et te illi semper dulce sápere.
PIE Pellicáne, Jesu Dómine,
Me immúndum munda tuo sánguine,
Cujus una stilla salvum fácere
Totum mundum quit ab omni scélere.
JESU, quem velátum nunc aspício,
Oro fiat illud quod tam sítio :
Ut te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuæ glóriæ.
Amen.

Oratio ad Dei Filium.

ANIMA Christi sanctíssima sanctífica me :
Corpus Christi sacratíssimum salva me :
Sanguis Christi pretiosíssime inébria me :
Aqua láteris Christi puríssima munda me :
Sudor vultus Christi virtuosíssime sana me :
Pássio Christi piíssima confórta me.
O bone Jesu custódi me :
Intra vúlnera tua abscónde me :
Non permíttas me separári a te :
Ab hoste malígno defénde me :
In hora mortis meæ voca me :
Jube me veníre ad te, et pone me juxta te :
Ut cum Angelis et Archángelis tuis laudem te
Per infiníta sæcula sæculórum.
Amen.

OBSECRO te mitíssime et bone Jesu, ut hæc immortális hóstia pro me tibi grátias réferat, me tibi reconcíliet, me tibi restítuat, mihi peccatóri véniam tríbuat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Amen.

Oratio ad beatam Virginem Mariam.

O SERENISSIMA et inclyta Mater Dómini nostri Jesu Christi Virgo María, Regína mundi, quæ eúmdem Creatórem ómnium creaturárum tuo sanctíssimo útero fuísti digna portáre, cujus idem sacratíssimum Corpus et Sánguinem sumpsi : ad ipsum pro me mísero peccatóre intercédere dignéris, ut quidquid in hoc ineffábili Sacraménto ignoránter, negligénter, irreverénter et accidentáliter omísi vel commísi, tuis précibus sanctíssimis mihi indulgére dignétur : Qui vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio excerpta ex libro de Imitatione Christi.

ADJUVET nos grátia tua omnípotens Deus, ut qui offícium sacerdotále suscépimus, digne et devóte tibi cum omni puritáte, et in consciéntia bona famulári valeámus. Et si non póssumus in tanta innocéntia vitæ conversári ut debémus : concéde nobis tamen digne flere mala quæ géssimus, ut in spíritu humilitátis, ac bonæ voluntátis propósito, tibi ferventius deservíre valeámus.

Oratio ad Dominum nostrum Jesum Christum crucifixum, cum Indulgentia plenaria a Pio PP. IX. concessa illis qui peracta sacramentali confessione, sacra Communione refecti, corde saltem contrito et devoto ipsam ante quamlibet Domini nostri Jesu Christi crucifixi imaginem recitaverint, et pro sanctæ matris Ecclesiæ necessitatibus oraverint.

EN ego, o bone et dulcíssime Jesu, ante conspéctum tuum génibus me provólvo, ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor ut meum in cor vívidos fídei, spei et caritátis sensus atque veram peccatórum meórum pœniténtiam, éaque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere : dum magno ánimi afféctu et dolóre tua quinque vúlnera mecum ipse considero ac mente contémplor, illud præ óculis habens quod jam in ore ponébat tuo David Prophéta de te o bone Jesu : Fodérunt manus meas et pedes meos : dinumeravérunt ómnia ossa mea.

LITANIÆ SS. NOMINIS JESU.

KYRIE eléison.
Christe eléison.
Kyrie eléison.
Jesu audi nos.
Jesu exáudi nos.
Pater de cælis Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Jesu Fili Dei vivi, miserére nobis.
Jesu splendor Patris, miserére nobis.
Jesu candor lucis ætérnæ, miserére nobis.
Jesu rex glóriæ, miserére nobis.
Jesu sol justítiæ, miserére nobis.
Jesu Fili Maríæ Vírginis, miserére nobis.
Jesu amábilis, miserére nobis.
Jesu admirábilis, miserére nobis.
Jesu Deus fortis, miserére nobis.
Jesu pater futúri sæculi, miserére nobis.
Jesu magni consílii ángele, miserére nobis.
Jesu potentíssime, miserére nobis.
Jesu patientíssime, miserére nobis.
Jesu obedientíssime, miserére nobis.
Jesu mitis et húmilis corde, miserére nobis.
Jesu amátor castitátis, miserére nobis.
Jesu amátor noster, miserére nobis.
Jesu Deus pacis, miserére nobis.

Jesu auctor vitæ, miserére nobis.
Jesu exémplar virtútum, miserére nobis.
Jesu zelátor animárum, miserére nobis.
Jesu Deus noster, miserére nobis.
Jesu refúgium nostrum, miserére nobis.
Jesu pater páuperum, miserére nobis.
Jesu thesáurus fidélium, miserére nobis.
Jesu bone pastor, miserére nobis.
Jesu lux vera, miserére nobis.
Jesu sapiéntia ætérna, miserére nobis.
Jesu bónitas infiníta, miserére nobis.
Jesu via et vita nostra, miserére nobis.
Jesu gáudium Angelórum, miserére nobis.
Jesu rex Patriarchárum, miserére nobis.
Jesu magíster Apostolórum, miserére nobis.
Jesu doctor Evangelistárum, miserére nobis.
Jesu fortitúdo Mártyrum, miserére nobis.
Jesu lumen Confessórum, miserére nobis.
Jesu púritas Vírginum, miserére nobis.
Jesu coróna Sanctórum ómnium, miserére nobis.
Propítius esto, parce nobis Jesu.
Propítius esto, exáudi nos Jesu.
Ab omni malo líbera nos Jesu.
Ab omni peccáto líbera nos Jesu.
Ab ira tua líbera nos Jesu.
Ab insídiis diáboli líbera nos Jesu.
A spíritu fornicatiónis líbera nos Jesu.
A morte perpétua líbera nos Jesu.
A negléctu inspiratiónum tuárum líbera nos Jesu.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ líbera nos Jesu.
Per nativitátem tuam líbera nos Jesu.
Per infántiam tuam líbera nos Jesu.
Per diviníssimam vitam tuam líbera nos Jesu.
Per labóres tuos líbera nos Jesu.
Per agoníam et passiónem tuam líbera nos Jesu.
Per crucem et derelictiónem tuam líbera nos Jesu.
Per languóres tuos líbera nos Jesu.
Per mortem et sepultúram tuam líbera nos Jesu.
Per resurrectiónem tuam líbera nos Jesu.
Per ascensiónem tuam líbera nos Jesu.
Per gáudia tua líbera nos Jesu.
Per glóriam tuam líbera nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis Jesu.
Jesu audi nos.
Jesu exáudi nos.

Orémus. Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui dixísti, Pétite et accipiétis, quærite et inveniétis, pulsáte et aperiétur vobis : quæsumus, da nobis peténtibus diviníssimi tui amóris affectum : ut te toto corde, ore et ópere diligámus, et a tua nunquam laude cessémus.

Oratio.

SANCTI Nóminis tui Dómine timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum : quia nunquam tua gubernatióne destítuis quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis.

Oratio.

DEUS, qui gloriosíssimum Nomen Jesu Christi Fílii tui Dómini nostri fecísti fidélibus tuis summo suavitátis affléctu amábile, et malignis spirítibus treméndum atque terríbile : concéde propítius ut omnes qui hoc Nomen Jesu devóte venerántur in terris, sanctæ consolatiónis dulcédinem in præsénti percípiant, et in futúro gáudium exsultatiónis, et interminábilis beatitúdinis obtíneant in cælis. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

LITANIÆ SS. CORDIS JESU.

KYRIE eléison.
Christe eléison.
Kyrie eléison.
Christe audi nos.
Christe exáudi nos.
Pater de cælis Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Cor Jesu Fílii Patris ætérni, miserére nobis.
Cor Jesu in sinu Vírginis Matris a Spíritu sancto formátum, miserére nobis.
Cor Jesu Verbo Dei substantiáliter unítum, miserére nobis.
Cor Jesu majestátis infinítæ, miserére nobis.
Cor Jesu templum Dei sanctum, miserére nobis.
Cor Jesu tabernáculum Altíssimi, miserére nobis.
Cor Jesu domus Dei et porta cæli, miserére nobis.
Cor Jesu fornax ardens caritátis, miserére nobis.
Cor Jesu justítiæ et amóris receptáculum, miserére nobis.
Cor Jesu bonitáte et amóre plenum, miserére nobis.
Cor Jesu virtútum ómnium abyssus, miserére nobis.
Cor Jesu omni laude digníssimum, miserére nobis.
Cor Jesu rex et centrum ómnium córdium, miserére nobis.
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ, miserére nobis.
Cor Jesu, in quo hábitat omnis plenitúdo divinitátis, miserére nobis.
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complácuit, miserére nobis.
Cor Jesu, de cujus plenitúdine omnes nos accépimus, miserére nobis.
Cor Jesu desidérium cóllium æternórum, miserére nobis.
Cor Jesu pátiens et multæ misericórdiæ, miserére nobis.
Cor Jesu dives in omnes qui ínvocant te, miserére nobis.
Cor Jesu fons vitæ et sanctitátis, miserére nobis.
Cor Jesu propitiátio pro peccátis nostris, miserére nobis.
Cor Jesu saturátum oppróbriis, miserére nobis.
Cor Jesu attrítum propter scélera nostra, miserére nobis.
Cor Jesu usque ad mortem obédiens factum, miserére nobis.
Cor Jesu láncea perforátum, miserére nobis.

Cor Jesu fons totíus consolatiónis, miserére nobis.
Cor Jesu vita et resurréctio nostra, miserére nobis.
Cor Jesu pax et reconciliátio nostra, miserére nobis.
Cor Jesu víctima peccatórum, miserére nobis.
Cor Jesu salus in te sperántium, miserére nobis.
Cor Jesu spes in te moriéntium, miserére nobis.
Cor Jesu delíciæ Sanctórum ómnium, miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Jesu mitis et húmilis corde. ℟. Fac cor nostrum secúndum Cor tuum.

Orémus. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, réspice in Cor dilectíssimi Fílii tui, et in laudes et satisfactiónes, quas in nómine peccatórum tibi persólvit, iísque misericórdiam tuam peténtibus tu véniam concéde placátus, in nómine ejúsdem Fílii tui Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

¶ Litanias Sanctorum require pag. 156., Litanias autem beatæ Mariæ Virginis pag. 154.

SALUTATIO B. MARIÆ V.

MANE, MERIDIE ET VESPERE DICENDA JUXTA MOREM S. ROMANÆ ECCLESIÆ.

¶ Extra Tempus Paschale.

℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ. ℟. Et concépit de Spíritu sancto.

℣. Ave María grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus. ℟. Sancta María Mater Dei ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

℣. Ecce ancílla Dómini. ℟. Fiat mihi secúndum verbum tuum.

℣. Ave María ... ℟. Sancta María ...

℣. Et Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis.

℣. Ave María ... ℟. Sancta María ...

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio.

GRATIAM tuam, quæsumus Dómine, méntibus nostris infúnde : ut qui Angelo nuntiánte Christi Fílii tui Incarnatiónem cognóvimus, per Passiónem ejus et Crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

¶ Tempore Paschali.

℣. Regína cæli lætáre, allelúia. ℟. Quia quem meruísti portáre, allelúia.

℣. Resurréxit sicut dixit, allelúia. ℟. Ora pro nobis Deum, allelúia.

℣. Gaude et lætáre Virgo María, allelúia. ℟. Quia surréxit Dóminus vere, allelúia.

Orémus. Oratio.

DEUS qui per Resurrectiónem Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi, mundum lætificáre dignátus es : præsta, quæsumus, ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

PRO GRATIIS DEO REDDENDIS.

Hymnus Te Deum laudámus., pag. 16.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Orémus. Oratio.

DEUS, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infínitus est thesáurus, tuæ piíssimæ majestáti pro collátis nobis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes : ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens ad præmia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ORATIONES FACIENDÆ IN VISITATIONE INFIRMORUM.

Cum Fratres aliquam personam infirmam decumbentem visitaverint, intrantes domum, vel cameram infirmi, dicant :

℣. Pax huic dómui. ℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Et accedentes ad lectulum infirmi, eum dulciter salutent, ad patientiam hortantes, et aliqua verba sancta pro ipsius exhortatione et consolatione dicentes. Et quia infirmitas corporalis frequentius evenit propter infirmitatem spiritualem, hortentur eum, ut si cito velit sanari ab infirmitate, etiam si infirmitas non sit multum gravis, integram et veram confessionem faciat de omnibus peccatis suis. Tunc si orare super eum voluerint, alter ex Fratribus, qui major fuerit inter eos et Sacerdos, hac forma uti poterit, quam ipsi liceat ad libitum abbreviare.

¶ Si autem plures infirmi in eodem cubiculo seu loco fuerint, Sacerdos, quoties de eis mentio in sequentibus occurrerit, numero plurali utatur.

Caríssime, si Dóminus tibi præstáre dignábitur sanitátem, nonne propónis de cétero pro víribus, et a peccátis cavére, et ejus mandáta serváre?

Quo promittente, dicat Sacerdos

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

INTROEAT, quæsumus Dómine Jesu Christe, domum hanc sub nostræ humilitátis ingréssu ætérna felícitas, divína prospéritas, seréna lætítia, cáritas fructuósa, sánitas sempitérna. Effúgiat ex hoc loco accéssus dæmonum, adsint Angeli pacis : domúmque hanc déserat et effúgiat discórdia. Magnífica Dómine super nos nomen sanctum tuum, béne ✠dic conversatióni nostræ, sanctífica nostræ humilitátis ingréssum : qui sanctus et pius es, et pérmanes cum Patre et Spíritu sancto in sæcula sæculórum. Amen.

Psalmus 6. Dómine, ne in furóre tuo., pag. 193*.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. ℟. Glória tibi Dómine.

Dum Sacerdos dicit Sequéntia sancti. etc., signum Crucis faciat super se in fronte, super os et super pectus, et similiter super infirmum, si vir fuerit : si vero femina fuerit, dum Sacerdos se signat, per semetipsam in locis prædictis se signet. Hoc idem in sequentibus Evangeliis observetur. Cap. 8.

In illo témpore : Cum introísset Jesus Caphárnaum, accéssit ad eum Centúrio, rogans eum, et dicens : Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquétur. Et ait illi Jesus : Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens Centúrio, ait : Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic Vade, et vadit : et álii Veni, et venit; et servo meo Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus mirátus est, et sequéntibus se dixit : Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte, et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælórum : fílii autem regni ejiciéntur in ténebras exterióres : ibi erit fletus, et stridor déntium. Et dixit Jesus Centurióni : Vade, et sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Virtutum cæléstium Deus, qui ab humánis corpóribus omnem languórem et omnem infirmitátem præcépti tui potestáte depéllis : adésto propítius huic fámulo tuo (vel fámulæ tuæ), ut fugátis infirmitátibus, et víribus recéptis, nomen sanctum tuum, instauráta prótinus sanitáte, benedícat. Per Dóminum. ℟. Amen.

Psalmus 19.

Exaudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus, et erécti sumus.

Dómine salvum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Ana. Média vita in morte sumus : quem quærimus adjutórem, nisi te Dómine, qui pro peccátis nostris juste irásceris? * Sancte Deus, sancte fortis, sancte et miséricors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos.

℣. Ne projícias nos in témpore senectútis : cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos Dómine. Sancte Deus...

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Miserére mei Dómine, quóniam infírmus sum. ℟. Sana me Dómine, quóniam conturbáta sunt ómnia ossa mea.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

℣. Salvum fac servum tuum. (vel ancíllam tuam.) ℟. Deus meus sperántem in te.

℣. Mitte ei Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eum. (vel eam.)

℣. Nihil proficiat inimícus in eo. (vel ea.) ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Esto ei Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, infirmitátem fámuli tui (vel fámulæ tuæ) propítius réspice, atque ad protegéndum eum (vel eam) déxteram tuæ majestátis exténde.

CONCEDE hunc fámulum tuum, (vel hanc fámulam tuam,) quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria, hominúmque dispénsas : concéde propítius ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus : ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui Patris nostri patrocínio sublevémur.

DEUS, qui factúræ tuæ semper pio domináris afféctu : inclína aurem tuam supplicatiónibus nostris, et fámulum tuum (vel fámulam tuam) ex advérsa valetúdine córporis laborántem, placátus réspice, et vísita in salutári tuo, et cæléstis grátiæ præsta ei medicínam. Per Dóminum.

℟. Amen.

Completa ultima Oratione, Sacerdos utramque manum ponat super caput infirmi, et dicat Orationem de beato Vincentio, qua utebatur sanctus Ludovicus Bertrandus.

SUPER ægros manus impónent, et bene habébunt. Jesus Maríæ Fílius, mundi salus et Dóminus, qui te traxit ad fidem cathólicam, te in ea consérvet, et beátum (vel beátam) fáciat, et méritis beátæ Vírginis Maríæ, et beáti Do-

mínici Patris nostri, et beáti Vincéntii, et ómnium Sanctórum, te ab hac infirmitáte liberáre dignétur.

Postea dicat :

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem. ℟. Glória tibi Dómine. Cap. 1.

IN princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum : et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus : qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. Hic genuflectitur. ET VERBUM CARO FACTUM EST, et habitávit in nobis : et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

℟. Deo grátias.

℣ Pro præcedenti Evangelio sequens dicere potest.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. ℟. Glória tibi Dómine. Cap. 16.

IN illo témpore : Recumbéntibus úndecim discípulis, appáruit illis Jesus, et exprobrávit incredulitátem eórum, et durítiam cordis; quia iis qui víderant eum resurrexísse non credidérunt. Et dixit eis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis : serpéntes tollent : et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt.

℟. Deo grátias.

Postea subjungat :

DOMINUS Jesus Christus apud te sit, ut te deféndat : intra te sit ut te consérvet : ante te sit, ut te dedúcat : post te sit, ut te custódiat : super te sit, ut te bene ✠ dícat : Qui cum Patre et Spíritu sancto in unitáte perfécta vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti, descéndat super te, et máneat semper.

℟. Amen.

Deinde aspergat infirmum Aqua benedicta.

COMMENDATIO ANIMÆ IN TRANSITU EXSISTENTIS.

Cum infirmus morti penitus appropinquaverit, Sacerdos cum stola legat Litanias cum Versibus et Orationibus sequentibus :

KYRIE, eléison.
Christe eléison.
Kyrie eléison.
Christe audi nos.
Christe exáudi nos.
Pater de cælis Deus, miserére ei.
Fili Redémptor mundi Deus, miserére ei.
Spíritus sancte Deus, miserére ei.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére ei.
Sancta María, ora pro eo. (vel ea.)
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Cornéli, ora.
Sancte Cypriáne, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Dionysi cum Sóciis tuis, ora.
Sancte Mauríti cum Sóciis tuis, ora.
Sancte Januári cum Sóciis tuis, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Joánnes cum Sóciis tuis, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Pie, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Antonine, ora.
Sancte Pater Domínice, ora.
Sancte Pater Domínice, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Hyacínthe, ora.
Sancte Raymúnde, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.

Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Confessóres, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Martha, ora.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucía, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Margaríta, ora.
Sancta Ursula cum Sodálibus tuis, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Rosa, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Catharína, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti, oráte.
Propítius esto, líbera eum (vel eam) Dómine.
A damnatióne perpétua líbera.
A subitánea et improvísa morte líbera.
Ab imminéntibus peccatórum suórum perículis líbera.
Ab infestatiónibus dæmonum líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ líbera.
Per Passiónem et Crucem tuam líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam líbera.
Per grátiam sancti Spíritus Paráclíti líbera.
In die judícii líbera.
Peccatóres, te rogámus audi nos.
Ut iracúndiæ tuæ flagélla ab eo (vel ea) amóveas, te rogámus audi nos.
Ut ejus spíritum a loco angústiæ líberes, te rogámus.
Ut eum (vel eam) in regióne vivórum ætérnis gáudiis confovéri júbeas, te rogámus.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus audi nos.
Fili Dei, te rogámus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce ei Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, líbera eum (vel eam) Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére ei Dómine.

Communiter ab omnibus dicatur : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison., postea Pater noster. secreto. Quo finito, dicat Sacerdos :

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum. (vel ancíllam tuam.) ℟. Deus meus sperántem in te.

℣. Mitte ei Dómine auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eum. (vel eam.)

℣. Nihil proficiat inimícus in eo. (vel ea.) ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Esto ei Dómine turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, conservátor animárum, qui quos díligis córripis, et quos récipis pie ad emendatiónem coérces : te invocámus Dómine, ut fámulo tuo, qui (vel fámulæ tuæ, quæ) in córpore pátitur membrórum

debilitátem, grátiam tuam conférre dignéris; ut in hora éxitus sui de córpore, absque mortális peccáti mácula, tibi datóri próprio per manus sanctórum Angelórum tuórum ejus ánima repræsentári mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postmodum, si infirmus adhuc vixerit, dicat Sacerdos sequentem Commendationem, quæ est secundum usum Romanæ Ecclesiæ; et si moriens femina fuerit, mutentur masculina verba in feminina, ubi de ea mentio occurrerit.

PROFICISCERE ánima christiána de hoc mundo: In nómine Dei Patris ✠ omnipoténtis, qui te creávit. In nómine Jesu ✠ Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est. In nómine Spíritus ✠ sancti, qui in te effúsus est. In nómine Angelórum et Archangelórum. In nómine Thronórum et Dominatiónum. In nómine Principátuum et Potestátum. In nómine Chérubim et Séraphim. In nómine Patriarchárum et Prophetárum. In nómine sanctórum Apostolórum et Evangelistárum. In nómine sanctórum Mártyrum et Confessórum. In nómine sanctórum Monachórum et Eremitárum. In nómine sanctárum Vírginum et ómnium Sanctórum et Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, et habitátio tua in sancta Sion. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio.

DEUS miséricors, Deus clemens, Deus, qui secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, et præteritórum críminum culpas vénia remissiónis evácuas: réspice propítius super hunc fámulum tuum N. et remissiónem ómnium peccatórum suórum tota cordis confessióne poscéntem, deprecátus exáudi. Rénova in eo, piíssime Pater, quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum est, et unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére Dómine gemítuum, miserére lacrimárum ejus: et non habéntem fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

COMMENDO te omnipoténti Deo, caríssime frater, et ei cujus es creatúra commítto: ut cum humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad Auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore spléndidus Angelórum cœtus occúrrat, judex Apostolórum tibi senátus advéniat: candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet, liliáta rutilántium te Confessórum turma circumdet: jubilántium te Vírginum chorus excípiat: et beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus astríngat: mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Ce-

dat tibi tetérrimus Sátanas cum satellítibus suis : in advéntu tuo, te comitántibus Angelis, contremíscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus : et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant : sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei : et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei. Confundántur igitur, et erubéscant omnes tartáreæ legiónes, et ministri Sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te a cruciátu Christus, qui pro te crucifíxus est. Líberet te ab ætérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intra paradísi sui semper amœna viréntia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, et præsens semper assístens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. Constitútus ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio.

SUSCIPE Dómine servum tuum in locum sperándæ sibi salvatiónis a misericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui ex ómnibus perículis inférni, et de láqueis pœnárum, et ex ómnibus tribulatiónibus.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Henoch et Eliam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Noe de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Job de passiónibus suis.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Isaac de hóstia, et de manu patris sui Abrahæ.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Lot de Sódomis et de flamma ignis.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti tres Púeros de camíno ignis ardéntis et de manu regis iníqui.

℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti David de manu regis Saul et de manu Golíæ. ℟. Amen.

Líbera Dómine ánimam servi tui, sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus.

℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam, Vírginem et Mártyrem tuam, de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui, et tecum fácias in bonis congaudére cæléstibus.

℟. Amen.

Oratio.

COMMENDAMUS tibi Dómine ánimam fámuli tui N. precamúrque te Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce Dómine creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo et vero : quia non est álius Deus præter te, et non est secúndum ópera tua. Lætífica Dómine ánimam ejus in conspéctu tuo, et ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, et ebrietátum, quas suscitávit furor, sive fervor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum non negávit : sed crédidit, et zelum Dei in se hábuit, et Deum, qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Oratio.

DELICTA juventútis, et ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris Dómine : sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cæli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum Dómine servum tuum súscipe. Suscípiat eum sanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cæléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, et perdúcant eum in civitátem cæléstem Jerúsalem. Suscípiat eum beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni cæléstis tráditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi, atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes Sancti, et elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt : ut vínculis carnis exútus, pervenire mereátur ad glóriam regni cæléstis : præstánte Dómino nostro Jesu Christo : Qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen (Ex Rituali Romano.)

¶ Si anxiatur adhuc anima, dicantur hi Psalmi, videlicet : Psalmus 117. Confitémini Dómino, pag. 24., et totus Psalmus 118. Beáti immaculáti. per Horas distributus, pag. 28. et seqq. sine Glória Patri.

¶ Si autem, expletis his omnibus, nondum obierit, recedant, relinquentes ibi Crucem et Aquam benedictam. Et Prior de aliquibus Fratribus provideat, qui remaneant ibidem, et dicant Psalterium absque Glória Patri.

SUFFRAGIA EGRESSA ANIMA DICENDA.

Egressa anima, immediate terminent Fratres Psalmos, quos dicebant per ℣. Réquiem ætérnam. Et fiat Commendatio a Sacerdote, cum stola, in-

cipiente ℟. Subveníte. et ℣. sequentem sine cantu, aliis Fratribus ipsum prosequentibus. Totum autem Commendationis Officium dicatur legendo distincte, quousque inchoandum fuerit a Cantore ℟. Líbera me Dómine.

℟. Subveníte Sancti Dei, occúrrite Angeli Dómini *Suscipiéntes ánimam ejus, Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus, qui vocávit te, et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te. — Suscipiéntes. ℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine, et lux perpétua lúceat ei. Offeréntes.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. secreto.

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

TIBI, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui, ut defúnctus sæculo tibi vivat : et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio.

MISERICORDIAM tuam Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, pietátis affléctu pro áliis rogáre cógimur, qui pro nostris supplicáre peccátis nequáquam suffícimus ; tamen de tua confísi gratúita pietáte et sólita benignitáte, cleméntiam tuam depóscimus ut ánimam servi tui ad te reverténtem cum pietáte suscípias ; adsit ei Angelus testaménti tui Míchael ; et per manus sanctórum Angelórum inter Sanctos et eléctos tuos in sínibus Abrahæ, Isaac et Jacob Patriarchárum tuórum eam collocáre dignéris : quátenus liberáta de princípibus tenebrárum et de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis, vel ignorántiæ aut própriæ iniquitátis, seu fragilitátis confundátur erróribus ; sed pótius agnoscátur a tuis, et sanctæ beatitúdinis réquie perfruátur : atque cum magni judícii dies advénerit, inter Sanctos et eléctos tuos resuscitátus, glória maniféstæ contemplatiónis tuæ perpétuo satiétur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde incipiat Sacerdos Añam Suscípiat. et Psalmum 113. In éxitu Israel de Ægypto, ut pag. 126., quem Psalmum ceteri prosequantur, terminando ipsum per ℣. Réquiem ætérnam.

Aña. Suscípiat te Christus, qui vocávit te : et in sinum Abrahæ ángeli dedúcant te.

Dicta post Psalmum Antiphona, dicat Sacerdos :

Orémus. Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es :

dum te jubénte pulvis in púlverem revértitur, tu imáginem tuam cum Sanctis et eléctis tuis ætérnis sédibus præcípias sociári, eámque de Ægypti pártibus ad te reverténtem blande lenitérque suscípias : et Angelos tuos sanctos ei óbviam mittas, viámque illi justítiæ demonstráre, et portas glóriæ tuæ aperíre dignéris. Repélle, quæsumus Dómine, ab ea omnes príncipes tenebrárum, et agnósce depósitum quod tuum est : súscipe Dómine creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo et vero, quia non est álius Deus præter te Dómine, et non est secúndum ópera tua. Lætífica clementíssime Deus ánimam servi tui, et clarífica eam in multitúdine misericórdiæ tuæ : ne memíneris, quæsumus, iniquitátum ejus antiquárum et ebrietátum ejus, quas suscitávit furor mali desidérii : licet enim peccáverit, tamen te non negávit, sed signo fidei insignítus, te qui ómnia et eum inter ómnia fecísti, fidéliter adorávit : Qui vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde incipiat Sacerdos Añam Chorus angelórum. et Psalmum Diléxi. Et Conventus prosequatur ipsum et alios qui infra notati sunt. In fine omnium dicatur ℣. Réquiem. Poterunt autem Fratres sedere dum dicunt hos Psalmos.

Ana. Chorus angelórum.

Psalmus 114. Diléxi., pag. 130; Psalmus 115. Crédidi., ibidem; Psalmus 116. Laudáte Dóminum omnes gentes., pag. 131.; Psalmus 117. Confitémini., pag. 24.; Psalmus 118. Beáti immaculáti. per Horas distributus, usque ad Psalmum Ad Dóminum cum tribulárer.

Finitis Psalmis stent Fratres et subjungant Añam. Chorus angelórum eum suscípiat, et in sinu Abrahæ eum cóllocet : ut cum Lázaro quondam páupere ætérnam hábeat réquiem.

Orémus. Oratio.

DIRI vúlneris novitáte percússi, et quodámmodo córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redémptor, flebílibus vócibus implorámus, ut Fratris nostri ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtem, blande lenitérque suscípias; et quas illa ex carnáli commoratióne contráxit máculas, tu Deus sólita benignitáte cleménter déleas, pie indúlgeas, oblivióni in perpétuum tradas, atque hanc, laudem tibi cum céteris redditúram, et ad corpus quandóque reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias. Qui vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postea dicatur Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Non intres in judícium cum servo tuo Dómine. ℟. Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

℣. Dómine exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

PARTEM beátæ resurrectiónis obtíneat, vitámque ætérnam habére mereátur in cælis per te Jesu Christe Salvátor mundi : Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio.

DEUS, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem, præsta, quæsumus, ut ánima fámuli tui terrénis exúta contágiis in tuæ redemptiónis parte numerétur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio.

FIDELIUM Deus ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tunc dicant Horas suas qui eas dicere habuerint. Quibus dictis, vel si eas dicere non habuerint, statim incipiatur Psalterium.

DE DELATIONE CORPORIS FRATRIS DEFUNCTI VEL SORORIS DEFUNCTÆ AD ECCLESIAM.

Involuto Corpore et in feretro collocato, congregatis circa ipsum Fratribus, dimittatur psalmodia, finito tamen Psalmo incepto per ℣. Réquiem ætérnam.

Tunc Sacerdos resumat Stolam, si eam deposuit, et aspergens Corpus Aqua benedicta et thurificans, legendo dicat : Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

SUSCIPE Dómine ánimam servi tui, quam de ergástulo hujus sæculi vocáre dignátus es, et líbera eam de princípibus tenebrárum et de locis pœnárum : ut absolúta ómnium vínculo peccatórum, quiétis ætérnæ beatitúdine perfruátur, et inter Sanctos et eléctos tuos in resurrectiónis glória resuscitári mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Hac Oratione dicta, Cantor incipiat ℟. Líbera me. cum cantu, et Conventus prosequatur cum Versibus et Resumptionibus a Cantore incipiendis. Et tunc campana pulsetur. Et sic deferatur Corpus in Ecclesiam tali ordine, ut Aqua benedicta præcedat, postea Thuriferarius, deinde Ceroferarii, postea Crux sequatur in medio; post Crucem incedant Fratres eo ordine quo stant in Choro, præcedentibus junioribus, post omnes Sacerdos cum Stola, ultimo Defunctus a quatuor Fratribus, quibus Cantor innuerit deferatur, quos et Conversi sequentes poterunt adjuvare.

℟. Líbera me Dómine de morte ætérna, in die illa treménda, * Quando cæli movéndi sunt et terra : Dum véneris judicáre sæculum per ignem. ℣. Dies illa dies iræ, calamitátis et misériæ, dies magna et amára valde. —

Quando cæli. usque ad Dum véneris. exclusive. ℣. Tremens factus sum ego, et tímeo, dum discússio vénerit, atque ventúra ira.— Dum véneris judicáre sæculum per ignem. ℣. Creátor ómnium rerum Deus, qui me de limo terræ formásti, et mirabíliter próprio sánguine redemísti, corpúsque meum, licet modo putréscat, de sepúlcro fácies in die judícii resuscitári : exáudi, exáudi me, ut ánimam meam in sinu Abrahæ Patriárchæ tui júbeas collocári. ℟. Líbera me Dómine.

Venientes autem in Ecclesiam deponant Corpus in Choro, ita ut facies Defuncti Altare respiciat. Deinde illi qui portant Aquam benedictam et Thuribulum ordinent se ad pedes Defuncti, unus hinc et alius inde, versis ad se mutuo vultibus. Ceroferarii vero ordinent se ad caput versis vultibus ad Altare. Frater vero qui Crucem defert, collocet eam ad caput Defuncti, verso vultu Crucifixi ad caput Defuncti, et post Crucem stet Sacerdos.

Finito ℟. Líbera me., dicat Sacerdos alta voce eo modo quo dicuntur Orationes ad Horas.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue Dómine ánimam ejus.

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

¶ Si Frater Defunctus Episcopus vel Sacerdos fuerit, dicatur hæc Oratio :

DEUS, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum Pontificáli (vel Sacerdotáli) fecísti dignitáte vigére; præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

¶ Pro alio Fratre Defuncto.

Oratio.

INCLINA Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur : ut ánimam fámuli tui, quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas; et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

¶ Pro Sorore defuncta.

Oratio.

QUÆSUMUS Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ : et a contágiis mortalitátis exútam in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Hac Oratione finita, ponantur duo cerei accensi super candelabra circa Crucem hinc et inde; et Aqua benedicta et Thuribulum sicut commode poterunt collocentur ibidem.

¶ Porro, si Fratres refectionem intermiserant, redeant ad illam, et fiat quod pag. 202*. notatum est. Provideat autem Prior ne Corpus solum remaneat; sed aliqui Fratres in Choro Psalterium legant.

¶ Quod si refectionem non intermiserant, finita Oratione prædicta Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes., vel Inclina Dómine., residentes in Choro incipiant Psalterium ubi in infirmitorio dimiserant.

Horas suas suis temporibus, Psalterium intermittentes, diligenter cantent; et expletis Horis, incipiant in Psalterio ubi dimiserant.

Si tali hora obierit ut pro eo Missa celebrari possit in Conventu, eo die sepeliatur : sin autem, in crastinum reservetur; vel eodem die sepeliatur post Vesperas, maxime in æstate. Si autem in hora vespertina moriatur, in crastinum reservetur.

Cum vero in crastinum reservatur, agantur in nocte circa eum Vigiliæ, hoc modo : Sacrista noctem dividat in duas Vigilias communiter, prout poterit. In prima Vigilia vigilet dexter Chorus, dicendo Psalterium; et circa finem primæ Vigiliæ, cum eis visum fuerit, dicant Matutinas suas legendo. Quibus dictis, cum prima Vigilia transacta fuerit, pulsentur Matutinæ; et aliis Fratribus in Chorum venientibus, eant dormitum, qui vigilaverant. Qui vero illa hora surrexerint, Matutinarum Officium cantando expleant diligenter. Quo finito, et dicto Pretiósa., vigilent, sicut primi, dicendo Psalterium.

Nullus Fratrum mittatur extra, usquequo Defunctus sepeliatur, nisi magna necessitas immineat. Quamdiu etiam Corpus est in Choro, non sedeant Fratres in cellis, vel in locutorio, sed stent circa Corpus et dicant Psalterium. Qui Officiis deputati sunt, assistant Defuncto quantum poterunt.

Si competenter fieri potest, priusquam Frater sepeliatur, debet pro eo in Conventu celebrari Missa. Si non, quam citius commode poterit, celebretur solemniter pro eo.

Debent etiam pro ipso fieri Vigiliæ Mortuorum (totum Officium Defunctorum) ipsa die qua sepelitur, si pro eo factæ non fuerint a Conventu, antequam sepeliatur. Quod si nec ipsa die possint, fiant quam citius temporis opportunitas occurrerit. Prædictæ Vigiliæ sufficiant pro obligatione Hebdomadæ, neque Fratres ad alias illa Hebdomada teneantur.

Quæ superius scripta sunt, servanda sunt circa Fratrem a Conventu in quo moritur, sive in suo, sive in Conventu alieno moriatur. Si extra Conventum suum Frater obierit, audita morte ipsius, fiant nihilominus pro eo dictæ Vigiliæ in suo Conventu, et Missa similiter celebretur. Quæ etiam facienda sunt pro Magistro Ordinis per totum Ordinem, et pro Priore Provinciali in quolibet Conventu Provinciæ sibi commissæ, audita morte ipsorum. Missam pro Fratre defuncto, si commode potest, debet Prælatus major cantare, et totum Officium facere. Fratres hospites et infirmi, qui commode possunt, ad exitum morientis et ad sepulturam veniant, et stent in ordine suo.

¶ Officium vero sepulturæ fiat ut in Processionario notatum est.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM QUÆ POST PROPRIUM SANCTORUM HABENTUR.

Pag.

Absolutio Feria quarta Cinerum et Feria quinta in Cena Domini 198*
Absolutionis forma communius observanda in confessione sacramentali 211*
Absolutionis sacramentalis forma brevior . . . 211*
Absolutionis sacramentalis forma brevissima . . . 212*
Absolutionis forma tempore jubilæi 212*
Absolutio generalis Fratribus danda 212*
Absolutio generalis Sororibus danda 213*
Benedictio Apostolica in articulo mortis. . . . 215*
Benedictio Aquæ cum Reliquiis S. Petri Martyris . . 219*
Benedictio Aquæ S. Vincentii pro infirmis . . . 220*
Benedictio Candelarum SS Rosarii 217*
Benedictio Cingulorum S. Thomæ Aquinatis . . . 218*
Benedictio ante Concionem 199*
Benedictio Fratrum advenientium 206*
Benedictio Fratrum egredientium 205*
Benedictio Magistri Ordinis, Prioris Provincialis et novi Prioris conventualis 206*
Benedictio Mensæ 200*
Benedictio Olivarum in festo S. Petri Martyris . . 219*
Benedictio Orationum S. Vincentii Ferrerii . . . 220*
Benedictio Palmarum vel aliorum Ramorum in festo S. Petri Martyris. 219*
Benedictio Domini Papæ nomine impertienda . . 214*
Benedictio omnis Rei, de qua benedictionis forma propria non habetur. 221*
Benedictio Rosariorum 216*
Benedictio Rosarum 217*
Benedictio Tertiariis sæcularibus danda extra confessionem 213*
Benedictio uni Tertiario sæculari danda immediate post confessionem sacramentalem 214*
Benedictio Vestimentorum Fratrum et Sororum Ordinis Prædicatorum 218*
De Collatione. 202*
Commendatio animæ in transitu exsistentis . . . 240*
Commune unius Abbatis 85*
Commune Apostolorum extra Tempus Paschale . . 26*
Commune Apostolorum Tempore Paschali . . . 113*
Commune unius Confessoris non Pontificis extra Tempus Paschale 81*
Commune unius Confessoris Pontificis extra Tempus Paschale 67*
Commune unius Confessoris Tempore Paschali . . 122*

Pag.
Commune unius Doctoris 79*
Commune unius Evangelistæ extra Tempus Paschale . 36*
Commune unius Evangelistæ Tempore Paschali . . 116*
Commune plurimorum Martyrum extra Tempus Paschale 52*
Commune plurimorum Martyrum Tempore Paschali . . 119*
Commune unius Martyris non Pontificis extra Tempus Paschale 49*
Commune unius Martyris Pontificis extra Tempus Paschale 38*
Commune unius Martyris Tempore Paschali . . . 116*
Commune unius sanctæ Martyris tantum extra Tempus Paschale 101*
Commune unius sanctæ Martyris tantum Tempore Paschali 126*
Commune unius nec Virginis nec Martyris extra Tempus Paschale 104*
Commune unius nec Virginis nec Martyris Tempore Paschali 127*
Commune unius Virginis Martyris extra Tempus Paschale 86*
Commune unius Virginis non Martyris extra Tempus Paschale 98*
Commune unius Virginis Tempore Paschali . . . 125*
In Dedicatione Ecclesiæ 11*
In Anniversario Dedicationis 12*
De Delatione corporis Fratris defuncti ad Ecclesiam . 247*
Exorcismus Leonis Papæ xiij 222*
Exorcismus contra tempestatem 224*
In Festis B. Mariæ Virginis 1*
Pro Gratiis Deo reddendis 236*
Gratiarum actio post mensam 201*
Gratiarum actio post Missam 229*
Itinerarium 208*
Litaniæ SS. Cordis Jesu 234*
Litaniæ SS. Nominis Jesu 232*
Officium votivum Corporis Christi 144*
Officium Defunctorum 174*
Officium votivum S. P. Dominici 133*
Officium votivum B. Mariæ V. in Sabbato . . . 150*
Officium quotidianum B. Mariæ V. 159*
Officium votivum S. Thomæ Aquinatis 139*
Officium votivum S. Vincentii Ferrerii 128*
Officium faciendum in electione Magistri Ordinis . . 203*
Officium faciendum in electione Prioris conventualis . 205*
Officium faciendum in electione Prioris provincialis . 204*
Oratio pro Capitulo generali et euntibus ad illud . . 202*

Pag.
Orationes itinerantium quotidianæ. 210*
Orationes pro Domino Papa et Benefactoribus in Capitulo 198*
Orationes dicendæ dum sacerdos induitur sacris vestibus. 229*
Oratio de S. Vincentio Ferrerio super ægros . . . 238*
Orationes faciendæ in Visitatione infirmorum . . 236*
Præparatio ad Missam 226*
Psalmi Graduales 158*
Psalmi Pœnitentiales 193*
Salutatio B. Mariæ V. mane, meridie et vespere, extra Tempus Paschale 235*
Salutatio B. Mariæ V. mane, meridie et vespere, Tempore Paschali 235*
Suffragia, egressa anima, dicenda 244*

LAUS DEO.

ERRATA	CORRIGE
IN PSALTERIO	
Pag. 9. col. 1. lin. 28.	
trepidavérumt	trepidavérunt
Pag. 51. col. 2. lin. 16.	
singillátim	sigillátim
IN I. PARTE	
Pag. 196. col. 1. lin. 15.	
séquiturut	séquitur ut
Pag. 201. col. 2. lin. 7.	
Ex Patri	Ex Patre
Pag. 242. col. 1. lin. 28.	
Ex noc loco	Ex hoc loco
Pag. 291. col. 1. lin. 8.	
propria	prima
Pag. 295. col. 1. lin. 3. et lin. 4.	
et nisi in Officio Defunctorum.	*Prædicta verba sunt omittenda.*
Pag. 861. col. 2. lin. 21.	
Póntifem	Póntifex
Pag. 1047. col. 1. lin. penult.	
videdátur	videbátur
IN II. PARTE	
Pag. 170. col. 2. lin. 10.	
firmát sunt	firmáti sunt
Pag. 185. col. 1. lin. 34.	
Jesu Christi	Jesu Christe
Pag. 186. col. 1. lin. 28.	
Miséricos	Miséricors
Pag. 476. col. 2. lin. 23.	
DUPLEX	SIMPLEX
Pag. 486. col. 2. lin. 4.	
Vírginis	Vírgines
Pag. 603. col. 2. lin. 31.	
María	Maríam

In nominibus *Alexandría* et *Antiochía* penultimam, in voce vero *Eucharístia* antepenultimam acue syllabam. In voce vero *bravium* penultimam acue syllabam, quandocumque soluta oratio fuerit; ubi vero rythmica, licentia poetica, pro conditione carminis, utere.

Alia, eaque fortasse graviora, Lector benevole, notabis errata, quæ non tibi soli in tuo Breviarii exemplo, quæsumus, corrigas, sed Fratribus editoribus indicare digneris.

MUTANDA ET ADDENDA

Solemnitas sanctissimi Nominis Jesu Dominica prima post Octavam Epiphaniæ deinceps in toto Ordine celebrabitur. Die vero decima quinta Januarii, de B. Francisco de Capillas Martyre O. P. fiet Officium cum Memoria S. Mauri Abbatis.

Die undecima Februarii, amandata in diem vigesimam Desponsatione B. Mariæ Virginis, de Apparitione ejusdem agetur Officium, ut in priore parte Breviarii, pag. 1211. notatum est.

Die vigesima octava Novembris legendum erit Officium de B. Zedislava O. P. quod in priore parte Breviarii, pag. 1210. positum est.

Pag. 233 : col. 2. lin. 28. in Litaniis SS. Nominis Jesu, dicto* Per Ascensiónem tuam líbera nos Jesu., *addatur :* Per sanctíssimæ Eucharístiæ institutiónem tuam líbera nos Jesu.

Pag. 235. Post Litanias SS. Cordis Jesu, addesis Litanias S. Joseph.*

LITANIÆ S. JOSEPH SPONSI B. MARIÆ V.

Kyrie eléison.
Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Proles David ínclyta, ora.
Lumen Patriarchárum, ora.
Dei Genitrícis Sponse, ora.
Custos pudíce Vírginis, ora.
Fílii Dei nutrítie, ora.
Christi defénsor sédule, ora.
Almæ Famíliæ præses, ora.
Joseph justíssime, ora.
Joseph castíssime, ora.
Joseph prudentíssime, ora.
Joseph fortíssime, ora.
Joseph obedientíssime, ora.
Joseph fidelíssime, ora.
Spéculum patiéntiæ, ora.
Amátor paupertátis, ora.
Exémplar opíficum, ora.
Domésticæ vitæ decus, ora.
Custos vírginum, ora.
Familiárum cólumen, ora.
Solátium miserórum, ora.
Spes ægrotántium, ora.
Patróne moriéntium, ora.
Terror dæmonum, ora.

Protéctor sanctæ Ecclésiæ, ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.
℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Orémus. **Oratio.**

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es : præsta, quæsumus, ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis : Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.